

111
7
17


SACRÆ ROTÆ ROMANÆ
DECISIONES
Coram Rmo P. Domino
CYRIACO LANCETTA
Ejusdem Sac. Rotæ Decano

Ac Sacræ Pœnitentiariæ Regente, Viro utriusque Juris Peritissimo

Ex propriis autographis diligenter depromptæ, Argumentis, Summariis, atque locupletissimo generali Indice adauctæ,

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
CLEMENTI XII.
PONT. OPT. MAX.

DICATÆ.
TOMUS SECUNDUS.



ROMÆ MDCCXXXII.

Typis, & sumptibus Hieronymi Maynardi in platea Montis Citatorii.

SUPERIORUM PERMISSU.



INDEX
ARGUMENTORUM,
Quæ in hoc ſecundo Volumine Deciſionum continentur.

Romana Primogenituræ de Cæſarinis ſuper Exhibitione.

Lunæ 14 *Aprilis* 1704.

ARGUMENTUM.

Pro exhibitione Scripturarum illarum exiſtentia quomodò probetur in eo, qui anteà eas receperat cum reliquis bonis ſub obligatione reſtituendi? & ad obtinendum effectum prius gravatoria, & regravatoria debent relaxari, & demum locus eſt juramento in litem, quanti intereſt ſcripturas non exhibiri.

In hac cauſa eſt ſuperior dec. 44., & inferiores 323., & 326. cum ibi notatis. pag. 1.

Romana Salviani.

Ven. 18. *Aprilis* 1704.

ARGUMENTUM.

Habes à ſuperiori deciſ. 274. 2.

Romana vineæ ſuper conſignatione.

Lunæ 21. *Aprilis* 1704.

ARGUMENTUM.

Fideicommiſſario prætendenti nullitatem ceſſionis bonorum fideicommiſſi in cauſam dotis onus competit ejus exceſſum probandi, neque per hanc turbidam exceptionem impedire poteſt conſignationem pecuniarum antecedenter liquidis creditoribus graduatis: cum ejus jura farcta tecta remaneant ſtante cautione de reſtituendo prioribus, & potioribus intuitu conſignationis pecuniarum ab eis emittenda.

In hac cauſa habes ſuperiorem dec. 185. 3.

Reatina Fideicommiſſi de Clavellonibus.

Ven. 25. *Aprilis* 1704.

ARGUMENTUM.

Prædium ſubrogatum in locum alterius alienati, quod ex eo, quod à fideicommiſſo exiverat ei amplius ſubjectum non erat, neque ipſum eſt ſubjectum, etiamſi illud ad fideicommiſſarium poſtea revertatur Fideicommiſſarius agere poteſt contra gravatum alienantem, vel tertium poſſeſſorem bonorum fideicommiſſi alienatorum pro libito ratione hypothecæ, quam in alienando ſcienter gravatus bona fideicommiſſi contrahit in rebus ſuis: & examinatur talis ſcientia quomodo probetur? & quod non excuſatur à competentia detractionum, ſi alienationes eaſdem longè excedant?

In hac cauſa ſunt ſuperiores dec. 28. 249., & inferior 339. 4.

Sabinen. Fideicommiſſi.

Lunæ 28. *Aprilis* 1704.

ARGUMENTUM.

Retentio bonorum fideicommiſſi pro juribus legitimæ tertio poſſeſſori, qui in eadem legitimam purus creditor eſt, & pro ea fideicommiſſi creditores dimiſit, à quibus totum fideicommiſſum abſorbetur non eſt concedenda, ſed ſuccurrendum fideicommiſſario, qui eadem bona vult vindicare Habens amplam facultatem à fideicommittente ejus bona propria auctoritate capiendi pro ſuis creditis, ea uti non poteſt ſine interpellatione, & poſtquam Judex manus appoſuit, pro diverſo credito.

In hac cauſa ſunt ſuperiores dec. 297., & infer. 388., & 389. 6.

Seguntina Capellaniæ.

Lunæ 28. *Aprilis* 1704.

ARGUMENTUM.

Habes in Summario. 8.

Barchinonen. annuæ præſtationis.

Lunæ 5. *Maii* 1704.

ARGUMENTUM.

Dat ſuperior deciſ. 291., quæ confirmatur. 9.

Romana, ſeu Mexicana Depoſiti Elemoſynarum.

Lunæ 12. *Maii* 1704.

Periti electio non eſt demandanda pro expunctione partitarum, quæ ſedulò à partibus examinatæ, & confeſſatæ fuerint. Quomodò cognoſcatur, an lis agitetur contra hæreditatem poſitam ſub concurſu, adeò ut creditores jura ſua deducere poſſint, abſque impetratione commiſſionis admiſſionis ad cauſam, aut verò contra debitoris Uxorem, filioſque coobligatos, adeo ut creditorum concurſus exceptiones non ſint attendendæ. 10.

Romana, ſeu Mexicana Depoſiti Elemoſynarum ſuper Attentatis.

Lunæ 12. *Maii* 1704.

ARGUMENTUM.

Attentatum non eſt, quod parte conſentiente fit, nec revocatur, quod denuo fieri deberet; Cætera in Summario. 12.

Romana, ſeu Ceſenaten. Fideicommiſſi.

Ven 16. *Maii* 1704.

ARGUMENTUM.

Fœmina filia primi vocati admittitur ad fideicommiſſum, ſi teſtator fœminas illius domus in quibus fictam agnationem renovatam voluit, vocavit ſub nomine deſcendentium à maſcu-

Roma-

servantia præsentationum, a provisionibus apostolicis, & a visitationibus Ordinarii: Et si ultimus masculus de familia donaverit omnia sua bona, illud in tali donatione comprehenditur, absque ope confirmationis ab Ordinario.

Confirmatur infra dec. 401. & 402. 69.

Ferrarien. bonorum super liberatione à Molestiis.

Lunæ 11. *Maii* 1705.

ARGUMENTO.

Non indiget. In hac causa est Decis. 281., a qua hic receditur, & confirmatur infra dec. 423. & 442. Adest in hac causa quoque proxime sequens cum ibi notatis super datione in solutum, & super manutentione superior dec. 282. & 344., & infra dec. 424. 443. & ibidem notandę. 71.

Ferrarien. bonorum super datione Insolutum.

Lunæ 11. *Maii* 1705.

ARGUMENTUM.

Contractus à minoribus utiliter expletus cum omnibus juridicis, & statutariis solemnitatibus sustinetur: absque eo quod obstet proximiores minorum adfuisse tunc temporis, & non fuisse vocatos: cum illi jurarunt non adesse, & alter contrahens utrum adessent nesciebat, & fuit longissimo tempore observatus per plures actus ab eisdem gestos, ex quibus scientia nullitatum adsuerit nec ne, idem resultat. Assignationem non effectivam, sed per simplicè pollicitationem, & oblationem factam, neque acceptatam non tenetur creditor servare: præcipue cum ineffectuata remanserit. Et hanc effectuationem actus æquivoci non concludunt, ut productio scripturarum, inter quas apoca dictæ assignationis est inserta, cum sit in judicio contra diversam personam; & administratio bonorum, quæ assignata prætenduntur; facta ab homine deputato, non ab ipso, sed à minorum creditoribus. Tutor quomodo, durante tutela, de suo credito cum pupillis possit satisfactionem reportare? Et an rationem reddere ipse teneatur de administratione facta a deputato à creditoribus pupillorum? Et an, & quando pupillis imputandæ sint usuræ pecuniarum pro tempore, quo otiosæ steterunt, quas tutor ad cambium pro eorum debitis dimittendis acceperat? Pupilli impugnare nequeunt redditionem rationum à tutore factam, à qua effecti majores, longissimo tempore non reclamarunt. Nec si ille solvit debita eorum auctoris, cujus, licet hærditatem cum beneficio Legis, & inventarii adiverint, pendebat tamen revisio peritiæ pro reddenda ratione. Neque si pretendatur nullam fuisse auctoris obligationem, ex eo quod filius familias esset, nam cum foret emancipatus, obligatio sustinetur; etiamsi emancipatio à Patre revocata, vel à filio eidem fuisset renunciatum: præcipuæ cum contrahens esset in bona fide emancipationis, & contractus fuerit longo tempore observatus. Bona fideicommisso subjecta non dicuntur; ex quo ad cautelam super eis fuit translatum fideicommissum: dummodo adesset: neque ex descriptione non specifice id exprimente, & ad proprium commodum, neq; ex testamenti productione.

Confirmatur infra dec. 422., & 441. In hac causa quoque sunt omnes decisiones, quæ in proxime superiori adnotantur. 72.

Romana, seu Cæsenaten. Fideicommissi super Mobilibus.

Veneris 15. *Maii* 1705.

ARGUMENTUM.

Mobilium identitate probata, quomodo hæres ad argentorum, tabularum pictarum, bibliothecæque restitutionem fideicommissario teneatur.

In hac causa adest supra hoc tom. dec. 321. & infra super fructibus 370. 78.

Burgen. Panis super Declaratoria.

Lunæ. 18. *Maii* 1705.

ARGUMENTUM.

Non indiget. Adsunt in hac causa superiores Decis. 158. 159. 322. 79.

Pisana Capellaniæ.

Veneris 5. *Junii* 1705.

ARGUMENTUM.

Litteræ Impetratoris obreptitiæ, & subreptitiæ non sunt exequendæ. Pluralitas beneficiorum non reddit incapacem possessorem ad consecutionem, sed ad retentionem: neque illa impeditur, cum adest dispensatio Apostolica. Devolutio non datur ob non obtentam intra semestre institutionem à præsentato, cum de jure tempus non sit ad id præfinitum. Præsertim si eadem fuerit petita.

Confirmatur infra dec. 394. 80.

Æsina Census.

Veneris 5. *Junii* 1705.

ARGUMENTUM.

Habes in superiori Decis. 66., quæ confirmatur, addito, quod ob pecunias dotales sine aliquo onere viro datas, ex quibus sua debita extinxit, Uxori subingressus in illius creditoris juribus non datur. 81.

Romana Legatorum.

Lunæ 8. *Junii* 1705.

ARGUMENTUM.

Cum Testator jussit assignari legatario tot annuos redditus, hæres, ut se eximat ab incommodo annuæ præstationis poteit assignare corpus, ex quo tantundem legatarius percipiat: quod debet esse de mediocribus hæreditatis. Et examinatur an absque onere suppiendi in casu decrementi fructuum ex aliis bonis, vel cum onere supplendi sit assignandum. Ad quod interpretandum pependitur voluntas testatoris, quæ etiam deducitur ex qualitate operis pii, & observantia. 83.

Romana Salviani.

Lunæ 8 *Junii* 1705.

ARGUMENTUM.

Hæc Decisio est confirmatoria superiorum Decis. 13. & 300. 85.

Reatina Fideicommissi super Detractoribus.

Lunæ 14. Decembris 1705.

ARGUMENTUM.

Detractiones non debentur concurrentibus alienationibus cum defectu inventarii, quod non suppletur ex inventario tutelari, ex divisione facta inter secundos hæredes, ex libris, ex articulis, & consensu præstituto à primo hærede, quando ex his negativa existentiæ aliorum bonorum de tempore mortis Testatoris non coarctatur. Cohæres quando cohæredi inventarii defectum possit opponere.

In hac Causa sunt superiores. dec.216.226.276. 130.

Pisana Capellaniæ.

Veneris 15. Januarii 1706.

ARGUMENTUM.

Dat superior Dec. 365. quæ confirmatur. 135.

Romana Evictionis.

Lunæ 25. Jan. 1706.

ARGUMENTUM.

Habes supra in Decisio 352., & 386. quæ confirmantur. 134.

Civitatis Vetulæ fideicommissi.

Mercurii 10. Februarii 1706.

ARGUMENTUM.

Eo non indiget, quia est brevis Decisio confirmatoria superiorũ Dec.3<9.,& 391. 136.

Romana prætensæ reductionis Canonum.

Lunæ 1. Martii 1706.

ARGUMENTUM.

Reductio Canonum in emphyteusi quomodo debeatur, & probanda sit ex peritia læsio in originem contractus, vel ex post superventa Præsertim si novennio ante concessionem pro responsione canonem superante consuevit locari. 137.

Faventina Prædii.

Veneris 5. Martii 1706.

ARGUMENTUM.

Illiquiditas crediti in possidente, & retentionem petente proveniens ex perceptione fructuum, ut operetur quid requiritur? Mulieris obligatio emissa in venditione, & remissio hypothecam cum causa finali, quia super aliis bonis viri se tutam credebat; si postea aliorum bonorum evictio sequatur; etiam si de tempore obligationis esset tuta, nisi id continuaverit; non sustinetur, & cessat. Retentio Mulieri datur pro fructibus census, quem cum viro habebat; non pro sorte, utpote irrepetibili, nec pro expensis voluntariis in lite calumniosa, nec pro illiquidis. 139.

Romana fideicommissi super expensis.

Veneris 5. Martii 1706.

ARGUMENTUM.

Sportulæ, ut taxentur, quomodo valor causæ dijudicatur? Renunciatio liti facta sine obligatione refectionis, expensarum cum deposito unius julii, & nisi sit pura, & simplex, & si agitur de bonis dotalibus durante matrimonio cum interventu viri, non impedit expeditionem causæ, & expensarum taxationem. 141.

Florentina Canonicatus.

Veneris 12. Martii 1706.

ARGUMENTUM.

Juspatronatus ex privilegio revocatum non censetur ab Adriani VI. Constitutione, si sit acquisitum ex causa onerosa augumenti dotis correspondentis fructibus primo loco assignatis. Et quomodo hęc dotatio ex præsentationibus effectum etiam judicialitèr sortitis supra centum annos probetur? quin obsint expressiva valoris per non excessum, quæ quid operetur? & exhibitio tituli ex privilegio in aliquibus præsentationibus facta. Qualitas agnatitia jurispatronatus, etiam si ejus fundatio vel contraria, vel dubia sit, quomodo ex præsentationibus per duo Sæcula effectum sortitis probetur? Quia obstet unica præsentatio facta à descendentibus à fœmina, contra quam agnati protestationem emiserunt. & idem præsentarunt; Juspatronatum gentilitium ultimus masculus, in fœminarum præjudicium, potest in alios transferre.

Est confirmaroria super. dec.360. 143.

Florentina Canonicatus.

Vener. 12. Martii 1706.

ARGUMENTUM.

Cumulativè præsentatus cum subalterna conditione; si moriatur primus, vel pacificè institutionem non sit assecuutus; ad beneficium debet institui. Et quid sit ista subalterna conditio explicatur. 145.

Romana Fideicommissi.

Lunæ 15. Martii 1706.

ARGUMENTUM.

Latè argumenta perpenduntur, ex quibus conicitur, an in donatione condita in longissimos gradus, & in perpetuum protracta ab ascendente intuitu certi Matrimonii favore filii legitimi, & descendentium legitimorum, filii uti filii jure proprio, vel uti patris hæredes sint vocati, & potestas donantia, & observantia proxima ad declarandam ejus voluntatem perpenduntur. Fœminæ descendentes in dicta donatione comprehensæ, cum ex auctoris testamento essent exclusæ, defectis masculis invitatæ censentur.

Super eisdem bonis adest dec.sequens. 146.

Romana Fideicommissi super Immissione.

Lunæ 15. Martii 1706.

ARGUMENTUM.

Immissio non conceditur ad bona, quæ à Testatore provenire non probantur, & provenientia non convincitur ab expressione vinculi fideicõmissi facta in litteris patentatibus: excluditur vero ex quo testator cum omnia sua bona recensuerit, de istis, licet Insignibus, mentionem non fecit: & cum hæres pro se, & suis hæredibus acquirendo, super eisdem transegit, vel cum pecunia fideicommissària eodem modo acquisivit: vel testator aliis reliquit: nec immissio conceditur ad bona, de quibus actores petentis sunt satisfacti, vel sunt illiquida. Donationi consentiens, donare non dicitur. Loca montium

In

Sora-

Sorana diviſionis ſuper Remiſſoria.
Veneris 13. *Maii* 1707.
ARGUMENTUM.

Remiſſoria in profanis, & initio litis concurrente relevantia materiæ articulatæ, & probationis fumo, non negatur. Redditio rationis non debetur cum probata remanet communio, & promiſcua bonorum adminiſtratio inter eamdem prætendentes.
Eſt in hac cauſa ſuper diviſione dec. 232. tom. 1. & ſuper redditione rationis dec. 713., & ſuper exhibitione ſcripturarum dec. 714. tom. 3. 293.

Romana Fideicommiſſi de Avila ſuper fructibus.
Lunæ 16. *Maii* 1707.
ARGUMENTUM.

Traditur regula juxta quam liquidandum veniat multiplicum ex pretio fundi vendendi, & inveſtiendi demandatum, à quo ſcilicet tempore primum inveſtimentum ſit incipiendum, & fundi ad talem effectum deſtinati pretium à quo tempore dimetiendum, & fructuum inveſtimentum pro multiplico, à quo tempore pariter conſiderandum, & quæ impenſæ ab eis prius detrahendæ. Pater non habet uſumfructum, cum una cum filiis ſuccedit in eorum bonis adventitiis, & etiam durante obligatione multiplicandi.
Confirmatur infra dec. 670. & 631. & 659. & 670. juxta tamen modos in illis expreſſos. In hac cauſa in 1. tom. adeſt dec. 181. Et ſuper reſervatis dec. 671. & alia 21. Junii 1715., & ſuper reſtitutione in integrum dec. 672., & alia 21. Junii 1715. & ſuper fructibus, & ſuper noviter reſervatis 17. Junii 1715. 294.

Romana Pecuniaria.
Lunæ 16. *Maii* 1707.
ARGUMENTUM.

Deperditio mercium facta ex alicujus baratteria ejus damno cedit, & quomodo ex ſententia criminali in Judicio civili probetur? (Error in ſolidatione computorum concludenter eſt probandus: præſertim cum ſolidatio) vel ex computatio facta fuit ſine relatione ad libros; quia tunc potuit provenire ex aliis negociis. Nec ex unico teſte convincitur, nec contra propriam confeſſionem datur remiſſoria. 297

Imolen. Fideicommiſſi.
Ven. 3. *Junii* 1707.
ARGUMENTUM.

Retentio bonorum fideicommiſſariorum a tranſverſali provenientium non datur pro dote, quam ex fructibus aſſignari præcepit Neque pro illius fructibus, cum dilatio ſatisfactionis hoc illis in conſtitutione fuit conventa, quos in fideicommiſſariorum præjudicium gravatus poſteà paciſci nequit: Præſertim cum ex culpa Viri, cui dos promiſſa fuit, ejus inexactio provenit, & alias cum illis fideicommiſſum, quod integrum conſervari voluit teſtator extraneus, everteretur. Sed hæc actio pro fructibus dotis contra gravati promittentis hæredes poterit intentari. 299.

Majoricen. Collegiaturæ.
Veneris 3. *Junii* 1707.
ARGUMENTUM.

Parentelæ ad effectum admiſſionis ad Collegium requiſitum probatur, ſi admittendi Patruus talis fuit: requiſitum Peritiæ in cantu ob admiſſionem quomodo probetur, & qualis peritia in eo ſufficiat. Electio facta vel poſt inhibitionem, vel etiam poſt terminum in ea datum ad docendum alteri præelecto de requiſitis, cum id fecerit, eſt nulla, ſi acta ſit ſine citatione, & decreto. 300.

Bononien. Hoſpitalis.
Lunæ 6. *Junii* 1707.
ARGUMENTUM.

Hoſpitalia fundata auctoritate Epiſcopi habentur tamquam ſpiritualia & beneficia eccleſiaſtica, præſertim quando conferuntur ad vitam; & ideò ſubjecta regulæ 26. Cancellariæ. Affectio S. Sedi quomodo proveniat, ligetque manus inferiorum collatorum? Et quid operetur decretum conſiſtoriale, in quo regimen alicujus hoſpitalis alicui ad vitam conceditur? etiam ſi appoſitum minimè ſit, quod non niſi à Papa poſtmodum diſponi poſſit. Unio ab Epiſcopo facta ex indulto hoſpitalis, in quo Pontifex manus appoſuit, eſt nulla. Et dictum indultum ſi non extendatur ad unionem, & ſuppreſſionem beneficiorum multo minus hoſpitalia comprehendit. Unio hoſpitalis facta ab Epiſcopo Seminario eſt nulla, quia non eſt facta ad uſum proximum illi à teſtatore hoſpitalis erectore voliio. Et etiam ſi ſit facta perpetuo, & cur? juxta ſanctionem *S. Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *de Reform. cap.* 10. Et hic inſtituta hoſpitalium, & ſeminariorum examinantur. 302.

Tyburtina Bonorum ſuper bono jure.
Ven. 10. *Junii* 1707.
ARGUMENTUM.

Circa confinia plurima adducuntur, quod ſcilicet de mandato terminos apponentium conſtet in antiquis ex eorum aſſertionibus & mandantis Epiſtolis; de ſcientia Domini ex ipſo facto permanenti: neque eorum ſituationem eſſe potius deſumendam ex congruentia, & ſituatione loci. Quid, ex deſtinatione Domini, territorio adjectum, & in venditione comprehenſum cenſeatur perpenditur. Cætera in Summario. 304.

Tyburtina Bonorum ſuper Manutentione.
Veneris 10. *Junii* 1707.
ARGUMENTUM.

Habes in Summario. 307.

Verulana Abbatiæ ſuper Inſtitutione.
Ven. 17. *Junii* 1707.
ARGUMENTUM.

Gratioſe in alterius loco ſubrogatus adeo illius perſonam ſubingreditur, ut ejus nominatio uſque ad ſubrogati obitum continuaſſe dicatur, De pertinentia juspatronatus cum conſtat ex brevibus Apoſtolicis poſt centenariam pacificam poſſeſſionem amplius dubitari nequit. Teſtamento cujus exemplum in judicio criminali falſum fuit declaratum non tale eſſe ipſum contu, ut: præſertim cum omnia

nia in eo contenta verificentur, & hæredis favore subßitutorum ad elt confeßio feria, & in actu proportionato, & non suspecto emissa, quæ quod operetur declaratum habes.

Conjecturæ pro recessù à *conf* 21. *Oldradi* enumerantur: præsertim cum agatur de inducendo fideicommisso favore Ecclesiæ vocatæ post omnes descendentes; & onere perpetuo eisdem adiuncto, & cum defectus sine filiis consideratus fuit cum clausula *quandocunque*, & nomen appellatiuum filiorum est expressum in parte conditionali. Quomodo Notarius sucessor antecessoris acta possit ætrahere. Et Epistolis antiqui recognitis quando fides aliqua præstands. Et quomodo filiatio probetur? 308.

Verulana Abbatiæ super Remissoria.

Ven. 17. *Junii* 1707.

ARGUMENTUM.

Remissoria, & compulsoria in beneficialibus cum lis est inter presentatos pro probanda illegitimitate, & sic non jure alterius ex presentantium Auctoris, non conceditur, cum de ea fumus non solum non datur; quinimò, ex contrarita probationibus excluditur.

In hac causa sunt decisiones in proxime superiori notatæ. 311.

Verulana Abbatiæ super Litteria Apostolicis.

Lunæ 20. *Junii* 1707.

ARGUMENTUM.

Impetrans sub narrativa, quod juspatronatua laicale sit gratiosè per privilegium concessum, hoc probare debet, ut intret regula reservatoria mensium: nec tamen suffragatur cum Patroni non fundant se in privilegio, sed in centenaria quasi possessione præsentandi. Juspatronatus per brevia concessum, in quibus decernitur eidem per S. Sedem derogari nequire, & quod titulo oneroso augumenti dotis conceditur, reservationibus Apostolicis subiectum non remanet. Et tuno an hoc sufficiens augumentum dotis, vel dotationem Patronis, vel impetranti contrarium probandi onus incumbat, distinguitur. Actus præsentationis, qui per unicam decisionem Rotalem, absque subsecuta sententia, approbatur, cum præsentatus in Beneficii possessione continuat, nec ad aliam deventum fuit provisionem, approbatus dicitur in contradictorio judicio, nec potest controverti.

In hac causa sunt decisiones in superiori 497. indicatæ. 312.

Romana Immissionis.

Mercurii 22. *Junii* 1707.

ARGUMENTUM.

Renunciatio, quod sit realis, & abdicativa non restricta ad solos renunciatarios convincitur ex ipsis renunciationis verbis, & acceptatione pro se, & hæredibus quibuscumque a renunciatario facta contextualiter, & extense in eodem folio omnimodè a renunciante approbato, & subscripto. Et ista comprehendit renunciationem successionis etiam fratri renunciatario, cum ille veniat sub nomine collateralium, quorum hæreditatibus est renunciatum.

In hac causa super fructibus est dec. 580. 314.

Perusina Fideicommissi super Expensis.

Merc. 22. *Junii* 1707.

ARGUMENTUM.

Taxatio in expensis facienda est in judicio nullitatis per rem judicatam terminato, etiamsi pendeat super eadem causa; quia in illa non proceditur per viam confirmationis, sed ex integro. Neque eam impedit renunciatio liti ab alio facta cum clausula de rato, nisi fuerit ratificata.

In hac causa sunt decisiones notatæ in... 316.

Romana Secretariatus Apostolici super Fructibus.

Mercurii 22. *Junii* 1707.

ARGVMENTVM.

Habes in Summario. 317.

Romana Secretariatus Apostolici super Relevatione.

Mercurii 22. *Iunii* 1707.

ARGUMENTUM.

Habes in Summario.

Confirmatur infra decis. 515. 318.

Romana, seu Firmana Immissionis.

Lunæ 27. *Junii* 1707.

ARGUMENTUM.

Habes in superiori Dec. 449., cujus hæc est confirmatoria. 319.

Polycastren. Subventionis.

Lunæ 27. *Junii* 1707.

ARGUMENTUM.

Taxam, seù annuas præstationes, aut subventiones personales excedentes Episcopus a suis Clericis exigere nequit de jure, & ex Clementis XI. decreto consistoriali, nisi adsit immemorabilis; & ista per testes, & scripturas quomodo sit probanda, vel quadragenaria cum titulo, & ista pariter quomodo per testes concludatur: Neque titulus hujusmodi desumi potest ex Synodali constitutione omnibus necessariis requisitis, quæ hic recensentur, destituta, vel quæ hoc onus Clericis sine licentia S. Sedis imponit, vel si constet onus hoc fuisse temporale, quia ea necessitate defecta nequit prorogari. 320.

Polycastren. subventionis super Remissoria.

Lunæ 27. *Junii* 1707.

ARGUMENTUM.

Denegatur remissoria ad effectum probandi subtractionem synodus à protocollo, attento quod sit materia obiectiva, & quod ejus existentia excludatur à lite diu continuata absq; eo quod exhibita fuerit; & quod de pretensa materia loqui nequeat, & quod etiam si de ea loqueretur, immemorabilem concludere non potest ad effectum sustinendi annuas personales subventiones, quas Episcopus à clericis debitas in eadem enunciari prætendit quia enunciativa ista non est in geminatis instrumentis, & provenit ab Episcopis, quorum favore agitur.

In hac causa est proxime superior Decisi. 323.

Est

Ro-

Bo-

Bononien. Transactionis.
Mercurii 10. *Martii* 1709.
ARGUMENTUM.

Transactio quando afficit ex propria persona venientes, & contemporaneum jus habentes etiam absque beneplacito Apostolico inita. Quæ læsio ad eam rescindendam requiratur, adeout in dubium sustineatur? Dos descendentium desumenda est ex fideicommisso ascendentali deficientibus bonis liberis, quorum existentia non probatur ex testamento, post quem conditum à multo tempore testator decessit, & quare? Cætera dat Summarii Confirmatur dec.646. 470.

Romana, seu Cabilonen Contributionum super Declaratoria.
Lunæ 18. *Martii* 1709.
ARGUMENTUM.

Accipe a Summario. In hac Causa sunt super dec.417., & 456. 472.

Romana Dotis.
Lunæ 15. *Aprilis* 1709.
ARGUMENTUM.

Receditur a decisis in superiore dec 521.& demonstratur quomodo sit dimetienda secunda mulieris obligatio, ne sit lęsiva, quando vel prima erat nulla, utpote quę unico contextu facta dotis medietatem excedens; vel pro ea damnum passum junctum cum secunda obligatione dictam medietatem non excedebant, vel adsunt bona viri, & ejus quartum dotale, ex quibus, usque ad dictam dotis medietatem, potest mulier relevari. Illiquidum non efficitur creditum ex quo ex bonis debitoris fructus perceperit statim liquidabiles, ut canones, & pensiones. 473.

Romana Dotis super Mandato scut.1850. eorumque fructibus.
Veneris 19. *Aprilis* 1709.
ARGUMENTUM.

Habes in superiori dec.378., cujus hæc est confirmatoria, & confirmatur quoque infra decis. 632. juxta tamen modum ibidem expressum. Et proxime sequens est in hac causa.475.

Romana Dotis super supplemento.
Veneris 19. *Aprilis* 1709.
ARGUMENTUM.

Desume ex superiori confirmata decis. 379. In hac causa est quoque proxime antecedens, cum ibi indicatis. 478.

Vicen. Beneficii.
Lunæ 22. *Aprilis* 1709.
ARGUMENTUM.

Habes à Summario. 479.

Firmana Beneficiorum.
Lunæ 3. *Junii* 1709.
ARGUMENTUM.

Prohibitio alienationis nuda fideicommissum non inducit, ut si sit ne bona extra familiam alienentur non impedit ne in filiis de familia; Et sic est de renunciatione juris præsentandi. Habens qualitatem filii compatroni in æquali jure præfertur in istitutione eadem carenti. Confirmatur infra in Decisionibus 647.& 657. 480.

Placentina Bonorum.
Veneris 7. *Junii* 1709.
ARGUMENTUM.

Est confirmatoria juxta tamen modum superioris decis.579. 481.

Romana Immissionis.
Lunæ 19. *Aprilis* 1709.
ARGUMENTUM.

Est brevis decisio, in qua confirmatur dec.598., addito examine quando fructus census debeantur, licet fundus censitus remaneat evictus sciente creditore. 484.

Barchinonen. Beneficii.
Lunæ 10. *Junii* 1709.
ARGUMENTUM.

Est in hac causa in precedenti instantia dec.287. tom.1. a qua assumere poteris argumentum. ibid.

Romana Salviani.
Lunæ 10. *Junii* 1709.
ARGUMENTUM.

Accipe a superiori decis. 584 hic confirmatam, super eodē credito est alia dec.414 Romana Status Zagaroiæ, 10. Martii 1705. 485.

Romana Immissionis super Fructibus.
Veneris 14. *Junii* 1709.
ARGUMENTUM.

Repete a superiori hic confirmata dec.580.487

Melevitana, seu Lucerina Receptionis ad Habitum.
Lunæ 17. *Junii* 1709.
ARGUMENTUM.

Agitur de probatione Nobilitatis pro admissione ad habitum Religionis Hjerosolymitanæ. 488.

Romana Pecuniaria.
Lunæ 17. *Junii* 1709.
ARGUMENTUM.

Debiti satisfactio, ut probetur quid requiratur Valutatio monetæ juxta quem locum, vel decretę solutionis, vel contractus sit facienda? & cujus commodo, vel incommodo vertat augumentum, vel decrementum ex pecuniarum perceptione proveniens. ibid.

Civitatis Castelli, seu Perusina prætensæ Manutentionis, seu Reintegrationis.
Veneris 21. *Junii* 1709.
ARGUMENTUM.

Collige à Summario. 490.

Melevitana Permutationis Commendarum.
Mercurii 26. *Junii* 1709.
ARGUMENTUM.

Breve Apostolicum in permutatione Commendarum Melitensium non exequendum firmatur, cum fuit subreptitium ob narratam utilitatem, quæ non adfuit, & obreptitium ob pactiones aliquid dandi, quæ semper simoniacæ sunt, & improbatæ, & ob reticitum jus expectativarum antiania Equitibus competens, de quo plura disseruntur, vel quod junior ætate recipiebat pingiorem Commendam, ex quo Antianis præjudicabatur, vel ob reticitas Statutorum in id ordinationes. Nec tunc ab executore executioni poterat demandari, cùm non esset verificatum,

Finis hujus Indicis Argumentorum.

INDEX

INDEX DECISIONUM,

Quæ in hoc Secundo Volumine continentur, per Diœceſes, juxta ordinem Alphabeticum.

A

B

C

Æſina

Mili-

Ro-

Finis Indicis Decisionum.



IMPRIMATUR;

Si videbitur Reverendiſs. Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſc. Bojan.
Viceſgerens.

IMPRIMATUR,

Fr. Joannes Benedictus Zuannelli Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

DECISIONES
SACRÆ ROTÆ ROMANÆ
Coram
R. P. D. MO LANCETTA
EJUSDEM SACRÆ ROTÆ DECANO.

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE CÆSARINIS SUPER EXHIBITIONE.

Lunæ 14. Aprilis 1704.

ARGUMENTUM.

Pro exhibitione Scripturarum illarum existentia quomodò probetur in eo, qui antea eas receperat cum reliquis bonis sub obligatione restituendi? & ad obtinendum effectum prius gravatoria, & regravatoria debent relaxari, & demum locus est juramento in litem, quanti interest scripturas non exhiberi.

In hac causa est superior dec.44., & inferiores 323., & 326. cum ibi notatis.

SUMMARIUM.

1 *Validitas resultat ex actorum revolutione.*

2 *Exhibitio scripturarum, ut demandetur earum existentia, & petentis interesse debent concurrere.*

3 *Recipiens bona cum scripturis sub obligatione restituendi, scripturas exhibere tenetur.*

4 *Existentia Scripturarum penes reum conventum præsumitur, cum ille jam prius sub obligatione conservationis recepit.*

5 *Existentia scripturarum satis est, quod probetur de tempore motæ litis super negocio principali, quamvis non probetur in judicio exhibitionis, quod est de appendicibus præcedentis judicii.*

6 *Obligato ad exhibitionem per verba generalia non licet legem sibi dicere circa scripturas, quas vult exhibere.*

7 *Sed ad judicem spectat.*

8 *Juramentum in litem non conceditur in principio judicii contra contumacem libros exhibere, sed præcedere debet citatio contra Reum ad exhibendum sub pœna relaxationis mandati de gravando, vel executivi.*

9 *Juramento in litem pro eo, quod interest scripturas non exhiberi locus est postquam gravatoria, & regravatoria inutiles sunt effectæ.*

10 *In actionibus ad factum judex potest præcisè cogere ad implementum.*

11 *Condemnatio ad interesse non est liquidabilis, donec Judex non perscrutetur libros, à quibus resultat.*

DECISIO CCCXII.



Andatum ad factum unà cum subsequuta gravatoria contrà d.principissam Cleriam pro exhibitione librorum ad primogenituram Cæsarinam spectantium aliàs relaxatum per illustrissimum d. magnum Cancellarium Mediolani favore d. ducissæ Liviæ, hodie DD. coram me ad tenorem rescripti Signaturæ Justitiæ exequendum esse responderunt, attentâ illius validitate, & justitia.

Validitas apparet ex revolutione actorum
1 juxta vulgatam decisionem Caputaquen.260. justitia verò resultat; ex quo probata fuerunt illa duo requisita; quæ ad obtinendam exhibitionem in hujusmodi judicio necessa-
2 ria reputantur; videlicet existentia librorum de tempore motæ litis, & interesse petentis, quibus concurrentibus exhibitio evitari non potest; ut *præter adductos in decisionibus præcedentis instantiæ* firmavit *Rota coràm Cerro dec.56. n.2., & dec.183. n.6., coràm Emerix dec.60. n.1., & in Neapolitana, seù Januen. Laudi 12. Junii 1681. §. primo coràm bo. me. Alberguto, & in Romana Pecuniaria super exhibitione 2.Junii 1698.§.Concurrere cor.R.P.D.meo Muto.*

Respectu enim ad interesse principissæ Liviæ illud hodiè amplius non impugnatur; & ad evidentiam de eo constat ex eis; quæ lato calamo deducta fuere in dd. decisionibus: quo verò ad existentiam librorum, ea manifestè convincitur ex publico instrumento anni 1685. in quo d. principissa Cleria, receptis cum aliis bonis primogenialibus ad sui
3 favorem dimissis per bo.me.Arrighum auditorem sa. me. Innocentii XI., etiàm libris ad eamdem spectantibus, nominatim, ac specificè semetipsam obstrinxit ad restituendum bona relaxata in totum, seù in parte; quoties ad primogenituram spectare detegerentur: quamobrem sicut in dubium revocari non potest; quod illa in vim dictæ obligationis teneretur eosdem libros conservare, *Rota coràm Dunoz. jun. dec.531. n.6. & dec.555. n.3. & cor. Priolo dec.224. n.13.* ita in necessariam consequentiam dici
4 debet probata illorum existentia, etiam de tempore motæ litis; quamvis longè posterioris obligationi prædictæ: cum sufficiat

 illam

illam cum onere conservationis semel justificatam fuisse, ut indè in posterum præsumatur; *Bart. in l. si quis ex Argentariis §. An vero hæredes n.17. ff. de eden. Adden. ad Buratt. dec.278. n.10., & seq. Rota dec.38. n.4., & 5. dec.117. n.5. par.17. dec.105. n.2. par.18. rec., & in Romana Pecuniaria 7. Maii 1683. §. Præmisso cor. bo.me. Albergato.*

Fortius, quia lis super bonis primogenialibus incæpta fuit longè antequàm fieret dicta restitutio, & obligatio respectivè: & quamvis illa modò extincta sit per rem judicatam; tamen ad effectum de quo agitur; exuberat existentia de tempore motæ litis
5 super negotio principali; quæ solum attendenda est: non autem super exhibitione tanquam de appendicibus præcedentis judicii, & in sequelam rei judicatæ; ad tradita *per Bart. in l. ult. n.1. vers. oppono ff. de tabul. exhiben. Alex. cons. 58. n.7. lib.1. Rota dec.278. n.5. in fin. post 2.vol. cons. Farinac.*

Non relevante, quod obligatio prædicta legatur restricta ad restitutionem librorum ad primogenituram spectantium, quorum cognitio cum ex inventario primogenituræ deprehendi possit; illos tantum dicta principissa Cleria, & non alios, custodire, & modò exhibere teneatur. Ultrà quod enim hujusmodi inventarium confectum anno 1613. continere non valet, nisi descriptionem bonorum; quæ tunc temporis aderant: & constanter dici nequit post illud, alios libros respicientes primogenituræ interesse, exaratos non fuisse: objectum removetur ex eo; quod cum usque adhuc ignotum sit quinam libri ad primogenituram spectent, nec nè; donec post effectivam ipsorum exhibitionem talis perscrutatio expleta non fuerit; se liberare non potest ab obligatione ea omnia conservandi, & exhibendi: maximè quia obligatio dictæ principissæ, utpotè verbis generalibus concepta complectitur quæcumque bona, & libros, sive ad primogenitu-
6 ram, sivè ad ipsam hæredem gravatam spectantes: cui propterea non licet sibi legem dicere exhibendo potiùs certa bona, quam alia; ut notatur in 2. *decisione editâ coràm Illustrissimo d. magno Cancellario Mediolani §. Haud refragante*; sed solum judici id declarare permissum est: totumque post fa-
7 ctam exhibitionem coràm me dignosci melius poterit.

Minusque justitia mandati offuscari valet; ex quo nequiret d. principissa Cleria præelaè cogi ad exhibendum mediante gravatorià; sed ad summum procedi debuisset cum præstatione juramenti in litem contrà con-
8 tumacem; quoniam hujusmodi juramentum nunquam præstari solet in principio judicii; sed illud præcedere debet citatio contra reum ad exhibendum sub poena relaxationis mandati de gravando, vel executivi; ex communiter accepta praxi, de qua penès *Salust. Tyber. lib.2. cap.14. n.3., & Ridolphin. par.2. cap.3. à n.5. ad* 14., illique tantùm locus est; postquam reus contumax existit;
9 itàut effectà inutili gravatoria, & reaggravatoria, actori tantùm supersit remedium juramenti in litem pro eo, quod interest scripturas non exiberi; ad *Text. in l.3. §. Præterea ff. ad exhibendum*, & prosequitur idem *Ridulph. loco cit. n.67. §. Denique, cum aliis cumulatis in Romana Pecuniaria super juramento in litem 11. Maii 1699. §. moti ex eo, & 4. Junii 1700. §. Minus subsistit coràm R. P. D. meo Muto*: in quarum decisionum casu post agnitum inutile gravatoriæ remedium fuit actor admissus ad juramentum in litem.

Quapropter, ut dicta ducissa Livia justitiæ complementum obtineret; ritè, & rectè per viam gravatoriæ processum fuit; sivè quia regulare est; quod in actionibus ad factum possibilis implementi; quod, ut in præsenti dependet à nutu, & voluntate ipsius d. Principissæ Cleriæ libros in sua potestate
10 habentis; judex potest præcisè cogere ad implementum; *Bartol. in l. stipulationes non dividuntur n.37., & seq. ff. de verb. oblig.*,
11 & admittit *Rota dec.808. n.7. coràm Buratto, & dec.66. n.8. par.10. rec*: sivè quia condemnatio ad interesse non erat ad actum reducibilis; nec liquidari poterat; donec librorum perscrutatio insecuta non esset, ut plenè firmatur *in dicta Romana Pecuniaria super juramento in litem 4. Junii 1700. §. Ejusdem coràm R. P. D. meo Muto.*

Et ità, omnibus DD. suffragantibus, utraque resolutum fuit &c.

ROMANA SALVIANI.

Ven. 18. Aprilis 1704.

ARGUMENTUM.

Habes à superiori Decis. 274.

SUMMARIUM.

1 *Evictionem promittens de dato, & facto suo tantum, remanet in propriis bonis obligatus ex facto sui auctoris.*

2 *Hæres, qui de sui auctoris satis opulenta hæreditate rationem non reddit, de proprio ad illius debita tenetur.*

3 *Peritia ex qua de hæreditate ratio reddita asseritur, nisi originaliter, vel in forma probanti producatur, non attenditur.*

4 *Pro legitima redditione rationis requiritur dispunctio partitarum cum specificatione, & necessariis documentis.*

5 *Quæ non supplentur à peritia restrictu non in forma probanti.*

DECISIO CCCXIII.

In audientia diei 15. Junii anni præteriti marchioni Rinaldo de Bubalo creditori ex causa census favore primogenituræ istius familiæ impositi à Cardinali Paulo Sabello, denegata fuit immissio per eum petita ad alium censum à Ven. Collegio Romano debitum: & provenientem ex pretio palatii hæredi-

reditarii principis Peretti per cl. me. Card. Montaltum debitorem d. Card. Sabelli, ex duplici fundamento; altero, quod dum iste in venditione palatii se obligavit de evictione; nequit modò marchio de Bubalo illius creditor ex ejus juribus agere contra censum prædictum loco palatii subrogatum; altero verò, quod quemadmodum Cardinali Sabello, si ageret, obstaret qualitas hæreditaria Cardinalis Montalti debitoris prænarrati census, & exceptio non factæ redditionis rationis bonorum hæreditariorum; ità & officere debet marchioni actori; qui ab eodem Cardinale Sabello propria jura metitur: cum autem in præsenti repropositione fuerint ad trutinam revocatæ vires utriusque fundamenti; DD. agnita illarum subsistentiâ, *Hæserunt in decisis*.

Etenim contrà primum ex eis visum fuit obesse non posse, quod præfatus Cardinalis Paulus Sabellus promittendo evictionem palatii sese obligaverit de dato, & facto suo tantùm; & contraxerit tanquam hæres beneficiatus Cardinalis Montalti: omisso enim, quod ex promissione evictionis ex dato &
1 facto suo, remansit etiam in bonis propriis obligatus ex facto Cardinalis Montalti sui authoris; ut probant *Surd.consf.36. n.17, & seq. Ciarlin. controv.92 n.23. Altograd. sen. cons.54. n.5. tom.2. Castald. consult.81. n.3. Rot. post Cenc. de Censib. dec.198. n.8.*; placuit DD. responsio: quod donec successores præfati Card. Pauli Sabelli de fatis opulenta hæreditate Cardinalis Montalti rationem non reddiderunt; ad debita per eum
2 contracta de proprio teneantur; *Rot. coràm Martin. Andr. dec.87. n.4., & 5. coràm Cavaler. dec.430. num.6. coràm Dunozet. jun. dec.998. n.4. in rec. dec.371. n.14. par.13., & dec.224. num.18. par.18., & dec.382. nu. 5. par.19.*

Hinc ad destruendam hujusmodi propositionem, quâ etiam nititur secundum fundamentum decisionis, quæ revidetur; oppofuerunt informantes pro marchione; quod aliàs urgentibus creditoribus memorati Cardinalis Montalti, fuerit de ejus bonis hæreditariis reddita exactissima ratio mediante perito judicialiter ad hunc effectum electo; supponendo etiàm, quod iste dispunctis omnibus partitis tàm liquidis, quàm illiquidis, hæreditatem Cardinalis Montalti declaravit debitricem in gravi summa admodum considerabili, Cardinalis Pauli Sabelli.

Sed defecerunt in probatione: non enim exhibita fuit peritia originalis, & per extensum; sed simplex illius restrictus, nulla alia
3 subscriptione munitus, quàm solius Notarii: ideoque censuerunt DD. de illâ non esse habendam rationem; præsertim ad effectum de quo agitur; cum notum sit; quod pro legitima redditione rationis, debeant di-
4 spungi partitæ cum earum specificatione, & documentis necessariis ad illarum justificationem; quæ cùm hic omninò deficiant; sup-
5 pleri non possunt à præfato peritiæ restrictu;

Rota coràm Burat. dec.167. n.5. coràm Priolo dec.441. n.2. & in rec.dec.151. n.21. par.12. Et ità utràque &c.

ROMANA VINEÆ SUPER CONSIGNATIONE.

Lunæ 21. Aprilis 1704.

ARGUMENTUM.

Fideicommissario prætendenti nullitatem cessionis bonorum fideicommissi in causam dotis onus competit ejus excessum probandi, neque per hanc turbidam exceptionem impedire potest consignationem pecuniarum antecedenter liquidis creditoribus graduatis: cum ejus jura sarcta tecta remaneant stante cautione de restituendo prioribus, & potioribus intuitu consignationis pecuniarum ab eis emittenda.

In hac causa habes superiorem dec.185.

SUMMARIUM.

1 *Prior in tempore est potior in jure.*
2 *Creditor census anterior debet posterioribus pro sorte, & fructibus præferri.*
3 *Census fideicommissi in causam dotis cessus ab eo exivit.*
4 *Cessio non fit debitori census, sed liberatio.*
5 *Actio, & passio non datur in eodem subjecto.*
6 *Persona una, & eadem sui ipsius creditrix, & debitrix esse nequit.*
7 *Dotis excessus ultra id, quod fideicommittens mandavit, etiamsi ab hærede tradatur, tamen favore vocatorum à fideicommisso non exisse dicitur.*
8 *Primo hæredi gravato competunt detractiones.*
9 *Dotis jam constitutæ de fideicommisso, & non impugnatæ excessus ab illo, qui excessum prætendit debet probari.*
10 *Dotis jam constitutæ excessus non præsumitur.*
11 *Dos congruè constituta præsumitur.*
12 *Etiamsi excedat summam, à testatore præscriptam: cum potuerint adesse circumstantiæ posteà ignotæ, quæ ejus augumentum licitum reddiderint.*
13 *Exceptiones turbidæ retardare non possunt consignationem creditoribus certis jam graduatis.*
14 *Præsertim cum prætenso anteriori creditori per cautionem de restituendo prioribus, & potioribus jura intacta remaneant.*
15 *Cautio* de restituendo *prioribus, & potioribus &c. est præstanda ab omnibus creditoribus in concursu graduatis in actu consignationis pecuniarum.*
16 *Per cautionem* de restituendo &c. *pecuniæ dicuntur extare.*

DECISIO CCCXIV.

Cum Joseph de Blanchis in judicio moto super nullitate deliberationis vineæ qu. Nicolai Mazziotti communis debitoris tàm coram A.C., quàm coram R.P.D. meo Priolo,

& tan-

& tandem coràm me, mediante etiam taxatione expeosarum succubuisset: hinc ut fieri posset distributio pecuoiarum, quæ in summa sc. 670. retracta fuerunt ex deliberatione dictæ vineæ; electus fuit peritus pro graduandis creditoribus; qui juxta eorum anterioritatem, & potioritatem, tertium, quartum, & quintum iocum assignavit Thomæ Carino, PP. S. Chrisogoni, & confraternitati SS. Stiematum Urbis: adversus quos prætendens Pompeus de Blanchis filius Josephi interim defuncti, licèt io subsequentibus locis graduatus pro sc.241. 57.; quod totum pretium ex vinea retractum esset illi consignandum pro altero credito sortis principalis, & fructuum unius ceosus sc. 1000. impositum per Hieronymum Mazziottum patrem dicti Nicolai sub die 26. Martii 1616. favore Descendentia de Blanchis conditoris fideicommissi; ad quod se supponit vocatum curavit examinari dubium. An, & cui sint consignandæ pecuniæ -- *illasque consignandas esse ad formam peritiæ*, responsum fuit, quia sicut in eà singulis creditoribus assignatus fuit certus iocus juxtà temporum anterioritatem; ità pecuniarum consignatio ad illius oormam regulanda veoit: cum prior in

1 tempore; in jure potior esse debeat; per *Text. in l. potior* 11. *ff. qui potior. in pign. habean. Rota coràm Emerix dec.* 668. *num.*2. *dec.*752. *num.*1., & *in rec. dec.*652. *num.*3. *par.*19.

Noo obstat, quod super vinea impositus fuisset anno 1616. præfatus census sc.1000; qui cum sit anterior tàm creditoribus non expressis, quàm omnibus aliis in peritia post ipsum Pompejum actorem graduatis; de-

2 beat idcircò idem ad recensitum fideicommissum voeatus pro dicto censu, & fructibus, cæteris creditoribus aoteferri: quoniam, cum anno 1640. Pompejus senior fideicommittentis filius, & primus hæres gravatus censum prædictum cessisset, & assignasset Nicolao Mazziotto in computum dotis

3 Lauræ sororis; per hujusmodi cessionem nedùm census exivit è fideicommisso; verum etiàm per eam utpotè emissam favore hæredis ipsiusmet Hierooymi debitoris, respectu cujus noo verificantur termini cessionis; dicitur factum fuisse ejusdem liberationem:

4 *ad Text. in l si sponsalibus* 58. *in fine ff. de Jur. dot. et ibi Gloss. Amat. var. resol.*37. *n.*32. *Olea de Cess. Jur. tit.*4. *quæst.*1. *n.*4. *Rot. dec.*331. *n.*4. & 5. *par.*18. *rec.* propter expressam resisteo-

5 tiam, quod actio, & passio cadant io eodem subjecto; & uoa, eademque persona sui ip-

6 sius sit debitrix, & creditrix; *ad Text. in l. in re communi ff. de servit. Rot coràm Celso dec.*211. *num.*15., & *in Bononien. Montis Butrii* 16. *Januarii* 1699. §. *Hocque coràm Rm̃o D. meo Decano.*

Absque eo quod in contrarium deduci valeat oullitas dictæ decisionis; desumpta, ex quo dos Lauræ per Pompejum seniorem fratrem soluta io summà sc.6000, esset excessiva; quando è cooverso fideicommittens mandaverat filias solummodo dotari in scut.4000. Ideoque totum id, quod ultra summam à fideicommittente præscriptam

7 datum, atque solutum fuit; habeatur, ac si noo fuisset assignatum, & existere censeatur favore actoris, aliorumque vocatorum ad fideicommissum: prætermisso eoim examine, an Pompejus actor impugnare valeat, nec nè, distractionem ab avo factam; cujus hæres exiiit per medium Josephi patris; pro remotione objecti duplex satisfecit responsio: altera, quod Pompejo primo hæredi grava-

8 to competebant detractiones; quæ non probantur consumptæ antè annum 1640. quarum vigore sustineri poterat d. ceosus assignatio: altera, quod cum versetour in dote jam con-

9 stituta, & nunquam hucusque impugnata; oous est ejusdem actoria, probare illius ex-

10 cessivitatem; quæ oon præsumitur: *Gabr. conf.* 20. *nu.*68. *lib.*2. *Seraph. dec.*1187. *nu.*2. *Rota dec.*28. *nu.*16., & *dec.*88. *nu.*1. *par.*5. *rec.* cum è converso præsumptio assistat pro

11 congruitate: quodque fratres ex circumstantiis temporum, aliisque justis de causis nobis ignotis, moveri potuerint ad augendam dotem sorori usque ad summam sc.6000;

12 ut firmavit *Rota coràm Royas dec.*117. *n.*19. *coràm Bich. dec.*366. *nu.*17., & *pluribus relatis in Romana Fideicommissi* 4. *Decembris* 1702. §. *Nec meruit coràm R. P. D. meo Kaunitz.*

Atque io omnem casum, cum ex his constet saltem de turbiditate crediti ceosus, à Pompeo prætensi; censuerunt DD. retardari oon posse consignationem pecuniarum

13 creditoribus certis, & indubitatis in Peritia graduatis: & sine difficultate, quia illæ

14 sa remaneant jura ejusdem Pompei mediante cautione de restituendo prioribus, & potioribus in actu coosignationis ab omnibus

15 præstanda; per quam pecuniæ semper dicuntur extare; ad tradita *per Salgad. in La-*

16 *byrinth. credit. p.*6. *cap.*6. *num.*4.5.6. *Noguerol. allegat.*7. *nu.*4., & *allegat.*16. *n.*123. *Rota coràm Cels. dec.*63., & *dec.*206. *utrobiq. nu.*1., & *dec.*236. *nu.*1. *par.*16. *rec.*

Et ità utràque &c.

REATINA FIDEICOMMISSI DE CLAVELLONIBUS.

Ven. 25. *Aprilis* 1704.

ARGUMENTUM.

Prædium subrogatum inlocum alterius alienati, quod ex eo quod à fideicommisso exiverat ei amplius subjectum ooo erat, oeque ipsum est subjectum; etiàm si illud ad fideicommissarium postea revertatur. Fideicommissarius agere potest contra gravatum alieoantem, vel tertium possessorem bonorum fideicommissi alienatorũ pro libito ratione hypothecæ, quam io alienando scienter gravatus bona fideicommissi contrahit io rebus suis: & examinatur talis scientia quomodo probetur? & quod oon excusa-

cusatur à competentia detractionum, si alienationes easdem longè excedant?

In hac causa sunt superiores dec. 28., 249., & inferior 339.

SUMMARIUM.

1 *Bona, quæ semel à fideicommisso exiverant si postea ad hæredem redeant, fideicommisso tamen non subjiciuntur.*

2 *Prædium subrogatum in locum illius, quod fideicommisso non est suppositum, neque ipsum fideicommisso subest.*

3 *Subrogatum assumit naturam ejus, cui fit subrogatio.*

4 *Prædium subrogatum fideicommisso remanet subjectum pro ea rata alienationum, quæ ad fideicommissum spectabant.*

5 *Rota solet se fundare in magis tuto, relinquendo dubia.*

6 *Hæres gravatus contrahit hypothecam in bonis liberis ob malam, & dolosam administrationem, & distractionem bonorum fideicommissi.*

7 *Fideicommissario datur reintegratio pro fideicommissi bonis à gravato alienatis.*

8 *Nec contra gravatum in subsidium ire cogitur.*

9 *Sed vel contra tertios Possessores bonorum fideicommissi alienatorum, vel contra gravatum alienantem pro libito ire potest.*

10 *Hypotheca quam contrahit gravatus alienans oritur à dolo, quod nascitur à scientia fideicommissi.*

11 *Scientia fideicommissi convincitur ex obtento mandato de immittendo, & possessione bonorum.*

12 *Licèt sit obtentum à tutrice, quando illo pupilli facti adulti in tribunalibus sunt usi.*

13 *Mala fides in alienante bona fideicommissi forsan excluditur, si alienationes coæquent detractiones eidem competentes, vel si in modico excedunt.*

14 *Secùs quando detractiones longè ab alienationibus sunt superatæ.*

DECISIO CCCXV.

ADversus decisionem editam per contradictas die 3. Junii 1702. coram R. P. D. meo Tremoillie decernentem immissionem vigore *l. fin. C. de Edict. div. Adr. toll.* Franciscæ Antoniæ titulo fideicommissi Mutii senioris de Clavellonibus ad prædium castagnolæ, olim ab Angelo Alemanno possessum; obtinuit Alexander istius hæres iterum audiri; sed ante causæ propositionem dicta Francisca Antonia Actrix dubitans de suis juribus, in præfato judicio curavit mihi tanquam in absentis collegæ locum suffecto, novam dirigi commissionem super altero immissionis remedio in vim utilis Salviani pro fideicommissi reintegratione: indeque utrumque cumulando, fuit hodiè à me propositum dubium -- *an sit standum, vel recedendum à decisis etiam ad effectum reintegrationis*, & DD. immissionem ex titulo reintegrationis dumtaxat concedentes, *ad hunc effectum in decisis standum* esse, responderunt.

Cum enim non dubitaretur; quod prædium controversum nunquam fuerit in bonis Mutii fideicommittentis; solumque ad illud peteretur immissio in vim *l. fin.*, tanquam subrogatum in locum Prædii *Camporatino*, & alterius *Capotorto*; quæ erant fideicommissaria; & fuerant alienata; adverterunt DD. quod jam de tempore alienationis dd. prædia legitimè exiverant de fideicommisso; utpote quia à Flaminio hærede gravato fuerant anno 1597. assignata pro dote sc. 2000. Bernabeæ fideicommittentis Nepti: & licèt
1 ex novo titulo successionis ad eumdem Flaminium iterum pervenissent; tamen non ideo redierunt ad fideicommissum, sed omninò liberam penès illum remanserunt; *ad Text. in l. Mulier §. Cum proponatur ff. ad Trebell. Card. de Luc. de Dot. disc. 40. num. 4. Rota coràm Bichio dec. 41. num. 7., & coràm Zarat. dec. 87. n. 6., & in rec. dec. 210. num. 3. par. 1., & dec. 312. num. 4. par. 6.*, & per consequens dici nequit fideicommisso subrogatum prædium castagnolæ, sed, &
2 ipsum liberum remansisse; ex regulà, quod subrogatum assumit naturam ejus, cui fit
3 subrogatio; ut firmatur *in d. dec. R. P. D. meo Tremoill.*

Non attenta responsione; quod præter dd. prædia *Camporatino*, & *Capotorto* vendita cum pacto redimendi, fuerit etiam compræhensum alterum jus redimendi prædium nuncupat. *S. Savino*; itàut calculato pretio bonorum omnium, illud ascendat ad sc. 2916., quæ jura cum ad fideicommis-
4 sum spectarent; dici debeat, saltem prædium *della Castagnola* subrogatum in eorum locum pro ea rata excedente quantitatem dotis, ex cujus causa fuit facta alienatio: nam cum dos Bernabeæ constituta fuisset per annos 18. ante istam venditionem; & modò incertum sit, an hujusmodi augumentum à sc. 2000. ad sc. 2916. post lapsum tot annorum beneficio temporis processerit, nec nè, vel potius, quod tanti bona præcedenter valerent; prout opus esset; ad hoc, ut prædium castagnolæ fideicommisso obnoxium remaneret.

Idcircò DD., ut pedes magis in tuto figerent, relinquentes dubia, & procedendo
5 cum certis, immissionem vigore utilis Salviani pro reintegratione fideicommissi Franciscæ Antoniæ concedendam esse censuerunt ad prædium controversum, tanquam de bonis liberis Flaminii: quia cum ipse sciens existentiam fideicommissi, ingentes fecerit alienationes ascendentes ad sc. 3500., ut resultat ex peritia in dic præcedenti decisio-
6 nis distributa; utique ratione hypothecæ quæ ob malam, & dolosam administrationem bonorum Fideicommissi, eorumque distractionem contracta fuit super bonis li-
7 beris gravati; actrici debetur reintegratio: absque eo quod teneatur, hujusmodi actio-
8 nem in subsidium exercere: cum ab ejus placito pendeat, vel agere ad bona fideicommissi alienata, vel contra tertios possessores bono-

9 bonorum ; quæ ſpectabant ad gravatum:
quemadmodum plenè firmatum fuit *in Peru-*
ſina Fideicommiſſi , ſeù Salviani 22. *Ju-*
nii 1703. §. *Nec obſtat coràm R. P. D. meo*
Scotto , confirmat. 7. *Decembris ejuſdem*
anni coram R. P. D. meo Priola .

Nec obſtat ; quod in præſenti non con-
ſtet , Flaminium habuiſſe ſcientiam recenſiti
10 Fidei commiſſi , ex qua promanat dolus hy-
pothecam producens ; illa enim manifeſtè
convincitur tàm ex mandato de immitten-
11 do, nomine ejuſdem Flaminii obtento ad bo-
na fideicommiſſaria Mutii ſenioris avi, quàm
ex ſucceſſiva poſſeſſione omnium bonorum
fideicommiſſariorum per eumdem capta, in-
ter quæ aderant prædia , ut ſupra alienata :
qui actus licèt expleti fuerint per Melaniam
matrem nomine filiorum tunc temporis pu-
pillorum; tamen cũ ſupervenerit approbatio
12 Flaminii;qui factus major judicialiter in plu-
ribus inſtantiis , & diverſis tribunalibus
agendo , & excipiendo uſus fuit dicto man-
dato de immittendo , & fideicommiſſo Mutii
ſenioris ; controverti non poteſt ſcientia fi-
deicommiſſi; quæ ex prædictis actibus apertè
reſultat ; *Rota poſt Torr. de pact. futur. ſuc-*
*ceſſ. dec.*6. *num.*4. , *& coràm Cerro dec.*378.
*nu.*7., *& in Romana Primogenituræ de Al-*
bericis 3. *Julii* 1702. §. *In præſenti coram*
R. P. D. meo Anſaldo .

Minuſque dici valet ; quod Flaminius po-
terat bona fideicommiſſi alienare pro aſſ. de-
tractionibus legitimæ , & dotis maternæ ſi-
bi competentium ; etenim omiſſo , quod fi-
deicommittens expreſsè prohibuerat fieri
quamcumque detractionem : ſuppoſita bo-
na fides in hærede gravato tunc forſan allega-
13 ri potuiſſet ; quando verſaremur circà alie-
nationes , vel coæquantes ipſas detractiones,
vel illas in modica ſumma excedentes ; at
quando è converſo tàm legitima Franciſco
patri debita in ſc 1975. quàm dos Melaniæ
matris eidem Flaminio competens , adeo
fuerunt abſorptæ ; ut quinquies conſumptæ
remanſerint ex pluribus alienationibus à
Franciſco patre , & ab eodem Flaminio fa-
ctis in conſpicua ſumma ſc. 13546. ; excuſa-
ri non valet ; quia Flaminius eſſet in poſi-
14 tiva mala fide ; quando poſt cumulum tot ,
tantarumque alienationum , & poſt conſum-
ptas omnes detractiones , ad hanc ultimam
controverſi prædii alienationem devenit ;
Text. in l. omnes 17. §. *Lucius ff. quæ in*
*fraud. credit. Oſaſch. dec. Pedemont. dec.*168.
num. 13. *Rot. in rec. dec.*14. *num.*28. *par.* 18.

Et ità utraque &c.

SABINEN. FIDEICOMMISSI .

Lunæ 28. *Aprilis* 1704.

ARGUMENTUM.

Retentio bonorum fideicommiſſi pro juribus legitimæ tertio poſſeſſori , qui in eadem legitimarii purus creditor eſt , & pro ea fideicommiſſi creditores dimiſit , à quibus totum fideicommiſſum abſorbetur; non eſt concedenda , ſed ſuccurrendum fideicommiſſario , qui eadem bona vult vindicare . Habens amplam facultatem à fideicommittente ejus bona propria auctoritate capiendi pro ſuis creditis , ea ùti non poteſt ſine interpellatione , & poſtquam Judex manus appoſuit , pro diverſo credito .

In hac cauſa ſunt ſuperiores dec.297. , & infer. 388. , & 389.

SUMMARIUM.

1 *Legitima detrahi debetur deductis debitis.*

2 *Cenſus , qui nunquam exacti , & de quibus nunquam mentio facta fuit , poſt longiſſimi temporis lapſum exacti præſumuntur .*

3 *Legitima non debetur cum hæreditarius aſſis à debitis eſt abſorptus .*

4 *Bona hæreditaria , vel per actum inter vivos, vel per ultimam voluntatem diſtracta à filio, in legitimam prælecta dicuntur .*

5 *Alienatio facta ab hæredibus extraneis ultimi gravati poſtquam à fideicommiſſario fideicommiſſum eſt agnitum , & eis præſentata inhibitio irrita , & nulla eſt .*

6 *Legitima debetur tàm ex bonis , quàm ex juribus poſſibilibus . Diſtingue intelligi de juribus activis , non de paſſivis ,* & nu.8.

7 *Fideicommiſſo nihil remanet ſi nihil ſupereſt in hæreditate .*

9 *Pro legitima jura hæreditaria experiri competit legitimario non tertiis poſſeſſoribus , qui per ejus obitum evaſerunt puri creditores in legitima .*

10 *Dominium bonorum fideicommiſſi non tranſit in tertios .*

11 *Sed quæritur fideicommiſſario à die ſequutæ reſtitutionis fideicommiſſi .*

12 *Et ab eo momento in fideicommiſſarium tranſeunt omnia jura , & actiones ad hæreditatem pertinentes .*

13 *Fideicommiſſarius poſt ſequutam fideicommiſſi ſibi reſtitutionem, dimittendo creditores , bona fideicommiſſi pro ſe retinere poteſt, licet nihil ſuperſit deductis debitis .*

14 *Fideicommiſſario agenti etiam tunc pro vindicanda re ad fideicommiſſum ſpectante eſt ſuccurrendum , ut teſtatoris mens impleatur , qui in vocatis bona conſervari exoptaſſe præſumitur .*

15 *Fideicommiſſi bona ab alio habente amplam facultatem eadem pro dote propria auctoritate capiendi , ſi Judex manus appoſuit, amplius capi nequeunt .*

16 *Quamvis judex poſtea monitorium moderatus fuerit .*

17 *Exercitium facultatis propria auctoritate diſtrahendi nequit ſine interpellatione.*

18 *Debitor non dicitur in mora deficiente interpellatione .*

19 *Exercitium facultatis propria auctoritate diſtrahendi , exequi nequit , cum obſtat judicis inhibitio .*

20 *Etiamſi dicta facultas propria auctoritate diſtrahendi ſit ampliſſimis clauſulis munita .*

21 *Acceſ-*

21 *Accessorium plus non operatur, quam principale.*
22 *Facultas ad certum casum restricta, extra illum operari non potest.*

DECISIO CCCXVI.

AD bona per Nicolaum Liberatum fideicommisso supposita obtinuerunt Cæsarini ex persona Mariæ matris, & respectivè testatoris sororis immissionem contra fratres de Palutiis illorum detentores; qui tamen cum medio tempore prædium in vocabulo -- *delli Coppari* -- vendidissent Ursinis; & isti plura debita fideicommittentis persolvissent: hinc pluries in nostro Tribunali disceptatum fuit; an eisdem Ursinis suffragaretur exceptio retentionis tàm ratione legitimæ, & dotis Teodosiæ uxoris fideicommittentis ex persona Petri Sylverii istius filii competen., quam pro creditis contra fideicommissum acquisitis: eaque rejecta per sententias bon. mem. Benincasæ, & R.P.D. mei Capraræ, iterum illam in gradu appellationis coram me opposuerunt Ursini in propositione habita die 28. Januarii proximè præteriti, in qua dilata resolutione demandatum fuit; quod strictè scriberetur super jure competenti ratione legitimæ: Et hodiè proposito dubio, an sententia rotalis sit confirmanda, vel infirmanda: DD. *pro confirmatione* responderunt.

Suppositis enim existentia fideicommissi ejusque purificatione, ac indentitate bonorum, quæ in præteritis impugnatæ non fuerunt; causæ momentum unicè redactum fuit ad examen dd. detractionum; & DD. exordium sumentes ab exceptione retensionis ex causa legitimæ, illam denuò incongruam existimarunt; quoniam ex peritia judicialitèr edita, constitit totum assem hæreditarium fideicommittentis nedum absorberi à debitis; sed ulterius creditores remanere detectos in sc. 516. 45. ideoq; superfluum est disceptare super detractione legitimæ; quan-
1 do deductis debitis, nihil superest in hæreditate; à quo fieri possit hujusmodi detractio; *l. Papinianus §. quarta ff. de inoffic. Testamento, Altogr. cons. 91. num. 82. lib. 1. Merlin. de Legitima lib. 1. tit. 1. quæst. 2. n. 1. 2. & 4. Rota dec. 464. nu. 3. parte 1. diversf. dec. 910. num. 25. coram Dunoz. Jun. dec. 32. num. 12. par. 14. rec.*

Absque eo quod ad augendam quantitatem patrimonii fideicommittentis connumerari valeant nonnulli census; qui supponuntur acquisiti à Catherina illius auctrice, tum quia dum non probatur eorum fructus unquam exactos fuisse; & in divisione bonorum hæreditariorum nulla mentio facta fuit hujusmodi censuum; intrat præsumptio;
2 quod iidem attento lapsu longissimi temporis fuerint extincti; ex firmatis *in Romana associationis 4. Julii 1698. §. & ex his coram R. P. D. meo Ansaldo, & in Romana Censuum 3. Julii 1702. §. Constitit coram Rmo D. meo Decano*: tum quia etiamsi de eis ratio habenda foret; cum illi non ascendant nisi ad summam sc. 375. adhuc debitum superat capitale totius assis hæreditarii in sc. 141., & ultra, ut benè advertitur *in decisione edita die 12. Junii 1702. §. Ceterum coram R. P. D. meo Caprara*: & propterea nihil remanet undè detrahi possit legitima ex
3 mox deductis: tum, & tertio quia alienatio favore illorum de Ursinis facta non fuit à Petro Sylverio hærede gravato per actum inter vivos, aut per ultimam voluntatem tempore, quo penès ipsum aderat dominium bonorum
4 fideicommissi; quo casu bona per eum distracta in legitimam prælecta dici potuissent; sed à Palutiis hæredibus extraneis ultimi gravati; qui ad alienationem devenerunt; nedum postquam fideicommissum
5 agnitum fuerat à Maria substituta; sed etiam postquam eis fuerat præsentata inhibitio: qua pendente quidquid gestum fuit tanquam irritum nullatenus debet attendi; *Lancett. de attent. par. 2. cap. 4. limit. 2. num. 52., & seq. Adden. ad Greg. dec. 4. num. 2. lit. A. Rota coram Manzanedo dec. 207. num. 10. Burat. dec. 464. num. 4.*

Nec turbat replicatio; quod quemadmodum legitima debetur tàm ex bonis,
6 quàm ex juribus possibilibus; ità quoque illius vigore licitum fuerit Ursinis dimittere creditores absorbentes hereditatem, etiam in concursu fideicommissarii inferentes exindè, quod pro rata creditorum demissorum eis competat retentio prædii -- *delli Coppari* -- & in omnem casum si nihil superest in hæreditate; ex quo fieri valeant detractiones;
7 nihil quoque remanere debeat super quo fideicommissum subsistere possit: etenim ultrà quod hic non agitur de juribus activis; ex
8 quibus sicut augetur hæreditas, ità & legitima, sed simplici jure passivo dimittendi creditores; quod incrementum non præbet hæreditati: & per consequens, nec ipsi legitimæ: cessare visa fuit quælibet difficultas; ex quo in præsenti quæstio non est cum ipso Petro Sylverio legitimario, qui vivens mo-
9 dò velit præfatum jus experiri, sed cum Ursinis tertiis possessoribus causam tantùm habentibus à Palutiis illius hæredibus; qui per obitum dicti Petri Sylverii evaserunt puri creditores in legitima; *Menoch. cons. 206. n. 98. Thesaur. jun. quæst for. lib. 3. quæst. 74. sub num. 2. Peregr. de fideic. art. 4. num. 16., & art. 16. num. 153., & seq. Mangil. de impunitate quæst. 9. num. 36., & seq.*; nec in
10 eos transivit dominium bonorum testatoris; quod sicut quæsitum fuit fideicommissario à die secutæ restitutionis; ità ab eo momento
11 in ipsum, non autem in dd. hæredes obvenerunt omnia jura, & actiones ad hære-
12 ditatem spectantes; *Bald. in cap. in præsentia num. 31. de probat. ibique Dec. num. 9. Bellon. de Jur. accresc. cap. 7. quæst. 67. n. 33., & 125., & seq. Rota dec. 450. n. 6. par. 1. divers., & coram Coccino dec. 1691. num. 8.* & propterea, licèt non supersint bona deductis debitis; potest tamen fideicommissa-
13 rius

13 rius dimittendo creditores eadem pro se
retinere; ut latè firmatum fuit *in dicta decisione edita die 12. Junii 1702. §. Inspecto coram R.P.D. meo Caprara.*

Adstipulante etiam verosimili testatoris
voluntate; qui constituendo fideicommissum videtur exoptasse conservationem
14 bonorum in vocatis: cujus voluntatis implementum, cum hodie illi petant, dùm agunt pro vindicanda re spectante ad fideicommissum, è manibus tertii; idcirco eidem succurrendum venit.

Quibus ita firmatis, respectu detractionis legitimæ facilius excluditur retentio ex aliis juribus allegata; & signanter ex dote Teodusiæ; cui etiamsi Nicolaus fideicommittens dederit facultatem capiendi possessionem bonorum pro illius restitutione cum licentia alienandi, & vendendi mediante mandato Procuræ irrevocabili tanquam in rem propriam; tamen cum ad instantiam Mariæ, cujus favore tunc temporis purificata fuerat substitutio; monitorium cum inhibitione contra Palutios executioni demandatum fuisset; eo ipso quod judex ma-
15 nus apposuerat; non potuit aliquod prædium fideicommisso suppositum distrahi: licèt adesset facultas à testatore concessa; ut præter alias responsiones, quas hic DD. iterum approbarunt; dictum fuit *in sæpe allegata decisione R.P.D. mei Capraræ §. quod spectat.*

Et quamvis deindè idem judex monito-
16 rium moderatus fuerit remittendo causam ad partes; tamen non exindè cessavit mala fides quoad cæteros juris effectus: nam si regulariter deveniri non potest ad exercitium
17 facultatis distrahendi bona sine ulla interpellatione, quia ea deficiente debitor non di-
18 citur constitutus in mora; ad tradita per *Negusant. in suis respons. quæst.* 84. *n.* 22. *Altimar. de nullit. tom.* 2. *rubr.* 12. *quæst* 22. *n.* 77. *Rota penès Postb. de Subhast. dec.* 92. *num.* 7. tanto minus dici debet licitum fuis-
19 se ad dictam distractionem devenire, quoties ultra juris resistentiam obstabat eis inhibi-
20 tio judicis: qua stante debile est refugium ad clausulas, quibus dicta facultas munita legitur; quia quemadmodum ipsa remanet ex prædictis inexercibilis absq; præcedenti interpellatione; ità nec potest constitui fundamentum in aliis clausulis; ne plus opere-
21 tur accessorium, quam principale §. *fidejussores Instit. de fideicom.*, *Facchin. contr. jur. lib* 13. *cap.* 73. *per tot. Actolin. resol. for.* 35. *num.* 39. *Rota cor. Gregor. dec.* 133. *num.* 4.

Et hæc quæ procedunt ad ostendendam inefficaciam retentionis pro credito dotis; multo fortius locum sibi vindicant respectu aliorum creditorum; maximè quia; ut fuit animadversum in sæpe citata decisione R. P. D. mei Capraræ, mandatum Procuræ datum ad effectum restituendi dotem suffragari non poterat pro dimittendis creditoribus censualibus; cum vulgare sit, quod
22 facultas ad certum casum restricta, extrà illum operari non possit; *leg. quæsitum §. denique ff. de Fundo instructo, Rota dec.* 115. *num.* 2. *par.* 3., *dec.* 651. *nu.* 9., *& seq. par.* 4. *tom.* 3., *& dec.* 4. *num.* 14. *par.* 7. *rec.*

Et ità utraque &c.

SEGUNTINA CAPELLANIÆ.

Lunæ 28. Aprilis 1704.

ARGUMENTUM.
Habes in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Beneficium adjudicandum est probanti descendentiam ab eis, qui cum suis descendentibus à fundatore sunt vocati*, & num. 4.

2 *Beneficium non est adjudicandum ulteriori descendenti ab illo, qui à fundatore fuit vocatus, cum vocatio est restricta in ejus prædefunctis antecessoribus.*

3 *Filiorum appellatione cæteri descendentes non compræhenduntur*, & num. 6.

4 *Præsertim cum Testator est usus discretiva, cum voluit ulteriores descendentes invitare.*

DECISIO CCCXVII.

IN fundatione Capellaniæ facta per Isabellam Montoyam fuerunt plures, successivo tamen ordine vocati: & primo filii Francisci Lopez Bellena, postea vero filii Alphonsi Pellegrina; & in ipsorum defectum, filii, aut descendentes Andreæ, & Baltassaris de Montoya: cum autem per vacationes hoc interim subsecutas habuerint effectum speciales nominationes fundatricis tàm respectu filiorum Francisci Lopez, quàm aliorum Alphonsi: hinc vacante usque de anno 1685. eadem Capellania factus fuit locus vacationi descendentium Andreæ: & de facto Emanuel de Ameria, tanquam unus ex descendentibus ab illo in contradictorio judicio per duas sententias, in judicatum transactas sibi Capellaniam conferri, & adjudicari obtinuit.

Capta deindè possessione, & pacificè retenta, illam cum Joanne de Zendeyas permutavit; qui paulo post obiit: & vocationi denuò locus est factus: quapropter eam sibi adjudicari curarunt tàm idem Emanuel, quàm Dicatus de Ameria, ambo in pari gradu à dicto Andrea descendentes: adversus quos comparuit Antonius Cortes Lorenzana præsentatus à Majordomo confraternitatis pauperum compatrono, & sententiam favorabilem reportavit, cum supposito, quod tanquam descendens ab illis de Pellegrina, esset præferendus: sed revocata sententia prædicta per alias geminas in partibus successivè latas: & deinde causa ad me in gradu Appellationis devoluta; proposui dubium — An, & cui sit adjudicanda Capellania —;

& Ema-

& Emanueli adjudicandam esse, DD. responderunt.

Cum enim Isabella de Montoya fundatrix ad illam vocaverit filios, sive descendentes Andreæ de Montoya ejus consanguinei; & Emanuel probaverit per gradus distinctos suam descendentiam ab eodem Andrea, non solùm mediante depositione testium; verùm etiam ex duabus sententiis in contradictorio judicio obtentis, & in judicatum transactis,
1 utique illi præfatæ Capellaniæ adjudicatio denegari minimè debet; *Card. de Luc. de Jurepatr. disc.*29. *num.*2., *Rota coram Burratto dec.*559. *num.* 1., & *coram Merlin. dec.*897. *num.*7., *& in Asculana Beneficiorum* 28. *Aprilis* 1698. §. *Planè cum seq. cor. R. P. D. meo Muto.*

Non obstat præsentatio facta de Antonio; quoniam licet ipse prætendat se descendere ab Alphonso Pellegrina; qui fuit vocatus antequàm admitterentur descendentes ab Andrea; tamen adverterunt DD. quod fundatrix ubi mentionem fecit de Alphonso; vocavit solùm ejus filios; e contra vero, ubi habuit respectum ad Andream; admisit ultra filios, etiam ipsius descendentes: quamobrem dùm filii Alphonsi defecerant; cum
2 Antonius talis non sit; frustra se vocatum prætendit, ex quo ab illo descendit; attenta regula nimis nota, quod appellatione filiorum
3 liorum non comprænhenduntur cæteri descendentes; *ad Text. in l. Liberorum ff. de verb. signif. Peregrin. de fideicom. art.* 1. *num.* 27., *& seq.*, *Rota coram Dunoz. jun. dec.*454. *num.* 1., *& coram Emerix jun. dec.*359. *num.* 7., *& in rec. dec.* 318. *num.*1. *par.* 17.: eoque proinde excluso, admitti
4 debet Emanuel; qui citrà controversiam descendit ab Andrea; & suam vocationem litteraliter ostendit.

Nec dicatur; quod aliquando filiorum appellatione veniant etiam nepotes, cæterique descendentes; ut Antonius, licet in ulteriori gradu comprænhendi valeat sub appellativo filiorum Alphonsi; quoniam stante
5 præfata discretiva, qua usa fuit fundatrix, vocando scilicet filios tantùm Alphonsi Pellegrina; & è converso filios, sivè descen-
6 dentes Andreæ de Montoya; non videtur posse recedi à regula exclusiva ulteriorum descendentium ab appellatione filiorum, ut supra dictum est.

Et ità altera tantum &c.

BARCHINONEN. ANNUÆ PRÆSTATIONIS.

Lunæ 5. *Maii* 1704.

ARGUMENTUM.

Dat superior decis.291., quæ confirmatur.

SUMMARIUM.

1 *Manutentio possidenti non denegatur.*

2 *Possessio in incorporalibus, ut amittatur requiritur, ultra lapsum temporis, petitio creditoris, & denegatio ex parte debitoris cum acquiescentia petentis, saltem per decennium.*

3 *Perpetuitas, quæ à judicio de jure canonico inducitur, facit cessare præsumptionem, qua quis habeatur pro spoliato.*

4 *Scripturæ extractæ à privato Archivio contra non subditos, probationem non faciunt.*

5 *Enunciativa à parte facta in articulis ab eo exhibitis non attenditur favore enunciantis.*

6 *In transactione cum Ecclesia inita, in qua de alienatione non agitur, nulla de jure solemnitas requiritur.*

7 *Etiamsi in ea Ecclesia se obligavit pro aliqua præstatione, quando illa nihil aliud parit, quam simplicem hypothecam generalem pro rata debiti præexistentis.*

8 *Fructuum conventio in transactione bona fide inita in correspectivitatem dati, & remissi, est licita, & non usuraria.*

9 *Exceptiones turbidæ manutentionis judicium [illegible] non possunt retardare.*

10 *[illegible] Actum resolutivum in transactione initum in petitorio est examinandum.*

11 *Præsertim si sit appositum favore alterius, cujus ad hoc voluntatis declaratio requiritur.*

DECISIO CCCXVIII.

Fuerat per contradictas cor. me sub die 11. Januarii proximè præteriti resolutum, dandam esse Mariæ Theresiæ de Copons Moniali professæ in ven. Monasterio Montis Sion, manutentionem in possessione exigendi annuam præstationem contra Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Barchinonen., & in præsenti propositione, isto etiam audito, DD. steterunt *in decisis* attenta possessione dictæ Monialis probata ex publicis instrumentis, & modo inter partes non controversa: qua
1 stante manutentio nunquam deneganda videbatur; ut præter relatos *in mea decisione* §. *Hinc*, advertunt *Gratian. disceptat. for. cap.* 310. *num.* 52. *Postb. de manuten. observ.*58. *num.*13., *& seq.*, *Rota dec.* 347. *nu.* 11., *coram Buratto*, *& dec.* 388. *nu.*5. *coram Celso*, *& dec.*277. *num.*11., *& seq.*, *& dec.* 295. *num.* 27., *coram Peutinger.*

Non obstat; quod dicta Maria Theresia ab anno 1667. usque in præsens annum præstationem non exegerit: ideòque per lapsum tanti temporis à sua possessione ceciderit; quoniam, ut firmatur in mea præcedenti decisione in incorporalibus ultra lapsum
2 temporis ad hunc effectum requiruntur petitio creditoris, & denegatio ex parte debitoris cum acquiescientia petentis saltem per decennium; ut advertit *Postb. de manut. observ.*58. *num.*9. *& seq.* in casu autem præsenti Monialis actrix non acquievit; immò potius de anno 1683. judicium intentavit contra Capitulum pro eadem annua præstatione: quod successive prosecuta fuit de anno 1675.

no 1675. ; & denique anno 1699. illud denuò
reassumpsit : quapropter cessat qualibet præ-
3 sumptio ; quod se habuerit pro spoliata , ob
perpetuitatem actionis ; quam judicium de
jure canonico secum trahit ; *Abbas in cap.*
Venerabilis , *& in cap. fin. de Judic. Ma-*
rant. in prax. par. 5. verb. , *& omnia fiant*
durante instantia Card. de Luc. de Jurisdict.
discept. 12. num. 3. , *Rota in Spoletana Fi-*
deicommissi 13. Februarii 1699. §. Quo verò
coram R. P. D. meo Priolo.

Minus relevat quod si non acquievit Mo-
nialis ; acquievit tamen Episcopus Vergel-
len. illius author dum anno 1672. denegan-
te Capitulo solutionem dictæ annuæ præsta-
tionis sub prætextu erroris calculorum ; sup-
ponitur , quod idem Episcopus errore co-
gnito nihil ultra prætendere se declaraverit
in quadam epistola responsiva per eum scri-
pta Capitulo : quoniam prætermisso , quod
4 dubitari potest de legalitate dictæ epistolæ
tanquam extracta ab archivio privato capi-
tuli ; quod contra non subditos probatio-
nem non facit ; *Rota in Tarraconen. Juris-*
dictionis 10. *Maii* 1700. *§. Nec est* , *&*
eadem super edictis 28. Junii ejusdem anni §.
Non quidem , *coram Illustrissimo Domino*
magno Cancellario Mediolani , *& in Tar-*
raconen. Juris puntandi super negotio prin-
cipali 26. Februarii 1701. *§. Pariformiter*
coram R. P. D. meo Omauna : Satisfecit
responsio , quod ex tenore præfatæ epistolæ,
ejusque toto contextu non solum non apparet
Episcopum denegationi acquievisse ; & ha-
buisse errorem pro recognito ; sed potius è
converso ipsum protestatum fuisse nullam er-
roneitatem adesse , immò computa benè , ac
fideliter reddita fuisse , & à canonicis com-
missariis diligenter examinata ; ac ulterius
respondendo singulis objectis ad talem effe-
ctum excitatis, & improbando abusum rela-
xandi libros absque ulla recepta, concludit;
Ma siasi pur quello, che si voglia, io non hò da
pagare cotesta trascuraggine , *mentre se ne*
deriva colpa , *non è mia* , *ma di altri* - - , *ut*
plenius in summario ejusdem capituli n. 4.

Frustrà autem replicatum fuit ; quod
etiam hodiè de hujusmodi errore doceatur,
nàm præscindendo à dicta epistola , quæ il-
lum excludit ; nihil aliud fuit adductum ,
5 quàm simplex annunciativa ipsius Capituli
contenta in articulis ab eo exhibitis coram
judice de partibus ; quæ non meretur atten-
di ; nec aliquam probationem favore ipsius
enunciantis constituit ; ut firmavit , *Rota*
coram Bichio dec. 228. *num.* 23. , *& coram*
Emerix jun. dec. 1337. *num.* 9. , *& in rec.*
dec. 10. *num.* 6. *par.* 16. *& dec.* 314. *num.* 29.
par 19.

Quibus stantibus nullius momenti visæ
fuerunt aliæ geminæ exceptiones , contra
validitatem præfatæ transactionis oppositæ :
altera scilicèt , quod non sit beneplacito
S. Sedis Apostolicæ munita ; altera , quod
sit labe usuraria infecta ; & in omnem casum
fuerit resoluta ; etenim respectu primæ ad-

verterunt DD. ; quod in præsenti hypothesi
nulla rei Ecclesiæ facta fuit alienatio , sed
Capitulum penès se retinuit illam quanti-
tatem ; de qua ergà Episcopum debitor re-
manebat : undè cum in dicta transactione de
6 alienatione non ageretur ; nulla solemnitas
de jure requirebatur, ut advertunt *Ursill.*
consult. legal. 85. *num.* 84. , *Turricell. de*
reb. Eccles. non alien. cap. 8. *num.* 23. , &
optimè distinguendo firmavit , *Rota coram*
Cocciu. dec. 1682. *num.* 22. , *& seq.* , *& in*
addent. ad Buratt. dec. 690. *lit. B. circà me-*
dium : & quamvis in ea legatur contracta
obligatio pro dicta annua præstatione ;
7 adhuc cum ista nil aliud pariat, quàm simpli-
cem hypothecam generalem pro rata debiti
præexistentis ; neque pro illius validitate
opus erat beneplacito Apostolico , *Rota co-*
ram Reyas dec. 261. *num.* 1. , *& seq.*

Respectu verò secundæ dictum fuit : quod
omnis usuræ labes excluditur in hoc casu ,
quo fructus fuerunt conventi in transactione
8 bona fide inità ratione dati , & remissi ; hu-
jusmodi enim correspectivitas illorum exa-
ctionem licitam reddit ; *Card. de Luc. de*
usur. disc. 28. *num* 2. , *R. P. D. meus An-*
saldus in suo tract. de Commerc., *& Mercat.*
disc 67. *nu.* 28. , & fuit dictum *in Romana*
transactionis 15. *Junii* 1696 *coram Illustris-*
simo D. magno Cancellario Mediolani.

Ultrà quod omissò etiam rigoroso exami-
ne dictarum exceptionum , unica solutione
omnia de medio tolli visa fuerunt ex eo
quod , scilicèt , ubi etiam aliquam pati pos-
sent difficultatem ; attamen controversia ad
talem dubietatis statum reduceretur ; ut
exceptiones prædictæ nullatenus privilegia-
9 tum manutentionis judicium retardare pos-
sent ; sed essent ad petitorium rejiciendæ ;
Posth de manut. observ. 7. *num.* 15. , *& seq.*
Rota dec. 387. *num.* 13. *par.* 14. *rec.* , *& in*
Olomucen. Jurisdictionis 19. *Januarii* 1693.
§. Nec suffragatur cor. R P. D. meo Muto.

Ex qua responsione tollitur etiam refu-
gium ; quod in omnem casum esset locus pa-
10 cto resolutivo in eadem concordia adjecto;
cum hæc prætensio sit pari ratione ad peti-
torium rejicienda : maximè quia allegari ne-
quit à Capitulo ; quia illud non fuit appo-
11 situm favore ejusdem , sed Episcopi dum-
taxat ; cujus ideò voluntas , & declaratio
(quæ hic est in contrarium) omninò requiri-
tur ; *Posth. resol.* 146. *num.* 15. *Urceol. de*
transact. quæst. 99. *num.* 14. , *&* 15. , *Rota*
coram Seraph. dec. 650. *num.* 1. , *& in rec.*
dec. 422. *nu.* 4. *par.* 4. , *& dec.* 230. *nu.* 35. ,
& seq. par. 11.

Et ità utraque &c.

ROMANA, SEU MEXICANA DEPOSITI ELEEMOSYNARUM.

Lunæ 12. *Maii* 1704.

ARGUMENTUM.

Periti electio non est demandanda pro expun-
ctione partitarum , quæ sedulò à partibus
exami-

examinatæ, & confessatæ fuerunt. Quomodò cognoscatur, an lis agitetur contra hæreditatem positam sub concursu, adeò ut creditores jura sua deducere possint, absque impetratione commissionis admissionis ad causam, aut verò contra debitoris Uxorem, filiosque coobligatos, adeòut creditorum concursus exceptiones non sint attendendæ.

SUMMARIUM.

1 *Instrumentum publicum facit probationem probatam, & manifestam.*

2 *Periti electio non est demandanda pro expunctione partitarum, cum ea diligenter à partibus fuerit peracta, & adsit clara earumdem confessio.*

3 *Limita si expunctio partitarum facta sit cum debitore cujus bona sunt sub concursu, insciis creditoribus, quia tunc debet revideri.*

4 *Limitationem declara procedere cum creditores sint ad causam admissi: secus cis non comparentibus, lite vertente inter Partes, quæ ad expunctionem devenere.*

5 *Hæreditas posita sub concursu repræsentatur per ejus creditores, qui ad litem contra eamdem necesse non habent admitti.*

6 *Limita quando relicto judicio contra hæreditatem positam sub concursu, causam prosequitur actor contra alios in solidum obligatos.*

7 *Causa agitari dicitur contra Uxorem, & alios in solidum obligatos, & non contra hæreditatem viri positam sub concursu, si neque hæreditati jacenti curator est deputatus, & in congregatione Baronum deponuntur tantum pecunia Uxori debita pro sua dote.*

8 *Exceptiones deductæ ab his, qui non sunt in causa, non attenduntur.*

9 *Obligatio debitoris, contra quem agitur cum innegabilis est, satis est pro resolutione causæ.*

DECISIO CCCXIX.

IN solidatione computorum concorditèr peracta de anno 1694. inter Comitem Nicolaum de Silva, ac procuratorem causæ beatificationis ven. servi Dei Sebastiani de Appariti o, constitutum fuit creditum ejusdem causæ in sc. 14567., pro cujus satisfactione in solidum se obligarunt tàm d. Co. Nicolaus, & filii, quàm Comitissa uxor ejusdem; cum autem stante illorum morositate pulsati fuissent à syndico dictæ causæ, mandatum ab A.C. pro sc. 12. mil. sinè præjudicio majoris summæ contra eosdem relaxatum fuit: adversus quod commissa causa R. P. D. meo de la Tremoille cum clausula *sine præjudicio quoad scut.* 2000., *& in reliquis, si quid exequendum* --; emanavit coram illo prævis duabus decisionibus sententia, ejusdem mandati executionem decernens (relictis tamen in suspenso aliquibus partitis, de quibus habebitur ratio super altero dubio hodiè coram me contemporaneè proposito), quæ suum habuit effectum: appellatione verò in devolutivo interposita per illos de Syiva, mihi nova commissio directa fuit cùm clausula -- *Alteri, qui ad legitimam pro duplis* 318., *& in reliquis sinè præjudicio legitimæ executionis* -- propositoque de more dubio -- *an sit procedendum ad legitimam executionem pro dd. duplis* 318., *& in reliquis an constet de credito* -- DD. eum nihil respondere voluerint super resolutione primæ partis dubii, ex quo dicta summa post Signaturæ rescriptum persoluta fuerat; & sic superfluum sit de executione mandati disputationem assumere; quoad secundum, *constare de credito* resolverunt.

Etenim cum in publico instrumento de anno 1694. confecto, d. Nicolaus de Syiva se debitorem constituerit in sc. 14567. ratione pecuniarum ad eum perventarum pro d. causa beatificationis, & successivè de anno 1700. ex duplici folio inter partes concordato, & à fratribus de Syiva filiis d. Nicolai interim defuncti, & Uxore subscripto, appareat, eum, bonificatis nonnullis partitis debitorē extitisse in quantitate sc 7839. 17. indè clarum emergit creditum dictę causæ; quod satis superque ex publicis instrumentis desumitur: cum ista
1 faciant probationem probatam, & manifestam; *Rota coram Emerix jun. decis.* 1152. *nu.* 1., *& in rec. dec.* 763. *n.* 7. *p.* 18, *& dec.* 231. *n.* 1. *& dec.* 477. *n.* 10. *par.* 19., & alibi passim.

Absque eo quod necesse fuerit devenire ad electionem periti pro dispungendis partitis, quæ in primo ex dd. foliis fuerant in suspensum relictæ: quia cum partes deveniendo ad calculum maximo, & diligentissimo examine peractum de consilio etiam procuratorum utriusque, in certa summa convenerint, & aliud folium eædem partes subscripserint; jàm indè apertè deducitur quale, & quantum sit creditum prædictæ causæ beatificationis absque ulla ulteriori necessitate eligendi peritum; cum recurren-
2 dum non sit ad ulteriorem probationem; quando habetur clara, & perfecta ex ipsius Partis confessione resultans; *Rota cor. Peutinger. dec.* 372. *num.* 11., *& coram. Bich. dec.* 220. *n.* 9., *& in rec. dec.* 373. *nu.* 3. *par.* 16., *& dec.* 428. *num.* 1. *par.* 19.

Non attenta responsione; quod cum folia confecta fuerint à fratribus de Syiva post in-
3 dictum concursum creditorum; illis insciis, non possint in eorum præjudicium substineri; sed revideri debeant à principio omnes par-
4 titæ in eis contentæ: quoniam in præsenti controversia non agitur cum creditoribus; dùm cōmissio nullos alios comprehendit, quàm illos de Syiva, & causam beatificationis prædictæ, ac per consequens allegari non valet interesse creditorum; qui, ut possent dicta folia impugnare: commissionem admissionis ad causam obtinere deberent: & jura sua in proprio judicio experiri; ut respondet, *Rota in Romana Cambii* 15. *Martii* 1700. *per tot. coram R. P. D. meo Ansaldo*.

Replicatio autem, quod præfata commissio necessaria non sit in præsenti casu; quo con-

conveniitur hæreditas Nicolai; quæ per ip-
5 sius creditores repræsentatur, cessare visa
fuit ex facto, quia scilicet procurator causæ
beatificationis, & pro eo syndicus egerunt
non solùm contra Nicolaum patrem, sed
etiam contra filios, & Comitissam Joannam
eorum matrem in solidum, & æquè princi-
6 paliter obligatos; ac hodiè relicto judicio
contra hæreditatem, cui nec curatorem de-
putari insteterunt; prosequuntur causam
7 tantummodò contra filios, illorumque ma-
trem; prout manifestè apparet, ex quo in
Congregatione Baronum consignatæ fuerunt
pecuniæ; quæ erant debitæ Comitissæ pro
sua dote, non autem aliæ spectantes ad hæ-
reditatem Com. Nicolai de Sylva: ideoque
8 non est curandum de exceptionibus deductis
ab aliis, qui non sunt in causa: satis enim
fuit pro resolutione, quod debitores, con-
9 tra quos iis modo agitur, propriam obliga-
tionem nequeant impugnare; *Menocch. de
adipisc. possess. remed. 4. num. 584., Rota in
rec. dec. 30. n. 14. par. 6., & dec. 13. n. 19 par. 16.*
Et ità utraque &c.

ROMANA, SEU MEXICANA DEPOSITI ELEEMOSYNARUM SUPER ATTENTATIS.

Lunæ 12. Maii 1704.

ARGUMENTUM.

Attentatum non est, quod parte consentiente fit, nec revocatur, quod denuo fieri deberet; Cætera in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Attentata, utpote sapientia delictum, sunt plene, concludenterque probanda.*
2 *Executio pro partitis in suspenso relictis non potest prætendi absque incursu in attentata.*
3 *Secùs si pars totum illarum debitum recognoverit.*
4 *Actus à partis consensu validus, & legitimus efficitur, licet alias esset illicitus, & invalidus.*
5 *Consensus partis ab attentatorum vitio excusat.*
6 *Recognitio debiti roboratur ex non oppositione facta à debitore pluries in judicium vocato.*
7 *Exactio tacitè permissa non est attentata.*
8 *Attentata non revocantur, cum constat de bono claro jure attentantis.*
9 *Destrui non debet id, quod denuo fieri deberet si factum non foret.*

DECISIO CCCXX.

POst expeditionem causæ coram R. P. D. meo de Tremoille, & post rescriptum Signaturæ cum clausula sine præjudicio; prout fusius habetur in altero dubio super negocio principali; fratres de Sylva una cum d. comitissa Joanna eorum matre recedentes ab exceptionibus contra causam beatificationis ven. ser. Dei Sebastiani de Apparitio deductis, concordarunt istius creditum ascendere ad scut. 10002., subscribendo folium, in quo omnes pro satisfactione se obligarunt; relictis solum in suspenso geminis partitis una videlicet duplarum 318., & altera sc. 633.; quas remiserunt judicio nostri Tribunalis; sed cum illas successivè bonificaverit causa beatificationis B. Solani, ad quam pertinebat, hinc fratres de Sylva dimittendo omnes prætentiones, quas cum causa beatificationis ven. servi Dei de Apparitio habebant; quoad illas partitas aliud denuò subscripserunt folium de anno 1703., in quo liberè, & absque ulla præservativa se liquidos constituerunt debitores in sc. 7839. 17.; ad cujus normam in Congregatione Baronum fuit ad executionem deventum: at prætendentes dd. fratres, quod gesta in dicta Congregatione essent attentata; petierunt coram me, ut examinaretur dubium pro eorumdem declaratione; illud tamen *negativè* resolutum fuit.

Attentata siquidem, cum sapiant quodammodo delictum, debent plenè, & conclu-
1 denter per allegantem probari; *ad Text. in
l. fin. C. de probat., Rota coram Emerix decis. 508. num. 5., & in rec. dec. 348. nu. 8.,
& 9 par. 18.*: hujusmodi autem concludens
probatio nequit in præsenti allegari; nam il-
cet ex quo relictæ fuerunt in suspenso diver-
sæ partitæ, & signanter illa duplarum 318.,
non potuisset causa beatificationis Congrega-
tionem Baronum adire pro illarum exactio-
2 ne absque incursu attentatorum: attamen
cum ex post fratres de Sylva recognoverint
3 totum debitum etiam respectu prælatarum
partitarum; nullum adesse videbatur impe-
dimentum; quin integram summam, omnes-
que partitas absque ullo attentatorum vitio à
Congregatione Baronum exigere posset: con-
sensus enim partis legitimat quemcumque
4 actum; illud που validum, licitumque red-
dit; quod alias illicitum, invalidumque fuis-
set; & per consequens ab attentatorum labe
illum excusat; *Jas. in l. 1. num. 16. ff. de
5 fer. Lancellott. de attent. par. 2. cap. 12. li-
mit. 42. num. 1., & 14.*

Maximè quia ipsi in quolibet actu citati in Congregatione Baronum non solum non reclamarunt; sed quod plus est, cum ratione concursus pendentis super bonis Nicolai debitoris debuisset præstari cautio de restituendo; & loco hujus cautionis fuisset summa exacta investita in tot locis montium cum dicto vinculo; causa beatificationis adivit Signaturam Sanctissimi pro deletione ejusdem vinculi, & gratiam pro medietate reportavit citatis semper iisdem de Sylva, qui nunquam de hujusmodi attentatis opposuerunt; ex his autem actibus, & eorumdem acquiescentia negari minimè potest; quin ne-
dum roborata remaneat recognitio proprii
6 debiti, etiam quoad partitas in suspenso re-
lictas; verum etiam resultat tacita præfatæ
exactionis approbatio: ut proindè attentata
7 omnino veniant excludenda; *Lancellot. de
attent. par. 2. cap. 4. limit. 15. num. 24. Rota
dec. 65. n. 7. par. 18. rec.*

Eo-

Eoque fortius, quia ubi dici etiam posset de prætensis attentatis constare; attamen cum apertè recognitum fuerit bonum jus
8 causæ beatificationis ex foliis ab iis de Sylva subscriptis; utique nec illorum revocationi locus esse deberet: cum nulla æquitas per-
9 mittat; quod destrui debeat id, quod si factum non foret, faciendum esset; prout in præsenti contingeret; ut ad effectum excusandi attentata, advertunt *Gratian. discept.84. num. 14. Card. de Luc. de præemin. disc.26. num. 8. & Rota in Pisana Bonorum super attentatis 15. Aprilis 1701. §. Et tamen coram me.*

Ad repetitum verò creditorum præjudicium abunde fuit responsum in altera decisione super negocio principali admissionis ad causam; ideoque superfluum visum fuit super illo immorari.

Et ità, utraque &c.

ROMANA, SEU CESENATEN. FIDECOMMISSI.

Ven. 16. Maii 1704.

ARGUMENTUM.

Fœmina filia primi vocati admittitur ad fideicommissum, si testator fœminas illius domus, in quibus fictam agnationem renovatam voluit, vocavit sub nomine descendentium à masculis cum relativa ad dictam quoque fœminam referibilem in parte dispositiva, licet in conditionali nomine masculorum intelligi tantum possit de descendentibus masculis, & conjecturæ afferuntur, ex quibus hæc testatoris voluntas comprobatur.

In hac causa super fructibus adest dec. 363., & super fructibus dec. 370.

SUMMARIUM.

1 *Ægidiana constitutio quandò intret?*

2 *Fœminæ post lineam masculinam vocatæ, ea extincta, debetur immissio ad bona fideicommissaria.*

3 *Immissio non debetur ei, qui non est de genere vocatorum.*

4 *Dictio* -- ex prædictis -- *in fine posita, apta est referri ad omnes personas supra expressas.*

6 *Fœminæ filiæ vocati proprio nomine non veniunt appellatione fœminarum descendentium à masculis provenientibus ab ipso vocato.*

7 *Contrarium quia testator non taxativè eas vocasse intelligitur, sed demonstrativè vocatum proprio nomine nuncupasse ad designandam originem descendentiæ masculinæ, qua defecta subintrare deberent fœminæ ab eodem stipite descendentes.*

8 *In vocatione fœminarum per relationem universalem ad omnes masculos substitutos, de quorum descendentia sunt volitæ, comprehensæ etiam dicuntur fœminæ descendentes à primo hærede.*

9 *Fœmina, quæ non provenit ex masculis, qui in parte conditionali fuerunt expressi, comprehendi nequit in dispositiva, in qua substituuntur fœminæ ex prædictis masculis.*

10 *Secus si in parte conditionali, ideo masculi sunt expressi, quatenus testator admitti voluit fœminas post ultimum masculum.*

11 *Et cum in parte dispositiva generaliter fœminas sine qualitates descendentiæ ad dd. filiis masculis invitavit.*

12 *Relatio fit ad omnes sive proprio, sive appellativo nomine vocatos, rationis identitate exigente.*

13 *Particula repetitiva in fine orationis posita, est apta ad repetendum omnes personas præcedenter expressas.*

14 *Fœminæ ex primo vocato invitatæ post masculos dicuntur, cum summo studio testator, eis extinctis, agnationem in fœminis voluit renovari per assumptionem cognominis, & armorum, & alia concurrunt hic recensita.*

15 *Fœmina proximior fortius ad successionem admittitur, si admittantur ulteriores fœminæ.*

16 *Fortius si testatori sit cognita.*

17 *Et cum testator providendo de dote fœminarum æqualiter admisit fœminas filias vocati, quam aliorum ejus descendentium.*

18 *Fœminæ æqualiter dotatæ, æqualiter vocatæ censentur.*

19 *Fœmina venit appellatione filiorum.*

20 *Præsertim si aliæ fœminæ descendentium non concurrant.*

21 *Dictio* -- tunc -- *restringit tempus succedendi, non personas successuras, quæ, vel expressè, vel conjecturaliter fuerunt vocatæ.*

22 *Dictio* -- in stirpes -- *non operatur exclusionem filiarum primi hæredis, & quare?*

23 *Ab exclusione sororum vocati non infertur ad exclusionem filiarum ejusdem.*

24 *Ex vocatione fœminarum cum expressione legitimitatis non infertur ad exclusionem filiæ vocati, quæ jam nata erat, & testator esse sciebat legitimam, & cur?*

25 *Argenta, tabulæ pictæ, & Bibliotheca, & pecunia non sunt de mobilibus, quæ usu consumuntur, & talia qualia à gravato fideicommissario sunt restituenda.*

DECISIO CCCXXI.

HÆreditatem, quam bo. me. R. P. D. Marcus Aurelius Maraldus Simoni Petro ex Fratre Nepoti in suo Testamento reliquerat, voluit sine diminutione restitui ipsius hæredis filiis, & Descendentibus masculis in infinitum, exclusis fœminis, earumque descendentibus -- *Et ultimo (sunt verba prælsa) ex masculis omnibus à Simone Petro descendentibus legitimis, & naturalibus substituit omnes fœminas, ex prædictis masculis natas tunc supervivientes, in stirpes tamen, & non in capita, quibus sub pœna caducitatis ab hæreditate sivè nuptis, sivè nubendis injunxit onus assumendi cum earum Maritis cognomen, & arma Domus Maraldæ, voluitque* ulte-

ulteriùs, quod inter descendentes masculos legitimos, & naturales earumdem fœminarum servaretur idem fideicommissum perpetuum, quod favore masculorum descendentium à Simone Petro jam fuerat ordinatum: probibendo omnibus hæredibus tàm institutis, quàm substitutis omnem detractionem, & alienationem etiam largo alienationis sumpto vocabulo.

Ex Simone Petro orti fuerunt Andreas, Lucas Angelus, & Jo: Masculi, præter plures filias fœminas; inter quas, cum dumtaxat Co: Silvia Maralda tàm Fratribus sinè prole defunctis, quàm etiam Sororibus, superstes remansisset; Judicium Immissionis introduxit ex solito remedio *leg. fin. C. de edict. D. Adr. tollen.* contra Marchionissam Mariam Gallam Uxorem, & hæredem in Testamento scriptam à Luca Angelo Viro, & Actricis Fratre, & favorabilem sententiam obtinuit, Immissionem concedentem ad Loca Montium hæreditaria dicti Marci Aurelii fideicommittentis, necnon ad bona stabilia, mobilia, & argenta in Inventario per d. Marchionissam Gallam descripta: exceptis tamèn bonis contentis in duabus donationibus, quas idem fideicommittens ante Testamentum exaraverat; super quibus jura utriusque partis reservata fuere: interposita verò appellatione, causaque mihi commissa dubitatum hodiè fuit -- *An sit locus Ægidianæ -- & affirmativa prodiit resolutio*; quia concurrentibus validitate, & justitia
1 Sententiæ ex mox dicendis, ac etiam Laicali qualitate personarum, & bonorum, locum sibi vindicat Ægidiana Constitutio appellationem denegans in Judiciis possessoriis; *Rota in Ferrarien., seù Anconitana Fideicommissi 3. Junii 1701. §. Exordiendo in fin. coram R. P. D. meo Ansaldo, in Bononien. fideicommissi de Rosensis 17. Mar. 1702. §. Constitit enim, & in Forolivien. Fideicommissi de Torellis 28. Junii 1702. §. Recognoverunt coram R. P. D. meo Muto.*

Omissa autem validitate, de qua nulla est controversia; justitia resultat ex recensita testamenti serie, juxtà quam cum testator post deficientiam omnium masculorum descendentium à Simone Petro, substituerit omnes fœminas tunc superviventes; eo ipso quod per mortem Lucæ Angeli ultimi masculi aliis fœminis non existentibus, Comitissa Sylvia ipsius Simonis Petri filia dumtaxat superstes remansit; fideicommissum ad illius favorem dicitur purificatum: ei-
2 demque tanquam vocatæ ad bona fideicommissaria omninò debetur immissio; ex deductis per *Peregr. de fideic. art. 48. nu. 55., & sequen., Rota coram Cels. dec. 181. n. 6., & dec 614. nu. 1. coram Cerr., & dec. 1263. num. 1. coram Emerix.*

Non obstat, quod testator vocationem fœminarum restrinxerit ad filias natas à descendentibus masculis Simonis Petri; de quo
3 genere cum non sit actrix; utpotè immediate descendens ab ipso Simone Petro petitam immissionem consequi non valet; quoniam imò illi pro compræhensione assistit littera testamenti: & quod magis est verisimilis testatoris voluntas.

Et sanè littera testamenti satis late patet; quod cum in ejus dispositiva vocatæ fuerint omnes fœminæ ex prædictis masculis natæ, & in eadem oratione facta fuerit etiam mentio Simonis Petri ibi -- *ultimo autem ex prædictis masculis omnibus à Simone Petro descenden. &c. decedente sine prole masculina substituit omnes fœminas ex prædictis masculis natas* --; rationi congruit; quod quemadmodum hæc ultima dictio -- *ex prædi-*
4 *ctis* -- in fine posita est apta referri ad omnes personas superius expressas; ità non solum
5 compræhendere valet fœminas natas ex filiis masculis descendentibus à Simone Petro, verum etiam, & illas ab eodem immediatè genitas; *Mans. cons. 197. num. 28. Surd. decis. 319. num. 9.*, optimè, *Rosa coram Emerix dec. 1213. n. 26., & plur. seq., & dec. 713. num. 4. par. 1. divers., & in rec. dec. 643. num. 9. 10. par. 19. tom. 2.*

Haud relevante, quod persona Simonis Petri, quæ fuit expressa nomine suo proprio
6 venire nequeat appellatione masculorum supravocatorum, solumque verba -- *ex prædictis masculis* -- sint referibilia ad fœminas ex descendentibus ipsius Simonis Petri progenitas quoniam testator per ea verba non intellexit excludere filias immediate genitas à Simone Petro; minusque taxative præscribere necessarium requisitum nativitatis fœminarum à descendentibus primi hæredis; sed men-
7 tionem faciendo de persona illius, verba stant demonstrativè ad designandum caput, & originem descendentiæ masculinæ; in qua ipse propriam hæreditatem conservari volebat: post cujus defectum subintrare deberent fœminæ ab eodem stipite descendentes *Palm. nep. alleg. 168. nu. 11., Rota dec. 304. num. 3., & sequen. par. 19. tom. 1. dec. 643. num. 7. 10. par. 19. tom. 2. recen. in Reatina Fideicommissi 14. Februarii 1699. §. Non obstat confirmata 22. Martii 1700. §. Quia in aliquo coram Rm̃o D. meo Decano, in Romana Fideicommissi de Matthæctis 12. Decembris 1701. §. Non relevante coram R. P. D. meo Muto, in Bononien. Fideicommissi de Roffenis 17. Martii 1702. §. Probata ex his coram eodem*: attentata potissimum dictione -- *omnibus* -- quæ sicuti censetur etiam repetita in subsequentibus verbis -- *ex prædictis masculis natas* --; ità in hac uni-
8 versali relatione ad omnes masculos, compræhensæ dici etiam debent fœminæ descendentes à primo hærede, & sic Comitissa Silvia unica superstes de tempore obitus Lucæ Angeli ultimi masculi, ut in his terminis tradit *Paris. cons. 53. num. 21., & plurib. seq. lib. 2. Mans. consult. 193. num. 29., Peregr. de Fideic. artic. 22. num. 81. in fin. Fusar. de Substit. quæst. 314. num. 10.; Rota coram Dunoz. jun. dec. 984. num. 5. in rec., dec. 269. num. 9. par. 5., dec. 164. num. 22., & seq.*

& seq. par. 6., & in Romana Fideicommissi. Nicolai de Massiolis 20. Januarii 1702. §. Hinc visum coram R. P. D. meo Scotto.

Hinc pari responsione tollitur animadversio, quod quemadmodum persona Simonis Petri dici nequit cōpræhensa sub nomine ma-
9 sculorum; qui in parte conditionali fuerunt expressi; eo quia testator locutus fuit de masculis ab ipso Petro descendentibus, ibi -- *ultimo autem ex prædictis masculis omnibus à prædicto Simone Petro descendentibus decedente* --; pariter compræhendi nequeat in subsequenti parte dispositiva; in qua substituuntur omnes fœminæ ex prædictis masculis natæ: eatenus enim in parte conditionali expressi fuerunt masculi descendentes à Simone Petro; quatenus testator fœminas admitti voluit post obitum ultimi masculi ab eo descendentis: unde expressio masculorum ab
10 ipso descendentium tantummodo præsefert intelligentiam; quod existentibus masculis fœminæ non succederent: at in parte dispositiva, in qua testator fœminarum vocationem noluit restringere ad natas ex filiis
11 primi hæredis omittendo verbum illud -- *descendentibus* --, invitavit generaliter fœminas natas ex masculis prædictis; quorum appellatione etiam Simon Petrus dicitur compræhensus, quamvis proprio nomine
12 nuncupatus: cum identitas rationis exigat; quod relatio indistricte fieri debeat ad omnes sive proprio, sive appellativo nomine vocatos; *Rota coram Durano dec. 126. nu. 9. coram Arguell. dec. 28. num. 76., & seq., & num. 80. in rec. dec. 211. num. 6. par. 17.*, & fuit resolutum *in Maceraten. Fideicommissi 10. Martii 1688. §. Minus desumi valet coram bo. me. Benincasa, & 23. Januarii 1693. §. Cæterum coram R. P. D. meo Muto, & in Camerinen. fideicommissi, seu Primogenituræ 11. Maii 1703. §. Quibus positis coram Rmo Domino meo Decano*: maxime quia par-
13 ticula repetitiva, utpote posita in fine orationis, est apta ad repetendum omnes personas præcedenter expressas; ut bene in proposito notat, *Rota coram Emerix dec. 1213. num. 27. 28.*

Præter litteram testamenti concurrit verisimilis disponentis voluntas ex pluribus circūstantiis non minus clare deducta, & signanter ex eo, quod testator litteraliter expressit vo-
14 tū; quod enixe habebat perpetuo conservandi propriam agnationem prius in filiis masculis Simonis Petri; & in istorum defectum eamdem illam artificialiter renovandi in fœminis per assumptionem cognominis, & insignium cum digressu ad plures gradus substitutionum, etiam inter descendentes masculos fœminarum, & indefinita prohibitione omnium detractionum, & alienationis: hinc enim impreceptibile prorsus est; quod ipse voluerit hujusmodi fideicommissum tanto studio, tantaque substitutionum serie præordinatum, extingui; & ad libitum ultimi masculi alienari; etiamsi adessent fœminæ descendentes à dicto primo hærede, quam per illas ulteriorum descendentium.

Ultrà quod nulla est assignabilis ratio, qua testator potuisset impelli potius ad includendum natas à filiis masculis Simonis Petri primo loco instituti, quam Comitissam Sylviam genitam ab ipso primo hærede; pro qua stat regula; quod admissis ad successionem ulte-
15 rioribus fœminis, multo magis fœmina proximior admitti debet: fortiùs quia militat præsumptio; quod testator voluerit eam ad-
16 mittere tanquam sibi cognitam; dùm erat jam nata de tempore conditi testamenti; *Rota coram Emerix dec. 1229. sub num. 8., & in Forolivien. Fideicommissi de Torellis 15. Januarii 1702. §. Quando autem, & in Anximana Jurispatronatus 9. Martii 1703. §. Nec contra coram R. P. D. Muto.*

Rursus animadverterunt DD. quod sicuti testator, ubi voluit providere fœminas de-
17 dotibus, æqualiter admisit tam illas descendentes à masculis, quam ab ipso Simone Pe-
18 tro ita validum consurgit argumentum, quod æquali etiam dilectione fuerunt omnes invitatæ ad supradictum fideicommissum; juxta deducta *per Peregrin. cons. 87. num. 39. lib. 2., Rota coram Arguell. dec. 28. nu. 99. coram Bich. dec. 7. sub num. 8., & in Ostunen. Primogenituræ 12. Junii 1799. §. Vocatio verò coram Illustrissimo d. magno Cancellario Mediolani, & in Reatina Fideicommissi 4. Februarii ejusdem anni, §. Quoniam coram Rmo Domino meo Decano.*

Accedit prædictis; quod in altera dispositionis parte fideicommittens -- *ut bona conservarentur in familiâ de Maraldis, quæ gratia Dei est in Simone Petro, ejusque filiis tam natis, quam nascituris; singulis hæredibus expresè prohibuit, nè unquam delicta committerent* -: Ex quibus bene inferri posse visum fuit; quod si testator declaravit familiam suam consistere in Simone Petro, ejusque filiis tam natis, quam nascituris; negari nequit; quin comitiss. Sylvia compræhensa non fuerit sub universali vocatione ad fideicommissum; dum juxta verborum proprietatem
19 ipsa quoque venit appellatione filiorum; *l. Si ita supradictum 46. ff. de legat. 2. gloss. in l. filii appellatione ff. de verb. signif. Giovagnon. cons. 11. num. 11., & seq. lib. primo, Rota coram Seraph. dec. 880. num. 1., & decis. 1216. n. 5., & in rec. dec. 514. nu. 1. par. 5., dec. 179. num. 4. par. 6. coram Emerix dec. 344. num. 1. coram Priolo dec. 223. num. 12., & in Romana Fideicommissi de Palazzolis 4. Junii 1698. §. Sanè coram Illustrissimo magno Cancellario status Mediolani*: præser-
20 tim, quia non versamur in concursu cum alia fœmina descendente ab ulterioribus masculis; *Card. de Luc. de Fideicom. disc. 46. num. 8., & disc. 146. num. 5., Rota coram Burat. dec. 920. num. 9., & coram Cerr. decis. 80. num. 25.*

Atque ex his cessant omnes conjecturæ; quæ à Marchionissa Maria Galla cumulatæ fuerunt ad probandam expirationem fideicommissi, & exclusionem respectivè comitissæ

aissæ Sylviæ: quod enim vocatæ fuerint fœminæ natæ ex prædictis masculis tunc supervíventes; ex hoc deduci non valet: quod filiæ primi hæredis admitti non debeant; cum dictio - *tunc* - restringat tempus succedendi,
21 non autem personas successuras; quæ, vel expresse, vel conjecturaliter fuerunt vocatæ; ut satisfaciendo objecto respondit, *Rota in Maceraten. Fideicommissi* 10. *Martii* 1686. §. *Atque ex his*, & 23. *Maii* 1689. §. *Atque hinc coram bo. me. Benincasa*, & 23. *Jan.* 1693. §. *Igitur coram R. P. D. meo Muto*: clausula vero - *in stirpes*, & *non in capita* - utpote verificabilis non tantum in concursu
22 plurium fœminarum ejusdem gradus ex una parte, quam ex altera; non potest operari exclusionem filiorum primi hæredis; *Gabriel. conf.* 96. *num.* 10. *lib.* 1.

Minusque pro conjectura meretur attendi præteritio sororum Simonis Petri, & vocatio fœminarum cum qualitate legitimatis; quæ fuisset omissa; si testator comprehendere voluisset Comitissam Sylviam, quam jam sciebat esse legittime natam; quoniam respectu primæ ab exclusione sororum Simonis Petri, quarum pater ad successionem
23 non fuerat invitatus, inferri non valet ad exclusionem fœminarum dicti primi hæredis qui fuit expresse vocatus cum substitutione favore fœminarum ulteriorum descenden-
24 tium: respectu vero secundæ, cum testatori ignorum esset tempus, quo fœminarum substitutio aperiri potuisset; proinde per eum fuit talis qualitas indefinite adjecta, ut includerentur omnes fœminæ; quæ potuissent succedere.

Et hæc quoad fideicommissum. Quoniam vero sententia A. C. Aldrovandi impugnabatur etiam ex eo, quod concedat immissionem ad omnia bona descripta in inventario; & per consequens etiam ad mobilia, & semoventia, quamvis lapsu 50. annorum ab obitu dicerentur consumpta; ideo DD. rejectis mobilibus, super quibus verificari potest consumptionis præsumptio; præter loca montium, & stabilia, de quibus in dicta sententia, demandarunt, quod cum argenta tabulæ pictæ, & marmoreæ, Bibliotheca, & pecuniæ non sint de illa specie mobilium, quæ usu penitus consumuntur; talia qualia sunt, non obstante lapsus prænarrati temporis, per hæredem gravatum restituantur; *juxta egregiam decisionem editam in Romana Fideicommissi de Bubalo super mobilibus* 13. *Januar.* 1702 §. *Et è converso coràm Illustrissimo D. dell' Olmo*.

Et ità &c.

BURGEN. PANIS SUPER MANUTENTIONE.

Lunæ 2. *Junii* 1704.

ARGUMENUM.

Desume à superiori decis. 158. & seq. quæ confirmatur.

Adest in hac causa super declaratoria inferior dec. 364.

SUMMARIUM

1 *Possessori nunquam est manutentio deneganda.*

2 *Testibus de facto proprio deponentibus omnino est deferendum.*

3 *Testes contra producentem plene probant.*

DECISIO CCCXXII.

Manutentionem, quam Capitulum, & Canonici Collegiatæ Ecclesiæ de Valpuesta obtinnuerunt cor. me sub die 2. Julii 1700., in possessione judicandi super bona, vel mala qualitate panis eisdem ab Archidiacono tradendi in casum controversiæ inter Canonicos visores, ac Ministros Archidiaconi; hodiè in nova causæ repropositione DD. denuo concedere eisdem Canonicis non detrectarunt.

Possessio namque Capituli clarè resultare visa fuit non solum ex sententiis latis tàm à Vicario Generali Toletano à Sede Apostolica delegato sub anno 1589., quàm ab Ordinario Burgen. de anno 1695. talem judicandi facultatem concedentibus; verum etiam ex depositionibus novem testium unanimiter asserentium, Capitulum reperiri in præfata possessione; ut patet *ex sum. num.* 4.
1 quibus omnibus concurrentibus nunquam denegari solet manutentio; *Rot. coram Bich. dec.* 69. *num.* 1., & *coram Emerix dec.* 1168. *num* 1., & *in rec. dec.* 114. *num.* 6. *par.* 7. & *dec.* 223. *num.* 19. *par.* 19.: addito insuper quod omnes dicti testes fuerunt alias Ministri Archidiaconi, ideoque tanquam de facto proprio deponentibus, illis omnino deferendum venit; *Alex. conf.* 197. *num.* 5. *Rota coram Gregor. dec.* 449. *num* 7., & *cor. Burat. dec.* 193. *num.* 5., & 6., & *coram Emerix jun. dec.* 763. *num.* 2.

Et omnes præfatæ probationes validiores modo apparuerunt; ex quo examinatis per Archidiaconum vigore remissoriæ à nostro Tribunali eidem concessæ aliis testibus, isti deposuerunt; quod ubi Canonici visores reprobabant panem, ille exhibebatur in pleno Capitulo; ad effectum, ut omnium suffragio decideretur; an esset, nec ne, bonæ qualitatis; & stabatur resolutioni Capituli: hujusmodi autem depositiones rem ponunt in claris; cum proveniant ex dicto testium
3 Archidiaconi, contra quem superlativam de per se solæ probationem constituunt, ad firmata per *Rotam coram Cels. dec.* 3. *num.* 6., & *in rec. dec.* 110. *num.* 3., & *dec.* 406. *n.* 5. *par.* 16., & alibi passim.

Et ità, capitulo tantum informante; Archidiacono vero dilationem petente, resolutum fuit.

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE CÆSARINIS SUPER EXHIBITIONE.

Lunæ 2. Junii 1704.

ARGUMENTUM

Est brevis decisio in causa, de qua in superiori decisione 112.

SUMMARIUM.

1 *Decisio se relativè habens ad Instrumentum nihil aliud comprehendens, est ad illius limites intelligenda, nec ultra firmat*, & num. 3.

2 *Potissime cum ejus verba refert.*

4 *Actus correspectivè factus in sequelam alterius, illius obligationibus est obnoxius.*

DECISIO CCCXXIII.

Pro obtinenda nova Audientia adversùs Decisionem editam coràm me super exhibitione librorum die 14. Aprilis proximi præteriti, allegabat præ cæteris D. Principissa Cleria de Cæsarinis; quod illa inhærebat duobus suppositis sibi præjudicialibus: Alterum scilicet, quod in dimissione facta per bo. me: R.P.D. Arrighum, comprehensa fuissent bona primogenialia: Alterum, quod ipsa nominatim, & expressè se adstrinxisset ad restituenda bona; quæ sibi fuerant relaxata; quando è converso ex lectura ipsius dimissionis resultabat eam suisse restrictam ad bona hæreditaria, & libera Ducis Philippi consistentia in speciebus ibidem enunciatis; & Domina Principissa nullam de restituendo obligationem emisit: verùm his non obstantibus, demandarunt DD., quod devenirem ad causæ expeditionem extensa prius brevi Decisione; ad ostendendum, quod neutrum ex prædictis subsistit.

Et sanè non subsistit primum; quoniam Decisio simpliciter se habet relativè ad instrumentum dimissionis anni 1685., cumque nihil aliud comprehendat; venit propterea ad illius limites intelligenda: sine dubio, quia fuerunt etiam in eadem transcripta verba dictæ dimissionis, ibi -- *quod si bona ad Primogenituram spectare detegerentur in tota, vel in parte illa restituere teneretur, cui de jure* --; itaut cesset omne dubium; quod
3 potuerit quidquam firmari circà qualitatem bonorum, ultrà id, quod importat Instrumentum.

Quò verò ad obligationem restituendi, neque de ea dubitari posse videbatur; quia dum bo. me. R.P.D. Arrighus per publicum instrumentum ad bonorum dimissionem devenit, cum dicta declaratione, quod teneretur illa restituere: eo ipso quod D. Principissa successivè bona prædicta recepit; per hujusmodi actum, utpotè correspectivè gestum in sequelam dictæ declarationis contracta dicitur obligatio restituendi: & quidem specificè, & nominatim, cum in dicta dimissione, specifica librorum mentio habeatur.

Et ità partibus per memorialia auditis &c.

ROMANA SALVIANI.

Ven. 6. Junii 1704.

ARGUMENTUM.

Obligatio in actu Instrumenti dationis in solutum inita, cum ista pendet et ab alia anteriori Oeconomiæ; ab ista causam habere dicitur, & multis argumentis, & conjecturis convincitur; ideoque hypothecam, & anterioritatem desumit à prima Oeconomiæ. Dictum verò creditum secundum reddi non potest fructiferum, cum non erat; in præjudicium illius, qui aliud intermedium creditum inter primam, & secundam dd. obligationes habebat.

SUMMARIUM.

1 *Instrumentum cambii facit illius probationem probatam.*

2 *Cessionarius creditoris anterioris ab eo anterioritatem desumit.*

3 *Ægidianæ quando locus sit?*

4 *Cessionarius plus juris acquirere non potest, quam cedens habeat.*

5 *Obligatio causata ab altera superiori censetur ejusdem naturæ, ac contractus, à quo causam habet, tribuitque eandem anterioritatem, & hypothecam*, & nu. 7.

6 *Obligatio prima ratione œconomiæ est causa obligationis de solvendo summas ejus occasione debitas.*

8 *Quæ probatur si in actu secundæ obligationis, sive dationis in solutum habita fuit relatio ad libros œconomiæ.*

9 *Et si post dictam dationem in solutum in eodem Instramento conventum fuerit, reddendam rationem de œconomia; ex quo antiqua obligatio ejus œconomiæ causa contracta non est remissa.*

10 *Et si A.C., & Sacra Rota vigore primæ obligationis mandatum relaxaverit, actione executiva, quæ ratione secundæ obligationis non competiisset.*

11 *Et fortius si Signatura Justitiæ tale mandatum canonizaverit.*

12 *Dans pecunias bona fide fundata in judicatis decipi nequit.*

13 *Creditum posterius immissionem impedire non potest.*

14 *Creditum intermedium inter primam obligationem cum hypotheca, & alteram causatam à dicta prima, licèt dicta secundæ cedat, tamen præjudicium recipere non potest ex ea, quod dictum creditum in secunda obligatione causata a prima reddatur fructiferum, cum in prima non erat.*

DECISIO CCCXXIV.

Administrationem, & œconomiam bonorum provinciæ Romandiolæ, & Castri Candulphi spectan. ad clar. me. Cardinalem à Bal-

à Balneo, quam anno 1663. mediante publico Instrumento Carolus, & Bernardus Fratres de Parentiis assumpserant; successivè dimiserunt anno 1671. in manibus Marchionis Joannis Francisci à Balneo dicti Cardinalis hæredis; qui supponens dd. Fratres ex causa dictæ Administrationis remanere creditores in sc. 1500., pro hac summa eisdem dedit in solutum palatium positum in castro Candulphi cum viridario annexo: promittentes è converso iidem Parentii infrà quatuor menses administrationis rationem reddere; prout anno 1685. ad hujusmodi judicium coràm A.C. deventum fuit; & prævia peritorum electione, idem judex dispunctis omnibus partitis, ac etiam computata summa sc. 1500., ut supra solutorum, mandatum relaxavit contra Parentios pro scut. 1130. in restitutionem reliquatus.

Pro cujus executione cum in ulterioribus instantiis pronunciatum fuisset, tàm coràm R. P. D. meo Pio, quàm coràm Reverendissimo D. meo Decano; & insuper rescriptum fuisset à plena Signatura cum clausula - *sine præjudicio*; Gelius Parentius filius, & hæres Bernardi interim defuncti ad evitandam executionem mandati prædicti, cambium limitatum contraxit anno 1697. pro dicta summa favore Hieronymi Girozzi; qui dimisso Marchione creditore, cessionem jurium ab eodem reportavit; & horum vigore agens anno 1703. pro restitutione sortis prænarrati cambii, ejusque fructibus, sententiam immissionis obtinuit ab A. C. ex interdicto utilis Salviani super undecim portionibus cum dimidio nonnullorum appartamentorum, & apothecarum, provenien. ab hæreditate quondam Caroli Parentii, & acquisitorum à Carolo, & aliis de Benaglia de anno 1665., 1691., & 1700.: sed provocantibus illis à sententia prædicta, mihique causa commissa, & per geminas vices non resoluta, adscitis posteà ad sufficiendum quinto, & sexto ex DD., hodiè iterum quæsitum fuit à me - *An sit locus egidiana, & danda immissio super integris appartamentis; & apothecis annexis* -, & DD. *affirmativè* responderunt *juxta modum sequentem*.

De credito enim Girozzi nulla fuit controversia; cum illud resultet ex Instrumen-
1 to cambii; quod facit probationem probatam; *l. cum precibus ff. de probat. Dec. conf.* 36. *num.* 2. *Rota dec.* 288. *num.* 5 *par.* 17 *rec.*

Solaque difficultas stetit in eo; quod creditum prædictum; utpotè contractum anno 1697. esset posterius acquisitionibus factis à Fratribus de Benaglia anno 1665., & 1691.: sed ea sublata remansit; ex quo Girozzius cum pecuniis datis ad cambium dimisit Marchionem à Balneo creditorem Fratrum de Parentiis ex causa reliquatus administrationis, & œconomiæ anterioritatem desumen-
2 tis ab anno 1663.; reportata jurium cessione: & proinde quemadmodum Marchio prædictus, si egisset, immissionem consequutus fuisset super integris appartamentis, & apothecis annexis; ità Girozzio cessionario non solum debebatur immissio ad undecim portiones cum dimidio; prout per sententiam
3 concessit A. C., propter cujus justitiam, & laicalem qualitatem personarum, ac bonorum, responsum hodie fuit esse locum Ægidianæ, verum etiam ad integras apothecas, & appartamenta denegari non poterat, juxtà secundam dubii partem; *ad Text. in l. Si quis in rem* 34. *num.* 3. *ff. de procurat.*, *Bero conf.* 32. *num.* 46. *tom.* 2. *Cyriac. contr.* 591. *num.* 79. *tom.* 4. *Rota coràm Gregor. dec.* 121. *num.* 3.

Non obstat; quod creditum cessum, pro quo agit Girozzius; non proveniat ab instrumento administrationis bonorum anni 1663., sed ab alio anni 1671. dimissionis ejusdem administrationis, ac respectivè dationis insolutum palatii pro sc. 1500., cum supposito, quod Parentii in redditione rationis facienda remanere possent in eadem summa creditores; in quo postremo instrumento, cum nulla legatur hypotheca, & positiva obligatio in casu, quo iidem Parentii non reperirentur in tanta summa creditores; sicuti Marchio à Balneo agere non poterat, nisi actione repetitionis indebiti, non autem in vim hypothecæ, & expressæ obligationis;
4 ità neque facere hoc valeat Girozzius actor, in quem plus juris transire non potuit; quam esset in Marchione à Balneo cedente; *ad Text. in l. nemo ff. de reg. jur.*

Pro responsione enim animadverterunt DD., quod instrumentum præfatæ dationis in solutum fuit causatum à prima obligatione emissa occasione susceptæ administrationis;
5 ideòque cum censeri debeat ejusdem naturæ, ac contractus; à quo causam habet; pernecesse dicendum venit; eamdem anterioritatem, & hypothecam acquisivisse, ut ratiocinatur *Mans. consult.* 54. *num.* 37., *& dixit Rota coràm Greg. dec.* 502. *num.* 2. cum aliis relat. *in Romana œconomiæ, seu redditionis rationis* 10. *Feb.* 1696. §. *In nihilo coràm Reverendissimo Domino meo Decano*.

Et quod revera prima obligatio fuerit causa, & non sola occasio istius dationis in solu-
6 tum; patet ex pluribus; & signanter, quia sinè præcedenti causa œconomiæ, non potuissent à Parentiis exigi sc. 1500: quamobrem quemadmodum de aliis rebus per ipsos administratis, & causa œconomiæ habitis,
7 tenebantur reddere rationem vigore antiquæ obligationis susceptæ de anno 1663.; ità eadem obligatione retenta, cogi debent rationem reddere de eadem partita sc. 1500.: adeò, ut consequenter quantitas sc. 1130. pro reliquatu eamdem anterioritatem acquisiverit.

Idque confirmatur tùm ex quo in actu dationis in solutum fuit habita relatio ad libros
8 œconomiæ; ex quibus tunc temporis risultabat creditum illorum de Parentiis in dicta summa; ideòque dependenter à primo con-
9 tractu: tum quia post factam dationem in so-
lu-

lutum in eodem instrumento conventum, fuit; quod Parentii infra quatuor menses de œconomia per octo annos administrata rationem reddere tenerentur: quod indicat Marchionem noluisse remittere antiquam obligationem illorum descendentem à primo contractu; ad hoc ut iste inesset in secundo: & facta redditione rationis per Parentios posset ipse pro reliquatu agere in vim primi instrumenti œconomiæ, non autem posterioris contractus.

Hæc omnia certiora redduntur; ex quo tàm A. C., quàm sacra Rota mandatum relaxavit pro dicta summa sc. 1130. vigore primi contractus: & quidem pro reliquatu, &
10 in actione executiva, quæ vigore secundi non competiisset: & in Decisione Rmi D. mei Decani *edita in Romana œconomiæ, seu redditionis rationis die* 10. *Feb.* 1696. approbata fuit validitas executionis, licèt contra Geliium Bernardi tamen heredem consumptæ ex ea ratione, quod Bernardus Solidali obligatione erat adstrictus cum Carolo altero coobligato: quod sanè manifestè convincit actionem Marchionis à Balneo provenire ex credito resultante ab antecedenti instrumento œconomiæ; in quo Parentii sese in solidum obligaverant: quodque magis est; cum
11 Signatura Justitiæ canonizzaverit hujusmodi creditum tamquam residuale œconomiæ: nulla æquitas patitur; quod modò Girozzius, qui pecunias dedit Parentiis ad effectum dimittendi debitum administrationis per rem judicatam, tantaque solemnitate approbatum; debeat nunc remanere decep-
12 tus; & frustrari ejus bona fide originata ex prædictis judicatis; prout contigeret si anterioritate, & hypotheca illius gaudere non posset.

Hinc non obstat; quod Benagli habeant jura unius cambii sc. 500. per Parentios contracti anno 1665.; ex quo forsan moveri potuit A. C. ad concedendum ipsis retentionem certæ partis bonorum; de quibus agitur: quoniam eo ipso, quod Girozzius anterioritatem desumit ab anno 1663., creditum il-
13 lorum de Benaglis remanet posterius; & non potest integralem immissionem retardare: benè tamen verum est; quod dum Marchio à Balneo non habebat creditum produ-
14 ctivum fructuum; sed tantùm consequi debebat sc. 1130. pro quibus mandatum fuerat relaxatum; non potuit postea Girozzius cessionarius illud reddere fructiferum mediante instrumento cambii in præjudicium Fratrum de Benaglis; qui sunt creditores intermedii inter œconomiam, & præfatum contractum: propterea quoad prædictos fructus denegata fuit immissio.

Et hæc quoad creditum in genere: quo verò ad quantitatem licèt illa per rem judicatam fuerit calculata pro tota summa scut. 1130., tamen, quia ex post in Decisionibus editis coràm Rmo Domino dell'Olmo redacta fuit ad sc. 812.; placuit DD. pro nunc dictam immissionem restringere ad hanc quantitatem, reservantes summam residualem alteri disputationi: cum in ea DD. non fuerint concordes.

Et juxtà hunc modum utrâque &c. resolutum fuit.

SENOGALLIEN. CANONICATUS DE LUCHIS SUPER ATTENTATIS.

Ven. 6. Junii 1704.

ARGUMENTUM.

Renunciatio attentatis nulliter facta non retardat resolutionem Causæ super eisdem; Et quomodo nulla sit renunciatio monstratur.

Adest in hac causa infra dec. 376.

SUMMARIUM.

1 *Ordinarii jurisdictio cessat post interpositam appellationem, & præsentatam inhibitionem rotalem, adeout omnia exinde sequuta sunt attentata.*

2 *Actus gesti post inhibitionem parti præsentatam, sunt attentati; etiam si judici non præsentetur.*

3 *Renuncians causæ ejus injustitiam agnoscit.*

4 *Resolutio causæ super attentatis non retardatur, etiamsi eisdem pars renunciaverit, cum renunciatio nullius ponderis est.*

5 *Renunciatio facta in vim simplicis Chirographi non recogniti, & informis, est nulla.*

6 *Renunciatio simplici possessioni attentatæ cum præservatione jurium super institutione, quæ pariter est attentata, est nulla.*

7 *Renunciatio non continens obligationem solvendi expensas, & fructus postquam fuerint liquidati cum actuali deposito unius julii penes notarium, est nulla.*

8 *Possessio Beneficii attentatè capta est sequestranda.*

9 *Attentans pendente lite fructibus vitiosæ possessionis frui non debet.*

DECISIO CCCXXV.

CHristophorus de Luchis, in ecclesia cathedrali Senogallien. canonicatum, reservato jurepatronatu tam activo, quàm passivo favore familiæ de Sopranis, erexit; subdens, quod si in casum defectus dictæ familiæ, ultimus de illa semetipsum nominare non posset; facultatem nominandi alterum ex ejus proximioribus consanguineis haberet; ut sunt verba testamenti: *voglio, che quest'ultimo vivente possa nominare uno de' suoi più prossimi congiunti*: cum autem dictus canonicatus vacaverit de anno 1703., & nullus alius de familia de Sopranis præter Gregorium uxoratum extiterit; qui tanquam incapax quoad se, præsentavit Dominicum Valerium Claudium suum consanguineum; & Vicarius Generalis præsentationem admisit: Sed affixis edictis, comparuerunt Joseph, & & Felicianus filii Johannis de Leona, necnon Joseph Lambertinus, tanquam proximiores prætendentes sibi, ex testatoris dispositione, canonicatum deberi: introductoque judicio co-

coram eodem vicario generali, ille per sententiam, rejectis aliis, Josephum de Leona institui mandavit; cujus executio suspensa remansit per appellationem tam à Claudio, quam ab Albertino ad S. Sedem interpositam, & ab eodem vicario admissam.

Pendente autem appellatione prædicta, credens Episcopus Senogallien. jus conferendi fuisse ad se devolutum ob non expletam præsentationem intra tempus a sacris Canonibus, patronis Laicis præfinitum, eundem canonicatum Priamo Ciuccio destinavit novaque affigi mandavit edicta: sed habita de his omnibus notitia per alios præsentatos, quamvis isti non solùm novam interposuerint appellationem; sed ulterius alter ex eis inhibitionem rotalem vigore primæ appellationis à dicta sententia vicarii interpositæ, præsentari fecerit tam in actis Cancellariæ Episcopalis, quàm personaliter eidem Ciuccio cum dimissione copiæ: nihilominus Episcopus sententiam protulit super institutione dicti Ciuccii, cum subsecuta actuali possessione: quamobrem ad reparandum tam grave præjudicium cæteri collitigantes antequam disputationem super negocio principali assumerent; curarunt à me proponi dubium: *an constet de attentatis; quæ veniant purganda; itaut sit locus appositioni sequestri*: & D.D. *in omnibus affirmativè*, responderunt.

De attentatis enim dubitatum non fuit; quia omissis aliis, quæ ad hunc effectum adducebantur; satis est; quod postquam Claudius appellatione à sententia Vicarii Josepho de Leona favorabili interposuerat; illiusque
1 vigore rotalem inhibitionem Ciuccio præsentaverat; non poterat iste ab Ordinario de præfato canonicatu provisionem obtinere: multoque minus successive illius possessionem adipisci: *ad Text. in cap non solum de appellat. in* 6. firmavit *Rota coram Celso dec*.288. *n*.6. *& in rec. dec*.74. *n*.3., *& dec*.124. *in fin. part*.1. *& dec*.276. *n*.4. *part*.16. quamvis inhibitio rotalis præsentata non fuerit Episcopo conferenti; & qui institutionem concesserat, quoniam satis vulgata est regula; quod
2 actus dicuntur attentati; si gesti fuerint post inhibitionem parti præsentatam: ideoque satis est præsentatio tempore habili facta Ciuccio; adhuc ut ipse à quacumque innovatione abstinere debuisset; ut advertit *Rota dec*.332. *num*.2. *part*.14. *& dec*. 388. *n*.2. *par*.18. *rec*., *& in Adrien. Canonicatus super Sequestro* 3. *Aprilis* 1699. §. *Attenta coram me*.

Hanc veritatem scribentes pro Ciuccio agnoverunt; & fassi sunt; dùm in vigilia
3 propositionis causæ in vim chirographi à Ciuccio subscripti, possessioni jam captæ renunciarunt: verùm licèt ex ipso acto magis comprobata fuerint attentata; tamen non exinde retardari potuit resolutio causæ;
4 cum renunciatio multiplici ratione nullius ponderis esse detegatur: & primo, quia apparet facta, non constito de publico instru-
5 mento mandati Procuræ ad renunciandum; sed in vim simplicis Chirographi non recogniti, & informis: secundo ex quo renunciatio restricta legitur ad simplicem possessionem, & præseruat Priamo jura super eo-
6 dem Canonicatu in vim institutionis ab Episcopo reportatæ; quæ pariter erat attentata; utpote facta post inhibitionem rotalem: ter-
7 tio, quia non continet obligationem solvendi expensas, & restituendi fructus perceptos, postquam fuerint liquidati, cum actuali deposito penes notarium, saltem unius Julii; ut pro validitate renunciationis fieri debuisset; *ut in Alexandrin. Manutentionis* 15. *Januarii* 1703. §. *Animadverterunt coram R. P. D. meo Caffarellio*, *& in Romana Vineæ seu Horti super expensis* 29. *Januarii* 1703. §. *fin. coram R.P.D. meo Scotto*.

Constito itaque de attentatis, utique venit possessio sequestranda, ne interim pen-
8 dente lite, attentans vitiosæ possessionis commodo fruatur. *Card. de Luc. de Benef. disc*.98. *num*.4. *Rota dec*.260. *n*.6. *coram sa. me. Alex.VIII*, *& in Adrien. Canonicatus super Sequestro* 3. *Aprilis* 1699. §. *Clariora coram me*. Et per consequens fructus controversi canonicatus veniunt sub sequestro ponendi.

Et ita Joseph de Leona, ac Dominico Valerio Claudio actoribus tantùm informantibus resolutum fuit.

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE CÆSARINIS SUPER VINEIS.

Ven. 20. *Junii* 1704.

ARGUMENTUM.

Fideicommissarius recipiendo canones bonorum Primogenituræ in emphyteusim datorum a gravato, non censetur illius contractum ratificasse, cum hoc ignoravit, & credere potuit antiquam fuisse investituram. Præsertim si in forma specifica cum clausula: *sublata* a Pontifice fuit confirmata Primogenitura.

In hac causa sunt supra dec.44. 323. infra dec. 454. 483. 884 528. & duæ seqq. 571. & tres seq.

SUMMARIUM.

1 *Identitas ex designatione contradæ, & confinium convincitur.*

2 *Et ex quo bona data sunt in emphyteusim, & receptione canonum.*

3 *Hæres gravatus etiam ex causa utilitatis contra expressam Testamenti legem alienare nequit.*

4 *Fideicommissario denegari non potest immissio contra possessores bonorum fideicommissariorum ab hærede gravato alienatorum.*

5 *Subjectio bonorum fideicommissi exclusa remanet per possibilitatem contrariam.*

6 *Contractum emphyteusis ab hærede gravato concessæ, quod ratificavit fideicommissarius receptione canonum, iste impugnare non potest.*

7 *Limita si talem contractum a gravato initum*

rum nesciebat fideicommissarius, & crede-
re potuit fuisse antiquum.
8 *Primogenitus non potest approbare actum*
gestum contra formam Primogenituræ a
Papa in forma specifica cum clausula - sub-
lata - *approbatæ*.

DECISIO CCCXXVI.

ABsoluto judicio tam petitorio, quam pos-
sessorio per rem judicatam nostri Tribu-
nalis, qua decretum fuit primogenituram
familiæ Cæsarinæ spectare ad D. Ducissam
Liviam: fuit alterum ab eadem introductum
coram A.C. super associatione, seu reinte-
gratione, & quatenus opus sit immissione ad
duas vineas nuncupatas *della Perazza*, e
della Stampiglia; quas Dux Philippus ulti-
mus primogenituræ possessor, venditis prius
utriusque vineæ arboribus Josepho del Mo-
ro, & Curtio, aliisque de Palmerinis, suc-
cessive illis easdem vineas in emphyteusim
concessit sub annuo canone scutorum decem
pro quolibet rubro: verum dd. vinearum
possessores, ut eorum Indemnitati consule-
rent; molestias intimarunt Dominæ Princi-
pissæ Cleriæ hæredi memorati Ducis Phi-
lippi; quæ proindè assumpsit in se litem;
istaque ad Rotam delata; hodie dubitatum
fuit coram Me - *an sit danda associatio*, *vel*
potius reintegratio, *& quatenus opus*, *sit im-*
missio - & DD. omissis aliis remediis sub dicto
dubio compræhensis, *immissionem dandam*
esse, *responderunt*.

Et sanè existentia primogenituræ illiusque
purificatio ad commodum Ducissæ Liviæ ex
judicatis Rotalibus supponenda venit: iden-
titas verò vinearum, ipsarumque subjectio
dictæ primogenituræ apertissime resultat ex
prænarrato Instrumento venditionis; in quo
1 facta designatione contradæ, describuntur
confinia; ex quibus convincitur identitas; &
ulterius eo ipso, quod constat fuisse concef-
2 sas in emphyteusim cum onere annui cano-
nis; cujus possessio appræhensa fuit per
Oeconomum appositum super omnibus bo-
nis primogenialibus; & deinde transitum fe-
cit in Ducissam Liviam; cui non fuerunt re-
stituta §, nisi bona primogenituræ subjecta;
quæ etiam præfatos canones tanquam in ista
compræhensos continuò exegit sciente sem-
per, & patiente D. Principissa Somneni; uti-
que controverti non potest qualitas primo-
genialis dd. vinearum: qua posita sicuti non
licuit Duci Philippo contra legem expref-
sam primogenituræ alienare arbores, & in
emphyteusim concedere fundum; etiamsi
contractus maximam præseferret utilitatem;
3 cum alienatio, sive commutatio redditunm
spectantium ad primogenituram fuerit pro-
hibita (sunt verba præcisa) *sub quovis ne-*
cessitatis prætextu, *ac etiam sub colore majo-*
ris, *indubitatique commodi*, *& Evidentis*
utilitatis; itâ permissum est Ducissæ Liviæ
4 ad primogenituram vocatæ agere contra
possessores bonorum primogenialium: ei-
demque propterea probatis omnibus extre-
mis negari non potuit immissio, *Rota coram*
Dunoz. jun. dec.846. num.4. cum seq. coram
Celso dec.108. n.1. & 2., *& dec.131. n.11.*; *&*
in rec. dec.168. n.379. par.11.

Non relevante, quod in ea non compræ-
hendantur bona; quæ potuissent imposterùm
acquiri à Duce Johanne Georgeo; cum ista
in instrumento erectionis primogenituræ
fuerint exempta: ideòque stante possibilita-
5 te, quod vineæ fuerint acquisitæ à dicto Du-
ce, non dicatur per actricem satis probata
illarum subjectio eidem primogenituræ;
quoniam Dux Johannes Georgeus volens uti
primogenitus exemplum aliis Fratribus ex-
hibere, statim, & incontinenti donavit, &
voluntarie omnia bona, quæ ad se in futurum
spectare poterant; eidem primogenituræ
ejusque vinculis, & conditionibus supposuit;
ideòque sive vineæ proveniant a Johanne
Georgeo, sive ab aliis primogenituræ con-
ditoribus; semper dd. bona remanserunt
primogenituræ subjecta: nec potuerunt à
Duce Philippo alienari.

Et quamvis replicaretur; quod dicta do-
natio esset restricta dumtaxar ad bona futura
habentia causam de præterito: & proinde in
ea dici non possent compræhensa bona; quæ
ex integro in futurum acquirere potuissent;
ut supponebatur firmatum fuisse in Decisio-
ne Reverendissimi Domini mei Decani edi-
ta die 11. Decembris 1699. super pertinentia
primogenituræ: adverterunt tamen DD.;
quod amplitudo verborum, quibus est con-
cepta præfata donatio, hujusmodi restrictio-
nem non admittit: quodque dicta decisio
contrarium non firmat; in illa enim dunta-
xat ponderatur factum conditorum primo-
geniture eximentium Johannem Georgium
ab onere subiiciendi ejus bona futura: sed
nihil dicitur circà factum ipsius Joannis Ge-
orgei posteà subsequutum.

Minùsque relevat; quod Ducissa Livia
exigendo canones etiam post motam litem,
6 ratificaverit contractum concessionis in Em-
phyteusim; itaut modo illum impugnare
non valeat; objectum enim duplici respon-
sione removetur; quarum prima est; quod
non probatur d. D. Ducissam habuisse scien-
tiam prædictæ alienationis: cum potuerit fa-
ciliùs credere; quod canones exigerentur
vigore concessionis antiquæ ab authoribus
possessorum reportatæ ante erectionem pri-
mogenituræ; itaut soli canones essent eidem
7 subjecti: quæ sola credulitas, & ignorantia
præsumpta excludit quamcumque ratifica-
tionem: cum in præjudicialibus ad illam in-
ducendam, non sufficiat scientia vaga, & ge-
neralis; sed certa, & indubitata requiratur;
ut generaliter habetur apud D.D., & præ-
sertim firmatum fuit *in Carpentoraten. Pa-*
rochialis de Mazan. 13. Februarii 1699.
§. Profectò coram R.P.D. Ansaldo, *& in*
Romana Transactionis 3. Junii 1702. §. In-
subsistens coram R. P. D. meo Caprera.

Secunda verò est; quod primogenitura
confirmata fuit a summo Pontifice in forma
spe-

specifica cum clausula sublata, & decreto
8 irritanti: ex quo sequitur; quod Duchissa in præjudicium successorum, actum contra formam primogenituræ gestum, approbare non valuisset; *Rota coram Bich.dec.559.num.*16., *coram Dunoz. Jun. dec* 946. *n.*10. & 11., & *coram Celso dec.*402. *n.*5.

Cetera, quæ dicuntur super assertis creditis spectantis ad Ducem Philippum contra Primogenituram; quia speciali indigent justificatione; de illis D.D. nullam habuerunt rationem.

Et ità suffragantibus omnibus utraque &c. resolutum fuit.

COLONIEN. TESTAMENTI.

Luna 23. *Junii* 1704.

ARGUMENTUM.

Testamentum vigore Cap. *Cum esses de Testamentis*, nisi fiat coràm Parocho, & duobus testibus non valet. Nec vigore Cap. *relatum eodem tit.*, nisi constet de voluntate disponentis, quæ non probatur ex unico religioso favore suæ Ecclesiæ deponentis, & ab aliis, ex quibus certa disponentis voluntas non resultat. Declaratio voluntatis defuncti quænam requisita exigat ad *Text.* in *L. Theopompus ff. de dote præleg.*; & quod etiam illa locum non habeat, cum ex circumstantiis suspecta redditur; declaratio, & distributio legatorum piorum in Tertii arbitrium remissa, ad *Text.* in *Cap. Cum tibi de Test.* quænam requirat?

SUMMARIUM.

1 *Testamentum* juxta Cap. Cum esses de testam., *ad validitatem necessariò requirit interventum Parochi, & duorum testium.*
2 *Testamentum ad pias causas spernens quascumque solemnitates, ut valeat, debet constare de voluntate, vel quia schedula sit à testatore exarata, vel saltem sit per duos testes verificata.*
3 *Testis unicus nihil probat.*
4 *Religiosus testificans pro sua Ecclesia nihil probat.*
5 *Voluntas testatoris non eruitur per Testes subscriptos post mortem ejusdem.*
6 *Præsertim si subscriptio facta fuit ex quo tantum audiverint à Testatore, se patefacisse alteri suam voluntatem*, & nu.7.
8 *Schedula à tertio confecta ad hoc ut valeat tanquam declaratio voluntatis testatoris exigit, ut facta sit cum juramento* ad L. Theopompus *ff.* de dot. præleg.
9 *Hujusmodi declaratio necesse est, quod aliundè sit probata.*
10 *Testes singulares nihil probant.*
11 *Schedula à prætenso fideicommissario facta, est suspecta, si à religioso favore suæ religionis longè post defunctum disponentem fiat.*
12 *Et si serotine, cum hæres institerit, producatur.*
13 *Et si constat disponentem dixisse, se velle condere testamentum post suam convalescentiam.*
14 *Text. in Cap.* Cum tibi de testam. *disponit, quod ubi agitur de Legatis piis committi possit declaratio, & distributio in arbitrium Tertii: sed non dat facultatem committendi substantiam dispositionis*, & nu. 15.

DECISIO CCCXXVII.

Gottardus Brauns absque ullo suæ ultimæ voluntatis elogio in Ven. Domo Canonicorum Regularium S.Antonii Viennen. diem clausit extremum: cumque Joannes, ac Theodorus illius nepotes, & hæredes ab intestato pecunias, aliasque res hæreditarias ejusdem sibi à Superiore dictæ Domus consignari petierint; iste non solum illas tradere recusavit; verùm eos quoque excludere satagit in vim cujusdam schedulæ à P. Gaspare Bardenhever ejusdem Domus Canonico Seniore de mandato defuncti (ut ipse asserit) exaratæ, & trium testium, post obitum tamen Gottardi subscriptione signatæ; in qua institutæ sint hæredes Ecclesia, & Domus prædictæ; solumque nonnulla legata consanguineis defuncti inveniantur relicta: quapropter nepotes, & hæredes prædicti judicium in tribunali Nunciaturæ Colonien. super nullitate testamenti introduxerunt; sententiamque favorabilem reportarunt: à qua impetrata pro parte præceptoris, suorumque Religiosorum commissione, mihique directa, contigit hodiè de more disceptari dubium -- *An constet de validitate testamenti* -- & DD. *negativum* dedere responsum.

Quoniam nullo jure allerti testamenti schedulam substineri posse visum fuit: non quidem ex dispositione *Cap. Cum esses de Testam.*; quia defecit interventus Parochi cum duobus, vel tribus testibus necessariò
1 ad validitatem actus requisitis; ut sunt clara verba Textus, & respondit *Rot. coram Cerr. dec.* 9. *nu.* 2., & *coram san. me. Alex.* 8. *dec.* 145. *nu.* 15., & *in rec. dec.* 404. *num.*4., & 5. *par.* 13., *dec.* 311. *num.* 2., & 3. cum aliis ibi allegatis: *nec vigore cap. relatum* il 1. *eodem tit. de Testam.* quod licet favore piæ causæ remittat quascumque solemnitates; attamen vult; quod indubitanter de voluntate
2 disponentis constare debeat; vel quia schedula ab eo exarata fuerit; vel saltem per duos testes verificata; ut ibi -- *tribus, aut duobus testibus requisitis*; & observat *Andreol. controv.* 356. *nu.* 7., & *seqq. Rota coràm Cerr. dec.* 511. *nu.* 16., & 17., & *coràm. Emerix jun. dec.* 665. *num.* 3.

De hujusmodi autem voluntate, nulla penitùs habetur justificatio: cum hæc quoad
3 disposita pendeat tantummodo ab assertione P. Bardenhever; qui tanquam unicus nihil probat; *Rota coràm Emerix jun. decis.* 89. *nu.* 3., & *seqq.*, & *dec*, 121. *nu.* 1. & *seqq.*:

4 ma-

4 maximè quia deponit pro Ecclesia; in qua
est Religiosus; ut advertunt *Rub. de Testam.*
cap. 14. nu. 199., & seqq. Cancer. var. resol.
par. 3. cap. 20. n. 86.: & quamvis una cum
ipso subscripti videantur tres testes; nihilominùs
5 nùs cum ex illorum depositionibus certa disponentis
ponentis voluntas non resultet; ideò nullius
efficaciæ esse dignoscuntur; & signanter, ex
quo iidem sub replicato examine ingenuè fatentur,
tentur, defunctum ipsis voluntatem suam minimè
nimè pandisse; & quod intantum dictam
schedulam subscripserunt; in quantum unus
6 ab illo audiverat; quod ipse mentem suam
super ultima voluntate dicto P. Gaspari patefecerat;
refecerat; eique facultatem illam exequendi
di dederat: reliqui verò dicunt ab asserto
7 testatore percepisse, quod dictus Religiosus
sus intentionem, omniaque ipsius negocia
sciebat: de cætero verò propriam ipsius P.
Gasparis conscientiam sequuntur; *ut ex Sum.*
Ecclesiæ rea num. 2., & seqq., & actorum
num. 5., & seqq.

Nec juvat recurrere ad *Text. in l. Theopompus ff. de dot. prælegat*; prætendendo, quod
illius vigore dicta schedula attendi debeat
tanquam declaratio voluntatis Gottardi, &
ab eodem commissa Gaspari: tum quia in
8 schedula non legitur; quod dicta declaratio
facta fuerit à P. Gaspare medio juramento;
prout requirit Textus prædictus; ad hoc,
ut hujusmodi declarationibus fides habeatur;
Barthol in dicta l. Theopompus nu. 7. ff. de
dot. prælegat. Alex. cons. 54. nu. 2., & in
rec. dec. 294. nu. 17. par. 14., tum etiam quia
9 necessarium videbatur; quod aliundè talis
declaratio dicti religiosi comprobata remaneret;
neret; quod in præsenti non videtur expletum:
tum: & si aliqua ejusdem probatio desumi
prætenditur ex depositionibus dd. Testium,
istæ, ultrà quod non merentur attendi; cum
10 ob singularitatem eorumdem non probent;
Menoch. de arbitr. cas. 99. num. 6. vers. est
ratio, Cancer. var. resol. cap. 4. de Testam.
num. 85., & 87. Rota coràm Merlin. decis.
277. num. 4., & 5., & coràm Emerix jun.
dec. 89. nu. 4., & in rec. dec. 588. num. 16.
par. 5.; adhuc illæ penitus elisæ remanent
ex quamplurimis circumstantiis in præsenti
hypothesi concurrentibus; quæ dictam declarationem
clarationem valdè suspectam reddunt; videlicèt;
licèt; quod dictus Religiosus schedulam extra-
11 ravit noonisi post plures dies ab obitu Testatoris,
statoris, favore sui Conventus, & Ecclesiæ,
ad exclusionem agnatorum, & cognatorum
12 præfati Gottardi; quodque illa solummodò
serotinè, & post plures menses in judicio
fuerit per Religiosos exhibita, quamvis acriter
ter à consanguineis hæredibus ab intestato
pulsatos: tum demùm, quod idem Gottar-
13 dus protestatus fuerit, se velle condere
testamentum post suam reconvalescentiam;
ut deponit unus ex Testibus *Summ. actorum*
nu. 7. lit. B.: quod videtur excludere facultatem
tatem Gasparis circa institutionem hæredis,
& confectionem ultimæ voluntatis.

Multoque minus ad substinendam præfatam
tam schedulam asserti testamenti allegari
merebatur dispositio alterius *Text. in cap.*
cum tibi de Testam.; ibi enim decernitur
quidem; quod ubi agitur de Legatis piis;
14 committi possit declaratio, & distributio in
arbitrium tertii; nunquam tamen datur facultas
cultas committendi ipsam substantiam dispositionis;
sitionis; ut optimè distinguendo materiam
declarat *Rot. dec. 179. nu. 9., & seqq. par.*
6. rec.: quamobrem, donec constet aliundè
de voluntate dispositiva Testatoris; cujus
certè nulla usque modo datur declaratio; ut
supra dictum fuit; superfluum est insistere in
dispositione præfati Textus; qui solùm sibi
locum vindicare posset; ubi ageretur de me-
15 ra facultate declarandi voluntatem patefactam,
ctam, & distribuendi bona; ut illum explicando
cando monent *Rub. de Testam. cap. 50. num.*
58. cum seq. Pignatell. consult. 79. num. 3.
tom. 10., & Castill. contr. jur. lib. 2. cap. 6.
num. 51., & 52.

Et ità utraque &c.

HIPPOREGIEN. BENEFICII.

Lunæ 23. Junii 1704.

ARGUMENTUM.

In Beneficiis attenditur ultimus status, olsi probetur anterior per Instrumentum publicum, remjudicatam, vel partis confessionem, vel per alias concludentes probationes.

SUMMARIUM.

1 *Ad tuendum possessorem in beneficio, satis est status beneficii observatus per 50. annor.*
2 *Limitatur si in contrarium probatur status anterior per Instrumentum publicum, vel rem judicatam, vel partis confessionem.*
3 *Enunciativæ non æquipollent Instrumento, & rei judicatæ.*
4 *Maximè si patiuntur exceptiones.*
5 *Præscriptio in beneficialibus concludenter debet probari: & hæc probatio quomodo fiat?*
6 *Maximè si ultimus status probetur per triennalem renunciantis, & pacificam ejus possessionem per quadraginta annos in contrarium.*

DECISIO CCCXXVIII.

INtrare arbitrium pro retardatione literarum Apostolicarum, quæ à S. Sede obtinuerat Joseph Matthæus Pastoris, responsum fuit coram R. P. D. meo Muto sub die 11. Februarii, proximi præteriti, & subinde lata sententia, hodie in gradu appellationis coram Me pro confirmatione illius, prodiit resolutio.

Ratio decidendi fuit eadem, quæ in præcedenti instantia; ex quo in hodierna audientia dictus Joseph informare recusaverit quapropter, cum nihil contra fundamenta præteritæ resolutionis deduceret; D.D. iterum

rùm ponderantes, quod ille, beneficium
controversum impetravit cum supposito,
quod ageretur de Beneficio regulari solito
in commendam dari; & proinde collationes
præcedenter fani à Nuncio Taurinen., quam
à Sede Apostolica tanquam de seculari, essent
nullæ, responderunt, quod suppositum
dicti Josephi Matthæi nullo modo subsistit,
& in contrarium pro sæcularitate beneficii
stet ulterior status spatio 52. annorum observatus,
qui sufficit ad tuendum possessorem,
reservata ulteriori discussione ad alias vaca-
1 tiones; ad plenè firmata per *Rot. decis. 215.
n. 2. par. 2., & dec. 63. n. 23. par. 11. rec. & in
Barchinonen. Parochialis del Prat. 2. Decembris
1695. §. Minusque coram bonæ memoriæ
Ursino.*

Licet autem limitetur conclusio; quoties
constat de statu anteriori, tamen hoc procedit,
si adducatur ad istum effectum vel pu-
2 blicum instrumentum, vel res judicata, vel
partis confessio: quæ omnia in præsenti deficiunt,
cum ut bene advertitur *in dicta Decisione
coram R.P.D. meo Muto*, fuerint dumtaxat
exhibitæ quædam enunciativæ; quæ
certè dd probationibus non æquipollent:
4 maximè quia patiuntur validissimas exceptiones
in præfata decisione ponderatas.

Ideoque non relevat; quod etiam quandoque
ulterior status non fuerit admissus; si
alter contrarius fuisset legitimè præscriptus;
nam vis stat in probatione hujusmodi præscriptionis:
pro qua non solùm enunciativæ
5 nullam patientes exceptionem, sed etiam
depositiones testium, & alia valide concludentia
adminicula ponderata fuere; itaut
semper recurrat responsio; quod istis non
concurrentibus, in hac facti specie præscriptio
probata dici non potest: imò cum Ludovicus
præter ultimum statum 52. annorum
6 pro sæcularizzatione adducat etiam depositiones
testium illam comprobantium; &
ostendat sibi resignatum fuisse beneficium ab
eo; qui non solum fuit triennalis possessor;
sed ulterius per 40 annos pacifice retinuit:
& utroque fundamento potest in præsenti se
tueri, ut latè firmatum fuit *in dicta decisione
edita coram R.P.D. meo Muto*.

Et ita unica &c.

ROMANA DONATIONIS.

Ven. 27. Junii 1704.

ARGUMENTUM.

Hæres fideicommissarius persequitur bona subrogata in locum fideicommissariorum, cui datur immissio non obstante exceptione detractionis legitimæ, quæ non fit in fideicommisso particulari, nisi in subsidium, & melioramentorum concludenter non probatorum.

SUMMARIUM.

1 *Appellatione nepotum veniat etiam fœmina.*
2 *Pars proemialis donationis totam donationem declaret.*
Decisiones de stylo Rotæ supponuntur.
3 *Bona empta ex pretio bonorum fideicommissariorum in eorum loco censentur subrogata, & sumunt eamdem naturam illorum.*
4 *Identitas bonorum probatur ex combinatione confinium expressorum in Instrumentis venditionum.*
5 *Hæres non habet plus juris, quam suus auctor.*
6 *Redemptio domus facta cum cessione jurium tàm ad effectum agendi, quam se confovendi in possessione, dici non potest simpliciter facta, prout ad vitam alicujus fuerat prius empta, sed totaliter acquisita.*
7 *Legitima non detrahitur de fideicommisso particulari, nisi doceatur de Inventario.*
8 *Præsertim si fuerint relicta plura bona libera, donec de illis non fuerit reddita ratio.*
9 *Pro melioramentis non datur retentio, quando rectè non sunt probata, nec probatum sit quid impensum, & quid melioratum.*
10 *Cautio tamen est præstanda, in casu liquidationis, de illis reficiendis.*

DECISIO CCCXXIX.

INter cætera bona, quæ Laura Epiphania donavit propriis filiis, & nepotibus masculis, & in illorum defectum filiabus fœminis, aliisque per fideicommissum vocatis; compræhendebatur Domus posita in Regione Arenulæ, per ipsam postea in dotem Andreæ Cipriano viro tradita: verùm quia vigore retractus intentati ab Archiconfraternitate Sanctissimæ Trinitatis pro ampliatione ejus Hospitalis, fuit coacta illam vendere cum obligatione investiendi pretium: hinc; quia præcedenter Andreas Ciprianus dictæ Lauræ Maritus aliam Domum propriam vendiderat cum pacto redimendi Francisco Longhetto; pretium è Domo retracta obventum, in redemptionem dictæ Domus eadem Laura implicavit; illiusque dominium acquisivit.

Hoc tamen non obstante Fratres de Ciprianis domum præfatam sic redemptam vendiderant Septimio Ciccolino; à quo devenit in Monasterium S. Luciæ in Silice dicti Septimii hæredem. Interim cum per obitum filiorum masculorum fideicommissum in donatione constitutum, favore Lauræ Junioris de Sevarellis neptis ex filia dicti fideicommittentis purificatum fuerit; obtinuit ista ab A.C. immissionem ad d. Domum; quam pariter coràm me in gradu appellationis, disputato congruo dubio, reportavit.

Constat enim de fideicommisso ex ipsa lectura donationis; de cujus insinuatione non dubitatur: quodque purificatum extiterit favore dictæ Lauræ; resultare visum fuit, ex quo ibidem Laura expressit se exoptare; ut bona perveniant ad ipsius filios; & post filios ad nepotes, vel in defectum ipsorum ad Constantiam ejus germanam sororem, & postea ad illius filios: ex quibus patet; quod Lau-

Laura Actrix fuit litteraliter compræhensa;
1 cum & illa veniat appellatione nepotum; ut
advertunt *Roland. conf.* 82. *num.* 34., *&* 35.
lib. 3. *Peregr. de fideicom. art.* 25. *nu.* 1., *&*
seqq. Fusar. de substitut quæst. 311. *num.* 7.
Rota coràm Emerix dec. 437. *nu.* 1., *&* 12.,
& dec. 485. *num.* 1.
Et quamvis supradicta donatrix suis filiis
decedentibus sinè filiis, eos invicem substi-
tuerit; & in casu contrario deficientiæ cum
filiis post istorum obitum vocaverit proprias
filias fœminas, & neptes: undè inferebatur,
quod Actrix non possit ad successionem aspira-
re tanquam solùm in hac secunda substitutio-
ne compræhensa; cujus casus non evenit,
dum primus filius donantis sinè filiis decessit;
attamen quia in parte prooemiali apertè, ac
simpliciter declaraverat suam intentionem;
quod bona pervenirent ad filios, & successi-
vè ad nepotes; ità compræhendendo utrum-
que casum obitus cum filiis, vel sinè filiis,
omnis dubietas, quæ in subsequenti parte
adesse posset; hic satis sublata remanet pro
compræhensione Lauræ; prout aliàs ponde-
2 rato totius donationis contextu ejus favore
responsum fuit *in Romana Associationis* 27.
Novembris 1697. §. *Et frustrà coràm R. P.*
D. meo Pio; quæ Decisio etiam venit suppo-
nenda juxtà stylum nostri Tribunalis, de
quo *Rota coràm Emerix Jun. dec.* 1259. *n.* 1.,
& in rec. dec. 189. *num.* 8. *par.* 11., *& dec.* 34.
num. 2. *par.* 17.
Posita ex prædictis purificatione fidei-
commissi facile fuit ostendere quoque identi-
tatem Domus; nàm licèt hæc non sit eadem;
quæ fuit in donatione compræhensa; tamen
cum fuerit empta ex pretio ab illa retracto;
utique remansit in omnibus, & per omnia
illius loco subrogata: & consequenter habe-
3 ri debet; ac si esset expresè in instrumento
donationis compræhensa; *Surd. dec.* 208.
nu. 12., *Rota coràm Emerix Jun. dec.* 446.
nu. 7., *& in rec. dec.* 65. *nu.* 15., *&* 19. *par.*
9., *& dec.* 191. *num.* 13., *& seqq. par.* 13..
Absque eo quod dubitari possit; quod Do-
mus super qua petitur immissio; sit illamet,
quæ fuit redempta per Ciprianum, & alte-
rius loco subrogata, cum concordet in re-
gione Arenulæ, in via publica, & in alio
confine Camilli Comestabilis, ut ex combi-
natione instrumentorum tàm venditionis
cum pacto redimendi de anno 1607. factæ à
Cipriano, quàm redemptionis ejusdem Do-
mus, & successivè alterius venditionis favo-
4 re Ciccolini Authoris Monasterii rei conven-
ti, *ut in Summ. Lauræ nu.* 3., *et seqq.*: ex
quibus omnibus clara identitatis probatio
desumitur; *Alex. conf.* 73. *nu.* 6. *lib.* 3. *Soc-*
cin. Jun. conf. 89. *nu.* 1. *lib.* 1., *Rota coràm*
Cavaler. dec. 311. *nu.* 4., *& coràm Bich. dec.*
501. *nu.* 5.
Nec refert; quod Longhettus, à quo Lau-
ra dictam Domum acquisivit; illam emerit
5 ad vitam Andreæ, & Marci Antonii de Ci-
prianis; ideòque, cum illa plus juris non
habebat, quàm Longhettus; prædictam Do-
mum eodem modo, non autem perpetuò ac-
quisivisse dicatur. Quoniam redemptio non
fuit facta cum iisdem conditionibus, sed cum
cessione jurium ad favorem mulieris: unde
cum inter jura cessa, acquisita fuerint credi-
ta pretii Domus, & Societatis officii, tàm
ad effectum agendi, quàm ad effectum con-
fovendi eamdem in possessione, *ut in ejus*
Summ. nu. 5., dici utique non potest ipsam
6 Domum simpliciter redemisse; sed sibi to-
taliter acquisivisse.
Minusque obstàre potest exceptio reten-
tionis per Monasterium opposita ex causa
Legitimæ Caroli Alexii, & Annæ Mariæ;
quoniam donatio prædicta est particularis,
non autem universalis: quo stante Legitima
detrahi nequit de bonis à Laura senio-
ri donatis, ac particulari fideicommisso sup-
7 positis; nisi doceatur de inventario; *Menoch.*
conf. 401. *nu.* 138. *Honded. conf.* 61. *nu.* 11.
& 12. *lib.* 2. *Rota coram Bichio dec.* 608. *nu.*
15. *& in rec. dec.* 47. *nu.* 2., *& seqq. par.* 5.:
potissimum, quia Donatrix plura bona libe-
ra sibi ad effectum testandi reservavit, undè
donec, & quousque de illis non reddatur
8 ratio; non potest Legitimæ detractio præ-
tendi; ut advertunt *Cyriac. contr.* 5. *nu.* 97.,
& 101., *Gratian. discept. foren.* 570. *nu.* 19.,
& 20., *Barz. dec.* 105. *nu.* 23. *in fin. Rot.*
coràm Bich. dec. 278. *nu.* 16., *&* 17., *& in*
rec. dec. 77. *nu.* 2., *&* 3. *par.* 5.
Quò verò ad melioramenta; cum non re-
periantur validis justificata probationibus;
nec in specie probetur quid melioratum, &
9 quid impensum; ideò ex hac causa retentio-
nem concedi non posse visum fuit: demanda-
runt tamen præstari cautionem de illis refi-
10 ciendis in casu liquidationis; quàm Laura
Actrix præstare jam se promptam exhibebat.
Et ità utraque &c.

ROMANA SEU' SUTRINA LIBERA-
TIONIS A' MOLESTIIS

Ven. 27. *Julii* 1704.

ARGUMENTO.
Non indiget.

SUMMARIUM.

1 *Clausula* -- legitime spectan., & pertinen. --
est restrictiva ad ea, quæ spectant ad con-
trahentem, exceptis aliis.
2 *In venditione comprehensa tantum dicuntur*
jura ad venditorem spectantia, & non
alia, sive emptor sciat, sive non.

DECISIO CCCXXX.

EXcitavit Communitas Terræ Triboniani
controversiam in Sac. Congregatione Bo-
ni Regiminis contra cl. mem. Ducem Flavium
Ursinum super jure pascendi cum propriis
animalibus in ejusdem Territorio: causaque
à plena Signaturà remissa fuit ad A.C. de vo-
to Rotæ; quæ coram bon. mem. Emerix
die

die 26. Januarii 1688. respondit, nulla pascua competere Communitati, ultra indigentiam pro animalibus hominum, *ut in decis.* 804. *inter ejus impress.*

Interim, quia urgentibus creditoribus Ducis Flavii, & Principis Lelii fratrum de Ursinis, mediante Chirographo speciali Sa. me. Innocentii XII. vendita fuit prædicta Terra Marchioni Francisco Grillo -- *cum aliis supra venditis &c. ad dictos fratres de Ursinis, ac eorum authores, & ad dictam Terram tàm de jure, quam de consuetudine, & alias quomodolibet, & quovis jure, & titulo, ac causa legitimæ spectantium, & pertinentium, & quæ spectare, & pertinere possunt quomodolibet in futurum* -- hinc absoluto contractu venditionis, homines dictæ Terræ eamdem litem, quam contra Ducem Flavium inceperant; prosequentes contra dictum Marchionem emptorem, cor. Rmo D. meo Decano suffecto in locum defuncti Collegæ obtinuerunt sub die 26. Junii 1697. decisionem confirmatoriam præcedentis resolutionis, & successive pro usu animalium dd. hominum subministrari quotannis rubra 300. circiter pascuorum.

In hoc statu supponens Marchio prædictus fuisse sibi præfatam pascuorum quantitatem evictam calculando illorum valorem in scutis 750. annuis ad rationem scutor. 2. 50. pro quolibet rubro, intentavit coram A.C. actionem quanti minoris contra Principissam Mariannam de la Tremoille hæredem Ducis Flavii venditoris pendente lite defuncti; allegando, quod sibi restituendum foret pretium; quod dd. fructibus correspondere: sed quia succubuit mediante sententia absolutoria lata ad favorem dictæ Principissæ; in gradu appellationis coram me disputatum hodiè fuit dubium -- *an, & ad quæ teneatur d. Principissa Marianna dela Tremoille* --, & ad nihilum teneri, *responsum fuit.*

Etenim cum perfectis tam Chirographo san. mem. Innocentii XII., quam instrumento stipulato super venditione dictæ Terræ, utriusque verba fuerint restricta ad pascua, & jura; quæ ad Ursinos spectabant, & pertinebant; atque in futurum spectare, & pertinere poterant; eo ipso, quod ex dispositione statuti ejusdem loci, permissum erat venditoribus disponere tantum de pascuis; quæ superessent ultra quantitatem necessariam pro usu omnium animalium dict. Communitatis, & hominum; exinde sequitur; quod Marchio, qui jam illa consequutus fuit juxta tenorem instrumenti emptionis; & obtinuit totum id, quod in eodem continentur, licet consequi non potuerit ea, super quibus Communitas habet usum prædictum; cum verba illa -- *legitime spectantibus, & pertinentibus* - istis exceptis, ad alia restringat; *Glos. in Clem.* 1. *verb. dignitati-*
1 *bus de Præbend.*, & aliis relatis probat; *Surd. cons.* 127. *num.* 46., *& seq., & cons.* 135. *num.* 101. *cum seq., Rota coram Coccin. decis.* 2017. *num.* 23., & 24.

Cessatque omnis actio circa prætensam evictionem rubr. 300. quoties enim author Principissæ non vendidit illam pascuorum partem, quæ ad homines spectare poterat, sed eam tantum alienavit, quæ ad ipsum spectabant; dum ista remanent in posse emptoris; evictionis instantia prorsus extranea convincitur; ut de per se paret.

Non relevante, quod tam fratres de Ursinis, quàm œconomus à Congregatione Baronum deputatus, aliquando locaverint omnia, & integra pascua prædicti Castri absque hominum participatione, proindeque de facili crediderit emptor fuisse integre vendita; maxime quia compræhensa fuerunt etiam ea, quæ de usu, & consuetudine spectabant ad memoratos Fratres de Ursinis, nec ipse notitiam haberet juris competentis Communitati, & hominibus prædictis: etenim, cum hærbarum locatio evenire potuerit, vel ex quo tunc temporis animalia non haberent; vel quia nollent tunc pascuis uti, non inde sequitur, quod Marchio emptor exercere modo valeat actionem quanti minoris pro pascuis spectantibus ad communitatem quorum notitiam non improbabiliter dici potest habuisse; tum quia adest statutum cōcessivum dicti juris: tum quia venditionem dictæ Terræ præcesserat decisio nostri Tribunalis quam Communitas obtinuerat super competentia juris pascendi: semperque demum recurrit
2 fatalis responsio; quod sive sciverit, sive non cum in venditione compræhensa solum fuerint pascua, quæ tantummodò ad venditores spectabant; nihil ultra ea prætendere valet.

Et ità utraque &c.

NULLIUS PROVINCIÆ BURGEN. JURISDICTIONIS.

Lunæ 27. Julii 1704.

ARGUMENTO.
Non indiget.

SUMMARIUM.

1 *Jurisdictio ordinaria Abbatis habentis territorium separatum, sede vacante devolvitur ad capitulum, sive ejus provisorem.*

2 *Provisor defuncto Abbate omnimoda ejus jurisdictione potitur.*

3 *Mandatum ab Episcopo obtentum super manutentione in quasi possessione exercendi plenariam jurisdictionem in territorio separato Abbatis, Episcopo non suffragatur, si à Papa fuit injunctum ne eo uteretur.*

4 *Amotio Beneficiatorum, & confessorum ad nutum amovibilium pendet ab ordinaria jurisdictione.*

5 *Capitulum Sede vacante succedit in omnibus, quæ ab ordinaria jurisdictione dependent.*

DECI-

DECISIO CCCXXXI.

Capitulum Ecclesiæ collegiatæ Oppidi de Cavarruvias, ejusque provisor pro tempore exercere cupientes Sede Abbatiali vacante jus visitandi Parochialem Ecclesiam S. Thomæ, illiusque personas, ac removendi beneficiatos dictæ Ecclesiæ ab exercitio curæ, aliosque deputandi, necnon revocandi licentias audiendi confessiones, novasque concedendi, devenerunt ad actualem revocationem licentiæ audiendi Confessiones Beneficiatis concessæ; qui sumpta occasione controvertendi hujusmodi Jurisdictionem, ab Abbatem postmodum electum provocarunt: iste autem concessa Capitulo manutentione in possessione Jurisdictionis, & juris visitandi Ecclesiam, ejusque personas, denegavit facultatem examinandi, & approbandi Beneficiatos alias ab Abbatibus pro administratione Sacramentorum approbatos: interposita autem Appellatione hinc indè ad Reverendissimum Nuncium Hispaniarum; iste sententiam Abbatis in prima parte confirmavit, in altera verò revocavit; concedendo manutentionem super omnibus à Capitulo, & provisore, ut secuta petitis: cumque iterum appellaverint Beneficiati prædicti; causamque appellationis prosequi non curaverint; hinc ad instantiam tantum Capituli, & Collegiatæ super prædictis examinandum proposui dubium; quod fuit pariter in omnibus *affirmative*, Capitulo tantùm informante, resolutum.

Quoniam pro eo, quod respicit jus visitandi Ecclesiam S. Thomæ, illiusque personas; disputatio nullam ingerit difficultatem; quia cum Abbas dictæ Collegiatæ Territorium habeat separatum, & intrà illud ordinariam Jurisdictionem exerceat; quemadmodum exindè ipsi competit jus visitandi dictam Ecclesiam, quod est de ordinaria Ju-
1 risdictione; ità pariter illud Sede Abbatiali vacante spectare debet ad Capitulum, seu ejus provisorem; qui vacatione secuta omnimoda Jurisdictione potitur, ut in specie fir-
2 matum fuit *per Rotam super eadem controversia inter dd. partes alias usq; de an. 1611. excitata, juxta decisionem impress. 346. per tot. par. 1. rec.*, & generaliter est *Text. expressus in cap. Eccles. de supplen. neglig. Prælat., Barbos. de Offic., & potest. Episc. par. 3. alleg. 133. per tot., & de Canon., & Capit. cap. 42. num. 68. Formosin. in tract. de Capit. Sed. Vacan. quæst. 12. num. 5., Antonel. de Regim. Eccl. lib. 4. cap. ult. §. 2. n. 4., & 5.*

Non obstat objectum alias in dicta disputatione anni 1611. excitatum, & quod forsan hodie repeti posset; innixum in quodam Mandato de manutenendo in quasi possessione exercendi plenariam jurisdictionem; quod dicitur alias ab Archiepiscopo Burgen. obtentum fuisse: quippe quia illud aboletum, & sublatum remansit ex Brevi Gregorii XIV.; in quo post narrativam, quod Abbatia nullius sit Diœcesis; rescriptum
3 fuit eidem Archiepiscopo; ne dicto mandato uteretur, sed Abbatem in ejus quasi possessione exercendi omnimodam Jurisdictionem præservaret, ut advertitur *in dicta dec. 346. par. 1. rec.*

Ex his promanat resolutio quoad remotionem Beneficiatorum ab exercitio Curæ, aliosque deputandi, & facultatem revocandi licentias audiendi Confessiones, novasque
4 concedendi; cum enim Benefiati, & Confessarii prædicti sint ad nutum amovibiles: & amotio pendeat ab ordinaria Jurisdictione; utrumque per consequens poterit expleri à
5 Capitulo, quod in eadem Jurisdictione succedit; *ut est Text. in Clem. Stat. de Elect., ibique Zabarell., idemque Zabarell. in Clem. in Agro §. Abbates num. 3. de stat. monach.*, & pluribus relatis *Formosin. ubi suprà quæstion. 12. num. 5., & 6., Pignattell. Consult. Canon. nu. 1. ad 5. tom. 11., Ricc. in prax. for. Eccles. par. 1. resol. 316. n. 7.*

Et ità, unica &c.

ROMANA TENUTÆ CAMPI SALINI.

Lunæ 30. Junii 1704.

ARGUMENTUM.

Alienatio bonorum universitatis facta à majori parte, non vitiatur per dissensum minoris partis, maxime stante utilitate; prælatio non competit alicui ejusdem Universitatis, nisi habeat condominium, & consortium, vel cum illo sciente, & patiente, locatio fuit perfecta. Commissio quomodò efficiatur communis? & quando defectus productionis non sit rigidè criticandus.

Revocatur infrà dec. 357., & 381.

SUMMARIUM.

1 *Collegialitas ex quibus arguatur?*
2 *Gesta à majori parte, a tota Universitate gesta dicuntur, itaut minoris partis dissensus non annullet contractum.*
3 *Amplia concurrente utilitate.*
4 *Utilitas probatur ab augmento redditutum, & pensionum, & aliis* sub n. 5.
6 *Alienationem rei communis indivisibilis in qua quisq; ex participantibus habet suam portionem fructuum, dissensus unius non vitiat.*
7 *Prælatio non competit non habenti titulum condominii, & consortii.*
8 *Simplex participatio, & fruitio fructuum rerum Universitatis spectans non ad singulos uti singulos, sed ut constituentes collegium, nullum jus tribuit pro obtinenda prælatione.*
9 *Sciens interpellatus, & patiens locationem rerum sibi cum alio communium non potest postea prælationem petere.*
10 *Commissio fit communis mediante citatione* ad dicendum contra.
11 *Et per comparitionem alterius partis coram judice.*
12 *Instrumenti confessio oritur ex instantia partis*

partis facta super invaliditate illius.
13 *Defectus productionis instrumenti non est
rigidè criticandus, cum ipsa pars ipsum
confessavit, & illud ab altera fuit exhibitum, & facta oblatio producendi.*

DECISIO CCCXXXII.

Tenuta Campi Salini, quæ ab immemorabili tempore possidetur a Collegio, & universitate laicorum, modo composita ex duabus Romanorum familiis nuncupatur de Feudis, & de Quinque; in locationem perpetuam concessa fuit R.P.D. Carolo de Marinis meritissimo Causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, ad effectum illam expurgandi ab aquis stagnantibus, & ad culturam reducendi, pro annuis sc. 650., cum obligatione solvendi in actu ingressus sc.300., & in posterum omnia onera taxarum, & alia super eadem Tenuta imposita, & imponenda: cum autem Paulus de Quinque unus de dicto Collegio, qui celebrationi recensitæ locationis assensum præstare recusavit judicium intentasset coram R.P.D. Zauio Vicesgerente Eminentissimi D. Card. Vicarii tàm super rescissione contractus, quàm super prælatione, & contrariam sententiam passus fuisset; ad illius instantiam commissa mihi appellationis causa, dubium hodiè proposui; *An contractus perpetuæ locationis substineatur; & an sit danda prælatio Paulo de Quinque — & affirmativa quoad primam partem, negativa quoad secundam,* prodiit resolutio.

Præmissa enim probatione Collegialitatis
inter dd. familias; quæ convincitur tàm ex
retentione arcæ communis, & deputatione
mandatarii, qui participantes convocat; Se-
cretarii, qui actus Collegiales registrat, &
Antianorum, qui totam universitatem repræ-
sentant, quàm etiam ex antiquis, & moder-
nis denominationibus; quibus participantes
vocantur de Collegio Campi Salini, & inter
quos nemo admittitur, nisi sit de familiis de-
signatis: quæ omnia Collegialitatem patefa-
1 ciunt; ad tradita *per Corrad. prax. benef.
lib. 2. cap. 9. num. 35., Rota coram Greg.
dec. 482. num. 4., coram Mantic. dec. 175.
num. 1., & coram Buratt. dec. 457. post n. 5.*

Locationis firmitas resultat ex eo, quod
facta legitur à majori parte Collegii, ad
quod spectat tenuta: & quamvis ejusdem
stipulationis solùm Paulus intervenire recu-
saverit; illius singularis dissensus non potest
hujusmodi actum invalidare, cum in rebus
Collegialibus, & tangentibus singulos, non
uti singulos, sed uti universos; major pars
trahat minorem; & gesta à majori numero,
2 à tota universitate gesta dicantur; *ad Text. in
l. quod major pars ff. ad municipal., l. Juris
gentium §. Hodie, & l. Rescriptum ff. de
pactis, l. nominationum Cod. de Decurioni-
bus lib.* 10. & unanimiter probant *Gratian.
disc. forens. cap. 721. num. 16. 17. Cobell. ad
Bull. Bon. Regim. cap. 31. num. 136., Rota
coram Coccin. dec. 1784. per tot., & coram
Buratt. dec. 573. num. 14., & seq., & in
rec. dec. 459. num. 3., & 4. par. 18. tom. 2.,
& dec. 84. post num. 9. par. 19.*

Sinè difficultate, quando, ut in præsenti
3 concurrit utilitas; non solùm quia tenuta,
quæ alias concedebatur pro annua pensione
sc. 450. locata fuit pro annuis sc. 650., cujus
4 pensionis augumentum, utilitatis probatio-
nem præseferre, ait *Gratian. disc. 752. n. 18.
& 19. cum seq., Rota dec. 692. num. 4., & 6.
par. 1. rec.*; verum etiam ex eo, quod R.P.D.
de Marinis conductor reportavit facultatem
propriis sumptibus bonificandi tenutam sinè
spe repetitionis, & illam ab aquis stagnan-
tibus expurgandi; suscepitque in se onus sol-
vendi taxas super eadem impositas, & im-
ponendas: quæ omnes pactiones tàm sejun-
ctim, quam unitim consideratæ perspicuam
5 utilitatem involvunt, ut firmavit *Rota in
Romana Affictus 5. Octobris 1703. §. Qui-
nimmo coram R.P.D. meo Muto.*

Maxime quia, præter prædicta concurrit
etiam, quod tenuta commodam divisionem
non patitur; qua stante circumstantia, regu-
la est, quod in re indivisibili, in qua quili-
bet ex participantibus habet suam portio-
nem eventualem fructuum; dissensus unius
alienationem rei communis non vitiat: ne ità
impedita remaneat aliorum libertas circa
6 usum, & dispositionem rei ad ipsos spectan-
tis; *ad Text. in l. siquis putans 6. §. Sive
autem ff. com. divid., & Theoricam Bar-
tol. in l. & hæc distinctio 28. §. Cum fundum
ff. locat. Felic. de Societate cap. 28. num. 35.,
ac seq. Michalor. de Fratr. par. 3. cap. 36. n. 2.,
& 3., Rota coram Bich. dec. 452. n. 23., &
plene in dicta Romana Affictus §., & demum.*

Descendendo autem ad alteram Dubii
partem, quæ respicit prælationem à Paulo
petitam; eam DD. nullo modo competere
censuerunt; tùm quia Paulus non habet ti-
tulum Condominii, & consortii; quod de
jure est necessarium pro assequenda prælatio-
ne; *Corrad. de Prælation. quæst. 34. nu. 25.
7 Fenzon. ad Stat. Urb. lib. 1. cap. 110. nu. 1.,
Adden. ad Buratt. dec. 520. num. 13. Rota
coràm Merlin. dec. 42. num. 1.*, sed simpli-
citer participationem fructuum, eorumque
fruitionem, quæ cum spectet non ad singulos
uti singulos, sed uti constituentes Collegium;
nullam actionem subministrat ad effectum
prædictum; *Bartol. in l. Dudum n. 13. Cod.
8 de Contrahen. emption., Castill. de usufruct.
cap. 74. num. 44.*, & reprobatis contrariis
Corrad. de Prælat. quæst. 34. nu. 28., & 29.,
tum etiam quia, cum Paulus fuerit interpel-
latus, & positive vocatus ad celebrationem
instrumenti locationis, ac etiam passus fue-
rit eamdem perfici ad commodum R. P. D.
de Marinis, absque eo quod accessetit ad
Congregationem, & tàm in ea quàm in ce-
lebratione instrumenti locationis se opposue-
rit, ideoque, dùm eo sciente, & patiente
9 hujusmodi actus completus, & terminatus
fuit, non potest hodie ad petitam Prælatio-
nem admitti.

Minus-

Minusque ad retardandam causæ resolutionem prodesse valuerunt geminæ exceptiones promotæ, altera circa defectum jurisdictionis nostris Tribunalis, ex quo commissio obtenta per eumdem Paulum non fuit effecta communis mediante citatione ad dicendum contra, minusque obtenta nova commissio per R. P. D. de Marinis: altera, ex quo tàm coram Vicesgesente, quàm in nostro auditorio productum non fuit instrumentum locationis: quoniam respectu primæ non deest citatio ad dicendum contra
10 commissionem ex parte R. P. D. Caroli de Marinis executa, quinimò accedit, quod ipsemet Paulus coram Me judicialiter com-
11 paruit, itàut quicumque defectus, si adesset, sanatus remanserit, & dicta commissio communis effecta fuerit, *Scacc. de Judic. lib. 1. cap. 101. sub num. 19., Barz. dec. 154. nu. 7. Rot. cor. Bich. dec. 136. nu. 10.*

Respectu vero secundæ, ultrà quod opus non erat exhibere instrumentum locationis, eo ipso, quod de illo expressa mentio facta fuerat in monitorio per Paulum expedito; cum ipse coram Vicesgesente dictæ locationis validitatem impugnaverit, & quod ma-
12 gis est, quatenus validum fuisset, petierit prælationem: ex hujusmodi instantia oritur confessio instrummenti, circa cujus productionem non est ita rigidè procedendum:
13 maxime quando, ut in præsenti, fuit exhibitum, fuitque facta oblatio illud producendi.

Et ità &c. informante R.P.D. de Marinis: Paulo verò, ut supra excipiente, resolutum fuit &c.

ALBANEN. DONATIONIS.

Lunæ 30. Junii 1704.

ARGUMENTUM.

Ex statuto Urbis in contractibus mulierum, requiritur præsentia proximiorum, qui si absint interpellandi sunt cum expressione causę, & expectandi sunt per aliquod breve tempus, quo non facto, non convalidatur contractus per præsentiam duorum ex Prioribus loci in locum illorum suffectis. Præsertim cum proprius judex noluit decretum interponere, & alias conjicitur circumventio valde senis mulieris donantis.

SUMMARIUM.

1 *Donatio facta absque causa necessaria, vel utili, & sine solemnitatibus non sustinentur.*
2 *Causa dotis, ut contrahatur Matrimonium, quando jam fuerat constituta dos solitum regianis excedens, non dicitur causa justa donationis.*
3 *Nec causa Matrimonii, quando sine illa perfici debuisset.*
4 *Ad validitatem contractus Mulieris requiritur præsentia ejus consanguinei proximioris.*
5 *Statutum Urbis in contractibus Mulieris requirit præsentiam proximioris, & quod intimetur illi contractus cum expressione causæ, si sit absens, quo casu debet per aliquod breve tempus expectari; juncto nu.6.*
7 *Præsentia duorum ex Prioribus Loci in contractibus Mulierum illud non convalidat, nisi præcesserit intimatio Proximiorum, qui noluerint, vel non potuerint, expectato brevi tempore, intervenire.*
8 *Maritus non potest authorizare donationem factam Uxori.*
9 *Collusio in contractu Mulieris manifestè conjicitur, si proprius judex, cui nota erat illius imbecillitas, noluit decretum interponere, ad quem effectum vocatus fuit alius judex penitus inscius.*
10 *Donatio quando dicatur nulla, & per circumventionem obtenta à valde seni Muliere?*

DECISIO CCCXXXIII.

Appollonia Ruggeria de Anno 1701. omnia sua bona donavit Bernardinæ uni ex quatuor suis filiabus, & Joanni Jacobo Minellio ejus viro, posthabitis reliquis tribus, reservando sibi dumtaxat sc. 200. ad effectum testandi, & alimenta sua vita durante: sed quia dicta donans ad id peragendum seducta fuit, ideò eadem Bernardina donataria mediante publico instrumento pro exoneratione suæ conscientiæ exarato, non solum dictam donationem renunciando, retrocessit; verùm etiam Matrem subornatam fuisse, fassa fuit; *ut in Summ. Actricis num. 2.*: & postmodum ipsa Appollonia super præfatæ donationis nullitate judicium coràm A. C. introduxit; qui illam per sententiam, nullam, & invalidam esse declaravit: commissa deinde causa coràm me, ac proposito dubio; *donationem non substineri*, resolutum fuit.

Clara enim visa fuit prædicta donationis nullitas; dum facta reperitur sinè causa necessaria, vel utili donanti, & sinè solem-
1 nitatibus à statuto requisitis: quibus deficientibus actus substineri non potest; *Rota post Modern. ad stat. Urb. dec. 144. nu. 8., & coràm Pen. dec. 239. nu. 6., & coràm sa. me. Alex. VIII. dec. 215. n. 1., & alibi passim.*

Defectus autem causæ colligitur; ex quo donans in instrumento donationis expressit se ad talem actum devenire propter tenuita-
2 tem dotis dictæ Bernardinæ, & ad hoc ut Matrimonium inter illam, & Jacobnm Minellium suum haberet effectum: & tamen postea recognitum fuit; quod dos Bernardinæ jam constituta fuerat in sc. 2026., *Summ. nu. 1.* longè superexcedens dotes dari solitas in terra Ariciæ; ubi etiam sola quantitas sc. 1000. congrua dicitur etiam pro personis magis qualificatis, *ut in eodem Summ. num. 7.*

Sicut minùs substineri potest ex alia causa Matrimonii contrahendi; cum illud ante donationem stabilitum fuisset mediante stipulatio-

latione instrumenti dotalis; in quo dos constituta remanserat in summa supra recensita
3 absque ulla donationis mentione, itaut proinde dictum Matrimonium accipi non possit pro ejusdem causa finali; dum sine ea adhuc illud perfici debuisset; *Rota coràm Duran. dec.* 155. *nu.* 13., & 14., & *dec.* 380. *nu.* 5. *par.* 14., & *dec.* 57. *nu.* 5. *par.* 15. *rec.*

Quo verò ad defectum solemnitatum statuti, iste pariter concurrere visus fuit, cum in donatione non intervenit Donatus consanguineus proximior Appolloniæ, nec alius
4 in eodem proximitatis gradu conjunctus, sicut omninò requirebatur ad validandum contractum Mulieris, *ut ex stat. Vrb. cap.* 51., *ibique Fenzon. nu.* 24., & 25. *Rota coràm Mantica dec.* 8. *nu.* 3.: idque procedit, etiamsi idem Donatus abfuisset tunc temporis, & loco illius absumpti fuerint duo ex quatuor Prioribus dictæ terræ Ariccia: quoniam immò de illius præsentia in ipso die celebratæ donationis constat ex depositione duorum testium formiter examinatorum, & deponentium de visu: & ulterius fat esset advertete, quod nec illi ulla intimatio facta
5 fuerat, & quidem cum expressione causæ; *prout requirebatur ex dispositione dicti Cap.* 51. *stat. Vrb.*, & *per Rot. coràm Mantic. dicta dec.* 8. *nu.* 3., & *seqq.*: quodque in omnem casum si aliquo accidentali impedimento detinebatur, debuisset per aliquod breve tempus expectari; *Modern. Episc. Verulan. observat. ad stat. Favent. lib.* 3. *rubr.*
6 17. *nu.* 25. *Adden. ad Greg. dec.* 406. *nu.* 19. *vers adverten. Rota in rec. dec.* 277 *num.* 4. *par.* 3. *dec.* 232. *nu.* 7. *par.* 12., & *dec.* 443. *nu.* 8. *par.* 13., & *dec.* 265. *nu.* 4. *par.* 14.

Atque hinc nihil facit, quod loco proximiorum adhibiti fuerint duo ex Prioribus
7 Arricciæ, cum ad istos recurri non possit, nisi in casu, quo præcesserit intimatio facta consanguineis; & isti vel noluerint, vel saltem non potuerint expectato congruo tempore intervenire: tantòque magis in præsenti, quo alter ex illis est consanguineus Minellio viro Bernardinæ, *ut in dicto Summ. nu.* 5., & sic inhabilis ad authorizandum
8 contractum, ut firmatum fuit *in Romana fideicommissi de Quadris* 7. *Martii* 1701. §. *Adhuc de facili coràm R. P. D. meo Ansaldo.*

At non solum proximiores non intervenerunt, sed ulterius etiam defecit decretum proprii Judicis terræ Ariccia, cui optimè
9 nota erat imbecillitas mulieris donantis, & qui noluit decretum interponere, *ut ex Summ. num.* 9., & in ejus locum assumptus fuit Vicarius Albanen., qui penitus erat inscius hujusmodi defectus in Muliere, quod manifestam collusionem patefacit.

Ex his igitur omnibus, accedente præsertim ingenua confessione Bernardinæ donatariæ, quod Appollonia circumventa fuerat,
10 necnon nimia ejus imbecillitate senectute confecta, & faciliter, itàut ignoraret quid faceret, juxtà depositionem testium *Summ. nu.* 8., & 9. sufficienter constare visum fuit de præfata passiva circumventione ejusdem, & consequenter de nullitate donationis.

Et ità Appollonia tantùm informante &c.

ALBANEN. DONATIONIS SUPER ALIMENTIS.

Lunæ 30. *Junii* 1704.

ARGUMENTO.
Non indiget.

SVMMARIVM.

1 *Paupertas probata dicitur à fide Parochi, & Priorum attestatione.*
2 *Item ex donatione facta omnium bonorum.*
3 *Alimenta, & sumptus litis debentur probata paupertate, & bono jure.*

DECISIO CCCXXXIIII.

IN hac eadem Audientia, in qua resolutum fuit constare de nullitate donationis factæ per Appolloniam; DD. respondentes alteri dubio circa præstationem alimentorum, & sumptuum litis; censuerunt esse pro illis subministranda annua scuta 50.

Concurrunt enim tàm paupertas illius, probata nedùm ex juratis attestationibus Parochi, & Priorum Magistratus Ariccia;
1 quæ ad hunc effectum potissimè attenduntur; ut firmavit *Rota coràm Dunoz. Jun. dec.* 797. *nu.* 2. & *cor. Emerix Jun. dec.* 137. *nu.* 1., & *seqq.*, & alibi passim: verùm etiam ex ipsa donatione universali omnium bono-
2 rum, nam exinde prorsus spoliata remansit; *Adden. ad dec.* 21. *nu.* 85., & 86. *par.* 9. *rec. Rota post Torr. de pact. futur. success. dec.* 195. *num.* 2.

Quàm bonum jus resultans ex sententia lata per A. C. in prima instantia, & ex decisione hodiè coràm me ædita super nullitate donationis, itàut utroque ex dd. requisitis concurrente, denegari non possit submini-
3 stratio alimentorum, & sumptuum litis, *Fontanell. de pact. nuptial. clauf.* 6. *gloss.* 2. *par.* 5. *num.* 73. *Rota coràm Merlin. dec.* 7. *nu.* 5., & *seqq.*, & *coràm Buratt. dec.* 707. *per tot.*: illorum autem quantitatem, decreverunt DD. in annua summa scutorum 50., cum totidem etiam fuissent promissi à donataria, quatenùs donatio suum sortita fuisset effectum.

Et ità unica &c.

ROMANA, SEU' REATINA DONATIONIS.

Ven. 4. *Julii* 1704.

ARGUMENTUM.
Donans revertitur ad bona donata, quoties impletæ non sunt conditiones ab ipso volitæ, & sine quibus non donasset.

Adest in hac causa infra decis. super fructibus.

SVM-

SUMMARIUM.

1 *Paria sunt non appellare, ac appellationem non prosequi.*

2 *Donans habet regressum ad bona donata ob non impletas conditiones culpa, & voluntate donatarii.*

3 *Donatio non resolvitur ob defectum unius causæ, quando aliæ causæ verificatæ remanent.*

4 *Resolutio donationis inducitur ob non adimplementum conditionis correspectivæ, sine cujus implemento facta non fuisset.*

5 *Reservatio alimentorum in donatione præsefert causam finalem.*

6 *Pactum resolutivum in fine donationis totam donationem informat.*

7 *Matrimonium non est causa finalis donationis, quando illud jam ante donationem fuerat contractum.*

Amplia quamvis de tali Matrimonio mentio facta fuerit tàm in donatione, quàm in ejus ratificatione, & nu. 9.

8 *Testi unico, & deponenti inverisimilia non creditur.*

10 *Res judicata super donationis resolutione non infringitur per turbidam exceptionem adimplementi in donatione promissi.*

DECISIO CCCXXXV.

Ob defectum adimplementi per Bartholomæum Vecchiarellum promissi, resolutam fuisse donationem ejus favore factam à Valerio: illique propterea concedendum esse mandatum de reintegrando; respondit Rota in duplici instantia tàm coràm Reverendissimo D. meo Decano, quàm coràm R. P. D. meo Pio: sed rursus Bartholomæo appellante, cum deindè causam prosecutus non fuerit; hodiè proposui dubium — *An constet de re judicata, seu potius de causis restitutionis in integrum*, & DD. *affirmative quoad primam, negative autem quoad secundam dubii partem* responderunt.

Non enim satis fuit appellationem interponere; nisi etiam intra debitum tempus acta transportarentur: hic enim causa remansit deserta, cum paria sint non appella-
1 re, & appellationem non prosequi; *per Text. in Clem. sicut de appellat., & in Authen, hodie Cod. eodem tit.*

Concurrente præsertim validitate, quæ non fuit controversa, & justitia, quàm comprobat ipsius donationis lectura, siquidem ibi Valerius donavit dicto Bartholomeo fratri omnia sua bona, cum expressa tamen conditione, quod ei subministrarentur singulis annis nonnullæ conventæ præstationes tàm in pecunia, quàm in speciebus, adjecta declaratione, quia sic conventum, & stabilitum fuit, alias contractum non fuisset: quamobrem cum non semel nec bis, sed per replicatas vices donatarius non adimpleverit, imò præstationes, quamvis judicialiter petitas subministrare recusaverit, utique
2 donatio resoluta remansit, & debuit ad bona donata concedi regressus; *per Text. in l. Si docemus Cod. de Donat., & in l. prima Cod. de Donat., quæ sub mod. Camillus Torell, consf. 64. num. 65. Rota coram Coccin. dec. 240. num. 6., & firmatum fuit in omnibus decisionibus hujus causæ editis in præcedentibus instantiis.*

Non obstat, quod verba supra relata, ex quibus pactum resolutivum deducitur, non sint apposita conventioni circa præstationes sed adjecta renunciationi omnium, & quorumcumque successionum, quasi quod illorum germanus sensus sit, quod Bartholomeus donatarius dictas annuas obventiones non promisisset, nisi donatio fuisset universalis omnium bonorum, & in omnem casum ubi etiam consideranda esset pro causa finali ipsa illarum subministratio, tamen non sola, & unica, sed æque principaliter expressæ fuerint ratio conservationis, & augumenti Domus, ejusque magnificentia, nec non Matrimonium alias per Bartholomæum contractum, itàut cessante etiam prima causa
3 donationis ob defectum adimplementi; non ideò cessaverit donatio, dùm aliæ causæ, quæ principaliter volitæ, & expressæ fueruut; verificatæ remaneant.

Etenim hujusmodi exceptiones semper in præteritis deductæ, & semper in decisionibus hujus causæ rejectæ, iterum insubsistentes visæ sunt, dùm respectu primæ integer donationis contextus ostendit pactum resolutivum vere respicere casum, quo non adimpleretur obligatio suscepta de subministrando præstationes, dùm facta legitur correspective ad has annuas responsiones, quod de per se satis esset ad inducendam resolutionem in casum non implementi; *Card. de*
4 *Luca de Locat. disc. 18. n. 3. Giurb. dec. 105. num. 10. Adden. ad Buratt. dec. 640. nu. 28. & 29. Rota coram Greg. dec. 130. num. 4.*; Nec aliàs res se habere poterat, nàm cum istud pactum contineat adeo relevantem, & favorabilem reservationem alimentorum; omninò dici debet illam præseferre causam finalem donationis: cum aliàs nimis fatuus reputari debuisset Donans, si bonis sese expo-
5 liasset sine principali, & efficaci determinatione recipiendi subministrationem alimentorũ, ut bene firmant, *decisiones coram R. P. D. meo Pio, in prima videlicet sub §. Hanc autem, & in altera sub §. Neque pariter, & in rec. dec. 340., & 380. par. 14., & dec. 57. par. 15. inter has Partes editæ*: & quod magis est, pactum resolutivum in fine donationis adjectum fuit, illamque ideo totam in-
6 format; *Surd. consf. 565. num. 19. Capyc. dec. 108. num. 13., & 14. Rota coram Dunoz. Jun. dec. 622. nu. 1., & seq. coram Buratt. dec. 161 num. 13., & seq.*

Respectu verò secundæ replicatum fuit, quod Matrimonium de tempore dominatio-
7 nis jàm fuerat contractum; quamobtem rationi, & verisimilitudini repugnat, quod illud causa finalis censeri debeat; *Rota cor. Duran. dec. 155. nu. 13., & 14., & in rec. dec. 57. num. 5. par. 15.*

Non-

Non relevante attestatione unius testis deponentis, quod sine dicta donatione Matrimonium non fuisset contractum, tùm quia est unicus, tùm quia deponit inverisimilia,
8 dùm in Capitulis Matrimonialibus nullum de eo legitur factum verbum, ut plenè respondet secunda *decisio coram R. P. D. meo Pio*, §. *Inde apertissimè*: & licet de hoc Matrimonio tàm in donatione, quàm in ejus ratificatione habita fuerit mentio, tamen, ut bene perpendit dicta decisio, id per-
9 actum fuit ad effectum tantum effugiendi solemnitates statutarias.

Quibus ita firmatis inanis fuit replicatio, quod vere Bartholomæus non defecerit in subministratione promissarum obvensionum; quia licet illas effective non præstaverit; tamen Valerius æquivalentem summam haberet in manibus, cum esset Debitor ejusdem Bartholomæi in pluribus causis, & signanter, quia aliqua bona ad eum spectantia nulliter, & excessivè deliberari curaverat, itàut proindè non potuerit habere locum resolutio donationis: quoniam ex calculo dato *in summario responsionis* à scribentibus pro Valerio, constitit; quod dispunctis, & bonificatis partitis hinc inde, remanet ipse adhuc creditor in sc. 3000. circiter, cum tamen etiam ad evitandum sufficeret adimplementum in donatione promissum
10 aliquo modo turbidum reddi, ne inde res judicata superventa infringi posset; *Rota coram Gregor. dec. 492. nu. 5., & in rec. dec. 577. num. 2. par. 19.*, & alibi passim.

Et ità utràque &c.

BONONIEN. PECUNIARIA.

Ven. 4. Julii 1704.

ARGUMENTUM.

Error nunquam præsumitur, præsertim contra debitum clarum, & confessatum, itaut si administrator suum creditum in libris non adnotaverit, quamvis sit verum, præsumitur satisfactum cum aliis redditibus.

SUMMARIUM.

1 *Factum proprium sub quovis prætextu nemo impugnare potest.*
2 *Error non præsummitur, nisi concludenter probetur.*
3 *Amplia præsertim ad excludendum debitum clarum, & pluriet agnitum à debitore.*
4 *Error probatur ex libris administrationis.*
5 *Creditum oppositum ab administratore, quod in libris per errorem asseritur adnotatum non esse, præsumitur de aliis redditibus satisfactum.*
6 *Utilia dicuntur ea, quæ remanent deductis expensis.*
7 *Utilia describi non curantur in libris, nisi expensæ sint excomputatæ.*
8 *Administrator male solvendo tenetur ad omnia damna, & interesse.*
9 *Justitia mandati evincitur ex relatione Periti judicialiter electi.*
10 *Periti relationi optimis rationibus innixæ omnino standum est.*

DECISIO CCCXXXVI.

Cum Joseph Martellus in dimissione administrationis per eum gestæ de redditibus furni spectantis ad Abbatiam S. Stephani de Bononia, deposuisset in Sac. Monte Pietatis libras 31318. - *per resto degl' effetti pervenutigli in mano di detta amministrazione* -: & Ministri moderni Abbatis recusassent hujusmodi depositum acceptare, cum supposito, quod debitum esset in longe majori summa, controversia delata fuit ad Auditorem Eminentissimi Card. Legati, coram quo assumpta formali cognitione causæ, Martellus allegavit in partitis utilium furni irrepsisse errorem, ex quo, ad sui creditum non fuerat adnotata summa librarum 6000., quas supponebat solvisse regimini Bononiæ pro gabella nuncupatur *dell' imposta*; sed agnita insubsistentia prætensionis; præfatus judex mandavit liberè consignari dictis Ministris libras 31318. facta tamen per eos absolutione eidem Martello (sunt verba sententiæ) ab administratione, & restitutione capitalis, salvis utrique Patri juribus pro summis hinc inde prætensis.

Provocavit Joseph ad A.C., & iste pariter post varia decreta integram summam depositam consignari mandavit; sed adhuc urgente Josepho super allegatione erroris suæ confessionis, subdelegavit judicem in partibus cum facultate extrahendi partitas, deputandi Peritos, & examinandi testes; quibus absolutis, transmisso ad Urbem processu, quia non solùm non constitit de errore, sed ulterius recognitum fuit, alias quamplures partitas constituentes summam librarum 4793. fuisse partim omissas, & partim duplicatas in præjudicium Abbatiæ, idem A.C. novum mandatum contra Josephum pro dicta summa relaxavit, & postremo inutiliter expectatis etiam aliis probationibus quas Joseph explere promiserat, sententiam protulit, qua post demandatam expeditionem utriusque mandati sententiam de partibus confirmavit. In hoc statu iterum appellans Joseph, mihi causam committi curavit ab utroque mandato, nempè quoad illud confirmatorium judicati de partibus cum clausula -- *alteri, qui ad legitimam* -- quo vero ad alterum novum mandatum cum clausula - *si quid exequendum* - quamobrem ad formam commissionis dedi dubium - *An sit procedendum ad legitimam executionem mandati Eminentissimi Legati, & an novum mandatum A. C. sit exequendum, & affirmativa in omnibus* prodiit responsio.

Quo enim attinet ad primum mandatum illius justitia satis resultare visa fuit ex confessione ejusdem Josephi emissa tàm in actu facti depositi in Sac. Monte Pietatis Bononiæ ad creditum Abbatiæ de libris 31319.

tanquam

tanquam debitis pro residuo pecuniarum, quæ ad ipsius manus per venerant occasione administrationis furni prædicti, quam in productione judiciali cædulæ ejusdem depositi, & propterea illud sub quovis prætextu
1 amplius impugnari non valet *ad Text. in l. generaliter 13. C. de numer. pecun., Ang. de Confess. lib. 1. qu. 7. effect. 4. n. 7. Rota cor. Burat. dec. 183. n. 13., & dec. 200. n. 3., & seq., & coràm Priolo dec. 105. num. 11. cum seq.*

Non relevante exceptione erroris, ex quo non fuerit facta deductio ad commodum Martelli lib. 6000., quæ dicuntur per ipsum solutæ pro datio furni: quoniam præ-
2 misso, quod error nunquam præsummitur, sed debet verificari per concludentissimas probationes; præsertim ad excludendum
3 debitum clarum, & pluries agnitum à debitore; *Angel. de confess. lib. 3. quæst. 20. n. 34. Rota coràm Emerix dec. 1214. num. 12. cor. Burat. dec. 20. num. 3., & in rec. dec. 381. num. 11., & 12. par. 9. tom. 2.*

Tantum abest, quod error fuerit probatus, ut potius appareat de contrario, dùm solutio excluditur ex ipsa librorum furni in-
4 spectione, in quibus talis solutio adnotata non legitur, prout illam describere, seu describi facere non omisisset Joseph, si vere solvisset, & quatenus replicetur, quod potest etiam, seclusis libris, aliundè probari, adhuc semper obstaret possibilitas, quod fuerit de aliis redditibus reintegratus: quæ
5 sola possibilitas, licet non excludat errorem tamen operatur, quod ille censeri debeat turbidus, & propterea inefficax ad retardandam executionem obligationis cameralis appositæ in instrumento assumptæ administrationis furni, & ad prosternendam claram probationem ex dictis confessionibus resultantē.

Tanto magis, quia idem Joseph tàm de tempore impositionis prænarrati datii, quàm ex post, curavit se describi debitorem in libris ratiocinatoris Abbatiæ respectu utilium furni -- *per saldo* -- quod utique non fecisset, si adhuc remansisset subducenda datia, sive collectæ per ipsum solutæ, cùm
6 ut ilia dicantur ea, quæ remanent deductis expensis; *Rot. cor. Emerix dec. 1331. num 2.*

Et ex his opus non fuit examinare exemptionem à quibuscumque datiis, & gabellis concessam Abbatiæ ex privilegiis summorum Pontificum, de quibus *in summ. Abbatis num. 13.* qua stante sibi imputare deberet Joseph, si indebite datia controversa solvisset, & tanquam malus administrator
7 teneretur actione mandati ad omnia damna, & interesse; *per Text. in l. Si mandavero 22. §. Sicut autem ff. mandati Surd. dec. 304. num. 4. cum seq. Rota coràm Bich. dec. 191. num. 8.* nam posita clara, & geminata confessione debiti, & non probata solutione datiorum, vel saltem non probato, quod Martellus non fuerit reintegratus, nec potuerit reintegrari, quatenus solvisset, retardari nequit consignatio pecuniarum, quæ ab ipso fuerunt depositatæ.

Sicut autem ex prædictis responsum fuit; esse procedendum ad legitimam executionem primi mandati Eminentissimi Legati; ità etiam facile fuit respondere pro executione alterius mandati relaxati ab A.C. pro summa lib. 4793. juxta secundam dubii partem; illius enim justitia pariter evincitur ex
8 relatione Periti judicialiter electi in partibus coràm judice subdelegato, qui retulit sex partitas d. summam constituentes, fuisse erroneè, & indebite appositas ad debitum Abbatis: cujus Periti relatio cum innitatur optimis rationibus, & nihil relevans contra eam fuerit deductum; eidem omni-
9 no standum venit; *Rota cor. Cerro dec. 640. nu. 3., & in rec. dec. 612. nu. 2., & dec. 658. num. 5. par. 19. tom. 2.*

Et ità utràque &c.

BONONIEN. FIDEICOMMSSI DE BURZANIS.

Ven. 4. Julii 1704.

ARGUMENTUM.

Fideicommissum dividitur pro æquali attenta dictione -- *una cum* -- & idem dicendum est procedere inter primos institutos, & substituto; quando in substitutione habita est relatio ad primam dispositionem.

Confirmatur infra decis. 532.

SUMMARIUM.

1 *Immissio defectis primo institutis debetur substituto.*
2 *Fideicommissum pro æquali dividendum est, attenta dictione* - una cum - *quæ omnimodam conjunctionem, & simultaneam vocationem importat.*
3 *Substitutio non purificata conditione habetur ac si facta non fuisset.*
4 *Relatio idem determinat, ac relatum.*
5 *Relationis effectus non debet esse inutilis.*
6 *Testator considerando plures casus, non se restringit ad illum, quo aperiatur successio institutis, sed dicitur considerasse etiam, quo per illorum præcessum substitutio purificata sit.*
7 *In successionibus, & ultimis voluntatibus semper servanda est æqualitas.*
8 *Testator præsummitur minus dilexisse remotiores, & ignotos, quam proximiores.*

DECISIO CCCXXXVII.

Tres sententiæ conformes prodierunt in nostro Tribunali; quibus concessa fuit Immissio Achilli de fabris ad bona Fideicommissaria Gabrielis de Burzanis ex testamento ab eodem condito; & signanter ad prædium retentum à Marchesinis: sed noviter reperto quodam codicillo, in quo præter vocatos in testamento leguntur substituti Stephanus frater patruelis Testatoris, ejusque descendentes, hinc admissis ad causam P. P. Olivetanis S. Michaelis in Busco; qui per suppressionem religionis Jusuatorum, & unio-

unionem respectivè factam eidem Monaste-
rio, causam habent à Stephano juniore olim
monacho jesuato à dicto Stephano Seniore
descendente, mihique causa commissà, dedi
dubium -- *An constet de re judicata, seu po-
tius de causis restitutionis in integrum, &
an sit danda immissio P.P. Olivetanis* - Illud-
que *pro re judicata, & pro immissione* reso-
lutum fuit.

Et sane quoad rem judicatam nullam DD.
difficultatem habuere attentis tribus senten-
tiis latis favore Jacobi sen., & ab eo causam
habentium super fideicommissi purificatione
& de quarum aperta justitia constitit ex litte-
ra testamenti: in quo Gabriel post defectam
lineam suorum filiorum substituit Cæsarem
Jacobum, & Antonium filios Aurelii Bur-
zani, eisque tunc non existentibus ipsorum
filios, & descendentes masculos: quamo-
brem cum non controvertatur jam defecisse
lineam filiorum testatoris utique debebatur
1 immissio Achilli, qui descendit à Jacobo sub-
stituto, ut plene comprobant decisiones in
præcedentibus Instantiis editæ, contra quas
Marchesini controversi prædii detentores,
qui succubuerunt, quidquam non opponunt,
nec causam restitutionis in integrum allega-
re curarunt.

Hinc tota contentione redacta ad immis-
sionem petitam à P.P. Olivetanis, eam Do-
minis, concedendam esse visum fuit pro me-
dietate, quoniam ex codicillis de recenti re-
pertis eruitur, quod Gabriel testator post-
quam mentionem fecerat de substitutione in
testamento ordinata, sic disposuit -- *quod
adveniente casu, seù casibus, quo, & qui-
bus Cæsar, Jacobus, & Antonius succede-
re debeant, quod tunc, & eo casu, & casi-
bus una cum Cæsare, Jacobo, & Antonio
succedat, & succedere debeat &c. Stepha-
nus Burzanus ejus frater patruellis, si exta-
bit, & eo non extante, ejus filii masculi,
& præmortuorum filii in stirpes, & non in
capita* -- quapropter cum de tempore puri-
ficatæ substitutionis per mortem ultimi ma-
sculi ex descendendibus testatoris, super-
fuisset ex Aurelio in testamento substituto
solus Jacobus junior, à quo causam habet
Achilles de Fabris, & ex descendentibus
Stephani, qui fuit additus in codicillis, Ste-
phanus junior, ex cujus persona agunt P.P.
Olivetani, consequens est, ut sicut Achilli
fuit jam ex testamento concessa immissio, ita
& nunc etiam Stephano, ejusque successori-
bus in codicillis compræhensis concedatur,
& quidem pro medietate attenta dictione --
una cum --, quæ omnimodam conjunctio-
2 nem, & simultaneam vocationem importat;
itàut fideicommissum debeat pro æquali por-
tione dividi, *per Text. in l. ultima C. de im-
pub., & aliis substit. l. lucius Titius* 90. §.
*quidquid ff. de legat. 2. mantic. de conject.
ult. volunt tit. 7. num. 19, & tit. 9. nu. 8.
lib. 4. Gratian. discept. for. cap. 70. num. 33.
Bellon. de Jur. accresc. cap. 5. quæst. 16. n. 8.
& 9., & cap. 26. n. 151., & 152.*

Non obstat, quod in vocatione Stephani,
præter conditionem deficientæ lineæ mascu-
linæ Testatoris, quæ jam evenit, fuerit al-
tera etiam expressà, quatenus scilicet fuis-
sent admissi ad successionem dd. primi substi-
tuti Cæsar, Jacobus, & Antonius filii Au-
relii, quæ purificata non fuit, cum isti omnes
prædecessissent durante linea Testatoris, &
sic antequam veniret casus eorum vocationis
inferendo exindè, quod non purificata hu-
jusmodi conditione, vocatio Stephani eva-
3 nuerit, & haberi debeat, ac si in testamen-
to scripta non fuisset, ad tradita *per Alex.
cons. 1. à nu. 9. lib. 1. Roland. cons. 58. nu. 57.
lib. 3. cum. aliis ad id allegatis*.

Objectum enim removetur ex facto, quo-
niam ex contextu codicillorum apparet, Te-
statorem non se restrinxisse ad casum succes-
sionis substitutorum in testamento, sed inde-
finitè, & simpliciter relationem habuisse
ad ipsum testamentum, narrando, quod in
illo substituerat dd. Cæsarem, & alios filios
Aurelii modo, & forma (sunt verba præci-
sa) in dicto testamento contentis, ad quod
relationem habere voluit: Ideoque sicut in
testamento substituerat etiam descendentes
ab illis, ità, & ex vi relationis prædictæ di-
ci debet, quod hæc descendentium substitu-
tio sit quoque in dd. codicillis repetita, ac
si Stephanus, ejusque Nepotes fuissent sub-
stituti, tàm in casu, quo filii Aurelii adi-
rent, quam in altero, quo ob illorum præ-
decessum Nepotes, & alii ab eo descenden-
4 tes succederent, nàm alias effectus relatio-
nis, & repetitionis casuum remaneret inu-
5 tilis, contra ea quæ generaliter notant *scri-
bentes in l. Asse toto 7. ff. de hær. instit.
Alex. cons. 201. num. 20. lib. 6. Peregrin.
de Fideic. art. 16. n. 114. Mastrill. dec. 190.
num. 1., & seq. Rota coràm. Pen. dec. 486.
num. 7., & dec. 976. num. 5., & coràm
san. mem. Alex VIII. dec. 97. n. 56., & de-
cis. 102. num. 6. 7., & coràm Cerr. dec. 286.
num. 4.*

Idque manifeste convincitur, dum infra
legitur substitutus Stephanus cum verbis --
*quod adveniente casu, seu casibus, quo, &
quibus Cæsar, Jacobus, & Antonius suc-
cedere debeant, tunc, & eo casu, & casibus
unà cum Cæsare, Jacobo, & Antonio suc-
cedant &c.* -- que casuum pluralitas bene
ostendit fuisse à Testatore consideratum ca-
sum, non solùm quo fuisset aperta successio
favore prædictorum fratrum, sed etiam
alium, quo per illorum prædecessum substi-
6 tutio purificata fuisset favore descenden-
tium: talis enim locutio in unicitate verifi-
cari non potest; *Rota dec. 743. nu. 15. p. 4.
tom. 3., & dec. 204. n. 2. par. 5., & dec. 496.
n. 11. par. 18. rec.*

Præter verba codicillorum, concurrit
etiam verisimilis voluntas fideicommittentis
illius enim intentio fuit consulendi non tàm
lineæ Aurelii, quam Stephani, dum illi
æqualiter sibi erant conjuncti: Ideoque si-
cut omnes de linea Aurelii, in qua aderat
Jaco-

Jacobus Junior, fuerunt ad successionem admissi, ita pari ratione admitti debent descendentes ex linea Stephani, ad servandam æqualitatem, quæ in successionibus, & ultimis voluntatibus semper ante oculos habenda est, ad *Soccin. in leg. 1. sub 4. notat. de*
7 *reb. dub. Mantic. de conject. lib. 6. tit. 2. n. 5. Rota decis. 77. n. 4. par. 15. & decis. 147. n. 10. par. 19. recen.*

Ulteriùs nulla est assignabilis diversitas rationis, qua Testator moveri potuerit ad substituendum potiùs in casu, quo existerent & succederent Cæsar, Jacobus, & Antonius, quam in altero, quo iidem prædecessissent, & extaret solum Jacobus eorum nepos, quando è converso longè major assistit ratio pro admissione Stephani junioris in casu illorum præmorientiæ, nam si Testator filios Aurelii sibi proximiores, & cognitos altero consuccessore gravavit, & fortius gravare voluisse præsumendum est eorum nepotes, & descendentes sibi ignotos, & remotiores, ex argumento deducto à majoritate rationis, & minori dilectione remotiorum, ex plenè traditis per *Mantic. de conject. lib. 6. tit. 10. n. 13. Fusar. de substit. quæst. 218. n. 52. & qu. 359. n. 10. Rota coram Zarat. decis. 19. num. 3. & decis. 24. num. 6. 7. & 8. part. 18. recent.*

Et ità utraque &c.

HIDRUNTINA CENSURARUM

Die 4. Julii 1704.

ARGUMENTUM.

Censuræ absque præfixione terminorum relaxantur contra recurrentes ad Judices Laicos in spretum Sacræ Rotæ: etiamsi recursus fiat per Procuratorem, cui tamen principalis adhæsit, nec renunciavit.

In hac causa sunt super decis. 127. & 157.

SUMMARIUM

1 *Contra recurrentes ad Iudices seculares in spretum Sacræ Rotæ relaxantur censuræ.*

2 *Limita quando recursus habitus fuit à Procuratore absque speciali mandato procuræ.*

3 *Factum Procuratoris ratificat, qui illi adhæret, nec renunciat, & confovit se in bonorum possessione.*

4 *Termini ad docendum de paritione non adhibentur, quando culpa consistit in committendo.*

DECISIO CCCXXXVIII.

PRæviis duabus decisionibus editis coram me obtinuit Francus Lubellus mandatum de manutenendo in bonis ad eumdem uti Rectorem Ven. Cappellæ S. Francisci Oppidi Uggiani spectantibus: Cumque illud executioni demandare non potuerit; ex quo D. Catharina Lubella Ducissa Minervini ad se confovendam in spolio dd. bonorum, causam ex integro Judicibus Laicis committi curaverat: unde stante hujusmodi aperto contemptu, disputatum fuit coràm me dubium super relaxatione censurarum, quas esse relaxandas DD. censuerunt.

Cum autem ex dicta commissione resultet spretus, imò & contraventio, ac resistentia executioni mandati Rotalis, utique procedendum est ad censuras Ecclesiasticas; quæ
1 passim concedi solent contra impedientes executionem mandatorum hujus Sacri Tribunalis mediantibus hujusmodi recursibus juxtà *Gloss. in cap. dudum vero videbitur 96. distinct. Abb. in cap. 1. num. 10. de judic.*, & firmavit *Rota post Postk. de manut. dec. 272. num. 4. & coràm Bich. decis. 397. num. 2. & coràm Coccin. decis. 2099. num. 9. & coram Cerro decis. 704. num. 3.*

Nec dicatur, quod commissio reportata fuerit à Procuratore absque ullo Ducissæ
2 speciali mandato Procuræ, prout requirebatur; ideòque non possint contra eam relaxari censuræ, *Rota decis. 751. n. 3. part. 2. Recent.* Quoniam dum ipsa citata coràm me pro subscriptione dubii super censuris, præfato recursui non renunciavit; imò potiùs sub illius clypeo continuavit in occupatione
3 controversorum bonorum contemptum mandati Rotalis; dicitur factum Procuratoris ratificasse: & tamen adhuc, si velit respicere, consultum ei sit antè expeditionem causæ renunciare.

Cæterum non obstat, quod non fuerunt servati quatuor termini ad docendum de paritione, quia cùm non versemur in simplici omissione, sed in contumacia incursa in committendo; inde sequitur quod dicti termini non sunt necessarii; *Ugolin. in prax. lib. 2.*
4 *cap. 4. num. 8. vers. quod si ad executionem, Rota coràm Coccin. dicta decis. 2099. num. 11. & coram Bich. dicta decis. 446. num. 13. & in recen. decis. 654. num. 2. par. 9.*

Et ità utraque &c.

REATINA FIDEICOMMISSI DE CLAVELLONIBUS, SUPER FRUCTIBUS.

Veneris 4. Julii 1704.

ARGUMENTUM.

Attentata non dicitur executio vigore sententiæ, à qua non fuit appellatum, nec appellatio à litis consorte alteri prodest, quando lis est super diversis materiis: & quomodo probandi, & commensurandi fructus ad effectum restituendi?

Sunt in hac causa decis. 28. 249. 315.

SUMMARIUM

1 *Attentatorum materia in Rota resolvenda est sub dubio separato.*

2 *Executio mandati licita est non intercedente impedimento appellationis.*

3 *Appellatio interposita ab uno ex possessoribus in materia distincta, alteri non prodest.*

4 *Maximè si ad executionem devenïatur ob debitum*

debitum liquidum, ex partis confessione, quæ resultat ex conquestione super excessivitate, cujus intuitu fuit extensa brevis decisio.

5 *Appellationi interpositæ à litis consorte non adherenti, nequit excipere de execquutione attentata.*

6 *Acquiescentia partis inducit probationem.*

7 *Taxa legalis non potest impugnari.*

8 *Fructus in eadem quantitate percipi præsumuntur à parte ante, in qua percepti fuerunt à parte post.*

9 *Testis unicus nihil probat; amplia num. 11.*

10 *Testis deponens de aliquibus fructibus non probat quoad omnia pro eorum liquidatione.*

12 *Valor frumenti probatur attestationibus Cancellarii, & Appaltatoris Furni ejusdem loci deponentium de solito pretii, computato anno fertili cum sterili: & amplia num. sequenti.*

13 *Admittitur probatio ad ostendendum, quod fructus percepti fuerint in minori quantitate, quam de jure præsumitur.*

14 *Fides simplices in judicio nullam fidem faciunt.*

DECISIO CCCXXXIX.

AD instantiam Franciscæ Antoniæ Ciameilonæ petitum fuit coràm R. P. D. meo Muto sub die 12. Aprilis præteriti, quod liquidarentur fructus pendente lite percepti tàm ab Alemannis ex Molendino Salicis, quàm à Cappellettis ex bonis *dell'Apulaggia*; fuitque per modum provisionis dictum; quod liquidarentur in sc. 1000. verùm quià occasione petitæ expeditionis causæ calculatis fructibus ad rationem quatuor pro centenario juxtà taxam legalem agnitum fuit, quod habito respectu ad valorem bonorum excedere non poterant scuta 672., idcircò DD. reformantes arbitrium, liquidationem reduxerunt ad dd. scut. 672. pro quibus mandarunt; quod causa expediretur extensa brevi Decisione; prout factum fuit: Hujusmodi liquidationi, licèt acquievissent Alemanni, qui appellationem non interposuerunt, tamen Cappelletti causam prosequi curarunt: Et hodiè etiam comparentibus Alemannis, fuit coràm Me disceptatum Dubium — *An constet de excessiva liquidatione fructuum, & an, & pro qua summa sit relaxandum novum mandatum pro aliis suspenso relictis* — quod negativè respectu *primæ partis; & affirmativè respectu secundæ resolutum fuit pro summa infrà exprimenda.*

At quia rei conventi antequàm descenderent ad examen meritorum, opponebant, prius agendum esse de attentatis; quæ supponebantur commissa per Franciscam Antoniam mediante executione mandati contra Alemannos, non obstante appellatione per Cappellettos litis consortes interposita: & exindè inferebant, quod omninò præcedere debuisset illorum purgatio, & executionis revocatio cum successiva refectione expensarum.

Idem licèt satis fuisset advertere, quod hujusmodi attentatorum examen non cadit sub
1 præsenti dubio: quodque debuissent Cappelletti, & Alemanni curare disputationem particularem super illis juxtà stylum nostri Tribunalis: Nihilominùs, ut prorsùs de medio tolleretur talis exceptio: illam ex facto cessare responderunt, siquidem, cum ex præmissis constet, quod appellatio ab Ale-
2 mannis nullo modo interposita fuit, potuit propterea nullo extante impedimento, citrà omne vitium attentatorum deveniri ad mandati executionem, ut de se patet.

Absque eo quod illi suffragare posset appellatio interposita per Cappellettos, quoniam hic agitur de materia omninò distincta, & dividua; cum liquidatio fructuum quoad molendinum possessum ab Alemannis, non, isthoc in liquidationem fructuum bonorum *dell'Apulaggia*, quæ possidentur à Cappellettis, & quæ diversos fructus producunt; itaut proinde appellatio ab uno ex possesso-
3 ribus interposita, alteri prodesse non possit; *Gratian. discept. for. cap. 115. num. 37. & 38., Lancellot. de attent. cap. 12. ampliat. 12., Scaccia de appellat. quæst. 5. num. 58. Rota decis. 356. n. 3. par. 10. & decis. 390. par. 12. recent. per tot.*

Maximè quia respectu illorum de Alemannis, contra quos fuit facta executio; processum fuerat ad liquidationem ex eorumdem confessione; nam in memoriali pro nova audientia conquesti fuerant de excessiva taxatione facta in scut. 1000. affirmantes fructus vix ascendere ad scuta 674. taxando illorum quantitatem ad rationem scut. 4. pro quolibet centenario, ut patet ex brevi decisione ad eorum instantiam edita sub die 9. Maii præteriti: undè cum postea eorum Procurator, qui est diversus ab altero comparente pro Cappellettis hujus veritatis optimè conscius, non appellaverit; nec appellationi collitigantium adhæserit, nequit modò de hujusmodi attentatis opponi, *Cap. Cum*
4 *sit Romana de appellat. Lancellott. de attent. par. 2. cap. 12. ampliat. 1. num. 33. Rota decis. 364. num. 19 par. 9. to. 2. recen.*

Exclusa ex prædictis attentatorum exceptione, descendentes DD. ad dubii resolutionem, dixerunt liquidationem jam factam in præcedenti instantia de excessu redargui non posse; nam aut agitur de taxatione con-
5 tra Alemannos, & ista ultra quod per eorum acquiescentiam approbata remansit, apparuit omninò justa, cum fuerit regulata habito respectu ad taxam scutorum quatuor pro centenario, quæ tanquam legalis, & juridica
6 impugnari non valet, ut latè firmat *dicta decisio 9. Maii præteriti §. patente cor. R. P. D. meo Muto*;

Aut verò loquimur de taxatione facta contra Cappellettos, & ista pariter ratione à quocumque excessu salvatur, nam præter alias probationes in superiori instantia deductas,

ductas, dati etiam fuerunt Testes nuper examinati, & de facto proprio deponentes, quod Terræ *dell' Apuleggia* de tempore proximo præsenti liti locatæ fuerunt à Cappellettis pro annuis rubris 14. frumenti; & terminata dicta locatione, licèt non probetur similis conventio cum alio conductore, tamen ultrà præsumptionem, quod fuerit facta locatio pro eadem responsione, fuit adducta duplex judicialis instantia illorum de Cappellettis; altera pro traditione rubrorum septem frumenti debitorum pro residuo affictus anni 1695., & altera pro traditione rubr. 14. pro affictibus anni 1696. quibus omnibus addito etiam solito annorum

7 præcedentium, satis congruè resultat præsumptio, quod uniformis quantitas percepta dicatur à possessoribus toto tempore, quo fuerunt in possessione, ut plenè firmatum fuit in *Assoniano fideicommissi, seu Dotis super fructibus* 10. *Decembris* 1698. *per tot. coram R. P. D. meo Pio, in Avenionen. seu Vassionen. Primogenituræ* 4. *Februar.* 1699. §. *Quo verò cor. R. P. D. meo Caprara, & in Romana liquidationis fructuum* 3. *Iun.* 1701. §. *Etenim, & seq. cor. eodem.*

Quibus non merebantur contraponi nonnulli Testes de minori fructu deponentes, quoniam omissis illis, qui generaliter deponunt de fructibus bonorum in suburbiis Reatis; unus duntaxat loquitur de istiusmet bo-

8 nis: sed nulla ratione eidem deferendum venit, tùm quia unicus, tùm quia non deponit de omnibus fructibus bonorum, tùm &

9 tertio, quia illius dictum conquassatur de-

10 positionibus aliorum testium numero pluriùm, & probationibus superiùs expressis.

Nec circa valorem frumenti dubium emersit, quin illud esset calculandum ad rationem scutorum quinque, & bon. 44. pro singulo rubro; constitit enim ex attestationibus Cancellarii Civitatis Reatis, & Appal-

11 tatoris Furni publici, cum quibus consonat fides alterius Testis informati, quod frumentum in dicta Civitate per decennium, quo exactis lis considerato anno fertili cum sterili tanti venditum fuit; Eoque facilius DD. hanc summam inclinarunt, tùm quia tale pretium visum fuit satis verisimile, & ra-

12 tioni consonum, tùm quia dum Cappelletti contra Affictuarium mandata reportarunt calculato frumento ad majorem valorem scutorum sex, conqueri non possunt de hujusmodi taxatione.

Et quatenùs aliqui Testes conantur probare, quod bona controversa non reddunt fructus nisi ad rationem scutorum duorum pro

13 centenario, animadversum fuit, quod licèt admittatur probatio ad ostendendum, quod fructus percepti fuerint in minori quantitate, quæ de jure præsumitur; tamen hujusmodi probatio deduci non potest in præsenti ex

14 simplicibus fidibus, quæ regulariter in judicio nullam fidem faciunt, ex vulgatis; ideoque pro summa debita pro rubris 14. annuis à die 13. Maii 1693. quo lis contestata fuit ad rationem prædictam, & ultra summam scut. 360. tangen. Cappellettos contentam in judicato R. P. D. mei Muti, DD. novum mandatum relaxandum esse censuerunt pro scut. 401. 60.

Et ità utraque &c.

SENOGALLIEN. BENEFICII.

Ven. 2. Julii 1704.

ARGUMENTUM.

Beneficium Juspatronatus etiam gentilitium post quadrimestre à die vacationis, Patrono non præsentante, devolvitur ad superiorem, & ad Sanctam Sedem.

SUMMARIUM.

1 *Clausula* - Sine præjudicio - *rem judicatam non facit, & quod dubium ea interveniente sit disputandum.*

2 *Devolutioni beneficii ad superiorem, et Sanctam Sedem locus est post longum tempus à die vacationis, etiam si sit de Jurepatronatus gentilitio, juncto num. 4.*

3 *Præsentationes Laicorum factæ post quadrimestre nullæ sunt.*

5 *Devolutio oritur ex negligentia Patroni præsentandi intra legitima tempora.*

DECISIO CCCXL.

POst latas geminas sententias, alteram scilicèt per Vicarium Generalem Senogallien., alteram in hoc Sacro Tribunali per R. P. D. meum Mutum super executione litterarum Apostolicarum Canonici Petri Mariæ de Rubeis, novam appellationem interposuerunt fratres de Pasquinis; sed non nisi cum clausula - *Sine præjudicio* - per Signaturam admissa fuit; itaut proindè Petrus Maria possessionem aliàs adeptam, sed circumscriptam recuperaverit; volens autem ipse quoque in devolutivo causam prosequi, ut omnimodus huic liti finis imponatur, curavit coràm Me disputari dubium - *An constet de re judicata, seu potius de causa restitutionis in integrum* - Sed DD. agnoscentes illud incongruum in hac facti specie; quia

1 nec duæ sententiæ, nec rescriptum cum clausula sinè præjudicio rem judicatam constituunt; ideò noluerunt ad decisionem sub dicto dubio procedere: benè tamen responderunt *sententiam Rotalem esse confirmandam.*

Petrus enim obtinuit sibi provideri à Sancta Sede de controverso Beneficio tanquam de devoluto, & hujusmodi devolutio resultat, quia usque ab anno 1686. præfatum Be-

2 neficium vacabat; quo casu indubitanter locus erat devolutioni ad superiorem, & ad Sedem Apostolicam, ut latè firmatum fuit in *Decisione R. P. D. mei Muti sub die* 23. *Aprilis* 1700. §. *Quod autem*, & præter ibi adductos observat *Rota in recen. dec.* 159. *num.* 1.

num.1. par.17. & decis.816.n.1.par.18. & decis.129. num.5. par.19.

Non obstat, quod tam de anno 1697. quam de alio 1699. Patroni præsentaverint ad idem Beneficium; quoniam cum utraque præsentatio facta fuerit post lapsum quadrimestris Patronis laicis ad præsentandum præfixi, nullam merebatur animadversionem; nec
3 unquam suum sortiri poterat effectum; *Lambertin.de Iurepatron. lib.7. cap.6.num.10. & & seqq. Amayden.de Styl.Datar. lib.1.c.15. §.15. num. 21. Rota coram Cerro decis.* 808. *num.9.*

Multoque minus obesse potest insufficientia redditumm memorati Beneficij, ob quam causam dicebatur Sacerdotes inveniri non potuisse, qui acceptarent, nam contrarium resultat ex quo Ferrettus primo ad illud nominatus idem possedit ab anno 1679. suæ erectionis usque ad annum 1686. in quo obiit, & nunquam de hujusmodi insufficientia redditum conquestus fuit; Tùm ex relatione Æconomi de statu ejusdem, ac ex aliis congestis in dicta decisione hujus causæ coram R.P.D. meo Muto: ubi etiam respondetur objectio, quod negligentia prædecessorum nocere non valuerit Angelo ex propria persona venienti in hoc patronatu prætenso per eum gentilitio; quia hoc non obstante intrat
4 devolutio ad superiorem maximè quia postquam idem Angelus in patronatu successit, sciebat durare vacationem, ex quo multa onera adimplevit, & tamen non præsentavit intra terminum à Jurepatronis laicis præfixum: ac proinde in omnem casum nova ad S.Sedem suborta fuisset devolutio, ut advertunt *Rebuff. in prax.de devolut. num.39. Letter. de re benef. lib. 2. quæst. 24. num.6. & seq. Rota coram Coccin. decis.195. num.2. & 3.*

Et ità Canonico Petro Maria tantùm informante &c.

AVENIONEN., SEU CARPENCTORACTEN. FIDEICOMMISSI DE TERTULLIS

Veneris 21. Novembris 1704.

ARGUMENTUM.

Habes in superiori Decis. 305. quæ confirmatur.

SUMMARIUM.

1 *Appellatione filiorum, & descendentium masculorum veniunt tàm masculi ex masculis, quàm masculi ex feminis.*
2 *Fideicommissum ingressum in una linea, donec ea totaliter non sit evacuata, non transit ad aliam: & amplia* num.10. *etiam si res sit de transeundo ad masculos alterius.*
3 *Masculi per duplex medium femininum non veniunt sub fideicommisso, in quo vocantur tantum masculi per simplex medium femininum.*
4. *Limitatur quando qualitas masculinitatis ex simplici medio feminino requisita fuit à Testatore solum in ingressu; quia tunc in progressu admittuntur masculi, quamvis per duplex medium femininum, nec fit transitus de una linea ad aliam.*
5 *Quando servatur ordo à jure designatus, nisi ussit alio certa forma à Testatore stabilita.*
6 *In fideicommisso à duobus gradibus à Testatore expressis non infertur ad totam lineam longè ulterius progredientem.*
7 *Successio fideicommissaria regulatur, juxta ordinem intestatæ successionis.*
8 *Testator si in ingressu masculinitatem requisivit, illam desiderat in progressu, vocando proximiores absque expressione masculinitatis.*
9 *Verba* descendentes, proximiores, superstites *operantur comprehensionem masculorum ex feminis.*
11 *Verba* ipsarum, prædictarum *restringunt dispositionem ad personas nominatas, nec patiuntur extensionem ad ulteriores gradus, seu personas. Limita* numeris seqq. *& signanter* num. 14.
12 *In progressu fideicommissi admittuntur masculi ex feminis, quando Testator ordinavit prælationem proximiorum remotioribus, & in vocatione filiorum, & descendentium jussit hereditatem deferri ordine successivo.*
13 *An & quando qualitas masculinitatis in primis hæredibus volita censeatur repetita in cæteris, vel non?*
14 *Qualitas masculinitatis in Generante volita in primo gradu non infert necessitatem talis masculinitatis in cæteris sub nomine proximiorum, & descendentium vocatis absque expressione masculinitatis.*
15 *Agnationis contemplatio ex quibus excludatur? &* nu. 16.
17 *Appellatione lineæ femininæ veniunt omnes descendentes à feminis.*
18 *Onus assumendi Cognomen, & Arma non indicat voluntatem conservationis Agnationis.*

DECISIO CCCXLI.

1 Concedendam esse immissionem Josepho, & Francisco ad bona hæreditaria Nicolai fideicommittentis, quamvis per duplex medium femininum ab eo descendentibus; Responsum fuit coram Me in Audientia 27. Februarii proximè præteriti; excluso Josepho Ignatio, qui se per unius tantum fæminæ medium descendere probaverat, & hodiè post secundam causæ repropositionem, Domini *in decisis* persliterunt.

Innixi receptissimæ regulæ, quod cum
2 appellatione filiorum, & descendentium masculorum, præscindendo à conjecturis in contrarium à Testatoris voluntate deductis, comprehendantur æquè masculi descendentes ex fæminis, ac alij descendentes ex masculis, juxtà opinionem Fulgosij, quam commu-

communiter sequuntur Doctores tam mo-
derni, quam antiqui, & qui etiam ante
conditum hoc Testamentum scripserunt, ut
1 videre est apud relatos per *Mans. consult.*
739. num.27. Card. de Luca de Fideicommiss.
discurs. 29. num. 4. & 6. Larrea decis. 34. n. 70.
cum aliis in dicta mea decisione §. Eò sanè.

Quo posito, cum dubitari nequeat, quin fi-
deicommissum, de quo agitur, ingressum fue-
rit in lineam Ludovicæ, à qua Actores de-
scendunt, indè etiam sequitur, quod, donec
isti existant, & linea non sit evacuata; fieri
non debeat transitus ad alios in diversa linea
2 existentes; *Fusar. cons. 80. num. 5. Torr. de*
majorat. par. 1. cap. 15. num. 25. & seqq., &
cap. 45. num. 67. Card. de Luca de fideicomm.
disc. 203. num. 11. in supplement. Palma nep.
allegat. 226. num. 69. & 91., Rota in Roma-
na Casalis Apuzzani 21. Junii 1701. §. For-
tius coram Reverendiss. D. meo Decano.

Ad evitandas hujusmodi regulas, Scriben-
tes prò Josepho Ignatio curarunt toto cona-
tu ostendere, quod in præsenti stet in con-
trarium Testatoris voluntas, & juxta eam
admissi dicantur solùm masculi, qui per me-
dium unius fœminæ descendunt: ponderan-
do signanter, quod ille in casu, quo filii ma-
sculi hæredes scipti decederent sine liberis
masculis, & isti sine alia prole masculina,
vocavit liberos masculos suarum filiarum,
ibi — *Substituit primos liberos masculos filia-*
rum prædictorum suorum filiorum masculo-
rum: & primos liberos masculos supradicta-
rum domicellarum Gilettæ, & Ludovicæ, &
Gabriellæ de Tertullis filiarum suarum, tam
natos, quam nascituros — ut in *Testamento*
§. 10. & deindè, descendendo ad alios gra-
dus, in §. 11. loquendo de successione de-
scendentium à fœminis tam suorum filiorum,
quam à suis propriis filiabus, disposuit,
quod — *dictis liberis masculis descedenti-*
bus sine liberis masculis essent substituti
eorum fratres antiquiores — ex quibus in-
ferebant, quod cum in hac substitutio-
ne, non tantum sint compræhensi Filii pri-
mi gradus, sed etiam nepotes, & prone-
potes, eisque omnibus adiecta fuerit qua-
litas masculinitatis, indè censeatur Te-
statorem voluisse admittere tantum mascu-
los descendentes ex masculis filiarum, non
autem alios, qui descenderant ex ulteriori-
3 bus fœminis, juxta *plures Authoritates ad id*
cumulatas, & signanter Rotæ decis. 599.
num. 6. par. 19. recen. & in Bononien. succes-
sionis 14. Januarii 1686. §. Eusdem coram
bon. mem. Benincasa.

Etenim, quidquid dici possit; ubi Testa-
tor in quolibet substitutionum gradu, cujus-
cumque lineæ qualitatem masculinitatis ad-
jecit cum expressa declaratione talem vo-
luntatem præseferentis tàm in ingressu, quam
in progressu successionis, in quibus terminis
loquuntur decisiones mox in objecto allega-
tæ, & quotquot aliæ fuerunt à scribentibus
in contrarium adductæ: Hoc unum certum
est, quod ubi præfata qualitas fuit solum re-
quisita in ingressu fideicommissi in lineam
filiarum Testatoris, nisi in illa concurrat
alter masculus ex masculo, non potest dein-
dè emissa prærogativa lineæ, fieri transitus
ad masculos alterius lineæ exclusis illis, qui
ultimo possessori sunt proximiores etiam
4 mediante fœmina, nisi aliundè constet de
contraria voluntate Testatoris, *Bursatt. con-*
sil. 229. n. 38., & 39. Mans. consultat. 198.
nu. 16. & consult. 551. sub n. 28. Rota coram
Emerix decis. 1338. n. 5., & in Bononien. fi-
deicommiss. de Ghisellis coram bon. me. Car-
dinali Caccia impressa decis. 12. n. 9 post Car-
din. de Luca de fideicommiss., ea quidem va-
lidissima ratione, quia ubi versamur in
progressu, nisi fuerit per Testatorem stabi-
lita certa, & particularis forma succeden-
di, unicè servari debet ordo designatus à
5 jure, *Menoch. consil. 981. num. 3. Card. de*
Luca de fideicommiss. disc. 1. n. 14. Torr. de
Primogenit. par. 1. cap. 17. §. 3. Rota coram
Emer. decis. 1338. n. 5.

In præsenti autem, non solum voluntas
Testatoris in progressu non resistit, sed è
converso stat prò masculis etiam per duplex
medium fœmininum descendentibus, tum
quia juxta verba superius expressa Testator
de duobus solum gradibus loquutus fuit, ad-
iiciendo qualitatem masculinitatis, dum
vocavit liberos masculos filiarum, & dictis
liberis masculis sine liberis masculis dece-
dentibus, devenit ad alias substitutiones
absque ulla repetitione masculinitatis; undè
dici nequit, quod voluerit in omnibus gra-
dibus, & in progressu cujuscumque lineæ
hanc qualitatem requirere, cum ab expres-
6 sione duorum graduum inferri non possit ad
voluntatem considerandi totam lineam lon-
gè ultra progredientem, cum eadem quali-
tate: tum etiam, & fortiùs, quia immediatè
post in eodem §. 11. vocavit fratres — *anti-*
quiores (sunt verba præcisa) *proximioresque*
sic morientium remotioribus præferendo &c.
& sic de liberis masculis filiarum primi gra-
dus ejusdem Testatoris, quibus, & eorum
singulis, ut supra morientibus substituit su-
perstites ordine successivo, & primogenitu-
ræ antiquiores, proximioresque sic præferen-
do & in §. 12. decedentibus, filiis filiarum
suorum filiorum substituit — *filios masculos*
naturales, & legitimos prædictarum filiarum
primi gradus, & suos descendentes in infini-
tum ordine successivo, & primogenituræ, ut
supra — juxta enim hujus dispositionis sen-
sum, successio dicitur à Testatore redacta
ad ordinem intestatæ successionis, qui tan-
7 quam ab eodem volitus, prò regula servan-
dus est, ut tradunt *Gloss. & Doctores in leg.*
cum ita 33. §. In fideicom. de legatis 2. Fusar.
de substitut. cap. 487. n. 1. Mart. de success.
legal. par. 1. qu. 12. art. 1, n. 7. & 17. & Rota
in Romana Casalis Aguzzani 21. Iunii
1701. §. *Si verò coram Reverendiss. D. meo*
Decano: alias enim, sicuti à principio adje-
8 cit dictam qualitatem masculinitatis, ità &
illam in progressu adjecisset, nec proxi-
miores

miores præferri voluiſſet remotioribus,ideo-
que, licet fuerit aliquando uſus verbo libe-
ris comprehendente plures gradus, dum
poſtea vocavit in genere deſcendentes pro-
ximiores ſuperſtites, & ſimiles; debent iſta
verba, juxta eorum naturalem ſignificatum
operari comprehenſionem etiam maſculo-
9 rum ex fæminis in eadem linea exiſtentium,
Torr. de Primogenit. Ital par. 1. cap. 38. n. 59.
Rota coram Emer. dicta deciſ. 1338. *n.* 5 *&*
in dicta Bononien. fideicom. de Ghiſellis co-
ram clar. mem. Card. Caccia, & per conſe-
quens, cum portio hæreditatis, quæ in divi-
ſione delata fuit ad Ludovicam filiam Teſta-
toris, continuaverit in Joſepho ultimo poſ-
ſeſſore, continuare quoque debet in Joſepho
juniore, & Franciſco defuncti nepotibus, uti
habentibus qualitatem maſculinitatis, & pro-
10 ximioritatis in linea jam admiſſa; priuſquam
fiat tranſitus ad maſculum ex maſculo lineæ
remotioris, qualis eſt Joſeph Ignatius *ex ſu-*
pra relatis.

Atque ex his de facili ceſſat replicatio,
quod Teſtator requiſiverit qualitatem ma-
ſculinitatis tam in generante, quam in gene-
rato, id deducendo, non ſolum ex qualitate
maſculinitatis toties repetita, ut ſupra, obii-
ciebatur, ſed etiam ex quo ubi admittere
voluit deſcendentes ex fæmina, & ſic omit-
tere qualitatem maſculinitatis in generante,
id expreſsè dixit, & quidem cum dictioni-
bus perſonaliſſimis; dum vocando maſculos
filiarum ſuarum adjecit verba -- *Ipſarum* --
11 *Prædictarum*, & ſimilia; quæ operantur ut
ſolum filii primi gradus poſſint deſcendere à
generante non maſculo, cum præfatæ dictio-
nes cauſam immediatam deſignent, itaut
verificari non poſſit diſpoſitio quoad alios
ulterioris gradus, in quibus dicitur voluiſſe
ſucceſſivam, & continuatam ſeriem maſcu-
lorum abſque ulla intermedia interruptione
fæminarum, ut latè diſcuſſo articulo firma-
tum fuit *coram me in Romana fideicommiſſi*
10. *Januarii*, *&* 2. *Junii* 1698.

Quoniam objectum procederet, ſi ut ſu-
pra dictum fuit Teſtator non ordinaſſet pro-
ximiores præferri remotioribus, nec in vo-
catione filiorum, & deſcendentium in infi-
12 nitum omiſſa repetitione maſculinitatis, vo-
luiſſet hæreditatem deferri ordine ſucceſſi-
vo; nam ſtantibus hiſce circumſtantiis, quæ
nullo modo aderant in caſu deciſionum edi-
tarum coram me in dicta Romana Fidei-
commiſſi, dici non poteſt requiſita qualitas,
tam in generante, quam in generato, ſi enim
appellatione deſcendentium in infinitum,
veniunt quotquot in longiſſimo temporis
ſpatio, & graduum progreſſu reperiri poſ-
ſunt in linea, abſonum videtur aſſerere, quod
omnes ſint maſculi ex quacumque fæmina
generati, ut patet ad ſenſum. Abſque eo
quod etiam in hac vocatione cenſeri debeat
repetita qualitas maſculinitatis propter di-
ctiones relativas, quia attentè perlecto te-
nore diſpoſitionis, certè in illis locis, quibus
fuit facta mentio proximiorum, & deſcen-
13 dentium, tales dictiones repetitivæ, vel
non leguntur, vel reſpiciunt ſimpliciter or-
dinem ſuccedendi, ut animadverſum fuit in
mea præterita deciſione § Abſque eo quod.

Verba autem perſonaliſſima, appoſita in
primo gradu ſtant ſimpliciter ad deſignan-
dam cauſam, & originem, ex qua Teſtator
ſeligere voluit deſcendentes in ſucceſſione
fideicommiſſi, illi enim neceſſario debebant
14 eſſe maſculi: ſed non indè ſequitur, quod
reſpectu aliorum, qui ſub nomine proximio-
rum, & deſcendentium fuerunt vocati, indu-
catur neceſſitas maſculinitatis in generante,
Alciat. conſil. 104. n. 3. lib. 9. Fuſar. de ſub-
ſtitut. quæſt. 404. n. 56. Rota in Bononien. fi-
deicomm. de Ghislеriis 19. Junii 1693. *§. Et*
licet coram bon. me. Benincaſa.

Confirmantur hæc omnia aliis circumſtan-
tiis ex ipſo teſtamento, & ſignantèr ex quo
ibi diſponitur, quod ſi aliquo tempore maſ-
culi non extarent, admitteretur fæmina ad
perceptionem fructuum illorum bonorum,
quos ejus filii conſequuti fuiſſent, ſi in rerum
natura extitiſſent, dicta tamen fæmina de-
functa voluit portionem bonorum conſoli-
15 dari cum proprietate, exinde ſublatua re-
manet quilibet reſpectus ad contemplatio-
nem veræ agnationis, *Manſ. conſultat.* 350.
n. 32. lib. 4. Rota coram Zarat. deciſ. 13. n. 14.
& in recent. deciſ. 526. n. 11. par. 19. etiamſi
fæminarum admiſſio reſtricta ſit ad vitam, ut
in fortioribus *Manſ. conſult. 176. n. 22. & 23.*
& conſult. 472. num. 10. Caſtill. de uſufruct.
cap. 5. n. 2. Rota deciſ. 133. poſt num. 29. &
ſeqq. par. 9. & deciſ. 487. par. 19. recent.

Rurſus in §. . deficientibus liberis ma-
ſculis tam filiarum prædictorum ſuorum fi-
liorum, & hæredum, quam filiarum ipſius
teſtatoris, ſubſtituit ipſas filias, & earum
filias deſcendentes in infinitum ordine ſuc-
ceſſivo; quamobrem dici non poſſunt excluſi
maſculi ex quacumque fæmina deſcenden-
16 tes, ne alias melioris conditionis dicantur
ipſæ fæminæ, quam maſculi ex eis deſcen-
dentes, ad notata per *Torr. de primogenit.*
par. 1. cap. 38. n. 394. Mantic. de tacit. lib. 22.
tit. 16. n. 1. Rota Florentina inter collectas
per Palm. deciſ. 263. n. 5.

Ac tandem in §. 16. legitur ſubſtitutio fa-
cta favore hoſpitalis S. Marthæ in defectum
deſcendentium tam de linea maſculina, quam
fæminina; vndè tanto minùs cõtroverti poteſt
expreſſa vocatio maſculorum, ſive per unum,
ſive per duplex medium fæminarum deſcen-
dentium, cum appellatione lineæ fæmininæ
veniant omnes deſcendentes à fæminis per
17 *Text. in cap. 3. & cap. final. de conſanguini-*
tate, Roxas de incompatibilit. par. 1. cap. 6.
num. 350. Rota deciſ 168. *n. 60. par. 19. re-*
cent., & fuit dictum *in deciſ. quæ revidetur*
§. Et clariùs.

Hujuſmodi autem circumſtantiæ oſten-
dunt, quam ſit diverſus iſte caſus, ab illo, de
quo in dicta Romana fideicommiſſi coram
me; dum in eo deficiebant, & ulterius ex
eis etiam excluditur quælibet præſumptio,
quod

quod Testator habuerit respectum ad conservationem verè agnationis, etiamsi adjecerit onus assumendi cognomen, & arma; Illud enim æque benè adimpleri potest ab
18 iis, qui immediatè à fæmina agnata, ac ab alio quocumque extraneo descendunt, ut firmatum fuit in *decisione, quæ revidetur* §. *Absque eo quod*.

Et ità ex his, omissis aliis, vel tanquam levioribus, vel in præcedenti decisione sublatis, resolutum fuit utraque &c.

ROMANA LOCORUM MONTIUM
Lunæ 24. Novembris 1704.

ARGUMENTUM.

In emptione facta cum alienis pecuniis, quamvis dominium quæratur ei, cujus nomine illa secuta est: contra istum tamen datur actio pro restitutione pecuniarum, nec per acquiescentiam creditoris, pecuniarum præsumitur donatio.

SUMMARIUM.

1 *Ad judicium citandus est solum ille, quem negotium principaliter tangit, non autem ille, de cujus interesse consequtivè agitur, quamvis gesta contra primum, feriant etiam istum.*

2 *Suspicio collusionis in præjudicium collitigantis, ob non interpositam appellationem, cessat, quoties actum est de credito undique claro, & liquido.*

3 *Hæres potest repetere creditum sui auctoris, quod signatum apparet favore alterius, probata pertinentia pecuniarum.*

4 *A' libera acquisitione locorum montium non infertur ad donationem.*

5 *Res efficitur de dominio illius cujus nomine empta fuit.*

6 *Rei emptæ ex pecuniis alterius dominium quamvis sit illius cujus nomine facta est emptio: tamen iste non liberatur à restitutione pecuniarum.*

7 *Res empta sub nomine filii, præsumitur donata eidem filio.*

8 *Donatio favore extranei non præsumitur, quando est possibilis alius titulus, vel alius intellectus dari potest; juncto* num. 9.

10 *Amplia si donatio esset magnæ quantitatis, & donator non esset admodum dives.*

11 *Donatio non concluditur ex lapsu quindecim annorum cum acquiescentia, cessantibus aliis conjecturis.*

12 *Nepos succedit Patruo ab intestato nullo alio proximiore comparente.*

DECISIO CCCXLII.

JOannes Franciscus Carosius emit anno 1656. loca decem montis restaurati, mediante ordine solvendo -- *A chi liberamente haverà rassegnato &c. in persona, ed à dispositione di Maria Maddalena Carosi &c.* in cujus ordinis executionem resignatio libera favore dictæ Mariæ Magdalenæ suum sortita fuit effectum: cum autem ista in ultimis tabulis Annam Victoriam, & Angelam Mariam sorores hæredes sibi scripserit, illasque reciprocè gravaverit, adjecta substitutione favore ven. societ. SS. Rosarii; hinc fuerunt dd. loca montium cum vinculo ejusdem fideicommissi in favorem dd. hæredum translata.

Quoniam verò interim Anna Victoria decessit, & integra hæreditas delata fuit ad Angelam Mariam, contra istam Jacobus Carosius hæres prædicti Joannis Francisci judicium in Tribunali Eminentiss. Vicarii instituit pro restitutione pretii dd. locorum montium, & fauorabilem sententiam reportavit, quæ ob non interpositam appellationem transitum fecit in judicatum: sed defuncta postmodum etiam præfata Angela, curavit idem Jacobus, citata ven. societ. SS. Rosarii, dd. loca montium, prævia deletione vinculi, deliberari: quemadmodum dicta societas adversus præfatam sententiam recursum habuit ad Signaturam Justitiæ, à qua commissionem mihi directam impetravit, signata cum clausula -- *De causis restitutionis in integrum* -- propositoque per me de more dubio, Domini attentis validitate, & justitia dictæ sententiæ, *non constare de causis*, responderunt.

Validitas namque satis resultare visa fuit ex actis, ac frustra impugnabatur ex eo, quod in judicio agitato, citata non fuerit societas prædicta in testamento Magdalenæ substituta; quoniam cum tempore latæ sententiæ, adhuc esset inhumanis Angela Maria hæres gravata, & de cujus interesse principaliter agebatur, ideò satis fuit eandem citasse, & acta contra illam gesta afficiunt
1 etiam societatem substitutam, tanquam interesse consequutivum habentem, ad *Text. in leg. Papinianus* §. *si ex causa ff. de inoffic. testam. leg. si patrona* §. *fin. ff. ad trebell.* Peregrin. *de fideicom. artic. ult. n.* 56., Grat. *discept.* 56. *n.* 61. *Larrea decis. Granaten* 35. *num.* 43. *Rota coram Bich. decis.* 79. *num.* 4. & 6., & in his præcisis terminis *Rota coram Arguell. decis.* 97. *n.* 21. & *in recent. decis.* 242. *n.* 16 *par.* 16. & *in Romana pecuniaria* 11. *Januarii* 1700. §. *Quoniam coram Reverendiss. D. meo Decano.*

Absque eò quod de collusione dubitari possit, ex quo insimùl convivebant Jacobus, & Angela collitigantes, & ab ista fuit omissa appellatio, quia cum ageretur de credito
2 undique claro, & liquido, qualibet suspicio cessat, ac prætermissis aliis responsionibus, ex hac sola circumstantia prorsùs elisa remanet, *Rota penès Merlin. de pignor. decis.* 48. *n.* 15. & *in recen. decis.* 275. *n.* 56., & *decis.* 316. *n.* 24. *par.* 19.

Ex qua profectò liquiditate crediti resultat etiam justitia d. sententiæ, cum enim negari nequeat, quod controversa loca montium, quamvis empta viderentur sub nomine Magdalenæ nihilominus acquisita fuerint ex pecuniis Jo. Francisci in banco S. Spiritus existentibus, ut ex *Summ. actoris num.* 1., & 5. indè bene potuit Jacobus dicti Francisci nepos, & hæres pro dd. pecuniarum repetitione agere contra hæreditatem Magdale-

3 næ prædictæ, in cujus commodum implicatæ fuerunt ad *Text. in leg. cum quid ff. de reb.credit.si cert.pet. & in l. et si de sua, & leg.si filii Cod. de donat.inter vir.& uxor.*, & benè explicat *Cujac.ad tit.Cod. si quis alteri, vel sibi ratiocin. Grat.discept.879.n.9.& seqq. Rota penes Pic. ad statut.Urb. dec.11. num.1. & apud Cenc.de censib. decis.166.n.7.*
4 *& cor. Cerro decis. 602. n.3. & seqq.* à libera enim acquisitione locorum montium favore præfatæ Mariæ Magdalenæ, inferri non potest ad donationem pretii; attenta regula, quod quælibet res empta cum alienis pecu-
5 niis, etsi dici possit, quod efficiatur de dominio illius, cujus nomine emptio facta fuit, *leg.si ex ea Cod.de rei vindic.l.fin.Cod.si quis*
6 *alteri vel sibi*, attamen ipse à restitutione pecuniarum liberatus non remanet, *Rota post Cenc.de censib.decis.166.n.7.& coram Caval. decis. 221. n. 2.*

Non attenta responsione, quod Jo.Franciscus eandem pecuniarum quantitatem titulo gratuitæ donationis elargiri voluerit; dum locorum montium dispositionem sibi non reservavit; quoniam cum non agatur de emp-
7 tione facta favore filii, juxta terminos *Grat. discept.50. n. 18. Card. de Luca de regal. discurs.1. num.3.& disc.24.num.2. Rota coram Seraphin.decis.1303. n.3. & 9.*, sed personæ prorsùs extraneæ; omnis præsumptio stat
8 pro exclusione donationis, ut monent *Gratian. discept.231. n. 1. Larrea allegat. fiscal. par.1.alleg.42. n.8. Rota decis.262. n.7 & 8, par.1. divers.& in recen.decis.95 n.4. par.18.* nunquam enim donatio præsumitur, quando
9 est possibilis alter titulus, vel alius intellectus dari potest, *leg.cum in debito ff de prob.Cardin. de Luca de donat. disc.48. n. 9. Rota coram Cavaler. decis. 603. num.5. & 6. & in recent decis.437. num.2 par. 13. & decis.25. n. 5. par.17. & decis.95. n.4. par.18.* Maximè quià ostensum fuit, quod Jo. Franciscus non esset admodum dives: undè incalescit præsumptio, quod donationem quantitatis non
10 modicæ videlicet sc. 1400. circiter, facere non intellexerit, *Rota decis.113.n.13.par.1. & decis.315.n.2.par.11. & decis.302. num.5. par.16. recent.*

Minimè refragante, quod per illum fructus dd. locorum montium successivè nomine Magdalenæ exacti fuerint: quodque per lapsum 15. annorum, quo supervixit, eandem pecuniarum summam non expostulaverit, quià cum loca prædicta cantarent in faciem Magdalenæ, utique exactio alio nomine expleri non poterat, nec solus lapsus modici temporis cum acquiescentia, cessantibus aliis
11 circumstantiis, valet donationem concludere, ut advertunt *Menoch. cons.561. n.19. & 20. Becch.cons.195.n.7., Barz. dec.Bonon.48. n.27.Rota cor.Cavaler. decis.31. n.4.*

Et hæc quoad justitiam. Verùm quia opponebatur etiam quod Jacobus actor non legitimaverit suam personam; ideò animadversum fuit ad exclusionem objecti, quod ex fidibus baptismatis, & depositionibus Testium allatis in ejus responsione, constat Jo: Franciscum fuisse fratrem Jo: Antonii, & ab illo ortum fuisse Jacobum, qui proinde, uti nepos ex fratre ejusdem Jo:Francisci, cum decesserit nullo condito testamento, possit ei-
12 dem ab intestato succedere, dum non comparet alter proximior, *leg. 1. & tot. tit., & Cod.quor.bonor.Grat.discept.687. n.3. Rota coram Buratt. decis. 309. n. 1. & decis. 631. n. 9. coram Merlin.& decis.860. num.1. cor. Dunoz.jun.& in Romana, seu Firmana successionis 16. Januarii 1696. §.1. cor R. P. D. meo Priolo*, & sic potest illius bona ex hoc titulo vindicare, *Rota coram Celso dec.240. n. 2. & in recent. decis.507. n. 13. par.18.& decis.180. n.3. par. 19.*

Et ità utraque &c.

ROMANA AFFICTUS

Veneris 12. Decembris 1704.

ARGUMENTUM.

Contra affictuarium locum est mandato de evacuando, cum locans legitimo tempore disdictam fecit: nec protrahi potest sub prætextu non refusarum expensarum, & melioramentorum conventorum prius restitui: quando illa sunt voluptuosa, vel non necessària, & illiquida ob compensationem fructuum locanti debitorum; Nec statur libro, cui conventum fuerat stari debere, quando dolosè confectum fuit, & est erroribus refertum.

SUMMARIUM.

1 *Affictuarius prædium vacuum dimittere cogitur, si locans tempore convento disdictam fecit.*
2 *Et ad istum effectum expediri potest mandatum de evacuando, seu de exfrattando.*
3 *Expensæ quas conventum fuit refici ante finem affictus, si non reficiantur, impediunt illius terminationem; secus si expensæ non sunt necessariæ, & melioramenta utilia,* & num.6.
4 *Expensæ voluptuosæ, vel pro majori commoditate contra formam pacti non sunt reficiendæ.*
5 *Ædificia facta in alieno solo, invito Domino, solo cedunt.*
7 *Cæmenta in tenimento reperta sunt tanquam utilia, seu fructus fundi, quæ pro medietate ad locatorem spectant.*
8 *Melioramenta compensari debent cum credito, quod habet Dominus.*
9 *Actio pro mandato de evacuando clara, & ejus executio retardari non potest ab exceptione melioramentorum vel insubsistenti, vel turbida, juncto* num.11.
10 *Melioramenta, ut liquidentur, necessaria à voluntariis sunt prius separanda.*
12 *Exceptio altioris indaginis est in alio judicio diverso ab executivo cognoscenda.*
13 *Librum cui stari promissum fuerit; intelligitur quatenus esset fideliter, & legaliter tentus.*
14 *Nec ei standum est, cum est dolosè confectus, & erroribus repletus.*

DECI-

DECISIO CCCXLIII.

Tenimentum, quod Jo: Ciatianti an. 1673. concessum fuerat in emphiteusim, cum onere manutenendi domos, ac fontes ibidem existentes, illudque in totum meliorandi cum plantatione arborum, obtenta postmodum facultate à domino directo fabricandi etiam ibidem unam tantum fornacem ad usum fornaciarii, dedit ille ad coloniam partiariam, seu, ut dicitur ad mediatiam Cæsari Albanesio per novennium cum diversis pactis, & conventionibus, & signanter, quod plantationes arborum fierent expensis communibus retrahendis ex fructibus tenimenti, & quatenus isti non sufficerent, teneretur Joannes illas de proprio reficere: sicut etiam, quod Cæsar locatarius assumeret in se onus ædificandi d. fornacem cum omnibus aliis ad ejus usum necessariis, utilia tamen ex eis retrahenda ad ipsum spectare deberent d. locatione durante; qua terminata deberet illi restitui medietas expensarum juxta æstimationem peritorum hinc indè eligendorum, & deficiente Joanne in hujusmodi refectione, censeretur locatio ad aliud novennium renovata, & sic deinceps, & ne unquam oriri posset difficultas circa probationem utilium, & expensarum, fuit conventum, quod Cæsar conficere deberet libercolum quolibet mense à Joanne subscribendum, in quo dietim introitus, & exitus adnotatentur, eidemque omnimoda fides, tanquam si esset publicum instrumentum, præstari deberet.

Locatio hæc per duplex novennium continuavit. Interim vero, quia Joannes decessit, Antonius Oliverius ejus donatarius tempore habili illam disdixit, & mandatum de exfractando contra hæredes Cæsaris reportavit, quod in gradu appellationis hodiè proposito per me dubio, Domini *exequendum esse* censuerunt.

Clarum quippè, & litterale est pactum in instrumento coloniæ partiariæ adjectum, quod nolente altera ex partibus in d. locatione persistere, teneretur per octo menses ante, illam disdicere, suumque consensum revocare cumque hoc fuerit adamussim per
1 Oliverium adimpletum, utique d. locatio resoluta remanet, & tenentur hæredes Affictuarii tenimentum vacuum, & expeditum dimittere, *ad Text in l. si quis conductionis* 25. *C. locat.*, *in l. Conductores* 34., *& in l. ne cui ibique glos. in verb. locandi C. eodem Pacion. de locat.*, *& conduct. cap.*53. *num.* 1. *Rot a coram Gregor. dec.*45. *n.*...., *& coram Cerro* 643. *num.* 1., *& cor. S. me. Alexand. VIII. dec.* 105. *num.* 2., *& seq.*, *& in rec. dec.* 245. *num.* 1., *& seq. par.* 14. itaut benè possit ad istum effectum contra
2 illos mandatum de evacuando, seu de exfractando relaxari, juxta praxim traditam *per Ridolfin. par.* 2. *cap.* 13. *num.* 2.

Non obstat, quod in eodem instrumento conventum fuerit, quod debuisset prius refici medietas expensarum à Cæsare in constructione fornacis, ejusque pertinentiis erogandarum, alias censeretur locatio ad aliud novennium prorogata, & propterea cum dictæ expensæ fuerint liquidatę per peritum ab Albanesiis electum in sc. 5191., & ab altero illorum de Oliveriis in summa sc. 4526. 47.,
3 non potuerint præfati Albanesii expelli, nisi refecta saltem medietate ipsius minoris quantitatis, in qua periti sunt concordes.

Quoniam licet dubitari non possit de confectione illorum melioramentorum, tamen animadversum fuit, quod illa usum fornacis
4 excedebant, plutaque ex eis fuerunt voluptuosa, vel pro majori commoditate confecta, ut refert ipse peritus ab Albanesiis electus, & ex ipsa inspectione habetur, dum ibidem ultra fornacem fuit ædificata domus ad usum habitationis cum horto, & remilià; & proinde hujusmodi impensæ tanquam factæ contra formam pacti, reficiendæ non veniunt: cum potius ædificia facta in solo alieno invi-
5 to domino, cedant solo; *l. Qui domum ff. ad leg. Aquil. l. adeo ff. de acqu. rer. domin. Rota dec.* 384. *num.* 4. *par.* 9. *rec. cum aliis ibi adductis*. minusque eorum prætextu impediri valeat executio mandati de evacuan-
6 do, cum ad hunc effectum mandati requiratur, quod impensæ sint necessariæ, & melioramenta utilia; *ad Text. in l. impensæ §. voluptuariæ de verb. signific. Rot. post Posth. de manut. dec.* 159. *n.*8., *& in rec. dec.* 219. *n.*25. *p.*10.

Fortius autem quia deteguntur illiquida, tum quia ædificium constructum fuit cum cęmentis in tenimento locato excavatis, quæ tanquam utilia, seu fructus fundi pro
7 medietate ad locatorem spectabant: tum quia compensari debent cum credito, quod
8 habent actores adversus Albanesios pro solutione medietatis utilium toto tempore durantis locationis perceptorum, prout conventum fuerat in instrumento locationis, & hujusmodi utilia longè superant præteotionem meliotamentorum; cum fuerit per Peritum liquidata in sc. 9000. ex quibus concludendum venit; quod cum actio prò obti-
9 nendo mandato de evacuando sit clara, & exceptio refectionis melioramentorum, vel totaliter convincatur insubsistens, vel saltem
10 sit turbida, cum prius sint separanda necessaria à voluptuosis in suo judicio particulari,
11 non possit ex ea executio mandati impediri; *ad Text. in l. sumptus, & in l. empta utrobique gloss. ff. de rei vindicat. Rota coram Burat. dec.* 441. *num.*7., *& dec.* 186. *num.* 9. *par.* 2. *divers.*, *& in rec. dec.* 650. *num.* 6. *par.* 2., *& dec.* 111. *num.* 16. *par.* 10., *& dec.* 435. *num.* 22. *par.* 19.

Minimè refragante, quod perceptio dictorum utilium non probetur, imò potius exclusa remaneat ex quodam libro per Albanesios exhibito, cui omnino standum esse conventum fuit in supra enunciato instrumento locationis, quoniam ultra quod,
12 etiam hujusmodi inspectio tanquam altiorem requirens indaginem erit in alio judicio cogno-

cognoſcenda, ſufficit pro nunc advertere,
quod cum dictus liber propè innumeris ſca-
teat erroribus, quos late Peritus Curialis in
ſua Peritia recenſet: inde ſequitur, quod
13 licet locator promiſerit illi ſtare, adhuc pa-
ctum hujuſmodi ſemper intelligi debet; qua-
tenus eſſet fideliter, & legaliter tentus, non
autem quando conſtat de dolo locatoris, &
eſt erroribus repletus; *Card. de Luca de Teſtam. diſc.*68. *num.* 6. *Cacheran. dec. Pedemont.* 96. *nu.* 5. *Rota cor. Millin. dec.* 12. *num.* 5., *&* 6., *& in Romana Economiæ ſeu redditionis rationis* 4. *Martii* 1698 §. *fin. coram Illuſtriſſimo magno Cancellario Mediolani.*

Et ità utràque &c.

FERRARIEN. BONORUM SUPER MANUTENTIONE.

Ven. 16. *Januarii* 1705.

ARGUMENTUM.

Eſt confirmatorias ſuperioris Deciſ. 282.
Confirmatur infra dec. 424. 443. 475., Et in hac cauſa ſuper liberatione a moleſtiis ſunt dec notatæ dec. 361., & ſuper datione in ſolutum dec. 362.

SUMMARIUM.

1 *Executio multum exceſſiva eſt nulla.*
2 *Aſſignatarius moleſtias in parte paſſus poteſt ex ſtatuto Urbis* lib. 1. cap. 89. *agere, vel pro liberatione à moleſtiis, vel pro integra pretii reſtitutione.*
3 *Aſſignatarius pacto convento, pro ſuo arbitrio ad liberationem à moleſtiis, vel ad integram pretii reſtitutionem poteſt agere.*
4 *Secus dum in judicio petiit tantum quanti intereſt pro liberatione à moleſtiis.*
5 *Et tunc expedire tantum poteſt mandatum pro ea ſumma.*
6 *Qui aliam viam eligere potuit, & non elegit, ſibi imputet.*
7 *Facultas variandi re non integra allegari non poteſt.*
Res non eſt integra, cum deventum fuit ex uno titulo ad ſubbaſtationem, & deliberationem bonorum.
8 *Quomodo ex citationibus deprehendatur electam fuiſſe viam liberationis à moleſtiis, non vero ad integram reſtitutionem pretii rei aſſignatæ?* & num. 10.
9 *Decretum declaratur, & intelligitur ab actis*, & num. 11.
12 *Aſſignatarius petere non potuit ab aſſignante refuſionem prò integro pretio, rei: quando unam tantum partem creditores avocarunt, & aliam ipſe retinuit*, num. 14.
13 *Teſtis unici extrajudicialis fides non probat.*

DECISIO CCCXLIV.

ADverſus deliberationem factam ad in-
ſtantiam cla. mem. D. Taddei Balberini
vigore mandati relaxati prò liberatione à
moleſtiis ſibi illatis ſuper tenuta *del Quinto*
alias inſolutum data cla. mem. Cardinali
Franciſco, obtinuerunt fratres de Macchia-
veliis manutentionem coram me in propoſi-
tione cauſæ habita ſub die 2. Julii anni 1703.
cumque hodie fundamenta reſolutionis ſub-
ſiſtere viſa fuerint, DD. *ſteterunt in deciſis.*

Siquidem non controvertebatur inter par-
tes, quod moleſtiæ illatæ non excederent
ſummam ſcut. 50400., & tamen madatum
fuerat prò integro pretio bonorum aſcen-
den. ad ſcut. 28238., & prò totidem execu-
tioni demandatum, & ad effectivam ſubha-
ſtationem deventum: quod citrà vitium evi-
1 dentis nullitatis fieri non poterat, propter
adeo notabilem exceſſum; *ut bene Rota in dec.* 291. *num.* 3. *cor. Merlin.*, *& dec.* 441. *num.*5. *cor. Ubaldo.*

Non obſtat, quod in inſtrumento datio-
nis inſolutum fuerit à fratribus de Macchia-
veilis promiſſum, quod bona eſſent libera
cum ampla obligatione ad evictionem, ſive
illa in judicio poſſeſſorio, ſive in petitorio,
& ſive in totum, ſive in parte ſequeretur:
2 addita etiam facultate variandi, itàut eſſet
in electione aſſignatarii agere, vel pro libe-
ratione à moleſtiis, vel prò integra pretii
reſtitutione: quod etiam conſonat diſpoſi-
tioni *ſtatuti Urbis lib.* 1. *cap.*89. unde infere-
batur, non eſſe cogendum Eminentiſſimum
3 D. Cardinalem Franciſcum ſucceſſorem in
ſecundogenitura ad petendam liberationem
ad ſolam moleſtiarum menſuram, ſed po-
tuiſſe agere ad reſtitutionem totius, & in-
tegri pretii, *Urceol. de tranſact. quæſt.* 42. *num.* 22. *Rota in Peruſina Salviani* 26 *Januarii* §. *Abſque eo quod*, *&* 6. *Aprilis* §. *Tametſi* 1699. *coram R. P. D. meo Muto.* Illuſtriſſimo etiam ad reſciſſionem contra-
ctus, ut proſequitur, *Urceol. ubi ſupra num.* 29. *Poſth. reſol. civil.*6. *num.* 6., *&* 7. *Rota dec.* 415. *num.* 4. *par.* 1. *recen.*, *& in Melevitana Reintegrationis ſuper credito* 4. *Maii* 1693. §. *Admiſſo coram R. P. D. meo Pio.*

Quoniam admiſſa concluſione: difficultas
fuit in applicatione ad hypoteſim, non
enim impugnabatur, quod potuiſſet inten-
tari judicium prò traditione bonorum libe-
rorum, ad formam pacti, reportando man-
datum prò toto pretio, ſed ex facto conſti-
rit, quod talis via electa non fuit, dum ſo-
lum petita apparet liberatio à moleſtiis illa-
4 tis ſuper bonis, & in hoc judicio non venit
reſtitutio totius pretii, ſed ſolum quanti
intererat prò liberatione ab iiſdem moleſtiis
quapropter, cum per ſolutionem ſc. 10400.
ſtatim ceſſarent moleſtiæ, expediri non po-
5 terat mandatum, niſi pro dicta ſumma: ſi-
bique imputare debet poſſeſſor, ſi voluit
6 potius eligere hunc modum agendi, quam
alium prò traditione rei liberæ, ut egregiè
reſpondendo objecto, & diſtingnendo ca-
ſus, *Rota dec.* 30. *num.*5., *&* 8., *& dec.*70. *num.* 7. *coram Duran. cum aliis in mea præ-*

teri-

terita decisione §. *Nec obstat.* cumque res
non sit integra, quia non solùm fuit electa
7 hæc via, sed ulterius consumpta executio,
& deventum ad effectivam subhastationem,
& deliberationem bonorum, non potest al-
legari facultas variandi, *Bartol. in l. eum
qui certarum* §. 1. *num.* 4. *ff. ac verb. obli-
gat.*, *Surd. cons.* 413. *nu.* 18. *Capyc. dec.* 33.
nu. 3. *vers. secundo facit*.

Absque eo, quod dubitari valeat, quod
fuerit solummodò actum prò liberatione à
8 molestiis, sive respiciamus interpellationem
præcedentem, sive citationem subinde exe-
cutas, ultra quod enim respectu interpella-
tionis, satis esset respondere, quod super
ea, judex interloquutus non fuit, adhuc ex
lectura patet, quod tam illa, quam cæteræ
omnes citationes continent solum instantiam
prò liberatione à molestiis illatis ad formam
obligationis contentæ in instrumento datio-
nis insolutum, cum petitione mandati ad fa-
ctum, quod importat implementum ex par-
te debitoris unicè consistens in dimittendis
creditoribus, qui molestias inferebant, &
sic in solvendo eisdem summam debitam.

Et licet in decreto interposito in ultima
citatione, judex relaxaverit mandatum ad
factum pro pretio bonorum evictorum, ta-
9 men cum hoc declaretur ab actis, & ab in-
stantia, dum ex actis constabat, creditores
avocasse possessionem in judicio Salviani ad
solum effectum sibi satisfaciendi de eorum
credito in summa sc. 10400., & instantia erat
10 restricta ad liberationem ab istis molestiis,
utique in necessariam consequentiam dici
debet quod judex nihil aliud concesserit
parti, quam reintegrationem pro fructibus,
quos amittebat, relaxando mandatum prò
solutione summæ, ratione cius passus fue-
rat super iisdem fructibus molestias, ut in his
terminis firmatum fuit *in dictis dec.* 30., *&* 70.
coram Durano, *&* generaliter quod decre-
11 tum sit intelligendum, & declarandum ex
actis; *l. ait prætor* §. *judex ff. de re judic.*,
Rota coram Pamphil. dec. 720. *num.* 4., &
passim.

Immò cum creditores, nec avocaverint
possessionẽ omnium bonorum, dum Eminen-
tissimus D. Cardinalis remansit adhuc in pos-
sessione certæ portionis, exigendo etiam ra-
12 tam redditurum, ut justificatum fuit ex re-
ceputis ad hunc effectum exhibitis non at-
tenta responsione, quod istæ respiciant ter-
minos affictus maturatos ante, cum id non
probetur nisi ex quadam simplici, & extraju-
13 diciali fide unius dumtaxat testis, Indè tan-
to clarius apparet, nos versari in spolio ma-
nifesto: & propterea executioni demandari
non poterat mandatum prò integro pretio
14 bonorum, quando pars illorum adhuc reti-
nebatur; *juxta theoricam Jo. Andr. ad spe-
culatorem in tit. de empt.*, *&* *vendit.* §. 1.
num. 8. *in addition. in fin. Gratian. disce-
pt.* 787. *nu.* 8., *Surd. dec.* 295. *n.* 19., *&* 20.
ubi quod ita judicavit Senatus.

Et ità omnibus dd. suffragantibus decisum
fuit utràque &c.

ROMANA CENSUS.

Ven. 23. Januarii 1705.

ARGUMENTUM.

Inventarii validitas de stylo Curiæ Capitolinæ
confecti vindicatur contra creditores olim
in illo vacatos, qui non comparuerunt, &
post multum temporis de ejus nullitate di-
cunt, cum alias in judicium productum ipsis
citatis nihil reprobarunt. Defectus reddi-
tionis rationis aliquarum rerum hæredita-
ris compensatur cum credito expensarum
ultimæ infirmitatis, funeris, & inventarii.
De fructibus vero hæreditariis rationem
reddere non tenetur hæres beneficiatus,
cum ejus credita totam hæreditatem absor-
beant.

SUMMARIUM.

1 *Hæres jura confundit cum suo auctore.*

2 *Limita si hæreditatem adivit cum beneficio legis, & inventarii, perfectèque rationem reddidit.*

3 *Inventarium nulliter conficitur, non citatis creditoribus pro diebus, & horis certis.*

4 *Notula simplex judici exhibita inventarii vires non habet.*

5 *In inventario describi debent tabulæ pictæ cum qualitatibus indicantibus auctorem: limita, ut* num. 11.

6 *Inventarium non valet, nisi jocolia describantur, & alia in capsis recondita.*

7 *Inventarii validitatis materia anceps est. Et in ea caute procedendum.*

8 *Inventarii validitatem opponere non potest creditor, qui de stylo tribunalis citatus non comparuit, nec quidquam opposuit.*

9 *Inventarium approbasse creditor censetur, si contra illud alias productum nihil opposuit.*

10 *Inventarii legalitas à muliere cum omni diligentia, & solemnitate confecti post lapsum multi temporis redargui negavit.*

12 *Relatio periti, à qua non fuit appellatum impugnari nequit.*

13 *Expensæ ultimæ infirmitatis, funeris, inventariique detrahendæ sunt ab hæreditate, pro quibus hæredi datur retentio: si de aliis rebus non bene rationem reddiderit.*

14 *Hæres cujus creditum totum defuncti patrimonium absorbet, censetur statim sibi illud appropriasse, saltem ad effectum faciendi fructus suos.*

15 *Præsertim si statim post ejus mortem de hoc fuerit protestatus.*

16 *Et tunc de fructibus hæreditatis rationem reddere non tenetur, & cur?*

DECISIO CCCXLV.

DEnegarunt hodie DD. associationem pe-
titam à Ven. Archiconfraternitate San-
ctissimi Sacramenti in Basilica Vaticana ere-
cta, pro fructibus census alias impositi à Lau-
rentio

rentio Martio super quadam ejus domo :
Non ex quo dubitaverint de requisitis ad
obtinendum in hoc judicio necessariis, sed
ex quo Ecclesiis S. Mariæ de Pace, & de
Populo competit retentio pro credito dotali
anteriori spectante ad Olimpiam Suitiatam
eorum auctricem , & olim uxorem dicti
Laurentii.

Quoniam vero nec ab Archiconfraterni-
tate controvertebatur anterioritas, tota il-
lius defensio constituta fuit in eo, quod di-
cta Suitiata fuerit hæres sui viri, & proinde
1 illius jura consusa remansissent, sed valida
apparuit responsio , quod cum hæredita-
tem adiverit cum beneficio legis , & inven-
2 tarii, ac perfectam rationem de bonis inibi
descriptis reddiderit, qualibet confusio ces-
savit, & dictum creditum dotis in suo esse
remansit, ut firmavit *Rota corom Pamphilio
dec.* 117. *num.* 15., *& dec.* 114. *n.* 22. *par.* 7.
& dec. 16. *n.* 3., *& seq. par.* 19.

Non attentis pluribus exceptionibus ad-
ductis contra validitatem ejusdem inventa-
rii, quod scilicet non fuerit confectum cum
3 citatione creditorum pro die,& horis certis,
ut illius stipulationi intervenire possent, ita-
ut non sufficiat simplex notula Judici post-
4 modum exhibita : tanto magis, quia in illa
non fuerunt descriptæ tabulæ pictæ cum suis
5 qualitatibus indicantibus auctores, & è con-
verso nulla legebatur descriptio Jocalium
6 aliarumque rerum prætiosarum : imò in ali-
quibus capsis descriptis non legitur; quid
intra illas esset. Etenim hæc omnia, quæ in
hac ancipiti materia respiciente validitatem
7 inventarii, & in qua valde cautè proceden-
dum est, possent fortasse aliquam animadver-
sionem mæreri, in isto casu ex peculiaribus
facti circumstantiis, non meruerunt attendi.

Agitur enim de inventario confecto juxta
stylum Curiæ Capitolinæ adamussim servato
8 dum fuerunt citati creditores, & signanter
Archiconfraternitas prædicta cor. judice pro
die, & hora certis ad videndum admitti ad
conficiendum Inventarium, vel confectum
repeti : quamobrem cum tunc temporis nul-
lus ex creditoribus, & nec ipsa Archicon-
fraternitas quidquam contra legalitatem il-
lius opposuerit, sibi imputet, si citata non
comparuit : ideoque validitas ejusdem ne-
quit modo in dubium amplius revocari.

Ulterius cum de anno 1644. contra eam-
dem Olimpiam institerit Archiconfraterni-
tas prò solutione fructuum istiusmet census,
ipsa allegavit se esse hæredem beneficiatam,
& producto inventario opposuit retinere
omnia bona viri pro suis juribus dotalibus
& tamen dicta Archiconfraternitas non ob-
9 jecit de illius asserta nullitate : Itàut proindè
inventarium approbasse dicatur ; *Menoch.
de præsumpt. præsumpt.* 46. *lib.* 2. *Leoncil.
dec.* 30. *n.* 2. *Rota cor. Dunoz. Jun. dec.* 647.
num. 13., *&* 14., *& in rec. dec.* 360. *nu.* 23.
par. 19.

Et sanè quomodo post lapsum tanti tempo-
ris potest in dubium revocari legalitas inven-
tarii à muliere omni possibili diligentia, &
10 cum interventu omnium solemnitatum con-
fecti : maxime dum in præsenti, nec doce-
tur aliquid fuisse in eo ommissum, nec datur
ullus fumus de existentia Jocalium, aut alio-
11 rum mobilium in capsis,& tabulæ pictæ fue-
runt distinctæ, bona fide descriptæ juxta eo-
rum magnitudinem, & cum figuris, quas
repræsentabant : advertendo quod agitur de
hæreditate viri debitis involuti, & fere de-
cocti, itaut mirum non sit, quod agnita tunc
temporis tenuitate ejusdem, Archiconfra-
ternitas nihil opposuerit.

Posita validitate inventarii probatur etiam
redditio rationis de bonis inibi descriptis,
ex relatione periti curialis judicialiter electi
ad instantiam Ecclesiarum hæredum Olim-
piæ, qui calculato valore Mobilium juxta
æstimstionem habitam ab alio perito Propo-
la, & prætio stabilium in hæreditate reper-
torum, retulit d. Olimpiam remunere cre-
ditricem in sc. 1150. pro quibus jure meri-
to retinere poterat domum, super qua mo-
do petitur associatio, cum illa sit valoris
sc. 1000. tantum : quæ periti relatio, cum ab
ea appellatum non fuerit, nequit ullo mo-
12 do impugnari, *Rot. dec.* 319. *num.* 3., *&
seq. par.* 9. *rec.*, *& in Pisauren. Hæreditatis*
14. *Martii* 1698. §. *insuper obstare coram R.
P. D. meo Illmo, & in Sutrina Dotis* 14.
Martii ejusdem anni, §. *nec est coram Illu-
strissimo d. magno Cancellario Mediolani.*

Non obstante quod in ea fuerit æstimata
quædam vinea pro solis sc. 750., quando il-
lius valor calculati debuisset in sc. 1220., &
sic in hac parte ratio non bene reddita dica-
tur. Quoniam animadversum fuit in facto,
quod usufructus istius vineæ jam fuerat ven-
ditus pro sc. 270. à Johanne Hieronymo hæ-
rede gravato Olimpiæ : quamobrem non po-
teli debito Ecclesiæ hæc quantitas adscribi :
sicut neque erat habenda ratio de cadis 50.
recollectis post obitum ejusdem Jo. Hiero-
nymi tanquam spectantibus jure proprio ad
Ecclesias hæredes subititutas, itaut proinde
detractis dictis partitis prætium vineæ rema-
neat in sc. 750. prout bene calculavit peri-
tus : ultra quod si per impossibile dici pos-
set, quod aliquid remansit in manibus Olim-
piæ, excomputari debet in expensis ultimæ
13 infirmitatis, funeris, inventarii, viduita-
tis, & similium, quæ longe excedunt quid-
quid ultro esset ab illa bonificandum.

Demum non meretur attendi prætensio,
quod per mulierem, Ecclesiasque hæredes
esset reddenda ratio de fructibus bonorum
hæreditariorum Laurentii, & signanter con-
troversæ domus, de quibus in peritia nulla
fit mentio, quia cum ex supra firmatis cre-
ditum Olimpiæ integrum illius valorem ab-
sorbeat, undique censendum est, eam sibi
14 approbasse, ejusdemque Dominium ac-
quisivisse, saltem ad effectum faciendi fru-
ctus suos, *Merlin. de pignor. lib.* 5. *quæst.* 14.
lib. 7. *Rota coram S. mem. Alexand. VIII.
dec.* 47. *num.* 8., *& in rec. dec.* 69. *num.* 10.

parte

parte 12., & dec. 16. num. 18. parte 19.

Attenta præsertim protestatione ab eadem muliere in actu aditionis hæreditatis
15 emissa, in qua declaravit se velle bona hæreditaria prædicta pro suis juribus dotalibus retinere, ex quo clarè sequitur, quod per eam causa possessionis immutata fuit, ac sibi metipsi in satisfactionem sui crediti bona hæreditaria recepit, ideoque tam ipsa, quam ejus hæredes fructus illorum tamquam de re propria percipere potuerunt, absque onere de illis rationem reddendi, *Rocca disput. Jur. Cap. 51. nu. 60. & 67. Rota cor. Zarat. decis. 91. nu. 11., & 12. & cor. Emerix dec. 682. nu. 10., & in rec. dec. 125. nu. 10. par. 7. & dec. 303. nu. 15 par. 19.*

Et ità, utraque &c.

FULGINATEN. SUCCESSIONIS, ET DOTIUM.

Ven 30. Januarii 1705.

ARGUMENTUM.

Habes supra Decis. 295., quæ confirmatur respectu congruitatis dotis à Patre filiabus relictæ, infirmatur vero circa illius transmissibilitatem, & suspenditur quoad dotem maternam.

Super transmissibilitate in hac causa sunt dec. 374. & 387., super hæreditate materna dec. 373.

SUMMARIUM.

1 *Dotis congruitas desumitur inspecta quantitate patrimonii, & filiorum numero.*

2 *Et cum extat statutum, quod fœminæ ejus supplementum petere non possint, quo casu etiam si minor esset legitima, conqueri non possent.*

3 *Quantitas patrimonii ad effectum commensurandi quantitatem dotis satis resultat ex notula jurata de mandato Rotæ exhibita cum obligatione dimittendi: si qua bona ultra ibidem descripta reperiantur.*

4 *Et tunc patrimonium notulam juratam non excedere convincitur, si in longo decursu litis nihil præter bona ibidem descripta extare fuerit probatum.*

5 *Consuetudo est specificè, & in casu præciso probanda.*

6 *Ætas mulieris in certis casibus dotem augeri poscit.*

7 *Limita cum bona non suppetunt, & pater illam assignavit, & adsunt masculi numerosi, quibus domum conservandi onus incumbit.*

8 *Statutum, prout est illud Fulginei, cum incipit à donatione, & progreditur ad exclusionem, dos succedit loco legitimæ; juxta* Theor. Castrens.

9 *Et talis dos à Patre gravari non potest onere nuptiarum, & cur?*

10 *Sed tanquam libera ad hæredes transmittitur.*

11 *Dos sine matrimonio non debetur, cum statutum excludit fœminas propter masculos, & mandat illas dotari, & proindè non est transmissibilis.*

12 *Limita cum favor masculorum consideratus à statuto non stat absolutè, & independenter à dotatione, sed ab ista qualificatur.*

13 *Quo casu succedit loco legitimæ.*

14 *Et ut eam fœmina statim consequatur, necesse non est, quod matrimonium actu contrahatur.*

15 *Et hujus transmissio non impeditur, ex quo de alimentis filiam pater providerit.*

DECISIO CCCXLVI.

Cum Anna, & Sorores de Barnabò audiri obtinuissent adversùs Decisionem æditam cor. me sub die 25. Januarii 1704.: qua firmatum fuerat, dotem illis relictam à Vincentio Patre congruam esse, sed non transmissibilem ad earum hæredes, ipsasque repellendas esse à successione Matildis Matris, hodie in repropositione causæ Domini, persistendo indecisis respectu congruitatis, recesserunt quo ad dotis transmissionem, & circa dotem maternam propter suffragiorum discordiam mandarunt, quod adscitis quinto, & sexto causa iterum reproponeretur.

Et sane dotem sc. 2000. singulis filiabus à Vincentio Patre relictam congruam fuisse, convincitur tum inspecta quantitate patrimo-
1 nii dotare debentis, quod juxtà Periti relationem ascendit ad sc. 22. mil., ac numero septem filiorum, quibus gravatus reperiebatur, tùm ex dispositione statuti Fulginei prohibentis filiabus dotatis ne supplementum petere possint; sed suo legato contentæ
2 sint, quo stante sicut Actrices conqueri non possent de incongrua dotatione, etiamsi dos esset minor legitima, ità multo minùs in præsenti de illa excipere eis licet, cum dos juxta calculum factum habito respectu ad dictam patrimonii quantitatem, legitimæ portionem in sc. 427. excedat; *Altograd. cons. 5. nu. 18. lib. 1. Honded. cons. 10. nu. 8. & seqq. lib. 1. Cyriac. contr. 507. nu. 9. tom. 3. Mans. consult. 234. nu. 27. Palma nepos allegat. 126. nu. 30. Rota cor. Buratt. dec. 844. nu. 11., & in recen. dec. 592. nu. 28. par. 10.*

Frustra autem obiiciebatur; quod non probetur hæreditatem Vincentii Patris consistere in solis sc. 22. mil., dum hæredes inventarium non confecerunt, quodque in omnem casum attenta consuetudine Civitatis, & Familiæ, dos debuisset in majori summa constitui, præsertim favore istarum Sororum, quæ ætatem 40. annorum excesserant. Quoniam respectu quantitatis patrimonii satis censuerunt Domini, illam resul-
3 tare ex notula in actis medio juramento per Petrum exhibita de mandato nostri Tribunalis, in qua fideliter omnia bona hæreditaria discripta fuerunt, cum oblatione dimittendi favore earundem Sororum, quidquid præter ibi contenta reperiretur: quamobrem cum huc usque, licet causa diù fuerit acriter agitata, nihil ultra extare Sorores
4 actrices probaverint, exinde præsumendum venit patrimonium Vincentii summam præ-

præfatam non excedere, & eædem Sorores
de hoc conqueri non possunt, dum eis remanet libertas assequendi ea, quæ preter descripta, invenire potuerunt.

Respectu verò consuetudinis placuerunt responsiones præfatæ Decisionis, quæ revidetur, quod scilicet illa non probetur, & probata non relevaret ob diversas facti, & casuum circumstantias in eadem Decisione ponderatas, cum tamen consuetudo sit pro-
5 banda specificè, & in casu preciso, de quo agitur: *Cap. finali de consuetudine Rota cor. Dunozet. Junior. dec.* 945. *nu.* 11., *& in Leodien. Vicariæ* 10. *Decembris* 1798. §. *in primo cor. Illm̃o D. Mogno Cancellario Mediolani*.

Ætas autem earumdem Sororum licet in
6 certis casibus posset aliquam animadversionem mereri, ut dictum fuit in *Romana dotis* 19. *Aprilis* 1697. §. *Ad hanc enim effe-*
7 *ctum cor. me*, in præsenti tamen perperam allegabatur, dum pro constitutione dotis in hac quantitate concurrunt judicium Patris, dispositio statutaria, tenuitas patrimonii, & existentia tot filiorum, & nepotum, itaut nihil prosit ætas mulieris, ubi non adsunt bona pro augenda dote, præsertim in præjudicium masculorum, qui numerosa prole gravati, habent onus conservandi domum, & Familiam, quæ circumstantiæ non concurrebant in casu dictæ Decisionis *in Romana dotis cor. me*, imo ibi in oppositum allegabantur pro augumento provisio testatoris, judicium Patris, opulentia patrimonii, & agebatur de extrahenda dote ex multiplico ad hunc effectum ordinato.

Stabilita congruitate dotis res non minori facilitate transivit circa illius libertatem,
8 & respectivè transmissibilitatem ad hæredes; quia cum præfatum statutum Fulginei incipiat á dotatione, & deinde progrediatur ad exclusionem, & sic isto casu dos succedat loco legitimæ, *juxta magistralem Theoricam Castrens. in l. Titio centum* §. *Titio Genero ff. de condit. & demonstr.*, & generaliter in terminis similium statutorum *Mans. consult.* 14. *nn.* 22. *Gration. discept.* 556. *nu.* 6. *Rot. dec.* 342. *nu.* 10. *por.* 12. *rec. & in Anconitano legitimæ* 5. *Julii* 5688. §. *Et in hanc cor. R. P. D. meo Caprora*, & in terminis hujus statuti *Rota cor. Emerix dec.* 965., exinde emergit conclusio, quod ta-
9 lis dos à Patre gravari non poterat onere nuptiarum, quia statim eo defuncto Filiabus jus quæsitum fuerat ad illam, non expectatis nuptiis, ut probant *Ros. consult.* 6. *nu* 8. *&* 32. *Merlin. de legitim. lib.* 3. *tit.* 1. *quæst. quæst.* 8. *num.* 9., *&* 13. *Mangil. de imput. quæst.* 57. *nu.* 59. *Marta de success. legal. par.* 1. *quæst.* 13. *art.* 2. *nu.* 31. *& sequen. Card. de Luc. de dot. disc.* 13. *nu.* 2. *Rot. dec.* 342. *nu.* 11. *&* 12. *por.* 12. *recen.*, *& in Romana Immissionis* 3. *Decembris* 1703. §. *Haud relevante cor. R. P. D. meo Muto*. Et propterea hujusmodi dotes tamquam liberæ, &
10 immunes ab omni onere, bene possunt ad proprios hæredes transmittere, *juxta alteram Theoricam Bartoli in dicta l. Titio centum* §. *Titio Genero nu.* 4. *versic. sed si alios legitima ff. de condit. & demonstr. Capic. Galeott. contr.* 15. *nu.* 25. *lib.* 2. *nu.* 44. *& seqq. Rocca disput. Jur. Cap.* 14. *nu.* 35. *Boss. de dot. Cap.* 7. *nu.* 48. *Merlin. de legitima lib.* 3. *tit.* 1. *quæst.* 8. *nu.* 50. *Rot. cor. Dunozett. dec.* 910. *&* 13. *& in dicta Romana Immissionis dicto* §. *Haud relevante*.

Non obstat, quod cum statutum Fulginei excludat fœminas propter masculos, & man-
11 det illas dotari, dos non debeatur sine matrimonio, & proinde non sit transmissibilis, *juxta Decisiones* 303. *nu.* 7. *cor. Cerro*, *&* 342. *nu.* 13. *par.* 12. *recen.*, eoque fortiùs, quando ut in præsenti Pater reliquit alimenta Filiabus quò usque nuberent. Etenim favor masculorum consideratus à statuto non
12 stat absolutè, & independenter à dotatione, sed ab ista qualificatur, & proinde tolli
13 non potest, quin dos filiorum intuitu reservata, non dicatur succedere loco legitimæ, *ex firmatis per Rotam decis.* 156. *sub num.* 3. *par.* 15. *rec. In Anconitana legitimæ* 16. *Junii* 1687. §. *Et primo &* 5. *Julii* 1688. §. *Et in hanc cor. R. P. D. meo Coprora*, *& in Veliterna Manutentionis* 10. *Februarii* 1696. §. *Responsione non ottenta cor. R. P. D. meo Muto*, & per consequens necesse non
14 est, quod matrimonium actu contrahatur, sed sufficit, quod sit destinata pro maritandis Puellis ab eodem statuto exclusis, ut illico eamdem consequi valeant, *Andreol. contr.* 81. *nu.* 5. *Fontanell. de pact. nupt. claus.* 6. *glos.* 3. *par.* 1. *nu.* 26. 28., & hæc procedunt, quamvis Testator providerit de ali-
15 mentis, quia per tale legatum non impeditur transmissio, egregiè *Cyriac. contr.* 32. *nu.* 34. *Rota cor. Dunozett. jun. dec.* 910. *n.* 13.
Et ita utraque &c.

SABINEN. FIDEICOMMISSI.

Merc. 4. *Februarii* 1705.

ARGUMENTUM.

Est confirmatoria superioris Decis. 316.. Et confirmatur infra dec. 389. Et sunt in hac causa dec. insuper 297. & in proxima notatæ.

SUMMARIUM.

1 *Legitimo non detrabitur, nisi post solutum æs elienum, &* nu. 6.
2 *Legitima debetur quoque ex omnibus juribus ab hæreditate provenientibus, &* n. 4.
3 *Legitimario competit facultas dimittendi de proprio creditores, sicut hæredi: ut ex juribus cessis consequi possit retentionem bonorum hæreditariorum: contrarium* n. 11.
5 *Legitimæ detractio non datur, ubi non adest subjectum reale bonorum; ad differentiam hæreditatis, quæ refertur ad existentiam incorpoream, & etiam sine bonis consistit.*
6 *Legitimorius suam quotam detrabere tantum potest ex bonis, & juribus in hæreditate repertis.*

7 *Et*

7 *Et est successor bonorum in certa parte titulo particulari, cum quo sua bona separat ab hæreditate defuncti.*

8 *Hæres defuncti personam titulo universali repræsentat.*

9 *Et in eum transeunt jura activa, & passiva, & sic debita.*

10 *Debita appellatione hæreditatis comprehenduntur.*

11 *Jus dimittendi creditores tanquam passivum transit solum ad hæredem, non ad legitimarium.*

12 *Legitima augeri non potest ex quibus non augetur hæreditas, ut ex jure dimittendi creditores defuncti.*

13 *Legitimarius jus non habet dimittendi defuncti creditores, sicut illi contra eundem actionem aliquam non habent.*

14 *Legitimario competit ejus quota in bonis, siquæ libera supersunt, ab omni onere, & gravamine immunia.*

DECISIO CCCXLVII.

FUerat cor. me sub die 28. Aprilis anni præteriti responsum pro confirmatione sententiæ Rotalis, deoegaotis Fratribus de Ursinis retentionem prædii *delli Coppari*, suppositi fideicommisso Nicolai Liberati, pretensam tàm ratione legitimæ competentis Petro Silverio primo gravato, quam pro aliis creditis, sed coocessa nova audientia, hodie postposito examioe aliorum creditorum, strictè fuit actum de retentione ex causa legitimæ, quam iterum DD denegarunt, ac proinde steteruot *indecisis*.

Etenim, cum in facto stabilitum jam fuerit, & hodie amplius non sit io controversia, quod bona Nicolai fideicommittentia nedùm integrè absorbentur à debitis, verum etiam ista super exceduot valorem ejus tenuissimi patrimonii in sc. 516., ut firmat *Decisio, que revidetur* §. *absque eo quod*;
1 pernecesse sequitur, agi noo posse de legitimæ detractiooe, quæ oooquam competit, nisi post jam solutum, æsalienum. *ad Text. in l. Papinianus* 8. §. 4. *antem ff. de in offic. test. Jason. in l. pro hærede* §. *Si quis tamen. n.* 12. *ff. de acquir. hæred. Merlin. de legit. lib.* 1. *tit.* 1. *quæst.* 2. *nu.* 2. *Boss. de patr. potest. Cap.* 8. *nu.* 125., *& Rota in Ariminen. fideicommissi* 20. *Januarii* 1700. §. *utique cor. R. P. D. meo Ansaldo*.

Non obstat, quod etiamsi in hæreditate non adsint booa, adhuc tameo legitima de-
2 beatur, ex juribus ad eamdem spectantibus, ideoque sicut hæredi competit facultas di-
3 mittendi creditores de proprio, ut ex juribus cessis consequi valeat retentionem bonorum hæreditariorum, ita & eamdem facultatem habere debeat legitimarius, ex vul-
4 gari regula, quod legitima debetur ex omnibus, & quibuscumque juribus ab hæreditate provenientibus.

Quoniam, ultra quod in jure legitima non datur, ubi non adest subjectum reale boaorum, & corporum in hæreditate existentium, quibus inhærere possit, ad differeotiam hæreditatis, quæ refertur ad entitatem incorpoream, & hæc sine bonis consistit, ut explicat *de Rubeis de confus.*, *& distinct. jur. defunct. & hæred. Cap.* 14. *nu.* 9. *&* 50.

Pro remotione objecti unica satisfecit re-
6 sponsio, quod, cum legitimarius habeat tantum jus detrahendi suam quotam ex bonis, & juribus io hæreditate repertis, sitque
7 successor in certa parte bonorum titulo particulari, cum quo separat jura sua ab hære-
8 ditate defuncti, e converso autem hæres titulo universali illius personam in omnibus
9 repræsentet; & in eum transeant noo solum omnia jura activa, sed etiam passiva, & sic
10 debita utpote appellatione hæreditatis comprehensa, *ad Text. in l. hæredit. appellatio ff. de verb. signif. Altograd. contr.* 26. *nu.* 20. *tom.* 1. *Conciol. de hæred. art.* 4. *n.* 84. *Rot. dec.* 225. *nu.* 2. *par.* 7. *rec.*

Idcirco jus dimittendi creditores tamquam passivum, per quod bona non conservaotur in hæreditate, sed vel extrahuntur ab ea, vel beneficio hæredis cum ejus pro-
11 priis pecuniis acquiruotur, transit solum in hæredem, non autem io legitimarium, quia
12 sicut ex hoc jure noo augetur hæreditas, ita oec augeri potest legitima, ut firmatum fuit *in mea præterita Decisione* §. *Nec turbat*.

Nec ipse legitimarius habet jus dimitten-
13 di creditores, sicut nec illi habent contrà illum actionem aliquam, ut *post Paulum de Castro probat Ippolitus Riminald. cons.* 378. *nu.* 32., cum competat solum legitima-
14 rio ejus quota in boois, si super sint libera, & immunia ab omni onere, & gravamioe, *l. quoniam in prioribus C. de inoffic. test. Parisius cons.* 45. *nu.* 3. *& seqq. lib.* 2. *Gabr. cons.* 138. *nu.* 4 *lib.* 2. *Caren. resol.* 35. *n.* 25. *Castald. consult.* 107. *nu.* 7. *Capon. controvers.* 8. *nu.* 13. *Rota dec.* 192. *nu.* 10. *par.* 10. *rec.*

Et ità, utraque &c.

SABINEN. FIDEICOMMISSI SUPER FRUCTIBUS.

Mercurii 4. Februarii 1705.

ARGUMENTUM.

Habes decis. 297., quæ pro rata creditorum fructiferorum confirmatur: quod creditoribus per sententiam ad restitutionem condemnatis, fructuum retentio datur; pro creditis infructiferis revocatur.

Confirmatur infra dec. 388.

SUMMARIUM.

1 *Obtinens sententiam cum conditione* - solutis &c. - *ejus commodo in fructuum restitutione uti nequit, nisi solvat, vel saltem deponat. Limita nisi condemnatus appellet, & sic solutionem impediat, quia tunc ex impugnatione commodum reportare non debet, &* num. 7.

2 *Creditor solvere non compellitur debita, quæ cum censeantur compensata, inanes circuitus vitari debent.*
3 *Fructus bonorum sinè ullo titulo possessorum retineri nequeunt.*
4 *Pro credito pecuniario nulli fructus debentur.*
5 *Nec pro eo retineri possunt fructus bonorum, quę restituere fuit creditor possidens condemnatus.*
6 *Compensatio non intrat, ubi creditum non adest.*

DECISIO CCCXLVIII.

FRuctus petitos à Cęsarinis non deberi ab Ursinis, & Palutiis responsum fuit coram me sub die 28. Januarii 1704 ex quo licet isti per judicium immissionis contra eos introductum fuerint constituti in mala fide; tamen cum sententiæ postmodum latæ immissionem decreverint cum conditione, quod Cęsarini tenerentur restituere pecunias, quas possessores solverant prò creditis, pro quibus bona retinebant, ibi -- *Solutis tamen creditis per Ursinos debitis* - dum numquam talem conditionem adimplere noluerunt vel solvendo, vel saltèm deponendo dictas pecunias, nequeunt hodie frui commodo dictæ sententiæ, ex allegatis in præfata decisione.
1

Verum hodie causa reproposita, de novo animadversum fuit in facto, quod ex creditis dimissis per Ursinos, & Palutios possessores, nonnulla erant fructifera; alia verò non: quam obrem licet quoad illa, quæ fructus pariebant; placuerint DD. fundamenta decisionis, quæ revidetur, ob inevitabile motivum, quod si cogerentur restituere fructus prædii; possent eodem contextu agere ad solutionem fructuum censuum, quos translativè acquisiverant, & ideo ad evitandum inutilem circuitum condemnari non possunt ad restitutionem fructuum; qui censentur compensati, *Gloss. in leg si constat Cod. de compensat Gratian. cap. 728. num 15., Mans. consult 409. n. 20. Rota decis. 334. n. 13. par. 5. tom. 1. recent.*

Non placuerunt tamen quoad credita prorsùs infructifera, prout sunt fructus eorumdem censuum, & jura dotalia, licet enim uti possessores poterant fructus ex suis creditis pretendere, non fuerunt ad illorum restitutionem condemnati; ità è converso
3 nulla æquitas patitur, ut ipsi retineant bona, eorumque fructus sine ullo titulo: & ex eo solum, quod sint creditores pecuniarum;
4 quia cum prò istis nulli eis deberentur fructus, consequens est, ut nequeant prætextu
5 compensationis, vel retentionis fructus bonorum à se debitos, & ad quos condemnati fuerunt retinere non possunt, cum non intret compensatio, ubi debitum non adest,
6 *Rota decis. 529. n. 2. par. 4. decis. 224. num. 3. tom. 5. par. 1. decis. 296. n. 1. par. 8. recen.*

Non attenta responsione, quod condemnatio fuerit conditionalis; quoniam ea non habet locum; quoties ut in præsenti possessores non acquieverunt sententiæ præferenti talem conditionem, at cum per tres vices appellaverint, & sic causam dederint, ne actores demandatam solutionem explere potuerint, non debent ex eorum impugnatione commodum consequi, sed ad fructuum restitutionem condemnandi sunt, ut in terminis *Rota decis. 978. n. 15. coram Coccin.*, & articulo discusso *in Romana Immissionis 14. Januarii 1694. §. Nec relevat, & 2. Maii 1695. § Obsistere cor. R. P. D. Pio.*
7

Licet autem in præterita decisione admissa hac conclusione, replicatum fuerit, quod cũ possessores haberent credita, quorum usuræ excedebant fructus bonorum, competebat ex hac ratione retentio, hodiè, quod ex facto compertum fuit, non omnia credita esse fructifera; DD. modum adjiciendo resolutioni cum præfata distinctione quoad credita fructifera, & aliam talem qualitatem non habentia, non dubitarunt stare juxtà hujusmodi modum in decisis.

Et ità utraque &c.

ROMANA IMMISSIONIS.

Veneris 6. Februarii 1705.

ARGUMENTUM.

Contractus Mulierum, vel minorum authorizatus à Procuratore Fiscali Capitolino non valet ex Bulla 71. Pauli V.; nisi personale illud habeat privilegium, vel idem contractus coram competenti Judice fuerit postea confirmatus, & pro valido etiam in Tribunalibus observatus: simulatio sine causa, & pro una tantum parte donationis ex donantis enunciativis non evincitur. Permutare non potest bona fideicommissaria gravatus non probata utilitate, & etiam cũ permutatio expressè est prohibita. Incapacitas succedendi ob omissionem confectionis demandati Inventarii ad commodum tantùm successorum apposita censetur, & ideò seu per viam modi, seu conditionis sit adjecta, ab extraneo est inallegabilis.

SUMMARIUM.

1 *Immissio, quæ decreta fuit ad bona in donatione comprehensa, ea eodem jure debetur ad alia, quæ in eadem postea pariter comprehensa probantur.*
2 *Procurator Fiscalis Curiæ Capitolinæ facultatem non habet authorizandi contractus mulierum, et minorum ex Bulla Pauli V. in ordine 71.*
3 *Secùs si speciale habet personale privilegium Pontificium.*
4 *Bulla Pauli V. 71. declarat, qui sint Judices competentes pro interponendis decretis in contractibus mulierum, & minorum.*
5 *Sed non revocat privilegia personalia in meritorum remunerationem tributa.*

6 Quæ

6 *Quæ ut revocentur specifica indigent expressione.*
7 *Privilegiatus validè facultates sibi tributas exercet.*
8 *Donatio nulla ob incompetentiam judicis authorizantis, si postea coram incompetenti insinuetur, & coram eodem confirmetur, censetur sanata.*
9 *Præsertim si fuit observata, & in tribunalibus tanquam valida recognita.*
10 *Enunciativæ libertatis bonorum emissæ ad alliciendos emptores, eamdem non probant.*
11 *Enunciativæ donantis donatario non præjudicant, & quarè?*
12 *Simulatio sine causa non præsumitur.*
13 *Præsertim cum simulatio in parte solùm donationis prætendatur, in altera valida existente.*
14 *Permutatio hæredi gravato prohibita non præsumitur, quando fideicommisso est utilis.*
15 *Et hujusmodi utilitas ab allegante est probanda.*
16 *Utilitas permutationis excluditur si res in permutationem data fideicommisso non subrogetur.*
17 *Permutationis utilitas non est inspicienda cum permutatio expressè est prohibita.*
18 *Incapacitas substituti succedendi ob non impletam demandatam inventarii confectionem est dumtaxat ad favorem successorum apposita.*
19 *Et ideò sive sit per viam modi, sive per viam conditionis ab extraneo allegari nequit ad retardandam immissionem vocatis.*

DECISIO CCCXLIX.

INter cætera bona comprehensa in donatione à Laura de Epiphaniis facta propriis filiis, & nepotibus, aderat domus postea permutata cum oliveto, & modo ab Antonia de Nicomediis possessa; ad quam Laura Cecchina de Savarellis uti vocata ad fideicommissum in dicta donatione ordinatum coràm A.C. immissionem obtinuit, cumque in gradu appellationis causa mihi commissa fuerit cum clausula *constito, quod sit locus Ægidianæ* proposito ad illius normam dubio *affirmativa* prodiit resolutio.

Constitit nàmque de validitate, ac justitia sententiæ prædictæ; Justitia enim, cum validitas non controvertatur, satis clara resultare visa fuit, ex Instrumento donationis per dictam Lauram favore suorum filiorum, & descendentium factæ: undè cum actrix sit ex descendentibus ab eadem Laura, ut ex justificationibus alias datis, dictum fuit in *decisionibus Romana associationis* 27. *Novembris* 1697. *coram R. P.D. meo Pio, & in Romana donationis* 27. *Junii* 1704. *cor.*
1 *Me*, propterea sicuti ex illis obtinuit associationem ad alia bona in præfata donatione contenta, ita & consequi debet immissionem ad domum controversam ibidem comprehensam; *Peregrin. de fideicomm. art.* 48. *n.* 55. *& seqq. Rota coram Cels. decis.* 181. *n.* 6. *& coram Cerr. decis.* 614. *n.* 1. *& decis.* 1181. *pariter n.* 1.

Nec ad labefactandam donationem prædictam quidquam juvare potest asserta nullitas noviter deducta, ex quo illa authorizata fuerit à Procuratore Fiscali Curiæ Capi-
2 tolinæ, qui ad tenorem reformationis æditæ de anno 1611. per sanct. mem. Pauli V. nullam habebat facultatem in contractibus minorum, & mulierum decreta interponendi, ut ex constitutione ejusdem Pontificis in ordine 171. apertè colligitur. Quoniam objectum procederet, quando dictus Procurator Fiscalis ratione proprii muneris decretum interposuisset; secùs autem, dum hoc
3 egit in vim facultatis sibi intuitu meritorum ex speciali gratia ab eodem Paulo V. per Breve impertitæ; in his enim terminis illius authoritas abrogata non remansit per generalem reformationem Tribunalium ab eodem Pontifice postmodum, ordinatam, nam ex illa resultat quidem declaratio facultatis competentis aliquibus Judicibus interpo-
4 nendi decreta in contractibus mulierum, & minorum; ex quo sunt Judices Ordinarii, ut notat *Modernus ad Stat. Urb. adnotat.* 44. *artic* 4. *n.* 286. & per consequens provisum remanet cuicumque dubietati; quæ oriri posset ratione jurisdictionis: sed non ideò
5 deduci potest revocatio Brevis, quod idem Summus Pontifex certæ personæ in remunerationem meritorum concesserat: cum ad
6 hunc effectum specifica expræssio necessaria fuisset *Gonzal. ad regal* 8. *Cancell. gloss.* 25. *n.* 14. *Lotsher. de re benefic. lib.* 1. *quæst.* 25. *n.* 86. *& seqq. Barbos. ad Concil. cap.* 6. *sess.* 25. *n.* 57. *Card de Luca de regal. disc.* 93. *num.* 6. *Rota decis.* 49. *num.* 7. 8. *par.* 11. *recent.* Ideoque benè potuit Procurator Fiscalis sua
7 utendo facultate, & privilegio actum prædictum explere; *Lotsher de re benef. lib.* 2. *quæst.* 45. *n* 10. *Card. de Luca de præbemin. disc* 2. *n.* 23. *Rota cor. Seraph. dec.* 499. *n.* 3.

Cæterum penitùs corruere visum fuit objectum non solùm ex subsecuta insinuatione dictæ donationis facta coram Judici Ordinario, & competenti, verùm etiam ex actu constitutionis dotis pariter coram legitimo Judice peracto; in quo controversa donatio legitur confirmata: ex his enim indubitanter emergit, quod nullitas quæ opponebatur, etiam si subsisteret, censetur per tot subsecutas ratificationes sanata, *Menoch. de præsumpt. præsumpt.* 33. *nu.* 31. *lib.* 2. *Rota coràm Cavaler. decis.* 100. *n.* 5. *& seq. & coram san. me. Alexandro VIII. decis.* 110. *n.* 7. *cum seqq. & in recen. decis.* 306. *n.* 53. *par.* 7.
9 Tantoque magis, quia dicta Donatio fuit pacificè observata, & suum effectum absque tali oppositione obtinuit; dum bis fuit per hoc Sac. Tribunal tanquam valida recognita, ut habetur ex *decisionib. Romana associationis* 27 *Novembris* 1697. *cor. R. P. D. meo Pio, & in Romana donationis* 27. *Jun.* 1704. *coram me* supra recensitis.

Minusque juvat asserere, quod in Instromento donationis controversa domus simulatè apposita, & comprahensa fuerit, id inferendo ex confessionibus tam donantis, quam donatariorum; illa enim permutando domum cum Nicodemis medio juramento asseruit domum esse liberam, nec alteri donatam, aut hypothecatam, ac ab omni onere fideicommisso exemptam, ut in *Summario num. 2. lit. A.*, isti verò post adeptam possessionem eamdem vendiderunt Contuccio, ad effectum solvendi fructus census debitos à Nicodemis, cum reiterata expressio. ne juramento etiam munita, quod esset libera, nec alicui vinculo subjecta, nemini donata, vel hypothecata, ut in supradicto *Summario n. 4.*

10 Etenim ultra, quod enunciativæ prædictæ concludentem simulationis probationem nullatenus inducere valent, cum semper censendum veniat, illas emissas fuisse ad alliciendos emptores: *Rota in Romana fideicommissi de Avila 1. Martii 1694. § fin. cor. R.P.D. meo Muto, & in Romana emphiteusis 11. Martii 1699. §. Minimè attentis cor. eodem, & in Romana fideicommissi Prosperi senioris de Caffarellis 10. Junii 1701. §. Nil relevante coram Me*: nam alias si ex tali assertione ad simulationem argui posset; actum esset de donationibus, cum remaneret in facultate donantium alienando res donatas

11 cum similibus expressionibus donatariis successivè vocatis præjudicare, difficultas penitùs cessare visa fuit, ex quo nulla adducebatur causa, ob quam donatio dictæ domus si-

12 mulatè fieri debuisset, prout esset omninò necessarium, *Rota cor. Priulo decis. 371. n. 14 & cor. san. mem. Alexandro VIII. decis. 238. n. 10. & in recent. decis. 236. n. 20. par. 10. &*

13 *decis. 529. n. 6. par. 19.* præsertim, cum agatur de inducenda simulatione donationis, quo ad controversam domum tantum: quando de cætero, & in reliquis jam admittitur illius veritas, & data veritate debet in totum sustineri.

14 Pariterque omitti poterat, quod domus ista non distracta, sed simpliciter permutata fuisset, quæ alienationis species hæredi gravato prohibita non præsumitur, quando ex tali permutatione fideicommissum potiùs utilitatem, quam damnum consecutum fuit. Siquidem hujusmodi utilitas non solum in

15 præsenti ab illam allegante non probatur, prout requiritur, ad *Text. in leg. qui accusare Cod. de eden. Rota coram Coccin. decis. 1746. n. 1. & seqq.* sed potiùs exclusa remanet, quià Olivetum fuit acquisitum prò hæ-

16 redibus, & successoribus, nec fuit fideicommisso suppositum, prout fieri debuisset, ne alias illud utroque corpore destitutum remaneret, & ulterius, nec esset in præsenti de ea inquirendum, dum in ipso donationis

17 Instrumento prohibitio permutationis expressè legitur, qua stante absque ulteriori indagine illius nullitas ad evidentiam resultat.

Denique prætensa incapacitas, desumpta ex quo non fuerit à donatariis adimpleta conditio conficiendi Inventarium, immissionem retardare non potuit, quià sivè hoc onus impositum fuerit per viam modi, sine condi-

18 tionis, hoc unum satisfecit objecto, quod scilicet, cum illud fuerit dumtaxat appositum ad favorem successorum in donatione. *Rota cor. Cels. decis. 180. n. 8. & cor. bon. mem. Emerix decis. 726. num. 26. & in recen. decis. 601. n. 10. par. 18.* hujusmodi exceptio

19 non est allegabilis ab Antonia rea conventa tamquam extranea, & quæ nullo modo potest restitutionem domus fideicommisso debitæ impugnare.

Et ità utraque &c.

OLOMUCEN DISMEMBRATIONIS.

Lunæ 9. Februari 1705.

ARGUMENTUM.

Dismembratio, & unio sine causa, & solemnitatibus a sacro Concilio Tridentino requisitis fieri nequit: & pro solemnitatibus necessariis, sunt citationes Rectoris, & Patroni. Justificatio verò causæ non habetur ex simplici assertione judicis deputati, qui devenit ad talem actum, cum causa pendet in gradu appellationis. Odia non sunt justa causa unionis, nisi cum alio medio tolli nequeunt; nec defectus reddituum, cum Oppidani illos supplere promittunt. Unio fieri non potest cum Ecclesia, ad quam difficilis datur accessus.

SUMMARIUM.

1 *Unio, & dismembratio Ecclesiarum absque causa, & solemnitatibus a sacro Concilio Tridentino præscriptis nullæ, & invalidæ sunt.*

2 *Dismembratio facta absque citatione rectoris pro omni suo jure, & interesse, caret necessaria solemnitate, & ideo nulla est.*

3 *Et pariter si citatus non sit Patronus.*

4 *Et isti non auditi eorum juribus privari non valent.*

5 *Judici, qui actum demandavit, non est in gradu appellationis, pro ejus justificatione deferendum.*

6 *Dismembratio propter odia, & inimicitias fieri non potest, nisi cum illa alio medio tolli non possunt.*

7 *Dismembratio propter defectum reddituum fieri nequit cum Oppidani se offerunt Rectori sufficientes redditus supplere.*

8 *Unio facienda non est ad Ecclesiam, ad quam accedi non potest propter affluentiam aquarum & hyemalium alluvionum.*

DECISIO CCCL.

AD instantiam Willelmi Zabiatschide Tulchitz deventum fuit ad dismembrationem Pagi Kzermakovitz de dominio Maximiliani Ernesti Wlassin existentis, ab Ecclesia Parochiali Horno Kaunicensi, & facta

ćta unio alteri Ecclesiæ Horno dubnianæ : prout pariter Ecclesia Parochialis Horno Kaunicensis prædicta de Jurepatronstus familiæ Wiassin Dominæ Pagi, unita fuit amoto priùs inde Rectore aliæ Ecclesiæ Birharschovicensi : reclamante vero Maximiliano delata fuit cognitio istorum actuum ad Reverendissimum Nuncium Apostolicum Viennen. ; qui favorabilem eidem sententiam super illorum nullitate protulit : devolutáque causa ad Urbem coram A. C. Aldovrando secundum pariter confirmatorium præcedentis indicatum prodiit ; a quo per appellationem à Willelmo interpositam, mihi causa delegata, examinandum in hodierna audientia informante Maximiliano tantum proposui dubium - *An constet de valida dismembratione, & respective unione* - Et *DD. negative in omnibus* responderunt.

Attenta evidenti nullitate : ex quo fuerunt expletæ absque legitima causa, & sine interventu solemnitatum per *Sac. Concil. Trid. Sess.21. cap.4. de reformat.* requisitarum : quibus deficientibus remanserunt nullæ ac invalidæ ; perindè ac si nunquam peractæ fuissent ; *Fagnan. in Cap. ad audientiam al p. de Eccles. Ædifican. n.15. & 50. Card. de Luca de Paroch. disc.37. n.6. Rota coram Gregor. dec.504. ibique adden. n.8. & in recent. dec.110. num.7. par.15. & dec. 437. n.4. par.18. & coram Seraphin. decis. 1062. num.1., & in Oscen. Vicariæ 27. Novembris 1702. §. final. coram R. P. D. meo Priolo.*

Defectus itaque solemnitatum satis abunde depromitur ; ex quo in actu dismembrationis hujusmodi, non solum citatus non extitit rector Ecclesiæ Parochialis Horno Kau-
2 nicenbs pro omni suo jure & interesse ; prout omnino fieri debebat, ad tradita per *Fagnan. ubi supra*, sed nec etiam Maximilianus Dominus, & Baro Pagi, ac patronus Ecclesiæ prædictæ : sicuti ratione sui præ-
3 judiesi requirebatur : ideoque ipsi, cum non fuerint auditi, eorum juribus privari
4 non valuerunt ; *Lotther. de re benefic. lib.1. Rota cor. sa. mem. Alexan. VIII. dec.6. n.8. & seq. par.10., & dec.165. n.9. par.16. & dec.163. n.7. par.17.*

Quò verò ad causam : licet duplex assignetur per Commissarium ab Ordinario loci delegatum ; altera scilicet capitalis odii, & rixarum quotidie insurgentium inter incolas utriusque Pagi eidem parochiali Ecclesiæ subjectas : & altera deficientiæ reddituum sufficientium pro manutentione Rectoris : attamen neutra ex eis satis probata visa fuit ; Cum ad hunc effectum solum adducta fuerit relatio præfati Commissarii ab eodem Ordinario delegati : cui cum dismembrationem, & unionem respectivè de-
5 mandaverit ; non est in hoc judicio appellationis deferendum : dum agitur de substinendo actu ab ipso gesto ; *Antonell. de Regimin. Eccles. lib.1. Cap.2. num.11. Ricc. in prax. par.4. resolut.221. & 222. per tot. Rota coram Seraphin. dicta dec.6. n.10. & in recent. dec.224. n.7. par.10.*

Maximè quia non constat ; quod odia, & dissidia inter incolas utriusque loci alio me-
6 dio quam per dismembrationem tolli non possent ; prout necesse foret ; ut tradunt *Lapus allegat.66. n.6. vers. quæro nunquid Lotther. de re benefic. lib.1. quæst.28. n.30. & 31. Rota cor. Cels. dec.403. n.5. & in recent. dec. 239. n 4. vers. & satis par.1. & dec.510. n.8. par.15.* Et quoad deffectum reddituum non solum ille in facto probatus non fuit ; sed ulterius penitùs sublatus remanet ; ex quo Commissrius refert quod habitatores Oppidi Horno Kaunitz se paratos exhibuerunt Rectori Parochialis Ec-
7 clesiæ sufficientes redditus supplere ; quatenus opus esset ; *ut in Sum. actoris n.3. litera B.*

Quibus omnibus accedit gravamen, &
8 incomodum, quod resultat Oppidanis Horno Kaunitz, propter inundatinnes, & affluentiam aquarum ; quæ hyberno tempore alluvionibus impediunt accessum ad ecclesiam ; ad quam fuit facta unio ; ut idem commissarius in sua relatione fatetur.

Et ita Maximiliano tantum informante resolutum fuit.

CAURIEN. BENEFICII SUPER MANUTENTIONE.

Veneris 13. Februarii 1705.

A R G U M E N T U M.

Habes supra Decis.306. quæ confirmatur.

S V M M A R I V M.

1 *Possessori habenti titulum ex literis Apostolicis, licet posteriori proviso ab Ordinario, est concedenda manutentio.*

2 *Obtinenti gratiam restitutionis in integrum ab non factam publicationem resignationis intra novem menses ante resignantis obitum, talis defectus non nocet.*

3 *Etiamsi non expresserit obitum resignantis interim sequutum, & quare?* & n.10.

4 *Omissio publicationis simpliciter aufert jus resignatario quesitum, non verò tollit præcedentem vacationem favore S. Sedis inductam per resignationem.*

5 *Nec facit novam vacationem, cum sit eadem ex resignatione descendens.*

6 *Resignantis jus, ubi resignatio suum effectum habuit illico cessat.*

7 *Nec per ejus obitum beneficium dicitur vacare.*

8 *Sed a die resignationis vacat favore Sanctæ Sedis: etiamsi ex post resignationis publicatio facta non fuerit.*

9 *Secùs est quando resignatio suum non sortita est effectum ex defectu consensus partis vel Summi Pontificis.*

11 *Habens jus præsentandi ad beneficia, excep-*

ceptis illis, quæ in Romana Curia, & per renunciationem vacaverint, præsentare non potest ad Beneficia vacantia per resignationem, cujus tamen non fuit facta publicatio, & cur?

12 *Beneficia vacantia ob renunciationem, cum de ea non fuit facta publicatio, dicuntur vacare in curia.*

DECISIO CCCLI.

Disputato coram me sub die 3. Martii anni præteriti dubio super manutentione in possessione beneficii, seu portionis existentis in Cathedrali Ecclesia Caurien.: eoque favore Gregorii Fernandez Cabezas adversùs Franciscum Gonzales Cordero resoluto; hodie Domini *in decisis* perstiterunt.

Gregorius namque ostendit se fuisse de controverso beneficio à Sede Apostolica, uti eidem reservato provisum: ideo venit in sua possessione manutenendus; licet illam appræhenderit postquam à Francisco capta fuerat; quoties enim non agitur inter parem titulum habentes; sed unus à Sede Apostolica, alter ab ordinario provisionem obtinuit; non habetur respectus ad nudum factum possessionis; sed provisus à summo
1 Pontifice venit in concursu manutenendus: etiam si ejus possessio sit posterior, *Posth. de Manut. observ.71. n.71. Ros. de execution. litt. Apostolic. cap.7. n.123. Rot. cor. Crescent. dec.1. n.3. & 4. de Caus. possession. & propriet., & dec.177. n.2. par.4. divers. & cor. Coccin. dec.51. n.2. cum seqq.*

Minimè refragantibus objectis aliàs per Franciscum excitatis, & modo repetitis: quod enim resignatio facta favore Gregorii, & cujus vigore ipse possessionem appræhendit; non fuerit executioni demandata, ipso Regnante vivente, neque publicata intra novem menses: & sic remanserit nulla,
2 hodie denuò constitit non obstare ob gratiam restitutoriam ab eodem Gregorio obtentam adversus non factam publicationem: Et licet replicaretur; quod in hac gratia expressum non fuerit summo Pontifici; quod resignans jam decesserat: ex cujus circumstantiæ omissione inferebatur ad subreptionem, & nullitatem etiam istius secundæ gratiæ; attamen adverterunt DD., quod
3 expressio d. obitus necessaria non fuit; nam omissio publicationis simpliciter resolvit jus
4 resignatario quæsitum; non verò tollit præcedentem vacationem inductam favore S. Sedis per resignationem anteà secutam:
5 itaut non dicatur nova vacatio; sed sit eadem ex resignatione descendens; ut firmatum fuit *in præterita dec. §. Neque obstat, & præter ibi relatos Paris. de resignat. lib. 11 q.8. n.6. Ros. de execut. litt. Apostol. cap.14. n.170. Rota dec.140. n.5. & 6. par.10. recen.*

Regulare enim est; quod ubi resignatio habuit suum effectum; illicò jus resignantis
6 cessavit: & proindè nunquam per illius obitum beneficium vacasse dicitur; cum jam
7 præcedenter à die factæ resignationis vacaverit favore S. Sedis: etiamsi ex post publi-
8 catio resignationis facta non fuerit: *Rot. cor. Cels. dec.172. n.6. & seqq. & dec.191. n.3. & in rec. dec.539. n.15. par.4. tom.3., & dec. 355. n.5. par.12. & in Aurien. Cantoriæ 14. Junii 1695. §. Tum quia coram Illustrissimo Magno Cancellario Mediolanen.:* ad differentiam alterius casus; quando resignatio suum non sortita fuisset affectum, vel ex defectu consensus partis; quia conditiones non fuerint adimpletæ; vel ex defectu sum-
9 mi Pontificis; eo quia impetrantes in justificatione narratorum defecere: ut distinguendo casus *bene Rot. cor. Cels. dec.172. num.5. cum plurib. seqq.*

Quibus stantibus: cessat qualibet subreptio ob non factam expressionem obitus re-
10 signantis; quia quemadmodum illius mentio Papam à concessione gratiæ non retraxisset; ita idem dici debet; dum ex suprà deductis ejusdem expressio necessaria non fuit; *Innoc. in Cap. cum nostris de Concess. præben. Calderin. cons.14. n.3. de rescript. Rot. post Marchesan. de comm. par.2. fol. 547. n.3. & in rec. dec.357. n.4. par.12.*

Et ex hac eadem responsione evitatur alterum objectum ductum ex indulto concesso d. Duci de Alua; in quo fuit ei data facultas præsentandi ad hujusmodi beneficia quacumque reservatione affecta coram loci Ordinario; illud enim legitur positive restrictum ad ea, quæ extra Romanam Curiam vacaverint: cum specifica etiam exceptuatione beneficiorum vacantium ex causa resignationis factæ in manibus summi Pontificis: & per consequens ex duplici ratione suffragari non potest in præsenti; & primò,
11 quia istud de quo agitur remanet literaliter exceptum; posito enim ex supra deductis quod per resignationem totaliter à resignante jus abdicatum fuerit; beneficium semper per resignationem vacare dicitur; juxtà auctoritates mox allegatas: secundò, quia ubi non factam publicationem vacasset;
12 diceretur secuta vacatio in Curia; *Lotther. de re benef. lib.3. qu.21. n.6. cum aliis adductis in mea præterita decisione §. Neque obstat*, & sic versamur in casu non comprehenso in indulto.

Et ità, omissis aliis, quæ vel ad decisionem causæ DD. superflua extimaverunt; vel in præterita decisione sublata fuerunt responsum fuit utraque &c.

ROMANA EVICTIONIS.

Lunæ 16. Februarii 1705.

ARGUMENTUM.

Evictionis actio pro capitali, & fructibus censua est exercibilis: quoties pro creditis anterioribus ad fundum immissionem reportarunt. Nec sufficit ab initio fuisse realem, & exi-

exigibilem, cum realis non dicatur census,
quotiès adsunt in fundo anteriores hypothe-
cæ. Neque necesse est excussionem præces-
sisse, & contra fidejussorem sat est exple-
tas fuisse diligentias.

Confirmatur infra dec. 386. & 396.

S V M M A R I V M.

1 *Evictioni promissæ locus factus est, cum ad fundum censitum creditoribus anterioribus concessa fuit immissio.*

2 *Et tunc denegari non potest evictionem passo mondato pro restitutione sortis.*

3 *Et pro restitutione fructuum, qui pro censu percepti fuissent loco damnorum, & interesse.*

4 *Pro censu de cujus exigibilitate, & realitate constat, si postea evaserit inexigibilis, non potest agi ad evictionem. Contrarium* nu. 8., *cum evictio venit ob hypothecas, pro quibus fundum prius absorbebatur & quare?*

5 *Actioni pro damnis, & interesse ratione evictionis locus non est, cum ad fundum creditores anteriores fuerunt immissi in Solviano. Limita ut* nu. 9.

6 *Salvianum neque dominium, neque possessionem tribuit immisso.*

7 *Census impositus super fundo integrè absorpto ab hypothecis anterioribus, non est verus, & realis.*

10 *Pro evictione evitanda necesse non est, quod præcesserit excussio aliorum bonorum debitoris.*

11 *Excussio non est necessaria, ut contra debitoris bona vendita agatur, cum non probetur, nulla alia bona adfuisse, quæ anterioribus hypothecis non essent obnoxia.*

12 *Debitorem nulla alia bona libera habuisse constat, si moriatur decoctus.*

13 *Et contra fidejussorem sufficit adhibitas fuisse diligentias.*

D E C I S I O CCCLII.

IN satisfsctionem legatorum, quæ cla. me.
Marchionissa Junipera Salviata reliquerat
Paulo Nannio, aliisque suis familiaribus,
assignsvit illis Dux Jscobus censum in sorte
sc. 4000. hæreditarium ejusdem Juniperæ,
adjecta tamen expressa, & amplà provissio-
ne evictionis, cum autem d. census tractu
temporis legitimè ad manus Mariæ Jacobæ,
ac aliorum collitigantium devenerit, ut ju-
stificatum fuit, & isti passi fuerint evictio-
nem illius, cæperunt agere judicio evictio-
nis cor. A. C. usque de anno 1665., sed con-
rariam passi fuere sententiam, á qua com-
missa mihi causa appellationis, disceptan-
dum dedi dubium: *An constet de evictione,
itaut sit relaxandum mandatum pro sorte, &
fructibus census loco damnorum, & interes-
se, & affirmativa in omnibus*; prodiit res-
ponsio.

Posita enim dicta promissione evictionis
ex instrumento assignationis resultante, di-
1 citur illi factus locus, eo ipso, quod fuit
aliis creditoribus anterioribus debitoris cen-
sus concessa immissio ad fundos censitos, *L.
evicta re ff. de eviction. Surd. cons. 36. n. 4.
Thesaur. decis. 85. nu. 1. Rota cor. Gregor.
decis. 85. nu. 3. & seqq., & coram Merlin.
decis. 639. nu. 2.*, & per consequens dene-
gari non poterat mandatum tàm pro restitu-
2 tione sortis, *Rot. post Cenc. de Cens. dec. 597.
nu. 5. & post Zacch. de Oblig. Camer. decis.
244. nu. 4. & cor. Bich. decis. 369. nu. 4., &
in rec. decis. 227. nu. 25. par. 17.*, quàm pro
solutione fructuum, qui ex censu percepti
3 fuissent, & sic loco damnorum, & interesse,
*Ruin. cons. 141. nu. 9. lib. 1. Card. de Luc. de
Cens. disc. 138. nu. 2., & cor. Merlin. dicta
decis. 639. nu. 2.*

Nec obstat, quod de existentia, & veri-
tate census in præsenti dubitari non possit,
dum de eo constat ex instrumento imposi-
tionis ejusdem cum exactione fructuum il-
lius per aliquod tempus à Cessionariis facta,
4 unde inferebatur, non posse agi ad evictio-
nem, quamvis ex post census evaserit inexi-
gibilis, quoties non fuerit etiam promissa
exigibilitas, *Posth. resolut. Civil. 58 nu. 3.
Antonell. de tempore legal. lib. 1. Cap. 36.
nu. 15. Cenc. de censib. quæst. 72. nu. 23. §.
Prima est Magon. decis. Florent. 39. nu. 1.
& seqq., & in recen. dec. 215. nu. 9. par. 12.*,
& in omnem casum, dum Creditores ante-
riores fuerunt immissi ad fundos in solo judi-
5 cio Salviani ad effectum sibi satisfsciendi ex
fructibus, non fit locus actioni intentatæ pro
damnis, & interesse ratione evictionis, quia
6 Salvianum, neque dominium, neque pos-
sessionem tribuit Creditori immisso super
bonis sui debitoris, *Altograd. cons. 54.
nu. 15 lib. 2. Rocc. disput. jur. Cap. 139. nu.
32. & seqq. Card. de Luc. de Credit. disc. 135.
nu. 11. Adden. ad Gregor dec. 88. nu. 11. &
in rec. dec. 151. nu. 22. par. 19.*

Etenim respectu primi objecti, adverte-
runt DD., quod nunquam potest dici verus,
& realis ille census, quem constet imposi-
7 tum fuisse super fundis, quorum integer va-
lor absorbeatur ab hypothecis anterioribus,
ideo data hac probatione, quæstio non re-
8 ducitur ad exigibilitatem, sed ad realita-
tem census, quæ tali casu omninò cessat, &
cum census dicatur ab initio nullus, orta
fuit actio ad evictionem illius, *Cenc. de cens.
quest. 72. nu. 23. vers. prima est, Gratian.
decis. Marcb. decis. 13. per tot. Rot. cor. Mer-
lin. dicta decis. 639. nu. 5. & seqq., & decis.
523. nu. 13. & seqq. par. 2. divers., & in
Asculana evictionis 25. Aprilis 1701. §. fin.
cor. Illustrissimo D. Magno Cancellario Me-
diolani.*

Non minori facilitate sublatum fuit etiam
secundum objectum, quoniam ex facto con-
stitit, quod ex fundis censitis tres illorum
dati fuerunt in solutum Creditoribus ante-
rioribus, alii vero fuerunt avocati, partim
cum mandato A. C., & partim ex sententia
9 Reverendissimi Episcopi Terracinen., & sic
pro majori eorum parte fuit avocata non
solum possessio, sed etiam dominium. Ultra
quod

quod ex calculo ad huc effectum exhibito, constat, credita ascendere ad sc. 5600. longè excedentia valorem bonorum, ac propterea cessante ex hac ratione avocatum fuisset dominium.

Quibus ità firmatis, perperam opponebatur, quod data etiam evictione quoad fundos censitos, non ideo probata dici posset evictio, nisi fuissent etiam excussa alia bona impositoris census, & ulteriùs bona illius, qui pro eo fidejussit, & sese Principalem debitorem constituit, etenim quoad excussio-
10 nem aliorum bonorum debitoris, quidquid sit de necessitate illius, quam excludit *Rota coram Merlin. dicta decis.* 639. *nu.* 7. *&* 8.,
11 ista fieri non potuit, cum non probetur illum aliquid ultrà fundos censitos possedisse, quod non fuerit ab aliis hypothecis anteriorum Creditorum absorptum, imò potiùs
12 contrarium evincitur ex validissima circumstantia, de qua deponunt testes, videlicet, quod ille pro solutione debitorum, in carceribus, & decoctus obiisset, quo verò
13 ad fidejussorem, & bona per eundem possessa sufficientes adhibitæ fuerunt diligentiæ, sed sine effectu, cum nihil Cessionarii invenerint super quo fieri potuerit executio, ut probant judicium contra ipsum promotum, & sententia ab A.C. prolata super observantia cautheiæ Angeli ab eodem pro exemptione dictorum bonorum opposita ad effugiendam executionem ex hac causa petitam.

Et ità, utraque &c.

MACERATEN. DOTIS.

Luna 2. Martii 1705.

ARGUMENTUM.

Fideicommissarius obligatus contribuere pro dote filiarum primogeniti, non tenetur, nisi in subsidium, & quatenus Primogenitus probet, fructus ad hujusmodi effectum ipsi non suppetere. Dos quibus inspectis sit regulanda?

In hac causa adsunt superiores Decisiones. 207. & 228.

SUMMARIUM.

1 *Mulier habens instrumenta primogenituræ, in quibus ejus dotatio fuit demandata, fundatam habet intentionem dotem consequendi vel ex fructibus, vel ex bonis fideicommissariis.*
2 *Rem judicatam contra se habens, eidem amplius contradicere nequit.*
3 *Contributio ex bonis fideicommissariis provenientibus ab eodem testatore conditore primogenituræ ad favorem filiarum primogenitorum fieri non debet, nisi in subsidium.*
4 *Fideicommittens mandans fœminas dotari de fructibus, & etiam ex aliis bonis fideicommissariis, videtur primo loco voluisse, dotem ex fructibus detrahi.*
5 *Et istis non sufficientibus ex proprietate.*
6 *Pro dote constituenda, vel restituenda de jure, deficientibus bonis liberis, in subsidium dari debent fideicommissaria.*
7 *Primogenitis clarè non docentibus de deficientia fructuum ad dotandum filias, locus non est retardationi dotis, & contributo cum fideicommissario ad earumdem dotationem obligato.*
8 *Dotis quantitas arbitrio judicis regulatur.*
9 *Et quæ sint consideranda pro congruitate dotis?*
10 *Et signanter inspicitur solitum familiæ, & conditio, & ætas dotandæ, & quantitas bonorum.*

DECISIO CCCLIII.

Quæstio fuit inter Dominicum Mariam Conventatum possessorem duplicis Primogenituræ in donatione à Julio Cæsare institutæ, & Josephum, aliosque pariter de Conventatis, qui eidem donanti ex titulo fideicommissi successerunt, quis eorum teneretur dotare Mariam Artemidoram à dicto Julio Cæsare descendentem, juxtà ipsius præceptum, quod dotari deberent fœminæ ex fructibus bonorum donatorum, ac etiam ex aliis bonis post obitum relinquendis, & per geminas sententias, primo ab A.C., deinde in nostro Tribunali præviis decisionibus editis cor. me 16. Januarii, & 14. Junii 1702. terminata remansit, cum fuerit per eas declaratum, quod etiam fideicommissarii tenentur ad contributionem pro constituenda hac dote. Quamobrem hodiè eadem Artemidora, citatis tam Dominico Maria Primogenito, quàm Josepho, aliisque hæredibus fideicommissariis, curavit in executionem dictarum sententiarum, quæ in judicatum transierunt, disputari dubium: *An & contra quem, pro qua rata, & pro qua summa sit relaxandum mandatum pro dote, & DD. relaxandum esse responderunt pro dote in sc.* 2000. *contra Primogenitum*, ad formam donationis Julii Cæsaris Senioris fideicommittentis.

Nam quoad primam partem respicientem mandatum in genere, nulla poterat adesse difficultas, quia cum Artemidora pro sua dote habeat actionem fundatam in instru-
1 mentis primogeniturarum, sive dos sumatur ex illarum fructibus, sive ex bonis fideicommisso postmodum suppositis, ejus jura semper sunt in tuto pro illa consequenda, maximè quia habet pro se præfatas sententias, per quarum transitum in rem judicatam fuit
2 impositum silentium reis conventis, itaut non possint amplius hujusmodi dotationi contradicere, ex allegatis *per Rotam in decis.* 65. *nu.* 2. *par.* 7. *decis.* 201. *nu.* 2. *par.* 16. *recent.*, *& in Romana fideicommissi* 17. *Junii* 1701. §. *De reliquo cor. R.P.D. meo Ansaldo.*

Quò vero ad alteram dubii partem, visum fuit DD. mandatum relaxandum esse contra Dominicum Mariam possessorem primogeniturarum, eo innixi fundamento, quod

quod licet in sæpedictis instrumentis statuatur dotem detrahendam esse etiam ex bonis fideicommissariis, & geminæ Decisiones editæ cor. me firment Possessores bonorum teneri ad contribuendum pro dote, de qua
3 agitur, tamen contributio fieri non debet
nisi io subsidium, quatenùs nempè fructus bonorum primogenialium non sufficiant, sivè quia ità suadeat dispositio testatoris, qui
4 cum maodaverit dotari de fructibus, ac etiam
ex aliis boois fideicommisso subjectis videtur primo loco voluisse dotem ex fructibus
5 detrahi, & quateous isti non extarent, vel
non sufficerent, proprietatem aliorum bonorum gravari, ut explicat *Decisio in hac causa ædita die* 14. *Junii* 1702. §. *Subsistit:* sive quia id resultat in juris dispositione, jux-
6 tà quam tàm pro dote coostituenda, quàm
pro restituenda, deficientibus solum bonis liberis, & io eorum subsidium, distrahi possunt booa fideicommissi, ex firmatis *per Rotam cor. Zarata decis.* 12. *nu.* 22. *in rec. decis.* 222. *nu.* 21. *par.* 18., *&* *in Romana dotis de Salviatis* 22, *Jannarii* 1703. §. *Cæterum cor. R P. D. meo Ansaldo.*

Non subsisteote, quod deductis expensis necessariis, pro congrua, & decenti substentatiooe Domioici Mariæ, ac subductis oneribus realibus, nulli supersint fructus, super quibus possit exequi mandatum, cum illi vix sufficiant pro dictorum onerum substentatiooe, quooiam placuit responsio, quod hujusmodi asserta iosufficientia à Primogenito ad quem spectat tale onus, usque adhuc probata non fuit, ex quo notulæ per eum exhibitæ continentes redditus, & expensas annorum 1703. & 1704. (ultra quod nec ad illum effectum sufficiuot) fuot informes, & proprio marte confectæ, idcirco, cum hodiè ille non sit io probatis, DD. consulentes indemnitati tam Domioici Mariæ, quam Artemidoræ, cui hoc interim, quod
7 parantur probationes retardari oon debet
constitutio dotis, relaxarunt pro nuoc mandatum contra Dominicum Mariam Primogenitum, eidemque reservarunt actionem petendi cootributum ab hæredibus fideicommissariis, quoties mediante firmatione status probaverit assertam fructuum iusufficientiam, ita se cooformando donationibus factis à Julio Cæsare.

Descendendo ex his ad quantitatem dotis
8 constituendæ, cum ista regulariter depen-
deat ab arbitrio Judicis, & io similibus pro-
9 cedi soleat habito respectu ad dignitatem
Patris, quaotitatem patrimonii, qualitatem mulieris, & regionis consuetudinem, *per Text. in l. cum post* §. *Gener. ff. de jure dotium*, *Card. de Luc. de dot. disc.* 2. *nu.* 2. §. *Processum, Rota cor. Emerix decis.* 1034. *n.* 1. *&* *seqq.*, *&* *in Fulginaten. successionis*, *&* *dotium* 25. *Jannarii* 1704. §. *Verum*, *&* *fortius cor. me*, hinc DD. iis omnibus inspectis, & signanter solito hujus familiæ de
10 Conventatis, ac etiam cooditione, & ætate mulieris, quæ nubilem ætatem excessit, & demum quantitate bonorum primogenialium, de quibus hactenus constiat ex Peritiis olim distributis, in summa scutorum bis mille constituendam esse ceoluerunt.

Et ità, utraque &c.

ROMANA SEU SABINEN. BONORUM.

Ven. 13. Martii 1705.

ARGUMENTUM.

Qoalitatem hæreditariam actus indueentes expenduntur, & exceptiones, illos gestos in minori ætate, si post majorem fueriot ratificati, nihil eidem obstare deciditur.

SUMMARIUM.

1 *Hæres non potest sui auctoris bona pro credito, quod contra illum habebat, retinere.*
2 *Qualitas hæreditaria tanquam quid facti probanda est.*
3 *Filius, ergò hæres.*
4 *Qualitas hæreditaria probatur per actus, qui citra jus, & nomen hæredis fieri nequeunt, & n.8.*
5 *Possessio continuata bonorum patris à die illius obitus, est magnum argumentum pro probanda qualitate hæreditaria filii.*
6 *Qualitas hæreditaria patris probatur in filio, si ut talis passus est citari, & comparuit, & se defendit.*
7 *Et si tanquam talis cum matre transegit, eidemque quietantiam administrationis bonorum paternorum fecit.*
9 *Citra nomen hæredis facti non dicuntur actus, qui citra illud fieri nequibant, & in quibus nomen proprium simpliciter refertur ad promissionem ratificationis Fratrum absentium.*
10 *Actus à minore factus ratificatur ex productione in judicio in ætate majori.*
11 *Actus qualitatem hæreditariam inducit a minoribus, licèt sit factus, in minori ætate; si facti majores in judicio produxerunt.*
12 *Ignorantia facti proprii non datur.*
13 *Ignorantia juris non præsumitur in personis de Stylo Curiæ, & Tribunalium informatis.*
14 *Transactionis commodo in una parte utens, nequit eamdem pro altera impugnare.*

DECISIO CCCLIV.

IMminentem executionem mandati A. C. jam per hoc Sacrum Tribunal demandatam favore Matthei de Parentibus, aliorumque litis consortium contra booa hæreditaria quondam Stephani, retardare volentes fratres de Simeonibus illius filii, & hæredes, vulgatam Angeli cauthelam allegarunt: verum sicut coram R. P. D. meo Muto ea non attenta mandatum fuit, quod procederetur ad subhastationem bonorum, ita hodie coram me in gradu appellationis ad ulteriorem mandati executionem procedendum,

dum, & dictam cauthelam Angeli servan-
dam non esse, DD. responderunt.

Omisso enim examine circa validitatem
crediti dotalis, pro quo bona hæreditaria
retineri posse prætendebatur: cum tamen
plura etiam ad illius exclusionem deduce-
rentur, satis putarunt DD. pro resolutione
articuli recognoscere, quod iidem fratres
hæreditatem Stephani eorum patris adi-
verunt: quamobrem stante hac qualitate hæ-
rediaria, nequeunt pretextu illius credise
1 tueri; *Negusan. de Pignor. membr. 1. p. 5.
num. 53. Rota coram Bich. dec. 330. num. 8.,
& in rec dec. 39. num. 1., & 6. par. 6., &
dec. 233. num. 9. par. 18.*

Nec qualitatem prædictam controverti
posse visum fuit, quoniam licet ea tanquam
2 quid facti deberet per allegantes probari,
attamen perspicue resultat non solùm ex quo
fratres supradicti sunt filii Stephani, ac per
consequens in illis bene procedit regula er-
3 go hæredes, *Leg. 1. §. qui sunt in potestate
ff. si quis omiss. caus. test. Turr. de pact. fu-
tur. success. cap. 22. num. 25. Rota. cor. Du-
nozzet. Jun. dec. 106. num. 3.*

Verum etiam ex quam pluribus actibus
per illos gestis, qui citra jus, & nomen hæ-
4 redis fieri non potuerunt, *Gratin. desce-
pt. 78. num. 16. Postb. resolut. 28. num. 25.
Rota coram Dunozzet. Jun. dec 106. n. 4.,
& cor. bon. mem. Emerix dec. 1174. num. 3.,
& in recent. dec. 502. num. 19 par. 18.*

Et sane probatum fuit eos usque à die obi-
tus patris continuo illius bona hæreditaria
5 possedisse, quod esse Magnum aditionis ar-
gumentum, probant *Honded. cons. 61. n. 58.
lib. 2. Mantic. de Conjectur. ultimæ volunt.
lib. 12. tit. 12. n. 8. Rota in Firmana Pecu-
niaria 4. Junii 1684. §. retardari coram bo.
mem. Ursino;* rursus, pluries in hoc judicio
6 passi fuerunt se citari tanquam hæredes pa-
tris, & comparuerunt, impugnando credi-
tum actorum, ac hæreditatem paternam de-
fendendo: quodque magis est, occasione
transactionis initæ cum earum matre, à qua
cessionem asserti crediti pro retensione alle-
7 gati reportarunt, de pluribus bonis hæredi-
tariis eorum patris disposuerunt, assignando
matri vestes, jocalia, argenta, frumentum,
& alia in eadem transactione enunciata: ul-
terius remisserunt, & ei respective com-
pensarunt plures pecuniarum summas debi-
tas hæreditati patris pro expensis, meliora-
tionibus, & resarcimentis factis in bonis do-
talibus, & pro illorum recuperatione, ac tan-
dem matrem quietarunt de administratio-
nem bonorum hæreditariorum Stephani,
quam ipsa à die obitus illius gesserat: sese in-
super obligando eam liberare ab omnibus
molestiis, quas pati potuisset ab aliis eredi-
toribus paternis: qui omnes actus sive uni-
tim considerentur, sive singuli, de perse
utique apti sunt ad inducendam qualitatem
hæreditariam, *Rota in Fanen. donationis 7.
Martii 1701. §., & licet. cor. R. P. D. meo
della Tremoille, & in Perusina dotis 20. Ju-
nii 1701. §. ulterius coram R. P. D. meo Ca-
prara*, & late firmavit *decisio præcedentis
instantiæ coram R. P. D. meo Muto §. quali-
tas autem.*

Posita efficacia probationis ex dicta transa-
ctione resultante, frustra adversus illam
opponebatur, quod fratres prædicti eamdem
nomine proprio, non autem uti patris hæ-
redes stipulati fuerint, quia cum ea omnia
super quibus transactum fuit, ad hæredita-
tem patris spectarent, ac citra jus, & nomen
hæredis de illis disponi nequiverint, exinde
8 sequitur quod hæreditaria qualitas necessa-
ria ex illis inducatur, *Bartol. in l. gerit n. 21.
ff. de acquiren. hæredit. Bald. Cons. 224. n. 1.
lib. 2. Rota coram Gregor. dec. 98. num. 3.,
& post Merlin. de Pignor. dec. 105. nu. 21.,
& post Torr. de pact. futuræ success. dec. 94 n. 3.*
9 maxime quia expressio nominis proprii re-
fertur simpliciter ad promissionem ratifica-
tionis quo ad fratres, & sorores absentes,
ut advertitur *in dicta decisione R. P. D mei
Muti §. Quoniam.*

Sicuti minus refragatur altera exceptio,
quod actus memoratæ transactionis, & re-
spective quietantiæ gestus fuit ab iisdem tem-
pore, quo in minori ætate constituti erant,
quoniam effecti majores illud idem instru-
mentum judicialiter in actis produxerunt,
ac in eo se fundant desumendo jura crediti
materni ab eadem ipsis cessi: ex qua profecto
10 productione, plena illius ratificatio desu-
mitur, *Rota dec. 601. num. 12. coram Burat.
dec. 203. num. 6. coram Bich. dec. 270. nu. 7.
cor. Cels. dec. 127. num. 1., & 2. cor. S. me.
Alexand. VIII., & dec. 86. nu. 19. par. 16.
recent.* ideoque exceptio minoritatis atten-
denda non est, cum non debuissent majores
transactionem prædictam ratificare: illaque
11 uti in judicio, *l. fin. C. si major fact. Grat.
Cons 47. num. 26. lib. 1. Rota dec. 178. nu 3.
coram. Cer., & in recent. dec. 306. num. 53.
par. 7.*

Absque eo quod illos juvet excusatio,
quod scientiam facti, & juris non habuerint,
tum quia neutra ex eis allegari meretur,
non quidem illa facti, cum nunquam detur
ignorantia facti proprii ex tot, & reiteratis
12 actibus per ipos expletis aditionem indu-
centibus, multoque minus alia juris, quæ
13 non præsumitur in personis de stylo Curiæ
& Tribunalium bene versatis, ut ait *Rota
coram Burat. dec. 44. num. 9., & in recent.
dec. 46. num. 5. par. 18.*, tum, & fortius,
quia nisi hujusmodi transactionem ratificas-
sent uti nequirent illius commodo allegando
41 titulum donationis quæ ex dicto instrumen-
to resultat, non enim possunt illud in parte
respiciente suum commodum approbare, &
in alia reprobare, ut bene observat *decis.
R. P. D. mei Muti §. Quinimo.*

Et ita, utràque &c.

TOLETANA JURIUM PAROCHIALIUM SUPER MANUTENTIONE.

Veneris 20. Martii 1705.

ARGUMENTUM.

Res judicata afficit etiam non citatum, qui se suo jure spoliaverat: si lata sit contra possessorem: qua obstante tribui non potest manutentio illi, qui juribus se spoliavit, cum eisdem sit privatus acquitens. Nec obstant ad illam obtinendam actus, qui exercebantur, antequam jura dimitteretur, nec illi privati præcario nomine, vel postea provisionaliter gesti.

SUMMARIUM

1 *Res judicata per indirectum destrui nequit: sed est servanda*, & n. 10. *Et facit probationem probatam.*

2 *Sententiæ contra alios latæ non afficiant non citatos.*

3 *Citare necesse non est illos, qui se juribus spoliarunt favore alicujus: quem sufficit citare, ut sententia contra illum lata alterum afficiat.*

4 *In spoliante se suo jure actus gesti secundum statum antiquum non suffragantur; sed secundum præsens requiruntur ad obtinendam manutentionem.*

6 *Manutentio non datur propter actus gestos præcario nomine alterius: si ejus jus sit resolutum.*

Dominii jure resoluto, resolvitur etiam jus præcario ejus nomine possidentis.

7 *Actus lite pendente gesti nullum jus manutenibile tribuunt.*

8 *Possessio manutenibilis non acquiritur ex actibus, & per modum provisionis concessis.*

9 *Temperamentum capi nequit, cum obstat res judicata.*

DECISIO CCCLV.

Antiquas Domos, ecclesiam, & situs, quos olim possidebat Ven. Confraternitas sub invocatione Passionis Domini nostri Jesu Christi, vendidit ista PP. Dominicanis; qui cum absque ulla superiorum licentia ibidem formalem Conventum constituerint: & omnia munera Parochialia cœperint exercere; fuerunt a Parocho SS. Justi, & Pastoris inhibiti: & disputato formiter articulo, tres prodiere sententiæ conformes prohibentes, non solum exercitium dd. actuum, verum etiam demandantes perpetuam clausuram ecclesiæ prædictæ: & ob rejectam à Signatura appellationem transierunt in rem judicatam, ut non est controversia inter partes.

Verum quia in præfata ecclesia Confrares etiam post venditionem ex permissione dd. PP. in feria quinta Parasceve, processionem, quam ex eorum instituto facere solebant, ibidem inchoabant; cœperunt prætendere, quod etiam postquam fuerat demandata ecclesiæ clausura; possent idem prædicare; sed ad oppositionem Parochi controversia delata ad judicium; licet per Reverendissimum Nuncium primo, & postea per sacram Congregationem Concilii fuisset Confratribus per modum provisionis concessa licentia faciendi processiones pro annis 1697., & 1699. & deinde concessa iisdem manutentio per nostrum Tribunal coram R. P. D. meo Ansaldo; tamen in gradu appellationis, examinato per dubium particulare bono Jure partium cor. R. P. D. meo Muto; & constito, quod illud assistebat Parocho; fuit in eadem audientia illi manutentio concessa: & mihi deinde commissa causa super cognitione possessorii; hodie prævia disputatione congrui dubii; *manutentionem dandam esse eidem parocho*, DD. censuerunt.

Eo enim ipso quod fuit per tres conformes in judicatum transactas demandatum, quod ecclesia clauderetur in perpetuam, necesse sequitur, quod non possit à confraternitate, nec per momentum exerceri ullus actus in illa, nam aliàs indirectè destrueretur res
1 judicata, quæ tamen debet omninò servari tanquam faciens probationem probatam; *l. res judicata* 208. *ff. de reg. Jur.*, & *l. ingenuum* 25. *ff. de Stat. homin. Rota coram Cels. dec.* 283. *n.* 6. & *in rec. dec.* 509. *n.* 15. *par.* 18. & *dec.* 465. *n.* 5. *par.* 19.

Non attenta exceptione, quod sententiæ latæ fuerint contra PP. Dominicanos, & proinde non afficiant ipsam Confraternitatem non citatam, quoniam ut bene respondir decisio edita super bono jure coram R. P. D. meo Muto, non fuit necessaria talis citatio, dum Confraternitas occasione trans-
2 lationis Hospitalis ad alium locum, omnia sua jura nihilo penitus excepto PP. Dominicanis cesserat; in his enim terminis satis
3 fuit judicium agere cum istis, & contra illos, ad quos negocium unicè spectabat obtinere; ut exindè res judicata attendi debeat contra omnes, & præsertim etiam contra eos, qui se prius omni Jure spoliaverant; *Rot. in Romana Pecuniaria.* 11 *Januarii* 1700. §. *Quoniam cor. Reverendissimo D. meo Decano*, & *in Ravenaten Pecuniaria* 2. *Julii* 1702. §. *Visus est cor. R. P. D. meo Caprara*, & *optimè decisio R. P. D. mei Muti.*

Atque ex his patet, quod nullum constitui valet fundamentum super actibus possessoriis, quos prætenditur exercuisse Confratres in dicta ecclesia, cum ex temporum distinctione illorum irrelevantia ad effectum de quo agitur nimis aperta remaneat; si enim loquimur de illis gestis ante venditionem factam PP. Dominicanis; & de istis nulla est habenda ratio, cum fuerint gesti
4 antequam se Confraternitas jure suo spoliaret: & ad obtinendam manutentionem debent adduci actus gesti secundum præsentem, non autem antiquum statum; *Posth. de Manut. observ.* 71. *n.* 15. *Rot. cor. Coccin. dec.* 1893. *n.* 4. & *in rec. dec.* 168. *in fine par.* 4. Si verò res est de actibus gestis ex post; & isti

illi in duas classes subdividuntur; illi enim,
qui exerciti fuerunt de tempore, quo PP.
Dominicani apertam retinebant ecclesiam,
quia res judicata non supervenerat, non merentur
adduci, quia dicuntur expleti preca-
5 rio nomine PP., & ex illorum permissione:
quamobrem resoluto eorum jure, resolutum
etiam remansit jus Confraternitatis; *l. ex
vectigali ff. de pignor. Amat. var. resolut.
Cap.7. n.36. vers. pro qua opinione Rota cor.
Gregor. dec.68. n.5., & in recent. dec.37. n.4.
pa:.17.* maximè quia cum eo tempore pen-
7 deret lis, nullum ex eis acquisitum fuit jus
manutenibile; *Adden. ad Gregor. dec.4. n.2.
litt. A, Rota cor. Mantic. dec.207. nu.10.,
& cor. Buratt. dec.464. n.4. & dec.229. n.27.
par.16. rec.* Illi verò, qui gesti dicuntur post
clausuram ecclesiæ, & post rem judicatam,
mitiorem animadversionem merentur, quia
8 fuerunt facti per modum provisionis, & ex
indulgentia tam Nuncii, quam Sacræ Con-
gregationis Concilii: quamobrem ex eis
non potuit acquiri possessio Confraternitati;
*Abb. in Cap. Cum nos num 1. de Offic. Or-
din. Rota post Posth de Manut. decis 6,6.
num 4 & in Alexanen manutentionis 1 Ju-
lii 1659. §. Nec in contrarium cor. bo. me.
Pio.*

Quatenus verò replicabatur, quod hodiè valeat impugnari contractus venditionis ecclesiæ, & interim saltem ex æquitate posset aliquod capi temperamentum, ut salvo jure Parochi processiones ad populi ædificationem fieri valeant aperiendo ecclesiam pro hoc solo actu: & sic per modicum tempus; satis DD. satisfactum putarunt ex responsionibus R. P. D. Muti; quod scilicet de nullitate venditionis erit agendum in alio Judicio petitorio, & temperamenta capi
9 non possunt, donec legitimè revocetur res
judicata, quæ non debet ita per indirectum
tolli de medio; *l. peremptorias C. sentent.
rescin. non poss. Caputaq. dec.323. num.5. par.
1. & Rot. cor. Cerr. dec.662. n.6.*

Et ita utraque &c.

GIENNEN. JURIS MUTANDI CUM CAUSA, VEL SINE.

Veneris 27. Martii 1705.

ARGUMENTUM.

Habes in superiori Dec.298. quæ confirmantur.

SUMMARIUM.

1 *Restitutio in integrum deneganda venit, cum de judicati justitia constat.*
2 *Mutationes Canonicorum de una Ecclesia ad aliam sunt de jure prohibitæ.*
3 *Declara conclusionem procedere cum mutatio ad disparatas, & diversas fieret Ecclesias, & titulus canonicalis mutaretur.*
4 *Limitatur cum agitur de una eadem formali cathedrali materialiter tantum distincta.*
5 *Cathedrales licèt materialitèr sint duæ, quomodò una, & eadem formalis sit?*
6 *Ecclesiæ Ginnen., & Beatien. unam formalem constituunt Cathedralem.*
7 *Dictio -* liberè *- omne servitutis ligamen excludit.*
Facultas concessa cum verbo liberè, *tollit necessitatem exprimendi causam in ejus exercitio.*
8 *In negocio terminando arbitrio, & conscientiæ alicujus, nulla ab eo causa est exprimenda.*
9 *Observantia verba declarat, in quo sensu fuerint prolata.*
10 *Confessio contra confitentem plenè probat.*
11 *Cedi non potest jus, quod non habetur.*
12 *Extra acta, quæ sunt, extra mundum esse dicuntur.*
13 *Amplia conclusionem, ut hic.*
14 *Rei judicatæ justitia in dubium non revocatur, nisi acta sint integrè transportata.*
15 *Gravamen ab aliquo inferendum non præsumitur, nisi probetur.*
16 *Fama canonici, si de una Ecclesia Cathadrali ad aliam formaliter unitam mutetur, absque causæ expressione, ab Episcopo non læditur: si tale onus, & jus respectivè in illis aderat, & canonici sciebant.*
17 *Fama Capellani amovibilis non læditur; si absque causa ejus amotio fiat.*

DECISIO CCCLVI.

RƐstitutionem in integrum per Capitulum, & Canonicos Giennen. petitam adversùs quam plures sententias hujus Sacri Tribunalis, concedentes Episcopo jus mutandi Canonicos ab Ecclesia Giennen., ad illam Baetiæ absque ulla causæ expressione, cum in audientia diei 11. Februarii 1704. cor. me DD. denegaverint; hodie pariter *non esse concedendam* approbando ejusdem decisionis fundamenta responderunt.

Justitia namque sententiarum (dum super exceptionibus validitatem tangentibus DD. immorari superfluum putarunt ex quo in aliis decisionibus satis abundè remanserunt sublatæ) undique clara visa fuit, cum plenè resultet non solum ex literis executorialibus, & ex cessione facta de jure visitandi per capitulum de anno 1539. favore Episcopi, quod liberè absque causa, & ad tempus bene visum eidem capitulo competebat: Verum etiam ex subsecuta continua observantia, juxta quam Episcopi pro tempore usi fuerunt hujusmodi facultate, tam judicialiter, quam extrajudicialiter probata ex instrumentis translationum usque ad annum 1698. factarum sub narrativa, quod ipsi existebant in quasi possessione liberè mutandi cum sola expressione causæ, quod ita servitio Dei, & bono Regimini Ecclesiæ congruebat: ac ulterius ab examine testium præ-

præbendatorum Cathedralis idem deponentium, & demum à deliberatione capitulari capta anno 1642., in qua Capitulum fassum fuit jus libere mutandi ad Episcopum spectare vigore executorialium rotalium, & continuæ possessionis, decernendo, quod imposterum mutationes ab Episcopis factæ, & faciendæ, executioni demandarentur: ex quibus omnibus, cum justitia sententia-
1 rum firmata dignoscatur, venit retardanda restitutio in integrum adversùs illas expetita; *Rot. cor. Dunozett. Jun. dec.804.n.1. & cor. Cels. dec.151. num.3. & seqq. & cor. Emerix dec.1237. n.2. & in rec. dec.33. n.1. par.19.*

Nec ad obtenebrandam justitiam prædictam adduci merebatur conclusio generalis,
2 quod de jure mutationes clericorum de una Ecclesia ad aliam sunt prohibitæ; ad normam *Text. in Can. Sanctorum distinct.70. Can. non oportet, & Can. Pastoralis 17. quæst.1.* quia talis regula locum haberet,
3 quando translatio fieret ad diversas, & disparatas ecclesias, & quoties titulus canonicalis mutaretur, secus verò, quando mutatio fit de una ecclesia ad aliam, quæ unam
4 formalem Cathedralem constituunt, prout sunt Ecclesiæ Giennen., & Baetien., quæ
5 licet materialiter sint duæ, tamen formaliter unicam Cathedralem efformant, & ambarum Canonici in utraque tamquam in una, eademque Cathedrali intitulati censentur; *Gloss. in Cap novit in verb. uniendo, nè Sede vacante, & in Can. & temporis qualitas, & in verb. unire 16. quæst.1. Azor. instit. moral. par.2. lib.6. cap.28. quæst.2. Tunicell. de union. cap.3. n.2. & seqq. Fagnan. in d. cap. novit ne sede vacan. n.3. Caccialup. de union. Cap.2. n.3. Petr. de Perus. de union. cap.1. n.4. & cap.2. n.3. Barbos. de Jure ecclES. lib.3. cap.16. num.6. vers. operatur:* & in præcisis terminis ecclesiarum super quibus cadit præsens controversia; *Francesc. de Eccles. Catedr. cap.8. n.141. & seq.*, ubi
6 quod in Ecclesiis Giennen., & Baetien. Canonici unius sunt Canonici alterius: & Episcopus prò libito facit inservire in una, vel in alia ecclesia.

Non obstante replicatione, quod posita etiam hac facultate, tamen non veniat adeò effrenatè intelligenda, sed quamvis tàm in cessione facta per capitulum, quam in executorialibus Rotalibus declaratum fuit eam liberè competere, adhuc dicendum sit libertatem consistere in hoc, quod Episcopus ad hujusmodi mutationes devenire possit absque consensu Capituli, non verò sine expressione causæ, quoniam attenta naturali significatione dictionis *liberè*, quæ omnis
7 servitutis ligamen excludit, inde sequitur, quod etiam onus causam exprimendi exclusum remaneat, ut fuit firmatum in omnibus istius causæ decisionibus: & in simili casu; quo negotium sit remissum arbitrio, & conscientiæ alicujus; quod nulla causa sit expri-
8 menda; respondit *Rota in Derthusen. Jurisdictionis 30. Aprilis 1694. §. Quo verò cor. R. P. D. meo Caprara.*

Concurrente potissimum adeò inconcussa observantia 130. annorum, juxta quam, ut præmisimus mutationes semper factæ fuerunt absque expressione causæ præter illam generalem quod ita congruebat servitio Dei, & bono regimini Ecclesiæ; Hinc enim
9 declaratur, in quo sensu fuerit prolatum d. verbum liberè: *Rot. cor. Dunoz. jun. dec. 869. n.11. & cor. bo. me. Emerix dec.24. n.9. & in rec. dec.253. n.8. & 9. part.16. & in Urbanien. Canonicatus 23. Januarii 1697. §. Omisso enim cor. Illustrissimo Magno Cancellario Mediolani*; & in his præcisis terminis *in dicta Derthusen. Jurisdictionis §. Quibus non deficit*: cui quoque accedit supra enunciata confessio de anno 1642. per Capitulum emissa: in qua fassum fuit Episcopos habere jus liberè mutandi prò libito voluntatis absque ulla limitatione; idque continuo, & sine aliqua contradictione practicatum fuisse: quæ confessio contra ipsum ple-
10 nè probat, ex notissimis juribus, & firmatum fuit *in alia decisione cor. Me §. Et de facto.*

Quibus non adversatur declaratio emissa in relatione Christophori Arquellada Vicarii Generalis Episcopi ante cessionem à Capitulo factam, asserentis, quod mutationes priùs per Capitulum cum expressione causæ fieri solebant, sed capitulum abutebatur facultate mutandi, *à loro arbitrio, e volotntà senza attendere la necessità di ambedue le Chiese, come ordina lo statuto*: unde inferebatur, quod capitulum cedere
11 non poterat Episcopo jus libere mutandi; quando illud apud se non habebat, nam præter alias responsiones adductas in præterita *decis. cor. Me §. Nec illi*, cum quibus hodie DD. transierunt, urget alia videlicet, quod asserta relatio non adest in actis originaliter, ideoque non venit attendenda.
12 cum extra mundum esse dicatur; *Card. de Luc. de Regal. disc. 113. num. 67. Rota cor. Bichio dec. 397. num. 17.* maximè quia ipsamet copia per errorem reperitur inserta
13 in actis præsentis instantiæ, cum fuerit in alia causa producta.

Imò cum, & alia facta præcedentium sententiarum non fuerint adhuc integrè transportata, ut prævia disputatione particularis dubii cor. R. P. D. meo Priolo hac die resolutum fuit: inde sequitur, quod etiam ex hoc solo motivo non possit justitia
14 rei judicatæ in dubium revocari, cum ad hunc effectum debeat præcedere integra actorum transportatio, ut firmavit. *Rota cor. Emerix. dec. 380. num. 1. & in rec. dec. 35. num. 20. et seq. par. 10.*

Quibus ita firmatis: incongrua prorsùs visa fuerunt repetita absurda, quæ per capitulum dicuntur oriri posse à tali facultate liberè mutandi, & signantèr quod Episcopi illa abuterentur continuè Canonicos gravando, & quod per tales mutationes multum

fama,

fama, & existimatio læderetur eorumdem,
etenim quoad prætensa gravamina, ultra
15 quod ista præsumenda non sunt, & usque
adhuc non probatur Episcopos facultate
prædicta abusos fuisse, cessat quælibet dif-
ficultas, ex quo remanet aperta via ipsis Ca-
nonicis causam prætensi gsavaminis in de-
volutivo prosequendi, ut dictum fuit *in præ-
teritis hujus causæ decisionibus, & signanter
in illa cor. Me §. Exindeque*.

Quò verò ad præjudicium bonæ famæ,
Istud pariter abesse visum fuit, quia omni-
bus notum est, quod canonicatus Ecclesiæ
16 Giennen. subjecti sunt oneri mutationis ad
illam Baetiæ, quando servitio Dei, & bono
Ecclesiæ regimini congruit: & de hoc erant
benè conscii Canonici: ideoque si illos hu-
jusmodi servituti obnoxios acceptarunt:
utique tali oneri acquiescere debent sine
ullo periculo læsionis propriæ famæ, ut ha-
betur in Capellaniis amovibilibus, in quibus
fit amotio absque causa, & tamen non lædi-
17 tur existimatio & fama illorum, qui passim
amoventur, *Corn cons. 262. num. 6. lib. 2.
Rot. cor. Cocc. dec. 18. num. 5. & cor. Cava-
ler. dec. 350. num. 1. & dec. 135. par. 10. rec.*

Et ita utraque &c.

ROMANA TENUTÆ CAMPI SALINI.

Lunæ 30. Martii 1705.

ARGUMENTUM.

Est revocatoria dec. 332. & locationem per dis-
sensum unius ex condominis revocat; ex quo
non probatur Collegialitas. Quænam requi-
rantur ad inducendam collegialitatem?
quam non probant actus æquivoci, & latè di-
scutitur materia; Et etiam quià etiamsi colle-
gialitas probaretur, tamen in locationibus ad
longum tempus, & alienationibus bonorum
Universitatis, & Collegii requiruntur utili-
tas, & solemnitates, quæ, qualia, & quomo-
do facienda sunt? ubi de aliis incidentibus.

Hæc confirmatur infra decis. 381.

SUMMARIUM.

1 *Ad indicandam collegialitatem requiritur exhibitio sigilli ipsius Collegii.*

2 *Ad inducendam collegialitatem opus est, quod sigillum sit unicè destinatum ad privativum usum Collegii; quodque alteri non deserviat.*

3 *Requisita collegialitatis necessaria sunt arca communis, & Codex statutorum præscribentium certam formam boni regiminis*, juncto num. 8.

4 *Ad inducendam collegialitatem non sufficit arca formalis, sed requiritur materialis pro custodiendis juribus, scripturis, & pecuniis Collegii.*

5 *Ordines solutionum directi affictuario collegialiter non subscripti, nec à persona à Collegio destinata non probant Collegialitatem.*

6 *Arca, ut dicatur communis oportet, ut in ea collocentur singulis annis introitus Collegii.*

7 *Resolutio facta ad unicum, & transitorium effectum, nil constituit, præcipuè si caruit effectu.*

9 *Collegii statutum adesse non concludunt ordinationes variæ in unum codicem non redactæ.*

10 *Conjecturæ ad probandam collegialitatem debent esse concludentissimæ, & talis naturæ, ut ex eis illa inferatur.*

11 *Actus indifferens, & pluribus applicabilis non arguit collegialitatem.*

12 *Super re communi requiritur consensus omnium in communione existentium.*

13 *Collegialitas non inducitur ex tractatibus communiter, & collegialiter factis, ex quo conveniunt etiam simplici Congregationi.*

14 *Collegialitatem non probat coadunatio personarum interesse habentium.*

15 *Inductio à diversis nihil probat.*

16 *Denominatio non attenditur, si deficiunt substantialia.*

17 *Amplia quando denominatio non fuit semper univoca.*

18 *Libro memoriæ causa retento, & informi nulla fides habetur.*

19 *Deputatio Ministrorum, & solitum se congregandi non probant collegialitatem, & quare?* num. 20.

21 *In locationibus perpetuis, aut ad longum tempus bonorum Universitatis requiruntur solemnitates, & utilitas.*

22 *In alienatione bonorum Universitatis, seu Collegii requiritur juramentum majoris partis possidentium de utilitate, affixio edictorum, & decretum Judicis.*

23 *Alioquin alienatio est nulla.*

24 *Amplia si tales solemnitates fuerunt alias practicatæ.*

25 *Pacta minuunt, & augent valorem rei.*

26 *Pactum, quod locator non possit expellere conductorem est contra naturam contractus.*

27 *Prohibitio alienationis fructuum communis tenutæ in extraneos, fortius verificari debet in eadem Tenuta.*

28 *Spes obtinendi Tenutam in locationem participibus ejusdem, est pretio æstimabilis*

29 *Multo fortiùs spes remanendi Dominus ejusdem.*

30 *Præjudicia quando sunt gravia compensata non sunt ab aliquo parvo argumento.*

31 *Augumentum non commensuratur ab ultima locatione, sed ab eo, quod unus plus offerat in aliorum concursu.*

32 *Conventio à conductore inita favore aliquorum ex locatoribus, probat præjudicium aliorum locatorum.*

DECISIO CCCLVII.

Libratis in audientia die 17. Novembris præteriti fundamentis decisionis, quæ prodierat coram Me sub die 30. Junii 1704. in qua favore R. P. D. Caroli de Marinis

Rev.

Rev. Cameræ Apostolicæ meritissimi Generalis Auditoris responsum fuerat, contractum perpetuæ locationis sustineri, & Paulo de Quinque non esse dandam prælationem, licet ea die nulla capta fuisset resolutio, hodiè tamen reproposita causa, censuerunt Domini recedendum esse à decisis ex duplici fundamento, quorum alterum est, quod inter condominos Tenutæ Campi Salini nullis probatur collegialitas; alterum verò, quod ubi etiam de illa constaret, sine certis tamen solemnitatibus, & utilitate perpetua locatio fieri non potuerit.

Et sane in præsenti deficere visa fuerunt requisita necessaria prò asserta collegialita-
1 te; tùm quia nullum exhibetur sigillum, quod præseferat signa illius Collegii, prout requiritur *Faguan. in cap. responso num. 36. de sententia excommunicationis, Roman. cons. 436. n. 6. & 7., Corad. in prax. benefic. lib. 2. cap. 9. n. 24. Rota coràm Seraph. decis. 1256 n. 1. in recen. decis. 56. n. 5. par. 5., & decis. 192. num 8. par. 14.* Nec ad istum effectum satis est, quod participantes ad authenticandos actus quandoque usi fuerint signo Notarii Capitolini; quia prò inducenda collegialitate opus est, quod ipsum sigillum
2 sit unicè destinatum ad privativum usum ipsius Collegii, quodque alteri non deserviat, ut fuit firmatum per *Rotam decis. 10. num. 2. cor. Achill. de Grass. decis 136. n. 17. par. 6. & decis. 216. n. 5. par. 7 recen.* Quidquam non relevante inscriptione sculpta in Columna marmorea existente in tenuta controversa; quia illa refertur ad aliud Collegium Salinariorum, quod nihil habet agere cum Dominis ipsius Tenutæ, qui tali signo non utuntur, adeout proindè nullum in ea possit fieri fundamentum ex allegatis.

Tùm quià deficiunt acta communitatis, & Codex statutorum; de quorum necessario
3 interventu testantur, *Decian. cons. 6. num. 2. lib. 2. Alex. cons 75. n. 2. lib. 4. Rota coram Mantica decis. 107. n. 8. & decis. 175. n. 1. & coram Pamphil. decis. 446. n. 4.* Non suffragante respectu primæ existentiæ arcæ formalis deductæ ex solutionibus portionum, quæ fieri consueverunt cum ordinibus à Congregatione Participantium directis affictuariis pro tempore; quià præterquamquod ad inducendam collegialitatem non sufficit arca formalis, & idealis, sed materialis omninò requiritur, ut in ea custodiri valeant
4 jura, scripturæ, & pecuniæ Collegii ex notatis in dicta *decis. 136. n. 16. & 17. par. 6. recentior.* adhùc ea probata non remanet ex prædictis ordinibus; illi enim nec fuerunt
5 collegialiter, nec à persona destinata à Collegio subscripti, sed singulariter à singulis uti respicientes particulare interesse participantium, & indennitatem Affictuarii, & quidem optima ratione, quia sicut locationes, & affictus fieri solent ab omnibus participantibus simùl congregatis: ità natura contractus exigit, quod debitor affictuum de eorum omnium ordine solvat, ut ipse tali modo scire possit singulorum portiones; quæ in dies modo crescunt, modò decrescunt propter nonnullorum obitum, & aliorum admissionem, multoque minùs ad probationem arcæ prædictæ confert documentum exhibitum anni 1563, quia in eo actum
6 non fuit de collocandis in capsa singulis annis introitibus Tenutæ, ut opus fuisset ad effectum constituendi arcam communem, sed tantum de claudenda in quadam capsa, certa, & determinata summa à nonnullis de-
7 bitoribus exigenda, quæ resolutio non facit ad intentum: maximè quià cum non probetur effectum sortita, de ea nulla ratio habenda venit, *leg silendum 15. §. Qui fundum, ff. qui satisdar. cogan, & leg. non est mirum 20. in fin. ff de pignorat. act. Rota coram Coccin. dec. 1680. n. 174. in recent. decis. 66. num. 88. par. 11. & decis. 381. num. 17. par. 19.*

Respectu verò secundi, nullus quidem
8 exhibetur Codex, in quo sit adnotatus tenor Statutorum præscribentium certam formam regiminis, prout necessarium foret, & licet productæ fuerint nonnullæ ordinationes factæ à participantibus, quià tamen illæ non sunt in unum volumen redactæ, juxta Collegiorum morem; Statuti nomen non mæ-
9 rentur, & potiùs judicandæ sunt conventiones particulares non aptæ ad inducendum extrinsecum signum Collegialitatis, ut loquendo de Archivio, probat *Corrad in prax. benef. lib. 2. cap. 9. n. 23. vers. Archivium.*

Deficientibus itaque his omnibus requisitis non juvat recurrere ad conjecturas, & adminicula, ex quibus licet Collegialitas demonstrari possit, illæ tamen debent esse
10 concludentissimæ, & talis naturæ, ut pernecessè ex eis inferatur Collegialitas, *Tondut. resolut. benef. lib. 2. cap. 2. §. 2. num. 3. & 4. Corrad. in prax benef. lib. 2. cap. 9. num. 29. Rota decis. 56. n. 7. par. 15. recent.* talis profectò visa non fuit ea, quæ deducitur ex consensu per Curtium de Vellis expetito prò transferendo periculo propriæ vitæ in alteram personam de Familia extera, & respectivè denegato ab aliis participantibus: ac si ex hujusmodi actu gesto ab omnibus insimùl congregatis, non leve oriri posset adminiculum Collegialitatis; quia cum singulorum interesse respiceret, quod extranei non admitterentur ad participandum; ne ità remotior fieret spes consolidandi integrum dominium in unica persona de eorum numero, nequit actus prædictus aliquod ar-
11 gumentum collegialitatis producere, utpotè indifferens, & æquè conveniens simplici communioni bonorum, in qua opus est ex-
12 quirere consensum omnium aliorum in communione existentium, *l. Sabinus ff. commun. divid. Felic. de societ. cap. 28. num. 7. Cyriac. controv. 28. n. 18.*, & in specie, quod collegialitas non educatur ex tractatibus
13 communiter, & collegialiter factis, ex quo conveniunt etiam simplici congregationi, *Tondut. quæst. benef. par. 2. cap. 2. § 2. n. 3.*

Rota

Rota cor. Pamphil. decis.446. n.5.,& in rec. dec.673. n. 2. par. 1. & dec. 469. n.4. par. 19. tom.2. , & de congregationibus factis pro concedenda investitura, *Corrad. in prax. benef. lib.2. cap.9. n.26.*

Affictus verò Tenutæ nihil refert, quod expleti fuerint mediante Congregatione, quia præter responsionem mox recensitam cum singulis interesset &, quod affictus concederentur personæ idoneæ; omnibus interesse debebant nedum qualitates Affictuarii, verùm etiam conditiones utiles, quæ fieri poterant in contrahenda locatione, & ideò nulla vis facienda est in dicta coadunatione;
14 quæ de per se nihil confert ad probandam collegialitatem, *Adden. ad Buratt. dec.455. n. 5. vers. Non est tamen sufficiens, Adden. ad Greg. decis. 482. n. 9. vers. Advertendus est etiam Rota dec.192. n.11. par. 14. & decis.469. n. 41. par.19. recen.*

Sicut non est attendenda intitulatio Collegii, tùm quià illud Salinariorum participantium de emolumento Salis, qui fabrica-
14 batur à Rev. Camera, est prorsùs diversum ab altero participantium de fructibus Tenutæ, de qua agitur.

Tùm quià deficientibus requisitis substantialibus; curandum non est de asserta denominatione, *Tondut. qu. benef. par. 2. cap.2. §. 2. n. 6. Corrad. in prax. benef. lib. 2. cap.9. n.26. in fin. Adden. ad Buratt. decis. 455. n. 5. vers. Item neque circa med., Adden. ad Gregor. decis.489. n. 9. vers. Non etiam probatur Rota decis. 201. n. 5. & dec.341. n.10. par. 1. & decis.56. n. 13 par.5. tom. 1. recent.* tantò magis, quià non semper adhibita fuit denominatio Collegii, sed aliquando nuncupatum fuit Congregatio, quandoque Universitas, quandoque Adunantia, propterea cum hujusmodi Collegii denominatio censeatur facta per abusum, & impropriè loquendo, ea non sufficit ad concludendam Collegialitatem, ut firmatum fuit *coram Carill decis.46. n.13. & coràm Coccin. decis. 1616. n. 10. & 11*

Cæteræ verò conjecturæ ubi etiam possent aliquid relevare, quod tamen non subsistit, ut infra, nullam mereri visæ fuerunt animadversionem, ex quo carent legitima justificatione; quodque fuerunt exceptæ ex
18 actibus desumptis à quodam informi libro retento memoriæ causa, cui fides regulariter præstanda non est, *Rota coram Carillo decis.54 n. 15. & 16.*, & generaliter in *Alatrina reintegrationis 25. Februarii 1701. §. Et licet coram R. P. D. meo Scotto, & in Senogallien. Beneficii 23 Aprilis 1703. §. Quidquam coram R. P. D. meo Muto*, & ulteriùs sunt omninò irrelevantes electiones Secretarii, deputationes Mandatarii, & Antianorum, divisiones, & participationes fructuum, & solitum se congregandi, quia
19 omnes isti actus simul, & unitim sumpti probare quidem possunt, quod controversa Tenuta uti spectans ad plures Dominos, fuerit administrata à placito omnium, non autem, quod fuerit possessa collegialiter, juxtà rigorosas leges collegialitatis, ut in specie rejiciendo has conjecturas deputationis alicuius, qui massam communem exigeret, &
20 divisionis ipsius massæ, ex quo verificari possunt de his quæ spectant ad plures, uti singulos, *Adden. ad Buratt. decis.455. num.5. vers. Item neque, Adden. ad Gregor. decis. 482. n.9. vers. Sicut nec etiam, Rota coram Achill. de Graff. decis. 10 n. 1. & 2. & in recen. decis. 192. n.11. par.14. & dec.469. n.40. par.19. tom.2.*

Verùm quatenùs etiam per impossibile probata foret asserta Collegialitas, succedit alterù fundamentum præsentis resolutionis, quod nempè locatio perpetua, licet facta à majori participantium numero, sustineri non potest, cum in ea deficiant non solùm solem-
21 nitates, sed etiam utilitas, quæ de necessitate requiruntur in locationibus perpetuis aut ad longum tempus bonorum Universitatis; Cum enim quoad solemnitates requiratur, quod major pars possidentium jurare debeat, alienationem cedere in utilitatem Collegii, & Universitatis, quod affigantur
22 etiam edicta, ad hoc, ut inveniantur oblatores, undè resultet dicta utilitas, & tandem quod concurrat etiam decretum Judicis, ut præcisè disponitur in *leg. Cod. de Præd. Decurion sin. decr. non alienan. lib. 10. leg. 3. Cod de locat. Præd. civil. vel fiscal. lib. 11. l. final. Cod de vendit. lib.12. Surd. cons.28. n.82. Cobell. ad Bull. Bon. Regim. cap.32. num.25., Pacion. de locat. cap.7. n. 48. & 49 Rota decis.73. n. 19 par.5. & decis.62 n.8. par.14. recent.* eo ipso, quod in præsenti casu neutra ex dictis solemnitatibus intervenit, & processum fuit cum unica, simplici, & privata
23 oblatione facta à R. P. D. Carolo de Marinis, locatio à nullitatis vitio salvari non potest ex allegatis.

Tanto magis, quia aliàs uti participantes procurarunt, & receperunt plures oblationes etiam in locationibus factis ad tempus, et signanter de anno 1604. quo comparuerunt quinque oblatores, & locatio ad qua-
24 driennium facta fuit plus offerenti; quamobrem hujusmodi solemnitas, tamquam alias practicata, omittenda non erat.

Neque pariter adfuit utilitas, cum nihil fuerit solutum pro jucundo Ingressu, nec quidquam promissum pro laudemio: quinimmò ea prorsus exclusa remanet ex pluribus pactis favorabilibus conductori, & respectivè præjudicialibus locatoribus, aliisque facti circumstantiis, quæ regulariter valo-
25 rem augere, & minuere solent, ut ad rem ponderant *Card. de Luca de alienat., & contract. prohibit. disc. 1. n.48. Rota decis. 241. num.26. par.4. tom.2. & decis.94 n 68. par.7. recent.* Et sanè legitur præ cæteris in affictu apposita conditio, quod intra quinquennium licitum esset conductori à contractu resilire, & è converso, quod non posset à locatori-
26 bus expelli, quod est contra naturam istius contractus, ut latissimè probant *Bero cons.*

140.

140. *n.17. lib.1. Cæphal.conf.255.n.24.& 25. Covar.practicar. quæst. cap.3. §.final., Boer. decis. 249. n. 8.*

Vlterius hic fuit facta locatio favore personæ prorsùs extraneæ contra formam conventionum aliàs inter participes factarum, quod non posset portio fructuum unicuique
taugen. alienari in extraneos, hæc enim
27 prohibitio respiciens fructus, multò fortius
verificari debet quoad ipsam Tenutam, ut
pluribus adductis *Surd.decis.254.num.15.& seqq.* & tandem fuit etiam sublata participibus
28 spes obtinendi illam in locationem, quod est
valdè pretio æstimabile, & quod magis urget, sublata quoque fuit ultimo de Familia
29 spes ullo unquam tempore remanendi unicus, & absolutus Dominus hujus insignis Tenutæ.

Nec præjudicia prædicta suppleri possunt ex augumento annuæ responsionis, cum promissa fuerit solutio sc. 650. quolibet anno, quando præcedenter pro minori summa Tenuta in locationem concessa, tùm quia augumentum Canonis prò Tenuta rubr. 684.
circiter remanet lævis momenti, & absor-
30 tum à præjudiciis supra recensitis, *Rota decis.94. n.67. & seqq. par.7. recent.* tùm quia
illud commensurari non debet à pretio convento in ultima locatione, sed ab eo, quod
31 unus plus offerat in aliorum concursu, *Post. de subbastat. inspect. 32. n.5. & 6., & in addit ad illam n.15.*

Et hæc omnia cum benè agnoverit ipsemet conductor; idcircò cum nonnullis aliis de hac Familia de Quinque alterum inivit Instrumentum locationis, in quo non solùm aucta fuit canon in annuis sc. 50., sed etiam declaratum extitit, quod contracta locatio intelligeretur eorum favore ad quartam generationem tantum, cum facultate etiam illam postea recuperandi, ex qua conven-
32 tione nedùm resultat disparitas nullatenùs
permittenda inter comparticipes, sed etiam comprobatum remanet præjudicium quoad alios, ut supra firmatum fuit.

Et ità omisso examine circa prælationem, quam in omnem casum sibi deberi Paulus contendebant, responsum fuit utraque &c.

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE CÆSARINIS SUPER VINEIS.

Merc. 29. Aprilis 1705.

ARGUMENTUM.

Immissio ad bona primogenialia conceditur probatis extremis, non obstante eorum concessione in emphyteusim, & receptione canonum ab actore facta: quando in eo adfuit ignorantia, & fusius habes argumentum in superiori Dec. 326. quæ confirmatur. Et in hac causa sunt omnes Dec. ibidem adnotatæ.

SUMMARIUM.

1 *Libertatem fundi allegans tenetur probare, quando ex confessione sui auctoris, & ex facto proprio contrarium arguitur.*

2 *Confessio proprii authoris una cum facto proprio attendenda venit.*

3 *Subjectio bonorum primogenituræ, cum per effrenatissima verba est concepta inter vivos, comprehendit bona tàm de præterito acquisita, quàm de futuro.*

4 *Verba* -- modo tamen, & forma præmissis - *non restringunt donationem, sed restringunt modum, & formam obligationis in antecedentibus capitulis præscriptam.*

5 *Donatio omnium bonorum non recipit ullam restrictionem.*

6 *Fides simplices, & extrajudiciales nihil probant.*

7 *Solitum inducitur per duos, aut saltem unicum actum.*

8 *Solitum non excusat, quando alteratur.*

6 *Ratificatio emphyteusis non inducitur ex receptione canonum tempore motæ litis, quando non probatur, quod recipiens sciverit canones provenire ab iisdem bonis, super quibus mota est lis.*

10 *Maximè attenta prosecutione litis, quæ scientiam excludit.*

11 *Receptio canonum remittit caducitatem ob non solutionem illorum: sed non convalidat contractum nullum ab initio.*

12 *Ad obtinendam immissionem ad bona fideicommissaria satis est probare identitatem bonorum.*

DECISIO CCCLVIII.

TRiplici objecto impugnabatur Decisio ædita coram me die 20. Junii 1704., qua responsum fuerat dandam esse immissionem Ducillæ Liviæ Cæsarinæ ad vineas nuncupat *della Perazza, e della Stampiglia* positas in territorio Cinthiani, & respectivè in territorio Civitatis Laviniæ per Ducem Philippum authorem Principillæ Cleriæ modernis possessoribus in emphyteusim concessas pro certo canone, & primo, quod non probetur eas subiectas esse vinculis Primogenituræ, cum non constet fuisse acquisitas ab illius conductoribus, quinimò probabile sit, illas provenire ab hæreditate Joannis Georgei, qui non tenebatur ex conventione cum fratribus inita, bona propria eidem Primogenituræ supponere: hæc autem sola possibilitas sufficiat, ne interim concedi valeat ad illas immissio, cum certò non probetur eas esse prohibitioni alienationis obnoxias. Secundo, quod in omnem casum, cum omnia bona in territorio Cinthiani, & Civitatis Laviniæ fuerint semper solita concedi in emphyteusim, non possit validitas concessionum in præsenti impugnari. Et tertio tandem quod Ducissa Livia contractus hujusmodi approbaverit, & pluries ratificaverit, non solum exigendo perpetuo canones, sed etiam approbando quoad vineam, *della Stampiglia*, alienationem factam ab emphyteuta cum receptione laudemii, etiam post-

postquam fuit mota præsens lis,

Quibus tamen non obstantibus, Domini steterunt *in decisis*, nam quoad primum compertum fuit in facto, quod Dux Philippus author Ducissæ Cleriæ hascemet vineas tamquam primogeniales recognovit, eas concedendo sub annuo canone favore ejusdem Primogenituræ, eoque defuncto tam œconomus ab hoc nostro Tribunali deputatus, quam etiam Ducissa Livia insimul cum aliis bonis primogenialibus eorumdem canonum possessionem appræhenderunt, ipsosque per plures annos exegerunt.

Et quamvis isti actus exuberarent, ut Principissæ Cleriæ libertatem vinearum alleganti incumberet onus illam probandi, cum interim confessiones proprii authoris, & fa-
1 ctum sui ipsius, quo permisit, quod de eis
2 tamquam primogenialibus appræhenderetur possessio, veniant attendenda, *Surd. cons.* 449. *nu.* 38. *Rota dec.* 184 *nu.* 23, *par.* 10., *dec.* 21. *nu.* 37, *dec.* 338. *nu.* 89. *par.* 12. *dec.* 24. *n.* 9. *&* *dec.* 37. *nu.* 19. *par.* 14. *rec.*

Nihilominùs exabundanti etiam advertegunt DD., quod licet in instrumento erectionis Primogenituræ statutum fuisset, quod bona Joannis Georgei exciperentur à nexu Primogenituræ, tamen cum ipsemet successivè per actum separatum propria bona voluntariè eidem Primogenituræ subjecerit ef-
3 frenatissimis verbis importantibus compræhensionem bonorum acquisitorum tàm de præterito, quam de futuro ibi - *tam præsentia, quam futura, non solum ea, quæ in folio præinserto erant descripta, & nominata, verum etiam omnia, & quæcumque alia sua bona, & alia quæcumque ad ipsum quomodolibet spectantia, vel quæ spectare, & pertinere poterunt quomodolibet in futurum*, controverti non potest, quin bona etiam per ipsum Joannem Georgeum acquisita mediante hujusmodi declaratione Primogenituræ fuerint subjecta.

Non attento, quod verbis prædictis subsequantur, & alia -- *modo tamen, & forma præmissis* --, ex quibus inferebatur præfatam prohibitionem remansisse restrictam ad bona contenta in folio inserto in instrumento erectionis Primogenituræ, etenim relatio respicit modum, & formam obligationis in antecedentibus capitulis præscriptam, non
4 autem importat restrictionem ad bona, attentis amplissimis verbis donationis, quæ utpotè compræhensiva omnium, & quorum
5 cumque bonorum, nullam prorsùs restrictionem, & modificationem recipere valent, *ad notata per Bald. in l.* 1. *sub nu.* 27. *q.* 34. *ff. de rer. divers. Curt. Jun. cons.* 48. *nu.* 3. *Mans. consult.* 38. *nu.* 5. *Rota cor. Ubaldo dec.* 236. *nu.* 50., *&* *cor. Coccino dec.* 1680. *nu.* 117. *& seqq.*

Respectu vero secundi objecti desumpti ex solito concedendi in emphyteusim bona præfata, triplex occurrit repsonsio, altera, quod hujusmodi circumstantia non probatur nisi per simplices, & extrajudiciales fides
6 nonnullorum testium, quibus nulla fides adhibenda est in judicio; *Mantica dec.* 51. *n.* 6. *Seraph. dec.* 1280. *nu.* 1., *& in rec. dec.* 100. *n.* 10. *par.* 15., altera vero, quod admissa etiam hujusmodi probatione, adhuc ex ea deduci potest validitas concessionum quoad illas vineas, quæ alias fuerunt concessæ, & quarum respectu verificari potest solitum, non vero quoad istas, de quibus nullus fuerat præcedenter investitus, cum earum respectu ad inducendum solitum requireretur,
7 quod bis, vel saltem unica vice fuissent in emphyteusim concessæ, *Redoan. ac reb. Eccles. non alienandis quæst.* 12. *n.* 54. *Rota cor. Bich.* 483. *n.* 52., *& in Tullen. Monasterii* 26. *Junii* 1699. §. *At quatenus cor. Reverendissimo D. meo Decano, & in Virdunen. Abbatiæ dicta die & anno* §. *Cæterum cor. eodem*. Et tertio demum, quia hic non fuerunt vineæ simpliciter concessæ in emphyteusim, sed ulteriùs fuerunt distractæ arbores in eis existentes pretio sc. 1100., quod non licebat Duci Philippo propter recensitam prohibitionem alienationis, nec
8 potest excusari à solito dum in ipsa concessione fuit solitum alteratum, *Rota dec.* 241. *n.* 5, *&* 6. *par.* 4. *tom.* 2. *rec.*

Pari facilitate tolli visum fuit tertium objectum circa ratificationem, & approbationem contractuum, quoniam non probatur Ducissam Liviam habuisse scientiam, quod vineæ, quarum canones recipiebantur, & respectivè laudabatur venditio, essent illæ
9 met, quæ erant in lite, & fuerant à Duce Philippo alienatæ, qua scientia deficiente nunquam deduci potest sufficiens ratificatio, *ex Gloss. in l. non dubium verbo agnoverit C. de Test. Rot. cor. Gregor.* 269. *nu.* 15. *in recent. dec.* 81. *nu.* 7. *par.* 8., *& in Melevitana successionis* 27. *Junii* 1701. §. *Quibus cor. Reverendissimo D. meo Decano*, maximè attenta lite, dum acriter in judicio contractus
10 prædictus fuit impugnatus, itaut tanto magis excludatur scientia, ex qua deducebatur approbatio, ad tradita *per Cyriac. controv.* 266. *nu.* 19.

Et ulteriùs cessare visa fuit quælibet difficultas ex litterali dispositione Primogenituræ, in qua siculi adjecta legitur expressa prohibitio -- *alienandi atque commutandi redditus sub quovis necessitatis prætextu, ac etiam sub colore majoris utilitatis* --, ità ex receptione canonum ad summum censeri posset remissa caducitas propter non factam ipsorum solutionem, non autem altera pro-
11 veniens à nullitate contractus, & defectu facultatis alienandi, quæ Duci Philippo sublata fuerat, ut probant *Molin. de Primog. lib.* 1. *Cap.* 21. *nu.* 7. *Cyriac. dicta controv.* 266. *nu.* 15. *& seqq. Surd. dec.* 317. *à nu.* 180. *Rota dec.* 208. *in fine par.* 4. *& dec.* 220. *nu.* 13. *par.* 10. *rec.*

Ideoque, & si DD. agnoverint malè segessisse Ducissam Liviam exigendo canones, & recipiendo laudemium, cum ideò non esset licitum, tamen ad effectum obtinendi

12 im-

12 immissionem ad vineas controversas sufficere visum fuit, quod essent primogeniales, ex allegatis.

Et ità omnibus DD. suffragantibus resolutum fuit utrsque &c.

CIVITATIS VETULÆ FIDEICOMMISSI.

Lunæ 4. Maii 1705.

ARGUMENTUM.

Muller, quæ constituit facto proprio suam dotem super bonis liberis, quæ postea dignoscuntur debitis involuta, redit ad bona fideicommissaria pro illius restitutione, cum ipsa cogi nequeat ad suscipiendas lites.

Confirmatur etiam ex novo fundamento decis. 391. & 397.

SUMMARIUM.

1 *Bona fideicommisso subjecta in subsidium alienari possunt pro dote constituenda vigore suth* res quæ.
2 *Quem de evictione tenet actio, eumdem agentem repellit exceptio.*
3 *Exceptio serotina dicitur, quæ deducitur post longissimam litem.*
4 *Dotis satisfactio optimè probatur confessione viri, quando, ultra lapsum longissimi temporis, concurrit præcedens promissio.*
5 *Investimentum promissum favore fideicommissi, adimpletum præsumitur ex lapsu* 80. *annorum cum taciturnitate gravatorum.*
6 *Accedente præsertim gravati alienantis promissione de rato, favore alterius non consentientis.*
7 *Dotis hypotheca, si ex placito mulieris reconstituatur super bonis liberis, quæ ex post intricata noscuntur, redit ad bona fideicommissaria.*
8 *Restitutionis dotis tempus quale sit?*
9 *Confessionem propriam nemo potest impugnare.*
10 *Sata facta in fundo fideicommissario pertinent ad fideicommissum.*
11 *Frumentum testatoris præsumitur consumptum pro alimentis familiæ, & expensis ultimæ infirmitatis, & funeris.*
12 *Res debito subjecta non computatur in hæreditate defuncti.*
13 *Mulieri, ejusque successoribus, pro consequenda dote ex bonis fideicommissariis, sufficit, quod alia bona sint debitis intricata.*

DECISIO CCCLIX.

Pratum in vocabulo, *le Fornaci*, quod Trajanus Senior de Blancardis fideicommisso subjecerat, vendidit Magdalena Andreotta Pauli Blancardi Coniux anno 1634. pretio sc. 300. Terrentio Collemodio authori comendæ Religionis Hierosolimitanæ, cum promissione pretium erogandi in satisfactionem dotis Franciscæ communis filiæ monacandæ, cum autem Achilles alter eorum filius tanquam vocatus ad prædictum fideicommissum judicium immissionis introduxisset ad idem pratum vigore L. fin., & interim eo defuncto illud prosecutum fuisset Paulus junior filius, & actor, iste sententiam favorabilem reportavit à R. P. D. Organo, quæ in secunda, & tertia instantia confirmata fuit, sed quia commissa causa R. P. D. Aldrovando, placuit eidem tres priores sententias revocare. Idcircò in hac quinta sententia de commune partium consensu directa mihi nti Prælato appellationis causa, dubium proposui sub die 7 Maii 1703. *An sit danda immissio*, sed nulla capta resolutione, demandatum fuit, quod eligeretur peritus ad effectum firmandi statum hæreditatis Pauli Senioris, hodiè, quia peritus electus suam dedit relationem in actis, recensito dubio iterum proposito, Domini, *immissionem denegandam esse*, responderunt.

Admissa enim existentia fideicommissi, & Identitate prati, adhuc ejus venditio valida visa fuit, quia eum eam explevit Mater ad effectum dotandi Franciscam communem filiam occasionem ingressus in Monasterium, propterea potuerunt in subsidium alienari
1 etiam bona fideicommisso supposita ex privilegio Authent. res quæ C. commun. delegat., *Rota cor. Seraph. dec.* 678. *num.* 5. *coram Buratt. dec.* 946. *nu.* 2. *cor. Merlin. dec.* 333. *nu.* 7. & 8. *cor. sa. me. Alex. VIII. & in Romana censuum super reservatis* 7. *Decembris* 1699. §. *hinc stante cor. Reverendissimo D. meo Decano.*

Non obstat, quod non probetur prætium dicti fundi versum fuisse in satisfactionem dotis, ut fuerat expressum, etenim cum Magdalena Mater in instrumento venditionis promisisset nomine proprio penès se retinere idem pretium, illudque suo tempore exbursare Monasterio in satisfactionem recensitæ dotis, exindè sequitur, quod aut ipsa adimplevit promissa, dotemque persolvit, & certum est, quod pratum retineri valet à moderno comendatario, aut non implevit, & ob id, quia fideicommissarii possent illud avocare, remanet obligata dos Magdalenæ sc. 1000. pro evictione favore emptoris, à quo causam habet commenda,
2 quæ proindè ex prædictis juribus dotalibus tanquam sibi obligatis potest pratum retinere prout ipsi Magdalenæ licuisset, *Rot. dec.* 186. *nu.* 9. *post Zacch. de oblig. Camer. cor. Emerix dec.* 1227. *nu.* 8. & *in Romana Pecuniaria* 9. *Maii* 1704. *in principio cor. Reverendissimo D. meo Decano.*

Exceptio autem quod non probetur dotem prædictam fuisse solutam, nullam meruit animadversionem, quoniam omisso,
3 quod hujusmodi creditum serotinè impugnatur post longissimam litem, in qua tale quid nunquam deductum fuit, sublata remansit quælibet occasio dubitandi, ex quo cum

cum dos præfata fuisset promissa de anno
1608., & successivè constet, quod Paulus
vir fassus fuerat se recepisse ratam sc. 800.,
& pro residualibus sc. 200. Gregorius Mag-
dalenæ Pater in se accollaverat similem
summam per dictum virum debitam Palioro-
no, satis probata dicitur effectiva dotis so-
lutio, quia licet dicta confessio per virum
emissa de per se sit inefficax, tamen optimè
4 probat, quoties, ut in præsenti præter lap-
sum longissimi temporis ferè centum anno-
rum, concurrit etiam præcedens promissio,
ex firmatis *in Romana, seu Anconitana*
dotis 11. *Januarii* 1697. §. *In præsenti cor.*
Rmo D. meo Decano, in Perusina dotis 10.
Maii 1697. §. *Constitit cor. Me, & in Sa-*
binen. Census 10. *Januarii* 1698. §. *Ejusdem*
irrelevantiæ cor. R. P. D. meo Muto.

Non attenta replicatione, quod in omnem
casum dos consumpta remanserit, tum quia
anno 1623. occasione extinctionis Census fi-
deicommissarii Paulus capitale sc. 100. inve-
stire promisit pro fideicommisso, & Mag-
dalena hujusmodi obligationi accessit, quod
investimentum cum non reperiatur, tenea-
tur ipsa vel fideicommissum reintegrare, vel
saltem in satisfactionem suæ dotis excompu-
tare dictum capitale sc. 100., ac fructus de-
cursos à die obitus Pauli, constituentes sum-
mam sc. 265., tum quia defuncta Magdale-
na anno 1636. Trajanus, & Achilles illius
filii, & hæredes jura dotalia, quæ in ipsos
transiverunt occasione distractionis domus
quam insimul, & insolidum cum Paulo pa-
tre prætio sc. 450. vendiderant, in Marcum
Antonium Roccum transtulerunt, & sic tem-
pore mortis Pauli calculato tam capitali, &
fructibus præfati Census, quam prætio istius
domus liberè spectantis ad Paulum, non exi-
sterent ampliùs in hæreditate Magdalenæ ju-
ra, quæ possent contra fideicommissarios
experiri.

Pro remotione enim hujusmodi objecti
placuit responsio, quod dum investimentum
erat faciendum ad beneficium, & commo-
dum fideicommissi, hæredesque fideicom-
missarii semper spatio 80. annorum siluerunt,
nec unquam curarunt reintegrationem fidei-
5 missi, ex hujusmodi lapsu temporis, juncta
taciturnitate gravatorum, intrat præsum-
ptio, quod investimentum jam factum fue-
rit, ut in proximis terminis respondit *Rota*
cor. Gregor. dec. 468. *nu.* 8. *cor. Emerix dec.*
1350. *nu.* 8. *& Ariminen. fideicommissi Ban-*
di de Bandis 10. *Januarii* 1701. §. *Quod ve-*
ro cor. R. P. D. meo Scotto, maximè quia
6 venditio domus apparet facta à Trajano cum
promissione de rato pro Acchille fratre, &
non probatur istum nunquam præstitisse as-
sensum venditioni, quamobrem etiamsi de-
menda foret medietas pretii domus pro ju-
ribus Trajani, adhuc illæsa remaneret alte-
ra medietas Acchillis ascenden. ad sc. 225.,
& sic calculato etiam Capitali, & fructibus
Census, jura dotalia Magdalenæ exerceri
potuissent pro sc. 410., quæ exuberant com-
mendationem ad obtinendam retentionem
controversi Prati, super quo licet Magdale-
na suam hypothecam dotalem remiserit, quia
tamen hoc evenit cum supposito, quod ad-
essent alia bona libera, ex quibus ipsa satis-
fieri potuisset, ut legitur in instrumento
venditionis, eo ipso, quod tale suppositum
detegitur in facto insubsistens, quia bona li-
bera ex infra recensendis erant valde intrica-
ta, quod mulieri notum non erat, supradi-
7 cta remissio eidem inhærens illicò corruit, &
nocere non potest exercitio hypothecę com-
petentis pro dicta dote, *Bartol. in l. Mec-*
cia 50. §. *ultimo in fin. nu.* 4. *ff. soluto matri-*
monio Paris. cons. 5. *lib.* 3. *Gratian. discept.*
292. *nu.* 5. *&* 723 *nu.* 20. *Urceol. consult. for.*
Cap. 24. *nu.* 36. *Rot. dec.* 313. *nu.* 11. *in fine*
par. 14. *rec.*

Quibus ita positis, frustra recurebatur ad
aliam exceptionem, quod de tempore restitu-
tionis præfatæ dotis, nempè de an. 1652. quo
obiit Paulus vir, aderant bona libera, ideoq;
distrahi non potuissent effectus spectantes ad
fideicommissum, nam ultra quod ad effe-
ctum, de quo agitur attendi non debet tem-
pus, quo emptor molestatus excepit de re-
8 tentione titulo dotis Magdalenæ, quia tunc
solum dicitur evenisse casum restitutionis,
& eo tempore nulla extabant bona libera,
adhuc satisfecit responsio, quod una ex do-
mibus acquisita anno 1615. fuerat vendita
anno 1643., idcircò adesse non poterat de
tempore restitutionis dotis, nempè de an-
no 1652., altera verò acquisita de anno 1613.
non erat libera, sed utpotè permutata cum
censu sc. 100. fideicommissario istius loco
fuerat subrogata, prout convincitur ex con-
fessione, & facto ipsius Pauli authoris, qui
dum geminas sententias immissionis obtinuit
ad præfatam domum contra possessores ut-
potè fideicommisso obnoxiam, venire ne-
9 quit hodiè contra propriam confessionem,
asserendo illam esse liberam, *Cap. per suas de*
probat. l. generaliter Cod. de non numerat.
pecun. Rot. dec. 226. *nu.* 12. *por.* 9. *& dec.* 250.
nu. 4. 6. *por.* 10. *rec.*

Reliqua verò bona nempè mobilia, sata
rubrorum 9., & socita animalium, quæ di-
cebantur adfuisse in hæreditate Pauli senio-
ris, suas habent responsiones, quò enim ad
mobilia non probatur illorum existentia, nec
cujus essent qualitatis, & quantitatis, sata
10 verò tanquam facta in loco fideicommissa-
rio, vel ad fideicommissum pertinent, vel
frumentum ex eis recollectum, præsumitur
11 consumptum pro alimentis familiæ, & ex-
pensis factis occasione ultimæ infirmitatis,
& funeris, de socita tandem curandum non
est, cum ex peritia constet in ea Paulum re-
12 mansisse debitorem, itaut nihil superfuerit,
quod veniat pro hæreditate calculandum.

Cæterum quamvis ex præmissis liquido
constet de bonorum liberorum deficientia,
ea tamen certior redditur, tum ex quo Pau-
lus senior capitaliter bannitus, & profugus
à toto statu ecclesiastico obiit ingenti ære
alie-

alieno gravatus, & nullus ex ereditoribus potuit usque adhuc satisfieri, tum ex quo mottuo Paulo, Achilles filius, & Pater actoris, possessionem apprehendit omnium bonorum vigore aviti fideicommissi, expressè protestando, quod si quæ bona libera extitissent, sibi forsan ignota, retinere volebat pro illius reintegratione propter nonnullas alienationes factas à proprio Genitore, & tamen satis erat, quod bona essent involuta, & litibus implicata ad hoc, ut mulier, & ex ejus juribus non teneretur pro consequenda sua dote lites assumere, & excutere bona intricata, ut probat *Card. de Luca de dote disc. 7. nu. 3. & disc. 145. num. 69. & 72. Rot. cor. sa. me. Alex. VIII. dec. 43. nn. 12. & cor. Zarat. dec. 83. num. 8. in rec. dec. 292. nu. 12. par. 10., & in Romana Assentistatus 23. Januarii 1699. §. Præmissis cor. R̃mo D. meo Decano.*
Et ità utraque &c.

FLORENTINA CANONICATUS.

Veneris 8. *Maii* 1705.

ARGUMENTUM.

Juspatronatus familiare eruitur a longæva observantia præsentationum, a provisionibus apostolicis, & a visitationibus Ordinarii: Et si ultimus masculus de familia donaverit omnia sua bona, illud in tali donatione comprehenditur, absque ope confirmationis ab Ordinario.

Confirmatur infra dec. 401. & 402.

SUMMARIUM.

1 *Institutio ad juspatronatum dari debet præsentato a patrono existenti in quasi possessione præsentandi.*
2 *Juspatronatus reservatum hæredibus, & successoribus pertinet ad illos de sanguine.*
3 *Donatio jurispatronatus sine consensu Ordinarii nulla est.*
Verba in reservatione patronatus - posteri, hæredes, & successores - *an intelligi debeant de illis de familia, remissive.*
4 *Observantia centenaria est attendenda pro interpretatione jurispatronatus.*
5 *Centenaria importat titulum proficuum, & utilem.*
6 *Observantia supra centenariam rectè demonstrat familiaritatem jurispatronatus.*
7 *Ampliantibus provisionibus, sententiis, & ordinarii visitationibus eamdem qualitatem juris patronatus familiaris declarantibus* & n. 8. & 9.
10 *Fœminæ excluduntur a jurepatronatus familiari.*
11 *Fortius descendentes ab eis.*
12 *Juspatronatus familiare ultimus de familia potest alienare, adeout de familiare fiat hæreditarium.*
13 *Hæres mediatus non potest impugnare factum sui primi authoris.*
14 *Juspatronatus venit in donatione omnium bonorum, nec eget confirmatione Ordinarii.*
15 *Donatio jurispatronatus confirmata a Vicario generali, auctoritate speciali ab Episcopo delegata, sustinetur.*

DECISIO CCCLX.

Juspatronatus, quod super Canonicatu, & præbenda existen. in Cathedrali Ecclesia Florentina fuerat jamdiu reservatum favore nobilis familiæ de Pazzis, consolidatum remansit in Petro Antonio ultimo masculo ejusdem familiæ; qui cum omnia sua bona donasset Marchioni Petro Nerlio; illud etiam in eadem donatione compræhendisse declaravit: successive autem Marchio Philippus dicti Petri filius, & hæres, idem juspatronatus simili donatione transtulit in Senatorem Andream del Rosso; qui ad dictum Canonicatum & præbendam præsentavit Urbanum Altovitum: è converso verò Carlini, & Naldini, tanquam filii Mariæ, & Virginiæ de Pazzis sororum dicti Petri Antonii primi donatoris prætendentes ex illorum persona Juspatronatus ad se spectare, præsentarunt Hieronymum de Carlinis: sed Ordinarius supponens per extinctionem familiæ prædicta omnia remansisse libera collationis de illis providit Johannem de Vivianis. Ortaque exinde inter præsentatos triangulari controversia coram Vicario Generali Florentino, Vivianus favorabilem reportavit sententiam: à qua interposita per alios duos Collitigantes appellatione, causaque mihi commissa; proposui dubium -- *an & quis ex Præsentatis sit instituendus; sive potius Canonicatus adiudicandus Viviano* -- & Domini, favore Urbani, Viviano tamen non comparente; responderunt.

Fuit enim ille præsentatus ab Andrea habente jus à Petro Antonio donatore; qui tanquam ultimus de familia patronorum
1 reperiebatur in possessione præsentandi ad Canonicatum, & instituendus; *per Text. in cap. Consult. de Jurepatronat. Lotter. de re benefic. lib. 2. quest. 11. num. 111. Rota in Aretina beneficii 11. Junii 1700. §. Neque, & §. final. cor. R. P. D. meo Ansaldo.*

Cum autem de Jurepatronatus non esset controversia inter partes, quæ in hodierna Audientia, tanquam præsentationem habentes à patronis, comparuerunt; non obstetit unica difficultas per Hieronymum de Carlinis excitata; quod scilicet Juspatronatus veluti reservatum posteris, hæredibus, successoribus spectabat ad Mariam, & Virginiam de Pazzis: & istis defectis ad earum descendentes masculos; qui eundem Hie-
2 ronymum præsentarunt; juxta plenè deducta *in Mantuana Beneficii 20. Maii 1668. & 3. Junii 1680. cor. bo. me. Ursino*, itaut proinde non potuerit à Petro Antonio in præjudicium aliorum vocatorum donari: maximè

ximè quia, tam in donatione facta favore
Marchionis Petri, quam in alia subsequenti
facta Senatori Andreæ defuit consensus
3 Ordinarii omninò necessarius pro validitate.

Etenim Domini pro remotione objecti, omisso rigoroso examine; an isto casu verba illa *Posteri*, *heredes*, *& successores*, intelligi debeant de eis; qui sint de familia; ut alias dictum fuit *in Mediolanen Prioratus super qualitate agnatitia* 18. *Junii* 1703. *cor. R. P. D. meo Scotto*, satis putarunt recurrere ad observantiam; quæ cum sit
4 centenaria, & ultrà; non solum est attendenda prò interpretatione fundationis; *Lotter. de re Benefic. lib.* 2. *q.* 11. *num.* 125. *Tondut. resolut. benefic. par.*3. *cap.*157.*n.*41. *Card. de Luca de Jurepatron. disc.* 22. *n.*3. *&* 8. *Rota in Lucana Beneficii* 13. *Junii* 1701. §. *Quibus accedit cor. R. P. D. meo Muto*; verum etiam de per se apta esset im-
5 portare titulum magis proficuum, & utilem *Garz. de Benefic. par.*5. *cap* 9. *num.*88. *Rota cor. Dunoz. Jun. dec.*809. *n.*3. *& seq. & cor. Cerro dec.*1271. *n.*6.

Observantia autem semper constans fuit prò masculis agnatis; dum in tot vacationibus, quæ per spatium 150. annorum sese obtulerunt; præsentarunt solùm masculi de familia de Pazzis, & nunquam fæminæ, ut *in Sum. Urbani a n.*1 *usque ad* 7. imperceptibile autem est; quod per decursum tanti temporis, & per tot præsentationes expletas in familia adeò numerosa, nunquam casus evenerit successionis favore fœminarum vel cognatorum, vel extraneorum; quod
6 est irrefragabile familiaritatis signum; ut tradunt *Tondut. quest. benefic. cap.*144. *num.* 17. *tom.*2., *Rota in Faventina Beneficii* 11 *Decembris* 1702. §. *Ex his cor. R. P. D. meo Caprara*, *& in Mediolanen. Cappellaniæ* 23. *Martii* 1703. §. *Quæ interpretatio cor. Reverendiss. Decano*.

Maximè quia, hoc medio tempore plures prodierunt enunciativæ, quæ hoc Juspatronatus esse familiare demonstrant; & signantèr hoc secum ferunt provisiones factæ de anno 1583. à fa. me. Gregorio XIII., & anno 1597. per fel. rec. Clementem VIII., & sententia Ordinarii Florentini illam executioni demandantis; quæ solæ validam præbent demonstrationem qualitatis Juris-
7 patronatus familiaris; ut de prima firmavit *Rota dec.* 159. *num.* 8. *cor. Priolo & dec.* 679. *n.*2. *par.*18. *& dec.*662. *n.*6. *par.*19. *rec. & in Fossanen. Jurispatronatus* 12. *Martii* 1703. §. *Accedente cor. R. P. D. meo Caprara*, & de secunda *Card. de Luca de*
8 *Jurepatron. disc.*35. *n.*4. *versic.* 3. *Rota d. dec.*679. *n.*7. *&* 8. *par.*18. *rec. & in Firmana Jurispatronatus* 21. *Aprilis* 1704. §. *Quinta cor. R. P. D. meo Muto*.

Junctis etiam quam pluribus visitationibus expletis ab Ordinariis; in quibus semper refertur; dictos Canonicatum, & Præbendam esse Jurispatronatus familiæ de Pazzis: quæ plurimum urgent propter exactam informationem beneficiorum suæ Diœ-
9 cesis, quam Ordinarii habere præsumuntur: *Card. de Luca de Jurepatron. disc.*21. *n.*4. *Rota dec.* 1141. *num.*8. *cor. Seraphin. & dec.*183. *num.*20. *cor. Buratt.*, *& in Aretina Beneficii* 21. *Januarii* 1701. §. *Quod vero cor. R. P. D. meo Ansaldo*.

Quibus stantibus: sicuti excludendæ es-
10 sent fæminæ licet de familia *Rota cor. Ubald. dec.* 144. *per tot.*; ita & fortiùs excludi debent descendentes ex eis; qui ideò tanto minus præsentare possunt occasione va-
11 cationis sequutæ post obitum fœminarum; *Vivian. de Jurepatron. par.* 3. *lib.* 14. *cap.* 2. *n.*56. *Rota coram Celso dec.*106. *num.*6. *& in rec. dec.*679. *num.*18. *et seq. par.*18. *et in Comen. Cappellaniæ* 31. *Martii* 1702. §. *Nec obstat cor. R. P. D. meo Tremoille*.

Et per consequens Petrus Antonius ultimus masculus de familia potuit juspatronatus per contractum donationis in alios trans-
12 ferre; adeòut ità de familiare effectum fuerit hæreditarium; *juxtà consil.* 81. *Ancharani*, *Tondut. quest. Benefic. par.*1. *cap.*32. *n.*58. *Rota cor. Seraphin. dec.*1414. *n.*1. *et in rec. dec.*372. *n.*15. *par.*11. *et dec.*25. *n.* 14. *par.*12. præsertim quia illi, qui præsentarunt Hieronymum: sunt hæredes dicti Petri Antonii mediante persona Mariæ, & Virginiæ: quapropter nequeunt illius facto,
13 donationem impugnando, contravenire: *Card. de Luca de Jurepatr. disc.* 60. *n.* 24. *& seq. Rota in Firmana Jurispatron.* 2. *Aprilis* 1704. §. *Sexta demum cor. R. P. D. meo Muto*.

Minus autem refragatur: quod donationes non fuerint legitimè confirmatæ: tum quia cum hic agatur de donationibus universalibus omnium bonorum, in quibus Juspatronatus tanquam accessoriè cum aliis bonis remanet compræhensum, indè sequi-
14 tur opus non fuisse ulla confirmatione: *Rota post Vivian de Jurepatron. dec.* 121. *num.* 4. *& cor. Ninot. dec.* 25. *num.* 31. *& in Urbanien. Canonicatus* 20. *Junii* 1698. §. *Omissis & seq. cor. bo. me. Pio*, tum quia prima donatio facta favore Marchionis Nerlii confirmata fuit per Breve sa. me. Clementis X., & altera favore Andreæ, pariter corroborata videtur confirmatione Vicarii Generalis Florentini, habentis specialem facultatem sibi ab Archiepiscopo dele-
15 gatam: quo casu donatio sustinetur: *Barbos. de effic., & potest. Episc. par.*3. *alleg.*54. *num.*74. *&* 75. *Azor. Instit. Moral. par.*2. *lib.*3. *cap.*45. *in princip. Vivian. de Jurepatr. par.*1. *lib.*4. *cap.*2. *n.*5.

Et ita utraque &c.

FER-

FERRARIEN. BONORUM SUPER LIBERATIONE A MOLESTIIS.

Luna 11. Maii 1705.

ARGUMENTO.

Non indiget. In hac causa sunt Decis. 281., a quibus hic receditur, & confirmatur infra dec.423. & 442. Adest in hac causa quoque proxime sequens cum ibi notatis super datione in solutum, & super manutentione superior dec.281.&344.& infra dec. 424.443. & ibidem notande.

SUMMARIUM

1 *Rei judicata oritur per lapsum fatalium.*
2 *Restitutio in integrum non datur, nisi concurrat manifesta injustitia.*
3 *Dato loco obligationi liberationis à molestiis, successores obligantis, coercere possunt mandatis obligatum ad liberandum.*

DECISIO CCCLXI.

CAusam appellationis, quam fratres de Macchiavellis interposuerunt tam à mandato sc. 28238. reportato per cla. me. Principem D. Taddeum Barberinum, qui ad instantiam illorum de Guerinis, & Julianis creditoribus anterioribus molestias passus fuerat super bonis Quinti à dictis fratribus datis in solutum cla. me. Cardinali Fracisco Barberino, quam etiam ab executione subinde secuta super aliis bonis pro residuali summa ad instantiam Eminentissimi Domini Cardinalis Francisci junioris, mihi obtinuerunt committi cum clausula *de causis restitutionis in integrum sine præjudicio rei judicatæ*, & illis dumtaxat informantibus, sub die 2. Julii 1703. prodiit cor. me decisio, eisdem concedens petitam restitutionem in integrum adversùs dictum mandatum, & rem judicatam, hodie tamen sub separato dubio examinata validitate dationis insolutum, à qua totaliter dependet præsentis causæ resolutio, quia Domini eam validam agnoverunt, ut in altera decisione hac eadem die cor. me edita, idcirco recedentes à decisis, responderunt, *constare de re judicata, non autem de causis restitutionis in integrum*.

Et sanè resjudicata incontrovertibilis visa fuit, quia cum mandatum fuisset relaxatum de anno 1697. ab eo tempore usque ad annum 1704., licet intercessèrint bonorum subastationes, nihil gestum fuit à prædictis Macchiavellis sine dubio per lapsum fatalium causa transitum fecit in judicatum, *ad*
1 *Text. in authentica ei qui Cod. de tempore appellationis, & Cap. cum sit Romana de appellatione, vestr. in prox. lib. 8, cap. ultimo nu. 14. Rota dec. 156. nu. 1. par. 2. recent.*

Nec pretensæ restitutioni in integrum locus esse poterat, quia sicuti pro ea, & ad excludendum robur rei judicatæ, manife-
2 sta injustitia mandati requiritur ex vulgatis, ita sola nullitas dationis insolutum, in qua unicè se fundat præcedens decisio sufficiens non erat ad illam concedendam, dum re fundiùs discussà constitit, quamcumque nullitatem cessare, ut ex dicta alia decisione edita cor. me, in qua responsum fuit omnibus objectis, & singulis nullitatibus contra illam excitatis.

Posita autem validitate dationis insolutum, exinde in necessariam consequentiam venit, quod subsistit amplissima promissio libertatis bonorum Quinti facta à fratribus de Macchiavellis, cum obligatione liberandi Cardinalem Franciscum, & suos à quibuscumque molestiis, adeout, dum postea illatæ fuerunt à Creditoribus anterioribus cum subsequuta avocatione bonorum, quæ fuerant data in solutum, commissa dicitur stipulatio, factusque locus purificationi obligationis, cujus vigore potuerunt successores in secundo genitura Barberina consequi
3 restitutionem prætii mediante relaxatione mandati, *l. Si quis aliam 46. ff. de solut. ibique Bartol. aliiq. communiter Donatus Antonius de Marinis resolutione juris lib. 1. cap. 508. nu. 2. Mangil. de evictione quæst 86. num. 4. & 25. Eranc. dec. 200. nu. 13. & seq.*

Et ità omnibus suffragantibus, responsum fuit utraque &c.

FERRARIEN. BONORUM SUPER DATIONE INSOLUTUM.

Lunæ 11. Maii 1705.

ARGUMENTUM.

Contractus à minoribus utiliter expletus cum omnibus juridicis, & statutariis solemnitatibus sustinetur: absque eo quod obstet proximiores minorum adfuisse tunc temporis, & non fuisse vocatos; cum illi jurarunt non adesse, & alter contrahens utrum adessent nesciebat, & fuit longissimo tempore observatus per plures actus ab eisdem gestos, ex quibus scientia nullitatum adfuerit nec ne, idem resultat. Assignationem non effectivam, sed per simplicē pollicitationem, & oblationem factam, neque acceptatam non tenetur creditor servare: præcipue cum ineffectuata remanserit. Et hanc effectuationem actus æquivoci non concludunt, ut non productio scripturarum, inter quas apoca dictæ assignationis est inserta, cum fit in judicio contra diversam personam, & administratio bonorum, quæ assignata prætenduntur, facta ab homine deputato, non ab ipso, sed à minorum creditoribus. Tutor quomodo, durante tutela, de suo credito cum pupillis possit satisfactionem reportare? Et an rationem reddere ipse teneatur de administratione facta a deputato à creditoribus pupillorum? Et an, & quando pupillis imputandæ sint usuræ pecuniarum pro tempore, quo otiosæ steterunt, quas tutor ad cambium pro eorum debitis dimittendis acceperat? Pupilli impugnare nequeunt redditionem

ra-

rationum à tutore factam, à qua effecti majores, longissimo tempore non reclamarunt. Nec si ille solvit debita eorum auctoris, cujus licet hæreditatem cum beneficio Legis, & inventarii adiverint, pendebat tamen revisio peritiæ pro reddenda ratione. Neque si pretendatur nullam fuisse auctoris obligationem, ex eo quod filius familias esset, nam cum foret emancipatus, obligatio sustinetur; etiamsi emancipatio à Patre revocata, vel à filio eidem fuisset renunciatum: præcipuæ cum contrahens esset in bona fide emancipationis, & contractus fuerit longo tempore observatus. Bona fideicommisso subjecta non dicuntur; ex quo ad cautelam super eis fuit translatum fideicommissum: dummodo adesset: neque ex descriptione non specifice id exprimente, & ad proprium commodum, neq; ex testamenti productione. Confirmatur infra dec. 422., & 441.. In hac causa quoque sunt omnes decisiones, quæ in proxime superiori adnotantur.

SUMMARIUM.

1 *Datio in solutum à minoribus expleta cum omnibus solemnitatibus, justa causa, & utilitate, accedente etiam observantia longi temporis, est servanda.*
2 *Consensus proximiorum in contractibus minorum suppletur deputatione Curatoris.*
3 *Fides simplices testium lite pendente expiscatæ non probant.*
4 *Contractus minoris non vitiatur absentia proximiorum: quando minor juravit con. sanguineos non habere.*
5 *In deliberationibus plura solent oriri præjudicia tàm in expensis, quàm in minori valutatione.*
6 *Utilitas convalidat contractum minoris, & quomodo probetur utilitas?*
7 *Scriptura privata informis non probat.*
8 *Scriptura privata continens simplicem pollicitationem, nec à parte acceptata, nihil ponit in esse.*
9 *Oblatio simplex nullam producit obligationem.*
10 *Acceptatio alicujus assignamenti quomodo excludatur?*
11 *Actus procuratorio nomine gestus referibilis ad plures principales quàdo non probet?*
12 *Testis unicus extrajudicialis deponens de facto alieno secuto à 40. retro annis nihil probat.*
13 *Productio scripturarum quibusnam præjudicet?*
14 *Illatio à diversis non valet.*
15 *Relatio indefinitè non intelligi debet; sed singula singulis referenda.*
16 *Executiones, & subhastationes præjudicant in pretio rei.*
17 *Tutor judicis auctoritate, & cum solemnitatibus potest, durante tutela, satisfieri contra pupillos de suo credito quæsito ante tutelam.*
18 *Redditio rationis laudata à pupillis majoribus effectis per lapsum 30. annorum, nequit de invaliditate redargui.*
19 *Pupilli tenentur ad damna tutoris de proprio dimittentis creditores ipsorum.*
20 *Hæres tenetur solvere debita sui authoris.*
21 *Peritia nil probat: quando fuit decreta ejus revisio.*
22 *Filius familias emancipatus tanquam sui juris potest contrahere.*
23 *Emancipatio non potest revocari, nec emancipationi potest renunciari: & si filius emancipationi renunciat, non reincidit in patriam potestatem.*
24 *Renunciatio emancipationi in præjudicium contrahentis cum emancipato non attenditur.*
25 *Contractus à contrahentibus continuo observatus, nequit de invaliditate redargui.*
26 *Creditum anterius nequit dos posterior retardare.*
27 *Factum proprium nequit impugnari.*
28 *Bona fideicommisso subjecta non dicuntur; si super eis fideicommissum adjectum, & recognitum fuit ad cautelam; si forte adesset: quando revera adfuisse non probetur.*
29 *Verba distributivè prolata, singula singulis sunt congruè referenda.*
30 *Descriptio bonorum tanquam fideicommissariorum ad proprium commodum facta, illorum naturam non immutat.*
31 *Ex simplici productione testamenti non convincitur, producentem confiteri qualitatem fideicommissariam in certis bonis.*
32 *Nullitates dationis in solutum, quæ longo tempore, & multis cum actibus feriis, & confessionibus fuerunt approbatæ, non sunt ampliùs allegabiles.*
33 *Amplia etiam si dantes scientiam nullitatum non habuerint.*
34 *Amplia etiamsi clandestinæ protestationes in aliquibus, sed non in omnibus dictis actibus confirmatoriis dationis fuerint emissæ.*
35 *Protestationes non admittuntur contra publica instrumenta, & contractus auctoritate judicis solemniter, & bona fide stipulata, & quare?*
36 *Protestationes super nullitate dationis in solutum probant habitam scientiam nullitatum in ea extantium.*
37 *Nullitates, quarum scientia ex protestationibus convincitur, dationem in solutum non afficiunt: si postea à dante fuerit observata, & approbata.*

DECISIO CCCLXII.

AD reparandum inevitabile præjudicium, quod imminebat Marchioni Laurentio, & filiis de Macchiavellis in bonis tenutæ di Quinto, provenientibus ab hereditate Comitis Julii, & Ottavii de Thienis debitorum Senatoris Andreæ de Lezze pro debito ducat. 30. mil. circiter monetæ Venetæ, ac pro illorum præstationibus decursis ad rationem sex pro centenario, pro quibus vigore mandati, & sententiæ obtentæ in Tribunalibus

libus Venetis dicta bona ad instantiam ejusdem Senatoris fuerant sub hasta posita, & jam erant in limine deliberationis, Cardinalis Franciscus Senior de Barberinis die 17. Julii 1660. susceptis ad cambium nomine proprio sc. 22000. à Duratiis, & Sampierio eadem transmisit ad Civitatem Venetiarum, ad effectum dimittendi prædictum Senatorem, qui licet à principio illa recipere recusassent, tamen facto judiciali deposito die 7. Septembris anni 1661. ità judice mandante, recepit, & bona prædicta in libero dominio illorum de Macchiavellis remanserunt.

Defuncto post hæc de mense Octobris anni 1662. Marchione Laurentio: ne istius filii tutore destituti remanereut, idem Cardinalis Franciscua pietatis, & affectionis qua eos prosequebatur impulsus eorum tutelam assumpsit de mense Septembris 1663., cujus occasione erogavit etiam de proprio quam plures alias pecuniarum summas, quæ cumulatæ cum illis solutis Senatori de Lezze constituebant de anno 1668. summ. sc. 33000. quamobrem in horum satisfactionem eodem anno Marchio Octavius alter ex fratribus de Macchiavellis in 22 anno constituitus, qui tunc Ferrariæ degebat, tam nomine proprio, quam fratrum, pro quibus promisit de rato cum omnibus solemnitatibus à jure & statuto requisitis, eidem Cardinali Francisco dedit in solutum tres ex duodecim possessiouibus Tenutæ Quinti nuncupataa -- *del ronciglione, del Ragazzo, è del Cantone* -- pro summa sc. 28238. eum pacto redimendi per quindecim annos, & hujusmodi contractum successive ratificarunt in Urbe cæteri fratres cum præsentia, & decreto Judicia, omnibusque aliia solemnitatibus ad validitatem actus necessariis.

Factus major Ottavius in anno 1671. occasione, qua Cardinalis Franciscus tutelam, & curam dimiserat, & plenariam gestæ administrationis rationem reddiderat, amplissimam quietantiam eidem fecit; & è converso Cardinalis, qui occasione ejusdem administrationis creditor remanebat in sc. 4066. dd. fratrum, & in aliis scut. 1049. Marchionis Laurentii patris hujusmodi summas dd. fratribus de Macchiavellia donavit, & hæc omnia isti solemniter ratificarunt, & iterum tam anno 1672. cum essent majoritati proximi specifice acceptarunt, ultra aliam acceptationem donationis factam anno 1683. occasione laudi prolati ab Eminentis. D. Card. Acciajolo: quo tempore erant effecti majores.

In hoc rerum statu anno 1696. Guerini, & Juliani creditores anteriores Cardinalia Francisco pro duplici credito, altero ducator. 6000. altero ducator. 10000. cum eorum fructibus, immissi fuerunt in possessionem bonorum, quæ ut supra fuerunt data in solutum: quamobrem cla. me. Princeps D. Taddeus, qui tanquam possessor secundogenituræ ordinatæ à dicto Card. Francisco interim defuncto, avocationem passus fuerunt, mandatum obtinuit ab A. C. contra dictos fratres de Macchiavellis pro scutis 28238. ad quorum computum vigore ejusdem mandati à Signatura Canonizzati eum clausula sine præjudicio fuerunt illi pro rata sc. 18000. adjudicata bona nuncupata *di Capparo* existentia in Territorio Ferrariæ & pro summa residuali Eminentis. D. Cardinalis Franciscus Junior, qui attenta morte dicti Principis D. Taddei administrationem secundogenituræ susceperat, alteram executionem fieri curavit super aliis bonis eorumdem de Macchiavellis: adversus quam, & mandatum prædictum quamvia illi institissent signari commissionem appellationis in suspensivo, eam tamen non alter obtinuerunt quam cum clausula -- *de causis restitutionis in integrum sine præjudicio rei judicatæ* -- cumque fuisset mihi directa, proposui dubium eidem commissioni conforme sub die 2. Julii 1703, & de fratribus de Macchiavellis solum informantibus, fuit eorum favore responsum constare de causis restitutionis in integrum ob suppositam in justitiam mandati: sed cum præfato D. Cardinali fuerit postmodum concessa nova audientia, agnoscentes illi, quod totum causæ momentum pendebat à subsistentia dationis insolutum bonorum *del Quinto*, ut supra factæ Cardinali Francisco Seniori, curarunt novum judicium introducere super eisdem nullitate, & rescissione: reportaruntque commissionem mihi pariter directam cum clausula, quod procederetur prout in prima: quamobrem in hodierna audientia duo proposui dubia, alterum respiciens decisa circa restitutionem in integrum adversus mandatum relaxatum, & resolurum juxta aliam decisionem æditam, alterum vigore hujua ultimæ commissionis juxta quod quæsivi à DD. meis *An constet de nullitate dationis insolutum, itaut sit danda reintegratio, vel potius sit locus. Rescissioni*, & omnibus suffragantibus *negative* responsum fuit.

Etenim cum datio insolutum à fratribua de Macciavellis tempore eorum minoris ætatis fuerit cum omnibus solemnitatibus, tam à juræ, quam à statutis Urbis, & Ferrariæ præscriptis completa, habeatque concomitantiam utilis, justæ, ac legitimæ causæ, & tandem fuerit longo tempore pacifi-
1 ce observata, utique venit servanda: nec est locus rescissioni illiua, *ad Text. in L. Quod si minor 25. ff. de minoribus, Urceol. de transact quæst. 95. nu. 1. Rota coram Durano dec. 370 num. 1., & in rec. dec. 176. num. 3. par. 16.*

Et sanè concurrunt omnes solemnitates; nam sive inspiciatur contractus celebratus Ferrariæ à Marchione Octavio, sive ratificatio Romæ stipulata ab aliis fratribus, constitit in ista proximiorea intervenisse: & fuisse interpositum Judicis decretum, cum deputatione specialis curatoris ob interesse Cardinali Francisci Senioris eorum tutoria: in con-

in contractu vero Ferrariæ, licet proximiorum consensus non fuerit adhibitus, illum
2 tamen consimilis deputatio, curatoris supplevit, *Ciarlin. controv.* 123. *num.* 6. *e* 7. *Rota in dec.* 496. *num.* 1. *par.* 13. *dec.* 107. *num.* 9., & *dec.* 213. *num.* 28. *par.* 15., & *in Romana pretensæ nullitatis Contractus* 18. *Junii* 1700. §. *Quo vero coram R.P.D. meo Scotto*.

Absque eo quod opponi valeat, quod adessent plures proximiores, qui potuissent intervenire, & tamen non intervenerunt contractui, tum quia id non probatur ex simplicibus fidibus nonnullorum Testium,
3 quæ tanquam lite pendente expiscatæ, nullum gradum probationis constituunt, *Rota coram Cavaler. dec.* 21. *nu.* 3., & *cor. Dunozetto juniore dec.* 864 *num.* 1., & *in rec. dec.* 316. *num.* 20. *par.* 19., tum quia, cum Marchio Octavius contrahens cum juramento expresserit non habuisse proximiores, illorum defectus tribui potius debet ejus
4 culpæ, qui suos sciebat consanguineos, quam dicti Cardinalis cum eodem contrahentis: unde contractus vitiari non debet, *Rota dec.* 495. *num.* 4. *cum seq. par.* 13., & *in Romana Nullitatis Contractus* 20. *Junii* 1698. §. *Denique coram R. P. D. meo Ansaldo*, & *expresse dispouitur per ipsum statutum Ferrariæ lib.* 2. *rubr.* 91. *de contract. minor.*

Concursus itidem legitimæ causæ satis incomperto remansit, ex eo quod dum Senator Andreas de Lezze dimissus fuit eum pecuniis, quas ad hunc effectum susceperat ad cambium à cla. me. Cardinali Francisco cum subingressione in juribus Creditoris dimissi, omnis ratio ex postulabat, quod dubitam reintegrationem obtineret à Macchiavellis debitoribus mediante restitutione pecuniarum, vel traditione bonorum: utilitas vero promanans ex dicto contractu dationis insolutum non modica visa fuit, tum quia minorata fuerant inter usuria à sc. 6. pro centenario ad quatuor, tum quia bona Quinti fuerunt liberata ab imminenti deliberatione, per quam plura oriri solent præjudicia tam
5 in expensis, quam in minori valutatione, tum, & tertio quia ex duodecim possessionibus Tenutæ Quinti, quæ omnes cadebant sub deliberatione, tres tantum fuerunt distractæ favore Cardinalis, remanentibus
6 aliis paucis pupillos, quæ omnia simul cumulata secum ferunt validitatem contractus, *Urceol. de transact. quæst.* 15. *num.* 25., & *seq. Cenc. de Censib. quæst.* 15. *nu.* 36. *Rota post eum dec.* 30. *num.* 3.

Nec in contrarium opponi valent multiplices nullitates deductæ etiam in alia mea præterita decisione, quoniam ex circumstantiis facti noviter ponderatis, apparuit illarum insubsistentia, & primo non subsistit, quod Marchio Laurentius anno 1660. convenerit cum Cardinali Francisco, quod iste ex propriis pecuniis solveret debitum quod habebat cum Senatore de Lezze, & pro sui reimbursatione eidem cedere deberet administrationem bonorum Quinti, ut ex eorum fructibus satisfieri posset: inferendo exinde, quod dum Cardinalis dictam administrationem assumpsit, non posset postea mutato ordine conventionis mortuo Marchione Laurentio patre, dationem in solutum reportare à fratribus de Macchiavellis mediante distratione certorum capitalium pro credito, quod minutatim ex fructibus erat exinguendum, Quoniam ultra quod apocha in qua talis conventio fundatur, est in forma, & privata scriptura, quæ nullum veritatis testimonium præsefert, eum
7 ea non contineat actualem, & effectivam assignationem fructuum, sed tantum nudam, & simplicem pollicitationem, & oblationem Marchionis Laurentii de eo, quod ipse desiderabat, expressam eum verbis -- *si contenta rinunziare all' Agente del Sig. Cardinale Patre D. Cleto Balboni* --: Nec etiam
8 doceatur fuisse positive acceptatam à Cardinali, & ad effectum deducta: ea tamquam mera oblatio Marchionis Laurentii nihil penit in esse, & apta non est ad producendam
9 aliquam obligationem Cardinalis, *ad Text. in l. pactum ff. de pollicitat. capon. de stipulat. disp.* 1. *quæst.* 3. *num.* 3. *Urceol. de transact. quæst.* 10. *nu.* 3., & 6. *Rot. cor. S. me. Alex. VIII. dec.* 40. *num.* 19.

Et quidem, ineffectuatam remansisse, resultat ex pluribus, & signanter, quia bona *del Quinto* post dictam apocham fuerunt semper locata à Marchione Laurentio, qui quousque vixit illa semper administravit, & post eum successit Economus à Judice deputatus: solumque Card. Franciscus de Mense Septembris 1663. post assumptam tutelam in administrationem se immiscuit: semper tamen tutoris nomine, nunquam autem creditis: ulterius juxta tenorem apocæ debuissent dimitti omnes creditores habentes obligata bona *del Quinto* ibi -- *ogni altro creditore livellario, che ha ragione sopra li medesimi, perche così restino totalmente liberi*, & *essenti da ogni gravezza* --, & tamen fuit facta dimissio solius Senatoris de Lezze, & è converso, nec constat, quod Marchio Laurentius devenerit unquam ad assignationem fructuum, cum in apocha illa non fuerit facta, sed solum in futurum promissa -- *si contenta renunziare all' Agente del Sig. Cardinale* --, itaut etiam deficiat effectuatio ex parte ipsius met debitoris offerentis, & tandem animadversione dignum est, quod in tot, tantisque actibus per Cardinalem gestis, numquam fit mentio de dicta apocha, nec ad eam habetur relatio: ex quibus omnibus simul junctis, cum non probetur
10 aliundè effectuatio, exclusa remanet qualibet aceeptatio, *Craven. cons.* 101. *num.* 3. *Gratian. discept.* 206. *num.* 10. *Rota coram Ubago dec.* 44. *num.* 19., & *in rec. dec.* 79. *num.* 7. *par.* 10. *dec.* 377. *num.* 5. *par.* 15.

Nec approbatio deduci valet ex supposito, quod vivente adhùc March. Laurentio D. Car-

D. Cardinalis locaverit bona de mense Septembris 1662. procuratorio nomine, attentis illis verbis appositis in contractu, ibi- *Con parola del Sig. Dott. Abbondanti Agente dell' Eminentiss. Sig. Card. Barberini, e detti Signori Macchiavelli* -- primo quia dictus contractus non fuit locationis, sed meræ deputationis Custodis Palatii, & verba ibidem apposita sonant in puram, & simplicem interpositionem agentis, & repræsentantis non solùm personam D.Cardinalis, sed etiam ipsorum de Macchiavellis, prò approbatione personæ, quæ prò custodia
11 deputabatur, itaut actus etiam omninò æquivocus remaneat, quo nomine gestus fuerit: venitque posthabenda simplex, & informis depositio unici Testis asserentis Cardinalem inhibuisse March. Laurentio, ne se ingereret in administratione bonorum, quià tanquam unicus extrajudicialiter, & affecta-
12 tè deponens de facto alieno sequuto à 40. retro annis, nullum gradum probationis constituit.

Minusque argui potest acceptatio dictæ apocæ, tam ex illius productione, quam ex partita scut. 4711. adscripta ad creditum Cardinalis pro totidem, quæ Alexander Scannarola illius Agens subministraverat ad commodum Pupillorum, quasi quod dictæ pecuniæ tanquam provenientes ex fructibus bonorum Ferrariæ ad ipsos spectantium, plenè concludunt administrationem dd. bonorum fuisse penès dictum Cardinalem, etenim asserta productio nullo modo probatur, neque desumi potest ex insertione dictæ scripturæ in volumine aliarum scripturarum, quarum unaquaeque stat de per se, & quatenus etiam probaretur; in nihilo releva-
13 ret; quià diceretur facta à March. Laurentio contra Senatorem de Lezze; cum quo agebatur lis in Tribunalibus Venetis: Scuta verò 4711. non fuerunt subministrata Pupillis ex fructibus bonorum Ferrariæ, sed ex pecuniis ipsius Cardinalis ab Urbe ad Scannarolam transmissis: Immò dicta bona Ferrariæ administrabantur ab isto, non tanquam deputato à Cardinali, sed à creditoribus, & hujusmodi administratio nihil commune habet cum asserta conventione, quæ cum respiciat dumtaxat bona *Quinti* existentia in Territorio Vicentino, illatio
14 desumi non potest ex administratione, & perceptione fructuum bonorum existentium Ferrariæ dictionis prorsùs diversæ, ut de se patet.

Nec subsistit altera nullitas desumpta ex eo, quod in summa constituente scut. 28238. prò quibus bona Quinti fuerunt data in solutum, compræhensa fuisset partita sc. 5988. proveniens ab expensis victus, & vestitus subministratis Pupillis, pro quibus utpotè non plenè justificatis alienari non poterant illorum bona; ex calculo enim distributo in *Summario Responsionis D. Cardin. num.* 2. manifestè depræhenditur, quod omnia credita cl. mem. Cardinalis Francisci ascendebant ad summam scut. 3300. circiter à quibus detractis dictis partitis expensarum victus, & vestitus, summa quæ remanet, & constituit creditum scut. 28238. consistit in veris creditis, de quorum subsistentia dubitari non valet, nam cambia inita cum Duratiis, & Sampieriis, quæ cum eorum fructibus ascendunt ad sc. 25689. resultant ex publicis Instrumentis partita scut. 665. prò transmissione pecuniarum Venetiis justificatur cum actuali illarum deposito ibidem sequuto scut. 700 soluta prò Canonibus Torregiano admittuntur in peritia Judiciali. Et tandem summa sc. 960. soluta Duratiis prò fructibus alterius cambii in sorte scut. 8000. satis comprobata remanet ex publico Instrumento dictus contractus: quæ omnia de per se exuberant prò justificatione dictæ dationis insolutum.

Non attenta replicatione, quod Judici fuerit expositum dationem insolutum fieri, eo quià Cardinalis non solum de proprio solverat cambium Senatori de Lezze, sed etiam alias summas, prò quibus similiter gravia interusuria, & damna patiebatur ascenden. ad scut. 28238. ut tamen excepto dicto cambio, alia debita nullis subjacebant usuris, & ideò causa Judici exposita, in totum verificata non sit; animadverterunt enim DD. in facto, quod in mandato procuræ D.Cardinalis prò stipulatione dationis insolutum exarato, non exprimitur, quod omnia debita essent sub usuris, sed generaliter habetur mentio debitorum, & deindè in ipso Instrumento postea celebrato fuit inserta istorum notula debitorum, quæ asserebantur extincta, & Judex, qui decretum interposuit, benè potuit oculariter recognoscere nonnulla inter illa adesse, quæ fructus non pariebant. Quamobrem generalis expressio deindè facta in Instrumento, non debet intelligi ità indefinitè relativè ad omnia
15 debita, sed singula singulis veniunt referenda, præsertìm, quià etiam Pupilli gravia damna pati poterant pro aliis debitis non fructiferis, dùm respectu Canonum, erant subjecti devolutioni bonorum, & quoad alia imminebant executiones, & subha-
16 stationes; quæ pariter notabile præiudicium irrogare poterant.

Consimilis irrelevantiæ est quarta nullitas sistens in eo, quod Cardinalis durante tutela non posset de suo credito in bonis pupillorum satisfieri, cum non reddita ratione Tutor dici nequeat Creditor, & Debitor. Quoniam omisso, quod non impeditur Tutor prò creditis acquisitis antequam Tutelam susciperet; quale erat illud proveniens ex solutione facta Senatori de Lezze, suam satisfactionem consequi, quoties tamen hoc fieri contingat bona fide, prout evenit in
17 præsenti, quià omnia publicè, & palàm Judicis authoritate, & cum omnibus solemnitatibus gesta fuerunt, *Tex. in l. si emptione §. fin. ff. de contraben. empt. Borgnin. de tut. num. 179. Felicius de societ. cap. 4. num. 3. & cap. 8.*

cap.8. n 5. Montan. de tut. cap.30.n.57. Menoch de præsump. lib.3. præsumpt.80.per tot. Gratian. discept.360. n.17. & 556.n.21., Rota coràm Gregorio decis.356. num.6.

Cessavit quælibet difficultas, ex quo Cardinalis plenariam rationem reddidit tutelæ, & curæ: non quidem in folle, ut prò parte DD. de Macchiavellis supponebatur, sed cum dispunctione partitarum, revisione librorum, & singulorum examine, cumque constiterit illum remanere creditorem ingentis summæ, idcircò Marchio Octavius in majori ætate constitutus, solemniter per actum publicum quietavit ipsum Cardinalem, qui è converso summam scut. 4066. in qua creditor remanebat, ex liberalitate donavit Primogenituræ Familiæ de Macchiavellis, undè cum postmodùm dicta redditio rationis, & donatio respectivè ratificata, & approbata fuerit ab aliis fratribus, qui effecti majores nunquam per lapsum triginta, & ultra annorum adversùs dictam redditionem
18 rationis reclamarunt, nefas est hodiè illius realitatem, & validitatem incidenter impugnare, *Tancred. consult.66.num.37., & seq. Rota decis.128. n.8.9. par.10.rec. in Romana seu Neapolitana redditionis rationis 26. Aprilis 1697 §. Certoque certius cor.bo.me. Ursino, & in Eugubina Tutelæ 10. Maii 1700. §. finali cor. Mè.*

Exceptioni autem, quod dicta redditio rationis sit defectuosa, eo quia in ea non fuerint positi ad creditum Pupillorum fructus, nisi in tenui summa scut. 1700.quando annui redditus ascendebant ad scut. 6000. & aderant fructus decursi per plures annos, satisfecit responsio, quod de bonis existentibus Ferrariæ rationem reddidit Alexander Scannarola, qui deputatus à creditoribus eorum administrationem susceperat, & sic non compræhenduntur in dicta quietantia: redditus verò bonorum Quinti, quę fuerant administrata à Cardinali, licèt consisterent in annuis duc. 4775. attamen quià gravata erant annuis Livellis ducat.3872. & ulteriùs erant obnoxia pluribus gravaminibus ordinariis, & extraordinariis, præter expensas pro Ministris, & conservatione bonorum necessarias, parùm aut nihil superfuit de illorum redditu, & propterea nonnisi, quam tenuis summa sc. 1700. poni potuit ad creditum Pupillorum.

Sicùt neque inter nullitates connumeranda venit ea, quæ asserebatur provenire tùm ex calculatione usurarum prò tempore, quo pecuniæ acceptæ ad cambium per Cardinalem, otiosæ steterunt in Banco, & fecit protracta Senatoris dimissio, eo quia hoc modo Pupilli expositi remanserunt duplici fructuum solutioni, tùm ex computatione sc. 1049. quæ non à Pupillis, sed ab hæreditate Marchionis Laurentii, quam ipsi repudiaverant; erant debita. Nam respectu primæ, benè responsum fuit, quod cum immediatè Cardinalis trasmiserit pecunias Venetias; & illæ non fuerint incontinenti consignatæ propter solam oppositionem creditoris, qui illas recusavit recipere, adeo ut necesse fuerit Marchioni Laurentio litem contra illum substinere, consequens est, quod Pupilli, ad quorum commodum, & prò dimittendis illorum creditoribus pecuniæ fue-
19 runt acceptæ, teneantur ad damna, quæ prò dicta dimissione perficienda Cardinalis passus fuerat.

Respectu verò secundę, substulit difficultatem Instrumentum donationis factæ à Card. favore Primogenituræ, de qua supradictum fuit, in illo enim expresè legitur, quod sc. 1049. non censerentur compræhensa in Instrumento dationis in solutum, quod etiam repetitum fuit in alio Instrumento post paucos dies celebrato, in quo ad instantiam Marchionis Octavii, fuit à D. Cardinali explicitè subrogata alia partita loco illius, ne posset unquam dubitari, quod fratres de Macchiavellis Patris hæreditatem adhivissent.

Tandem non subsistit postrema nullitas, deducta ex læsione Pupillorum cum supposito, quod solverint debitum Senatoris de Lezze contractum à Julio, & Octavio de Thienis, quorum bona detinentur ex juribus dotalibus anterioribus tàm Eleonoræ senioris Sanvitalis uxoris Julii debitoris, quam Laviniæ Piæ, necnon etiam Franciscæ, ac Barbaræ amitarum; & præter istam poterat allegari retentio ex titulo fideicommissi tam Familiæ Thieneæ, quàm Bojardæ. Etenim respectu Dotis Eleonoræ senioris, cum illi fuerit hæres Octavius, utique in generali obligatione per ipsum contracta favore Senatoris de Lezze remansit comprehensa unacum alia dote Lauræ Bojardæ, quæ
20 pariter ad Octavium nepotem spectabat, & cum deindè eidem Octavio defuncto, successerit alia Eleonora filia, & hæreditas istius fuerit delata in Macchiavellos ejus filios, consequens est, ut ipsi ad solutionem istius debiti teneantur.

Non obstat, quod hæreditas dictæ Eleonoræ junioris fuerit adita cum beneficio Legis, & Inventarii, & de ea ipsi fratres de Macchiavellis reddiderint rationem mediante judiciali Peritia, in qua declarati fuerunt creditores. Quoniam ultrà alias responsiones datas pro parte D. Card. Francisci, sufficiens visa fuit illa, quod cum alias
21 fuerit demandatum, quod dicta Peritia revideretur, donec agnitum fuerit, an illa subsistat, necne, nullum fundamentum super ea constitui valet.

Minusque suffragatur recursus ad aliam exceptionem, quod Octavius esset nulliter obligatus favore d. Senatoris; tùm quià tunc temporis erat filius familias sub patria potestate constitutus, tùm quià erat minor, & nulla solemnitas in ejus obligatione servata legatur. Nam exhibita fuit illius emancipatio facta solemniter à Julio patre ad istum præcisum effectum contrahendi cum dicto Senatore; propterquam benè potuit tanquam

22 quam sui juris contrahere, ut advertunt *Capon. discept. forens. 357. n. 7. Card. de Luca de alien. & contract. disc. 37. n. 23.* Non attenta replicatione, quod emancipatio fuerit eadem die à patre revocata; non solùm, quià hæc revocatio attendi non potest, quià filius non valuit emancipationi sibi factæ renunciare, & renunciando non reincidit in patriam potestatem, per *Text. in leg. Qui li-*
23 *beratus 12. ff. de adoptione, & emancipatione Corneus cons. 228. n. 7. lib. 4. Sard. de alim. tit. 8. priv. 65. n. 3., Boss. de patria potestate cap. 2. n. 74.*

Verum etiam quià, cum obligatio ab Octavio facta fuerit vigore publici mandati procuræ etiam sui patris exprimentis non per modum enunciativæ actum secutæ emancipationis, sed per expræssam relationem ad illum stipulatum ab ipso met Notario rogato, ibi -- *come appare Instrumento di emancipatione rogato per me Notaro* - eo ipso, quod Senator de Lezze, qui erat absens, & commorabatur Venetiis, certioratus fuit de emancipatione per dictam attestationem Notarii rogati, & relationem ad actum, fuit in bona fide; potuitque contractum perficere, absque eo quod senere-
24 tur inquirere super illius revocatione, quæ ideò in ejus præjudicium attendi non debet; *Rota in Bononien. Pecuniaria 20. Februariis 1693. §. Quam obligationem coram Reverendiss. Turonen. & in Veneta, seu Anconitana pecuniaria 9. Maii 1698. §. Potissimè coram R. P. D. meo Ansaldo, & in Romana Salviani 4. Julii 1696. §. finali cor. Illmo dell'Olmo.*

Non verificatur autem, quod Octavius esset minor, cum hoc non fuerit probatum, imò ad evidentiam exclusum remansit ex pluribus Instrumentis annorum 1605., & 1606. in quibus dum asseritur, ipsum excedere ætatem 23. annorum in necessariam consequentiam venit, quod de mense Martii 1608. annum 25. complevisset, quod tanto magis dicendum est; quia agitur de actu gesto ad commodum patris; cui nunquam, nec iste, nec filius contradixit, quinimmò, cum mediante solutione fructuum fuerit
25 semper observatus, de illius validitate hodiè dubitare non licet, *Rota cor. Emerix decis. 1139. num. 15., & in recent. decis. 694. num. 5. part. 1. & decis. 506. num. 2., & 4. part. 2.*

Quibus ità firmatis respectu dotis Eleonoræ senioris, & validitatis obligationis Octavii, opus non fuit immorari super dotium, cum istæ essent posteriores credito Senatoris, & quamvis replicaretur, quod desumant suam anterioritatem à fideicommisso Familiæ Thieneæ, adhuc id non meruit animadversionem; quià & dotes tam dictæ Eleonoræ Sanvitalis, quam Juliæ Bojardæ Aviæ, & respectivè matris Octavii, habent priùs obligata jura dicti fideicommissi, atque ut supra firmatum fuit, sunt comprehensæ in obligatione bonorum facta
26 ab Octavio favore dicti Senatoris: quamobrem remanet incomperto, quod priùs debeat satisfieri illius credito, antequam possit quidquam ex juribus dotium posteriorum prætendi.

Ità etiam facilis fuit responsio, quoad fideicommissum Familiæ Thieneæ, nam illud expiravit in ipso Octavio, qui sine liberis masculis decessit, & bona Quinti pervenerunt in Eleonoram illius filiam, ratione detractionum legitimæ, trebellianicæ, dotium, & aliorum creditorum, quæ ex persona Octavii, & Julii competebant, mediante transactione inita cum masculis alterius lineæ, quorum favore purificatum fuerat fideicommissum, ideoque si ista bona Quinti, considerentur uti fideicommissa, & super illis competebat actio prò juribus dotalibus Eleonoræ Sanvitalis, & Lauræ Bojardæ obligatis favore Senatoris, si verò considerentur uti libera, res erit clarior, nam præter dicta jura, etiam super residuo, quod obvenit in Eleonoram juniorem matrem illorum de Macchiavellis, potuisset D. Cardinalis satisfactionem obtinere, cum illi fuerint hæredes suę matris hæredis Octavii obligati favore Senatoris de Lezze, nec rationem sufficientem reddiderint, ut supra præmissum fuit.

Atque ex his etiam tollitur difficultas circa ea, quæ possent deduci ex fideicommisso Bojardo, cui supposita dicuntur bona in Villa Cuppari, quibus hodie fratres de Macchiavellis remanserunt etiam spoliati propter executionem super eis factam ad instantiam D. Cardinalis, quoniam ex facti serie latè recensita per informantes prò D. Cardinali, plenè constitit de libertate dd. bonorum, quæ ideò pari ratione erant obligata, advertendo, quod fideicommisso Bojardo erant subjecta bona *Scandiani*, & Selvaterræ, de quibus fuerat reportata investitura à D. Duce Mutinæ, donee duraret linea masculina; cum autem ista defecerit; fuerunt prædicta bona concessa Octavio seniori de Theneis, cui ulterius fuerunt tradita alia bona libera pretio sc. 40000. auri, conditione adiecta, quod si defecisset etiam ista Familia, bona omnia ad Dominum directum devolverentur cum onere restituendi dictum pretium prò bonis allodialibus exbursatum: cumque iste casus evenerit post obitum Octavii junioris sine filiis masculis; bona omnia redierunt ad concedentem, qui loco pretii, quod tenebatur restituere hæredibus Octavii juniori, ut supra obligati pro debito Senatoris de Lezze; dedit Eleonoræ juniori filiæ, & hæredi dicti Octavii bona in Villa Cuppari, & quià ista longè excedebant pretium sc. 40000. auri, eadem Eleonora dedit ad computum sc. 22000. & residuum usque ad scut. 30000. solvere se obligavit.

Ex his autem nimis manifestè resultat, quod bona Cuppari non fuerunt subrogata in locum bonorum, quæ fuerant concessa

Fami-

Familiæ Bojardæ, sed data in satisfactionem
crediti, quod habebat jure proprio Octa-
vius junior tanquam hæres sui Avi, & tan-
quam illius hæreditaria transiverunt in Eleo-
noram, & postea possidebantur à fratribus
de Macchiavellis, quod licet de per se con-
vincatur, adhùc nec potest ab istis impugna-
27 gnari, dùm eadem bona tanquam libera
inter se diviserunt anno 1683. mediante Lau-
do Eminentiss. Acciajoli.

Parùm relevante, quod bona prædicta
fuerint semper habita tanquam fideicommis-
so subjecta, siuè quia in permutatione facta
cum Duce Mutinæ fideicommissum Bojar-
dum translatum fuit super bona Cuppari, &
tam Octavius in Inventario bonorum Julii,
quam fratres de Macchiavellis in illo Eleo-
noræ matris tanquam fideicommissaria de-
scripserunt, sive quia Cardinalis Franciscus
in judicio introducto super restitutione do-
tis Eleonoræ, declaravit bona Cuppari esse
subjecta fideicommisso Bojardo. Etenim in
permutatione prædicta non fuit translatum
fideicommissum super bonis Cuppari; sed
tantum pro cauthela dicuntur transferri fi-
28 deicommissa, quatenùs adsint, nec ulla fit
mentio de illo Bojardi, undè cum hæc sit
mera præservativa, nihil ponit in esse, nisi
ulterius justificato, quod verè tunc adhùc
enunciatum fideicommissum vigeret. Descri-
ptio autem facta per Octavium in Inventa-
rio Julii, non continet specificam declara-
tionem, quod dd bona subsint fideicom-
misso Bojardo; sed tantum, quod multa ex
bonis descriptis sint obnoxia fideicommissis,
ibi -- *De quali molti sono sottoposti a feudi,*
29 *e fideicommissi* -- quæ verba utpotè distribu-
tivè prolata, singula singulis congruè refe-
renda sunt, ut nempè fideicommissa verifi-
centur, ubi verè existunt. Altera verò de-
scriptio facta per fratres de Macchiavellis
30 cum qualitate fideicommissaria, tanquam ad
eorum commodum exarata, non potest im-
mutare naturam bonorum. Et tandem dici
nequit Cardinalem in judicio per eum in-
tentato fassum fuisse dicta bona Cuppari ha-
bere qualitatem fideicommissariam, quià li-
31 cèt produxerit Testamentum, in quo fidei-
commissum fuerat præordinatum; tamen in-
simul produxit etiam investituram factam fa-
vore Octavii, & demonstravit dicta bona
pervenisse ad Eleonam jure illius hære-
ditario.

Cæterùm hæc omnia, quæ ad exclusio-
nem nullitatum fuerunt supra ponderata, &
decisa, maximum robur accipiunt, ex quo
opponuntur modo post obitum cl. me. Card.
Francisci sen. aliorumque informatorum, &
post lapsum 30., & ultra annorum, quo fuit
semper pacificè observata datio in solutum,
de qua agitur, imò non semel, sed pluriès
fuit explicitè à fratribus de Macchiavellis ra-
tificata, & quidem cum solemnitatibus sta-
tuariis; & quod plus est, etiam constat de
illorum approbatione; postquam facti fue-
runt majores, ut non solum apparet ex eo-

rum Epistolis, quæ fuerunt exhibitæ, sed
etiam ex instantia ipsorum de Macchiavellis
translationis bonorum insolutum datorum
ab æstimo in facient hæredum Cardinalis
tanquam ad ipsos vigore dictæ dationis inso-
lutum spectantium, cum subsecuto effectu,
& reportata diminutione collectarum, ac
tandem ex acceptatione donationis factæ in
redditione rationis à dicto Cardinali Fran-
cisco de qua actum fuit in Laudo Eminentis-
simi Cardinalis Acciajoli prolato super divi-
sionibus inter istos fratres tunc temporis ma-
32 jores, his autem stantibus, non videntur
amplius allegabiles nullitates, quæ oppo-
nuntur, *Menoch. consf.* 161. *num.* 58. *Rota in
recent. decis.* 321. *n.* 8. *& seq. par.* 4. *& decis.*
380. *num.* 4. *par.* 14.

Absque eo quod obiei valeat, quod non
præcesserit scientia nullitatis, quia cum aga-
33 tur de pluribus actibus seriò gestis ab illis-
met, qui dationem insolutum fecerant, & in
ratificatione commodum donationis sibi fa-
ctæ reportarunt non requirebatur alia scien-
tia *Rota decis.* 478. *num.* 16. *part.* 4. *tom.* 2.,
& decis. 324. *num.* 7. *& par.* 15. *rec.* quam-
vis aliquando clandestinas protestationes
34 super nullitate actua gerendi emiserint, tum
quià istæ non fuerunt servatæ in omnibus ra-
tificationibus, & præsertim in illa, quæ re-
sultat ex approbatione Laudi Eminentissimi
Acciajoli, quo tempore erant majores, tum
quià non debent admitti contra publica
Instrumenta, & contractus auctoritate Ju-
35 dicis solemniter bona fide stipulatos, ne sit
in arbitrio cujuslibet protestantis, se exime-
re à propria obligatione, & fidem contra-
ctus eludere, *Honded. consf.* 29. *n.* 54. *Rota
coram Dunozz. jun. de cis.* 385. *nu.* 12. *& in
Romana fideicommissi* 28. *Januarii* 1686.
§. *Minus obstat coram bon. mem. Ursino, et in
Romana Salviani super renunciatione* 18.
Aprilis 1692. §. *Etiamsi coram bon. mem.
Manuel.* & potiùs hujusmodi protestationes
36 retorquentur, quià ex illis constat fuisse
37 habitam scientiam omnium prætensarum
nullitatum, & ea non obstante deventum
fuit ad tot replicatas approbationes.

Et ità omnibus DD. suffragantibus utra-
que &c.

ROMANA, SEU CÆSENATEN. FIDEI-COMMISSI SUPER MOBILIBUS.

Veneris 15. *Maii* 1705.

ARGUMENTUM.

Mobilium identitate probata, quomodo hæ-
res ad argentorum, tabularum pictarum, bi-
bliothecæque restitutionem fideicommissa-
rio teneatur.

In hac causa adest supra hoc tom. dec. 321. &
infra super fructibus 370.

SUMMARIUM.

1 *Identitas bonorum ex divisione inter primos
hæredes, & aliis probatur.*

2 *Fidei-*

2 *Fideicommissario, identitate probata, immissio non est deneganda.*
3 *Argenta, & tabulæ pictæ consumpta non præsumuntur: ideoque, quoties de eorum existentia constat, illa sunt restituenda, vel ubi non extarent, gravatus ad æstimationem tenetur.*
4 *Idem est de Bibliotheca.*
5 *Et si vendita sit, tenetur gravatus ad restitutionem pretii retracti.*
6 *Dictio - circiter - certam summam secum non præsefert.*
7 *Et potest importare majorem quantitatem expressa.*
8 *Et illius interpretatio pro negocii qualitate judicis arbitrio remittitur.*
9 *Mobilium quædam usu consumpta præsumuntur alia ex diuturnitate temporis magnum recipiunt detrimentum.*

DECISIO CCCLXIII.

CUm Comitissa Silvia Maralda sententiam favorabilem coram A.C. Aldovrando reportaverit super immissione ad loca montium, & mobilia hæreditaria bonæ memoriæ R.P.D. Maraldi per Marchionissam Mariam Galliam de Alles detenta, & illius exequtionem quoad loca montium tantum cor. me obtinuerit; modo institit pro ulteriori exequtione super mobilibus, & DD. *illam esse concedendam juxta modum* inferiùs exprimendum, responderunt.

Probata namque fuit eorumdem existentia, & identitas, tam ex inventario à Simone primo hærede R.P.D. Maraldi confecto,
1 & ex divisione inter filios Simonis; quam ex inventario postea ejusdem Marchionissæ Galliæ hæredis ultimi gravati: ideoque exe-
2 quutio super illis denegari non debuit favore Co: Silviæ ad fideicommissum vocatæ; *Mantic. de coniect. ult. vol. lib. 2. tit. 6. Peregrin. de fideic. art. 5. n. 43. Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 197. n. 2. & in rec. dec. 517. n. 6. par. 18.* quæ tamen concessa fuit pro mobilibus; quæ usu facile non consumuntur, cum super illis tantum sufficientes adductæ fuerint probationes.

Et quidem quoad argenta constituentia pondus lib. 56., & ad tabulas pietas; constito ex prædictis de illorum existentia, & identitate, nulla fuit difficultas; cum in istis non intret præsumptio consumptionis,
3 & gravatus illa, ubi non extarent; eorumdem æstimationem restituere teneretur; *Peregrin. de Fideic. art. 10. n. 43. Rot. dec. 219. n. 11. cor. Priolo, & in rec. dec. a 35. n. 3. par. 18.*

Quò vero ad bibliothecam; si non fuisset vendita, præsumeretur adhuc existere, &
4 veniret eadem ratione restituenda, *ex firmatis per Rot. dec. 183. n. 4. cor. Emerix. jun.* verum quia probatur illam fuisse in duabus vicibus diversis personis alienatam; DD.
5 non dubitarunt demandare restitutionem prætii retracti, ut præter allegatas supra, *Rota dec. 517. n. 3. par. 18. rec.*

Nec obstare visum fuit; quod alter ex bibliopolis, qui libros emerant; testatur solvisse prætium in scut. 550. circiter, quæ
6 dictio certam summam secum non præsefert, *dec. 1. nu. 9. par. 17. rec.* Quoniam cum possit etiam importare majorem quantitatem
7 expressa; *Rota dec. 182. n. 20. cor. Priolo*, & in omnem casum illius interpretatio arbitrio judicis pro negocii qualitate remitta-
8 tur, *Rota. dec. 17. num. 24. par. 16., & dec. 46. num. 5. par. 19. rec.* Hinc DD. conside. rata etiam alia venditione pro scut. 200., juxta depositionem alterius bibliopolæ; in totum pro scut. 700. mandatum exequendum esse censueverunt.

Quò verò ad alia mobilia; cum pleraque ex eis usu præsumi possint consumpta; alia verò magnum potuerint per lapsum tanti
9 temporis recipere detrimentum, *ad notata per Parif. conf. 55. in fin. lib. 2. cum aliis adductis per Rot. dec. 591. n. 9. par. 19 rec.* consultius putarunt DD. differre resolutionem, demandando, quod circa illorum existentiam, & identitatem coadiuventur probationes.

Et ità utraque &c.

BURGEN. PANIS SUPER DECLARATORIA.

Lunæ 18. Maii 1705.

ARGUMENTUM.

Non indiget. Adsunt in hac causa superiores Decis. 158. 159. 322.

SUMMARIUM.

1 *Litteræ declaratoriæ cum præfixione novi termini relaxantur, ut victus a sua contumacia in non parendo mandatis judicis, resipiscat.*
2 *Paritio ad retardandam declaratoriam non sufficit, quod sit verbalis, sed debet esse actualis.*
3 *Declaratoriæ relaxationi locus est, cum victus ad judices laicos pro retardatione mandati rotalis fecit recursum.*
4 *Exceptiones nullitatis, & excessivitatis fomentum tribuere non possunt retardationi mandati Rotalis, cum illæ a Rota fuerint recognitæ insubsistentes.*

DECISIO CCCLXIV.

CApitulum, & Canonici Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ de Valpuesta reportaverunt cor. bon. mem. Pio mandatum de manutenendo in possessione exigendi Panem ab Archidiacono dictæ Ecclesiæ, non solum prò Canonicis absentibus, sed etiam alium Panem non distributum pro toto tempore, quo lis perduravit: cujus executio successivè per me decreta fuit: cum autem dictum mandatum eidem Archidiacono per sonaliter notificatum fuerit: & deinde serva ti quatuor termini ad docendum de parti tione,

non

non solum de ea non docuit, verum potiùs pro parte Capituli demonstratus fuit positivus contemptus: ex quo Archidiaconus recursum habuit ad judices Laicos pro retardanda executione mandati: Ideo contra ipsum in præsenti audientia, prævia disputatione soliti dubii, litteræ declaratoriæ cum præfixione tamen novi termini, rela-
1 xatæ fuerunt, ad hoc, ut à sua contumacia post tantum tempus resipiscat: *juxtà praxim de qua testantur, Vestr. in prax. Cap. 4. n. 8. Posth. de Manut. observ. 103. n. 6. Rota coram Seraph. dec. 531. n. 4. & in rec. dec. 254. n. 3. par. 6., & dec. 220. n. 1. par. 10. & dec. 137. n. 9. par. 19.*

Non obstat, quod ille promptum se exhibuerit parere mandatis rotalibus, mediante solemni protestatione in actis exhibita: quia cum talis paritio sit verbalis, sufficiens existimata non fuit, nisi ulterius ipse Ar-
2 chidiaconus in termino sibi præfixo de actuali, & effectiva solutione doceat: quod usque adhuc effectuatum non fuit, prout de jure requiritur: *Rota cor. Cels. dec 56. n. 4. & cor. Merlin. dec. 592. n. 3. & cor. Emerix dec. 866. in fine, & in rec. dec. 173. n. 10. cum seq. par. 6. & dec. 299. n. 9. par. 18.*

Minusque suffragari potuit, quod pro pane non distributo usque ad annum 1700. capitulum habeat mandatum ad sui favore relaxatum: ideoque executioni illud demandari debeat: nec sit interim locus declaratoriæ. Quoniam hujusmodi exceptio non potest in præsenti admitti, dum ipsemet Archidiaconus impedimentum præstitit executioni mandati propter recursum habitum ad judices laicos; quamobrem retorquetur objectum, & tanto clarior ejus contumacia
3 convincitur, itaut attento præfato recursu sit procedendum ad relaxationem declaratoriæ: *Posth. de Manut. d. obser. 103. n. 17. Rota post eundem dec. 121. nu. 3. & dec. 272. num. 4.*

Tandem nullius relevantiæ visum fuit alterum objectum, ductum ab excessivitate mandati executivi à bo. me. Pio relaxati, & nullitate illius ob non præstitum juramentum suppletorium pro parte capituli super liquidatione panis non distributi, prout demandatum fuerat. Quia in gradu appellationis cognita omnimoda justitia mandati illius executio coram Me decreta fuit: & successivè Capitulum juramentum præstavit; *ut in ejus Sum. n. 6.*

Et ità utraque &c.

PISANA CAPELLANIÆ.

Veneris 5. Junii 1705.

ARGUMENTUM.

Litteræ impetratoris obreptitiæ, & subreptitiæ non sunt exequendæ. Pluralitas beneficiorum non reddit incapacem possessorem ad consecutionem, sed ad retentionem: neque ista impeditur, cum adest dispensatio Apostolica. Devolutio non datur ob non obtentam intra semestre institutionem à præsentato, cum de jure tempus non sit ad id præfinitum. Præsertim si eadem fuerit petita. Confirmatur infra dec. 394.

SUMMARIUM.

1 *Impetratoris obreptitiæ, ac subreptitiæ litteræ Apostolicæ non sunt exequendæ.*
2 *Pisis initium anni sumitur à die Incarnationis, & hujusmodi stylus calculationis temporis est attendendus, juncto nu. 4.*
3 *Tempus Patrono prorogatum ad præsentandum est legitimum, si intra illud præsentatio sequatur.*
5 *Obreptio provenit ex reticentia in precibus, quod in jure patronatus adsit lex præsentandi semper proximiores fundatoris.*
6 *Pluralitas beneficiorum obicem facit retentioni, non assecutioni aliorum.*
7 *Devolutio ob incapacitatem, stante pluralitate beneficiorum, cessat, si adsit gratia Papæ super retentione plurium.*
8 *Devolutio, ob non obtentam infra legitima tempora institutionem, cessat; si illa à præsentato fuerit petita.*
9 *Præsentatus ex officio est instituendus.*
10 *Tempus ad petendam à præsentato institutionem non est de jure præfinitum, nec ab alio potest coarctari, & ob id dari devolutio.*
11 *Litteræ Apostolicæ justificatæ sunt exequendæ.*

DECISIO CCCLXV.

Vacante Cappellania S. Laurentii Martiris in majori Ecclesia Pisarum, ad illam præsentatus fuit à March. Philippo Corsino uti unico patrono, Joannes Corsinus, qui provisionem Apostolicam in forma gratiosa desuper obtinuit, postmodum vero Cosmus Venturellus eamdem Cappellaniam impetravit sub expressione, quod ad S. Sedem devoluta fuisset, ex quo patronus intra præfinitum tempus non præsentaverat, & istius litteras Vicarius Generalis executioni demandandas esse per sententiam decrevit, à qua cum ad instantiam Joannis causa appellationis mihi commissa fuerit, disceptandum dedi dubium — *An intret arbitrium pro retardatione, sivè potiùs litteræ Joannis sint exequendæ, quod affirmativè in utraque sui parte*, resolutum fuit.

Litteræ namque impetrationis Venturelli, utpote manifesto obreptionis, & subreptionis vitio laborantes, nullam executio-
1 nem merentur, ac pro illarum retardatione intrat arbitrium, *Rota cor. Pamphil. dec. 611. nu. 7. & cor. Cerr. decis. 249. nu. 2., & cor. sa. me. Alex. VIII decis. 115. nu. 2., & in rec, dec. 543. nu. 2. par. 18.*

Obreptio itaque satis clara resultare visa fuit ex falsa narrativa neglectæ præsentationis intra tempus patronis laici præfixum, quia facta combinatione temporum contrarium

rium apparuit, vacavit enim Cappellania
2 die 19. Martii 1703. more Pisano, juxtà
quem initium anni sumitur à die Incarnatio-
nis, & patronus ad quem tunc spectabant
duæ ex tribus vocibus dicti juris patronatus,
præsentavit Joannem die 24. ejusdem mensis
& sic non solum intra quadrimestre, sed in-
tra paucos dies, postea vero impetrata pro-
rogatione temporis ad alios duos menses ac-
quisivit ex donatione sibi facta, tertiam vo-
cem, & devenit ad iteratam præsentatio-
nem ejusdem Joannis sub die 4. Septembris
anni 1704. ab Incarnatione, & per conse-
quens intra sex menses, quibus durabat fa-
cultas præsentandi attenta prærogatione ad
alios duos menses, ut supra reportata, quam-
obrem undique constat, primam præsenta-
tionem factam fuisse intra quadrimestre, se-
3 cundam vero in tempore prorogato sex men-
sium, quod semper dicitur legitimum, quo-
ties patrono instituere debenti est proroga-
tum, *Paris. de resignat. benef. lib. 7. quæst. 29. in fine Vivian. de Jurepatr. par. 2. lib. 3. Cap. 7. nu. 10. & seqq.*, & *in Cracovien. Canonicatus* 13. *Junii* 1701. §. *Nihilominus cor. R. P. D. meo Ansaldo*.

Et ex hac animadversione detegitur æqui-
vocum, quo deducebatur lapsus temporis,
cum à mense Martii 1703. usque ad mensem
Septembris 1704. videatur intercedere tem-
pus unius anni cum dimidio, hoc enim pro-
cederet, si initium anni desumeretur à die
nativitatis, ut practicatur hic Romæ, secus
vero si desumatur à die Incarnationis, ut in
Civitate Pisarum, nam juxta hanc supposi-
tionem non est lapsus terminus sex mensium,
ut supra ostensum fuit, quodque hujusmodi
4 stylus attendi debeat in calculatione tempo-
ris, est de per se clarum, & respondit *Rota in antiquis decis. 17. de judiciis*.

Præter obreptionem, sunt etiam præfa-
tæ litteræ à Venturello reportatæ vitio su-
breptionis obnoxiæ, quoniam Summo Pon-
tifici expositum non fuit, quod ad Cappel-
5 laniam controversam ex lege fundationis
præsentandi semper erant proximiores fun-
datori, & de ejus certo genere, quod de
Joanne Corsino bene verificatum remanet,
non vero de Venturello extraneo, cum au-
tem hæc recensita circumstantia potuisset
gratiam impedire, vel saltem illius conces-
sionem reddere difficiliorem, inevitabilis
est obreptio, ut in his terminis firmavit *Rota in Barchinonen. Beneficii* 14. *Aprilis* 1698. §. *Hinc cor. R. P. D. meo Ansaldo*, & *generaliter in d. Cracovien. Canonicatus* 13. *Junii* 1701. §. *Opponebat cor. eodem*.

Non obstat prætensa incapacitas Joannis à
Marchione præsentati, attento quod ipse
tunc temporis duo alia beneficia simplicia
6 possideret, quoniam ultra quod, impedi-
mentum resultans ex pluralitate beneficio-
rum, solum obicem facit retentioni, non
assecutioni, *Card. de Luca de benefic. disc. 58. nu. 5. & 6. Garz. de benefic. par. 11. Cap. 6. nu. 65. & 486. Rota cor. Cavaler. dec. 450. nu. 6.*, difficultas penitus cessavit ex facto,
cum in litteris suæ provisionis, quas pro
præsentato à Summo Pontifice reportavit,
1 fuerit etiam dispensatus ad retinendum duo
beneficia sub eodem tecto, & successivè
aliam gratiam perinde valere obtinuerit ad
effectum retinendi aliud in diversa Ecclesia
situm, ex quibus omnibus exclusa remanet
quæcumque prætensa vacatio, seu devolu-
tio, *Rebuff. tit. de rescript. etiam & perindè valere num. 2., & seqq. Garz. de benefic. Cap. 5. nu. 228. lib. 11. Rota in rec. dec. 281. nu. 2. par. 19.*

Multoque minus adduci meretur altera
devolutio, ex quo transactis sex mensibus
post præsentationem Joannes institutionem
8 à Capitulo Pisano reportaverit, nedum
quia illa in ipso præsentationis actu petita
fuit, quod satis est ad excludendam quam-
cumque devolutionem, cum ex officio præ-
9 sentatus sit instituendus, *Lambert. de Jurepatr. lib. 2. par. 3. quæst. 2. art. 12.*, verum
etiam quia, cum nullum adsit præfinitum
10 tempus à jure ad petendam, & consequen-
dam institutionem, nec istud à Capitulo pre-
figi poterat, ideoque ea non requisita, non
intrat casus devolutionis, *Vivian. de Jurepatr. par. 2. lib. 12. Cap. 4. nu. 7., & seqq. Lotther. de re benefic. lib. 2. par 13. nu. 59. Lambert. de Jurepatr. lib. 2. par. 2. art. 9. par. 5 principaliter nu. 14. Rota cor. Penia dec. 737. n. 4.*

Ex quibus omnibus, sicut intrat arbitrium
pro retardatione litterarum Venturelli, ita
è contra exequendæ sunt litteræ Joannis,
11 utpotè plenissimè justificatæ quoad voca-
tionem, valorem pertinentiam Jurispatro-
natus, & præsentationem ex Confessione
Venturelli, & ex legitimis documentis, &
dispensationibus ab eo exhibitis, *ad Tex. in Cap. Si Capitulo de Præben. in 6. Rota dec. 422. nu. 2., & dec. 697. nu. 2. & 8. par. 18. rec.*, & *in Cracovien. Cantoria die* 11. *Martii* 1701. *in principio cor. R. P. D. meo Caprara*.

Et ita Joanne tantum informante &c.

ÆSINA CENSUS.

Veneris 5. Junii 1705.

ARGUMENTUM.

Habes in superiori Decis. 66., quæ confirmatur, addito, quod ob pecunias dotales sine aliquo onere viro datas, ex quibus sua debita extinxit, Uxori subingressus in illius creditoris juribus non datur.

SUMMARIUM.

1 *In donatione filii tanquam filii considerati censentur, licet eorum patri sit facta, quando immediate post fuerunt æque principaliter considerati.*

2 *Maxime si in casu, quo donatarius sine fi-*

liis decederet, danans voluit bona donata ad se reverti.

3 *Et in casu, quo si susciperet donatarius filios, & aliquod delictum committeret; voluit ad filios bona donata devolvi.*

4 *Pater donatarius acquirens* pro se, & filiis, *censetur illis acquisivisse uti hæredibus.*

5 *In donatione, in qua filii uti filii sunt invitati, patris donatarii acceptatio* pro filiis, ut hæredibus *non attenditur.*

6 *In donatione donantis intentio, non donatarii stipulantis mens attenditur.*

7 *In donatione facta intuitu certi matrimonii, & correspective ad dotem, jus super bonis donatis mulieri acquiritur pro recuperatione dotis.*

8 *Limita si donans transversalis nullum respectum habuit ad Uxorem, sed ad solos filios ex eo matrimonio nascituros.*

9 *Et d. donans nullum respectum ad Uxorem habuisse desumitur, si voluit, donatario sine filiis decedente, ad se bona reverti, vel si filios habeat, & aliquod delictum committat, ad filios bona devolvi.*

10 *Dotem filiæ constitutam ex dote materna non sufficienter probatur, si solum constet, eidem datum prædium emptum ex pecunia dotali matris.*

11 *Pecunia in dotem data absque onere in aliqua re erogandi, in liberum viri dominium transit.*

12 *Et si ex ea dimittantur à viro creditores potiores, in ejus juribus Uxori subingressus non datur, & cur?*

13 *Sed Uxor potest sua jura exercere contra bona viri, vel alia bona posterioribus creditoribus soluta.*

DECISIO CCCLXVI.

IN Decisiene edita cor. me sub die 12. Junii 1699. firmatum fuerat, quod creditoribus Blasii Cinæ nullum jus competebat super bonis ei donatis per Hieronymum Marchettum intuitu matrimonii contrahendi dum Oronthea, ad præjudicium filiorum, qui ex dicto matrimonio suscepti fuerunt, cum in illa, non uti hæredes Patris, & ex illius providentia, sed ex persona propria, & tanquam filii essent compræhensi, cum autem, concessa nova audientia, non solum repeterentur plura ad comprobandum objectum, quod nullus fuerit habitus respectus ad filios, sed Pater stipulatus fuerit pro se, & hæredibus, & quod in omnem casum fuisset ex eadem donatione quæsitum jus Orontheæ, itaut creditores, qui habent obligata illius jura dotalia, possint ex ejus persona agere contra bona donata, sed ulterius apderetur, quod cum filiæ ex eodem matrimonio susceptæ sine dubio jus haberent pro consecutione dotis contra bona donata, licet fideicommisso subjecta, eo ipso, quod fuerunt deinde dotatæ ex pecuniis ad Orontheam spectantibus, sicut illi ratione subingressus in juribus filiarũ, competeret jus contra fideicommissum pro recuperatione summæ solutæ, ita & competere possit creditoribus, sed hujusmodi objectis minimè attentis, tamquam insubsistentibus, steterunt DD. in decisis.

Nam quod filii fuerint isto casu considerati tamquam filii, non uti hæredes, iterum constitit ex ipsa lectura donationis, in qua licet habeatur eam fuisse factam simpliciter favore Blasii ibi -- *Il detto Signor Girolamo promette, che detto Signor Biagio allora per le cause sudette habbia la metà di tutti li*
1 *stabili* --, tamen nullum in hac parte desumi valet argumentum pro comprehensione hæredum, cum de illis nulla fuerit facta mentio, quando è contra immediatè post, fuerunt æquè principaliter considerati filii, cæterique descendentes ibi -- *Et acciò il detto Biagio possa mantenere il suo grado, e tenere la sua famiglia, e descendenza* --,
2 maximè quia postea in casu, quo dictus Blasius decederet sine filiis, voluit, quod ille non posset disponere nisi de sc. 2000., & cætera bona ad ipsum donantem reverterentur,
3 tur, & quatenus susciperet filios, & aliquod delictum patraret, voluit omnia ad illos devolvi, quibus stantibus nimis clarum apparuit, quod filii isto casu nullum jus metiuntur à Patre, sed fuerunt independenter contemplati, & ex persona propria compræhensi, ut latè materiam examinando, & respondendo contrariis conjecturis, quarum aliqua hic repetebatur fuit dictum *cor. Priolo decis.* 203. *nu.* 4. *& per totam*, ubi pro hac opinione fuit decisum, non obstante, quod
5 Pater acceptasset pro se, & filiis, & sic videatur acquisivisse illis uti hæredibus, ea validissima ratione, quia in hujusmodi do-
6 nationibus inspicitur potiùs voluntas donantis, quam ordo & forma, quibus Pater acquirat, & qua mente stipuletur, *& cor. Cerr. decis.* 485. *nu.* 10., *& làtius etiam articulo discusso Rota decis.* 229. *per tot. par.* 12. *rec.*

Quod vero neque ex juribus Orontheæ dici possit quæsita actio creditoribus contra bona donata, fuit etiam in decisione, quæ revidetur, comprobatum. Quin turbare
7 valeat replicatio, quod agatur de donatione facta intuitu certi matrimonii cum illa contrahendi, & correspective ad dotem, itaut donatio, & dos, simul confundantur, & jus acquiratur mulieri pro recuperatione dotis super iisdem bonis, etenim hic versa-
8 mur in dotatione facta non ab ascendente, sed à transversali, qui nullum habuit respectum ad uxorem, sed ad filios duntaxat, qui ex matrimonio oriri potuissent, ut signanter desumitur ex circumstantiis supra ponde-
9 ratis, videlicet, quod in casum dissolutionis matrimonii sine filiis bona reverterentur ad ipsum donantem, & quod in casum delicti bona devoluerentur ad filios, nulla unquam facta mentione uxoris, quæ si posset aliquod jus prætendere, voluntas donantis in præfatis casibus non potuisset verificari, *Cavyc. Latro consult.* 54. *nu.* 40. *Card. de Luca de donat. disc.* 2. *nu.* 16.

Qui-

Quibus ita positis, insubsistens visum etiam
fuit aliud motivum noviter excitatum, quod
filiæ ex dicto matrimonio susceptæ, fuerint
dotatæ cum bonis dotalibus Orontheæ, &
ideo ista ejusdem creditores subingressi fue-
rint in jurbus filiarum pro recuperanda à fi-
deicommisso illarum dote. Etenim omisso, an
filiabus competere possit hoc jus consequen-
di dotes ex fideicommisso, aut saltem in tan-
ta quantitate sc. 2000. pro qualibet, de qui-
bus in omnem casum poterit agi in suo parti-
culari, & separato judicio, nec non præ-
termissis, quod non bene probata fuit solu-
tio ex bonis Orontheæ, nisi in tenui quan-
titate sc. 100., cum respectu aliarum pecu-
niarum. solum constet, quod duo census
in summa sc. 200. impositi ex pecunia dotali,
fuerunt distracti, & illorum pretium ero-
gatum extitit in partem solutionis unius
10 prædii in vocabulo S. Marcello, quod fuit
deinde in dotem datum Annæ Catherinæ
uni ex filiabus, quod non sufficeret ad inten-
tum.

Adhuc tamen cessare visa fuit quælibet
difficultas, ex quo pecuniæ dotales Oron-
theæ fuerunt libere promissæ, & deinde so-
lutæ Blasio marito absque ulla expressione,
vel conditione, quod implicarentur in solu-
11 tionem dotis filiabus constituendæ, in his
enim terminis transierunt in liberum ejus
dominium, qui ad diversum usum illis uti
poterat, prout absque ulla expressione de
eis in dotationem filiarum disposuit, & pro-
inde licet effective venditori anteriori, vel
12 potiori solutæ fuerint, non tamen exinde
ulla subingressio favore dantis pecuniam,
quæsita fuit, ea quidem ratione, quia cum
pecunia dicatur de libero dominio debito-
ris, de sua pecunia creditorem dimisisse
censetur, & sic dimissio ista, ab industria
debitoris, non vero à providentia pecuniam
dantia secuta videtur, ac per consequens ex-
cluditur ex hac circumstantia quicumque
subingressus favore uxoris pæcunias dotales
tribuentis, *Card. de Luc. de credit. & debit.
d. disc. nu. 4. in fine Rota dec. 324. nu. 22.
& seqq. par. 9. & dec. 259. nn. 5. & 6. par. 14.
rec. Et examinato articulo ad partes late fir-
matum fuit in Romana Census* 10. *Maii*
1679. §. *Minus cor. bo. me. Rondinino*.

Neque exinde dici potest illatum ullum
præjudicium Orontheæ, & ex ejus persona
creditoribus, nam cum de tempore dotatio-
nis secutæ anno 1673. & 1675. respective,
Blasius esset solvendo, cum ejus decoctio se-
cuta fuerit solum anno 1689., poterunt illi
13 suas actiones dirigere, vel contra bona
in dotem data, vel agere contra alia bona
ejusdem Blasii penes quoscumque existant.
Et ità utraque &c.

ROMANA LEGATORUM.

Lunæ 8. *Junii* 1705.

ARGUMENTUM.

Cum Testator jussit assignari legatario tot annuos redditus, hæres, ut se eximat ab incommodo annuæ præstationis potest assignare corpus, ex quo tantundem legatarius percipiat: quod debet esse de medioribus hæreditatis. Et examinatur an absque onere supplendi in casu decrementi fructuum ex aliis bonis, vel cum onere supplendi sit assignandum. Ad quod interpretandum perpenditur voluntas testatoris, quæ etiam deducitur ex qualitate operis pii, & observantia.

SUMMARIUM.

1 *Verbum* · assignare - *dominii translationem importat*.

2 *Testator qui jussit assignari legatario tot annuos redditus; intelligitur, quod voluerit, ut non hæres annuam quantitatem solvere teneatur; sed quod legatarius habeat bona unde ea percipiat*.

3 *Cum testator certam qualitatem bonorum, ex quibus legatarius annuos redditus percipiat non assignavit, electio pertinet ad hæredem*.

4 *Debet tamen tradere tot bona hæreditaria neque de melioribus; neque de pejoribus, sed de mediocribus; ut essent in assignatione legitimæ;* sub. nu. 5.

5 *Loca montium veniunt inter bona meliora*.

6 *Assignatio certi fundi gratia commodioris exactionis ab hærede facta, cum testatur sub unica oratione voluit generaliter, quod ex suis bonis præstarentur tot redditus, ad quæ hæreditatem perpetuò gravavit, non eum liberat ab onere supplendi in casu deficientiæ* & n. 10. & 11.

7 *Et licet corporis assignati fructus deficiant; hæredis obligatio non extinguitur pro integra solutione*.

8 *Assignatio fundi de tempore assignationis capacis ad annuos redditus legatos, liberat hæredem; quin in casu decrementi teneatur supplere*.

9 *Declara conclusionem procedere cum Testator taxativè, non demonstrativè destinavit fundum certum*.

12 *In legatis piis, & in suffragium testatoris in dubio resolvendum est pro integra solutione*.

13 *Præsertim si qualitatem perpetuitatis in opere pio repetiit testator*.

14 *Et cum principaliter in animo habuit solutionem*.

15 *Legatum integre debetur: nec a supplendo liberatur hæres ex assignatione fundi, cum testator nullum de assignatione, sed de annua quantitate, verbum fecit*.

16 *Observantia proxima summopere est attendenda pro declaratione, & interpretatione voluntatis defuncti*.

DECISIO CCCLXVII.

IOannes Antonius de Sancto Petrn in ultimis tabulis professus fuit, se velle nnnnulla opera pia in Ecclesia S Hiernnymi venerabilis Archiconfraternitatis Charitatis de Urbe, instituere, declaravitque, *quod si contingeret* - sunt verba precisa - *præmissa &c. ipso Testatore vivente completa non fuisse, voluit ex bonis suis per infrascriptos Executores unum Altare in dicta Ecclesia decenter ornari, ac redditu annuo perpetuo quadraginta scutorum monetæ pro una missa quotidiana, ut præfertur, celebranda, dotari, nec non alium redditum annuum perpetuum centum, & sexaginta scutorum similium pro maritandis quatuor Virginibus, ut suprà dictæ Societati assignari, ad hoc ut voluntas, & intentio ipsius testatoris in supradictis omnibus, & singulis plenè observetur, & adimpleatur*: In codicillis verò postmndum conditis, legavit - *annuum redditum scut.100. in perpetuum, & in infinitum venerabili Societati Charitatis, cum onere, quod ipsa teneatur continuo, & perpetuo tenere Procuratorem: qui causas Pupillorum, & Viduarum miserabilium defendat gratis* - : & pro istorum omnium faciliori implemento in Exequutores suæ voluntatis, & hæreditatis præfatæ, inter cæteros nominavit Deputatos ejusdem Venerabilis Archiconfraternitatis.

Defuncto testatore absque ulla bonorum assignatione, tam primi hæredes, quam alii successivè usque in præsens, & sic per sæculum, & ultrà solverunt præsatas summas prn adimplemento operum prædictorum absque ulla controversia, illæque fuerunt à Deputatis dictæ Archiconfraternitatis maxima cum fide, & vigilantia in suas causas erogatæ, donec Johannes Antonius junior de Sancto Petro modernus hæres fideicommissarius, postquam annuas præstationes decursas persolvit, vel pro eis certos fructus exigendos delegavit, nolens ampliùs hanc annuam pecuniarum summam exbursare, obtulit in futurum tradere eidem Archiconfraternitati certum fundum tanti redditus: quanti fuerunt a testatore destinati; cum hnc tamen, quod ipse, & hæreditas sui authoris liberaretur ab ulteriori sollicitudine supplendi ex aliis bonis, quatenus fundus assignatus periret, aut ejus annui redditus minuerentur, sed cum ejusdem Deputati recusassent hujusmodi oblationem, idcircò arrepta occasione alterius controversiæ vertentis coram Me circa nominationem ad dotes super qua prodiit decisio die 11 Aprilis 1704., curarunt vigore ejusdem commissionis hanc pariter secum trahentis propter clausulam quam, & quas, examinari dubium - *an sit assignandi annui redditus in tot locis Montium, vel stabilibus pro dotibus Capellæ, & Puellarum, & pro stipendio Procuratoris, & an suscipienda sit obligatio per Primogenitum pro tempore supplendi, quatenus in futurum diminuantur* quod - *fuit in omnibus affirmativè resolutum*.

Et quoniam tria continet instantia, hinc DD. examinando per partes dubium propositum responderunt, quod respectu assignationis bonorum in genere assistit hæredi clara testatoris voluntas, cum enim ipse demandaverit, qund quatenus decessisset, antequam adimpleret ea omnia, quæ destinaverat, essent tot annui redditus assignandi, & hujus verbi natura sit: quod importet
1 translationem dominii bonorum assignandorum, *ut probant Soccin. jun.cons.60. n.38. & seq. vol.4. Mans. consult.59. n.3. & Consult.781. n.1 & seq Rota dec.376. num.13. par.14. & dec.305. n.4. par.19.* exinde convincitur testatoris mentem non fuisse, quod
2 annua quantitas ab hæredibus persolveretur, sed quod Archiconfraternitas legataria haberet bona, ex quibus redditus percipere posset, *ad Text. in l. si quis argentum §. fin. verò redditum certum C. de donat. l. si in singulos ff. de annuis legatis, l. firmio §. Pater ff. quando dies legati cedat, Surd. cons.319. sub n.6. & per tot. Mans. dicta Consult.59. n.10. & seq.*

Agnoverunt difficultatem scribentes pro Archiconfraternitate, ideo ingenuè declararunt nolle huic assignationi sese opponere, petentes solum, quod assignatio fieret in tot locis montium Cameralibus non vacabilibus, cum obligatione hæredum perpetuo manutenendi redditus a testatore relictos: propterea DD. transeuntes ad alias dubii partes, quoad illam, quæ respicit qualitatem bonorum assignandorum, adverterunt, hic non fuisse designatam certam speciem bonorum, ex quibus annua quantitas percipienda esset, sed fuisse simpliciter, & indefinitè requisitam assignationem tot redditum; unde succedit regula, quod electio
3 bonorum, non pertinet ad legatarium, sed ab hæredem, à cujus arbitrio pendet assignare, vel loca montium, vel bona stabilia, *l. si quis à filio 32. §. Si quis plures, l. si domus ff. de lagat.1. gloss. in l. legato generaliter verb. pessimus ff. eodem Simon, de Præt. de interpræt. ultimar. volunt. lib.1. dubit.3. solut.3. & 4. Bares de success. lib.9. tit.8. n.2. Camarella de legat. lib.3. quæst.2. n.4. Cardin. de Luca eodem tit. disc.12. num.8.* benè tamen verum est, quod ille tali arbitrio honeste, & cum moderamine debet uti, tradendo scilicet annuos redditus in tot bonis hæreditariis, non quidem de pejoribus, ne-
4 que de melioribus, prout sunt loca montium, in quibus assignationem sibi necessario fa-
5 ciendam esse prætendit Archiconfraternitas, sed de mediocribus, *per text. in l. Si quis argentum §. Si verò redditum ibique glossa verb. mediocres Surd. cons. 319. num.20.* quod practicatur etiam occasione assignationis legitimæ, *Merlin. de legitim. lib.2. tit.1. quæst.9. num.14. Cyriac. contr.6. n.11. Sabinen. fideicommissi 12. Junii 1702. §. Alterum cor. R.P.D. meo Caprara.*

Quo

Quo verò ad obligationem supplendi, de qua in ultima parte præsentis dubii, DD. censuerunt illam subeundam esse à primogenitis pro tempore, quatenus in futurum diminuantur fructus bonorum assignandorum, ea solidissima ratione moti, quod dum testator pro executione piorum operum, de quibus agitur, sub unica oratione ordinavit, quod ex bonis suis, nulla tamen facta designatione corporum in particulari, præstarentur tot redditus: & voluit, quod hæreditas sua perpetuò gravata esset hujusmodi onere favore Archiconfraternitatis, inde sequitur, quod assignatio certi fundi gratia
6 commodioris solutionis per ipsum hæredem facienda censeatur, ut ipse oempe eximatur à cura solvendi annuatim summam præscriptam, non autem, ut omnimodè liberetur hæreditas à recensitn onere quantitatis per ipsum perpetuò subministrandæ: *Surd d. cons.* 319 *num.* 15. *& pluribus allegatis Pignatell. consult.* 110. *n.* 1 1. *tom.* 2. *Pasqualigo de Sacrifi. novæ leg. tom.* 2. *quæst.* 1026. *n.* 6. *Guzman. de evict. quæst.* 30. *n.* 22. *cum seq. Rot. dec.* 165. *n.* 7. *par.* 4 *tom.* 2 *recent.*,

In his enim terminis, semper remanet obligata hæreditas: cui onus est impositum, adeoùt licet deficiant fructus corporis assi-
7 gnati, non ideò deficiat obligatio hæreditatis, ut integra fiat solutio, sicut præter mox allegatos respondit *Rota dec.* 165. *n.* 6. *& 9. par.* 9. *recent.*

Atque ex hac facti speciali circumstantia, cessat objectum, quod ubi est facienda assignatio annui redditus sufficiat tradere fun-
8 dum: qui de tempore assignationis reddat fructus à testatore designatos, non attento futuro eventu, cum hæres non teneatur supplère diminutionem postea supervenientem, ex firmatis per *Rot. cor. Cerro dec.* 433. *à n.* 6. *ad* 10., *& in recent. dec.* 324. *n.* 8. *par.* 19. hujusmodi enim conclusio benè vera in suis casibus procedit, quando testator taxative,
9 non demonstrative destinavit fundum certum, à quò deberent exigi fructus: & in his terminis procedunt decisiones præfatæ, & doctores ibidem allegati, secus autem ubi, prout hic, fuit in genere, demanda-
10 tum, quod assignatentur tot fructus ex bonis hæreditariis, quia tali casu nedum remanent obligata omnia bona, itaut uno corpore deficiente, debeat ex aliis suppleri, ut distinguendo *admittitur etiam in ipsa dec.* 433. *num.* 5. *cor. Cerro, & probant Castrens. consf.* 47 *sub n.* 3. *vers. non in casu lib.* 2. *Cephal. cons.* 351. *num.* 15., *& seq. Rot. dec.* 165. *n.* 5. *&* 6. *par.* 4. *tom.* 2. *recent. dec.* 165. *n.* 6. *par.* 9. *dec.* 63. *num.* 21. *par.* 1 1. *& dec.* 117. *n.* 9. *par.* 17. verum etiam exinde clarum fit, quod cum quantitas principaliter stet io obligatione, fructus autem bonorum in so-
11 lutione dumtaxat per assignationem alicujus corporis, non liberatur hæres ab annua præstatione quantitatis in redditibus bonorum generaliter à testatore demandata: *Gratian. cap.* 256. *n.* 59. *Rot. dec.* 456. *n.* 36. *& seqq. cor. Merlino.*

Quæ omnia confirmantur, tum ex generali regula, quod ubi agitur de Legatis piis,
12 ac in suffragium animæ testatoris semper in dubio respondendum est pro integra solutione, *Tondut. resol. benefic. cap.* 90. *n.* 2. *Gratian. d. discept.* 256. *n.* 9. *Rota cor. Merlino dec.* 456. *n.* 39. *Seraphin. dec.* 317. *n.* 4. *in recent. dec.* 63. *n.* 21 *par.* 11. tum quia etiam ex verbis testamenti non obscurè colligitur, talem fuisse voluntatem ipsius, dum post factam assignationem redditum, & pluries repetitam qualitatem perpetuitatis in quo-
13 libet opere pio, rationem exprimendo hujus suæ dispositionis, subdit - *ad hoc ut ejus voluntas, & intentio in supradictis omnibus & singulis plenè observetur, & adimpleatur*; quamobrem sicut pro implemento
14 operum piorum testator principaliter habuit in animo erogationem quantitatis, ità si defectis, vel diminutis annuis redditibus hæres non teneretur ad supplendum; certè dici non posset plenè satisfactum ipsius menti, & voluntati, *ut ad rem ponderat Merlin. Pignatell. controv. cap.* 82. *n.* 23. *& seq. centur.* 2.

Et hæc facilius procedunt respectu legati pro stipendio Procuratoris; qui defenderet causas viduarum, & pupillorum; nam ibi
15 testator nullo facto verbo assignationis legavit, *annuum redditum scut.* 100. *in perpetuo, & infinito, cum onere, quod ipsa societas teneatur continuo, & perpetuo tenere Procuratorem*: ex quibus sicut certum est; quod Procurator est continuo, & perpetuo manutenendus per Archiconfraternitatem, ita & è converso tenetur hæreditas continuò, & perpetuò conservate annua scut. 100., ut cum eis possint quolibet anno ejusdem emolumenta persolvi.

Et res quoad omnia transit in evidentiam ex observantia subsequuta, cum à die obitus testatoris semper fuerit soluta quantitas relicta, absque ulla diminutione; quamvis hæreditas ipsa propter temporum vicissitudines passa fuerit plura decrementa: quæ observantia, utpote antiqua, & fundationi proxima summopere est attendenda pro interpretatione, & declaratione voluntatis
16 defuncti: præsertim favore operis pii; *Bald. cons.* 245. *nu.* 2. *in fine vol.* 3. *Dec. cons.* 366. *num.* 1. *&* 4. *Card. de Luca de legat. disc.* 14. *sub n.* 12. *Guzman. de evict. q.* 30. *num.* 41. *Rota dec.* 537. *n.* 11. *par.* 19. *rec.*

Et ità utraque &c.

ROMANA SALVIANI.

Lunæ 8 *Junii* 1705.

ARGUMENTUM.

Hæc Decisio est confirmatoria superiorum Decis. 13. & 300.

SUMMARIUM.

1 *Identitas probatur ex confrontatione confinium.* 2 *Actio-*

2 *Actori digito non probanti identitatem, denegatur immissio.*

3 *Ex venditione totius Insulæ domorum, in quarum aliquibus census fuerant impositi, pernecesse dicendum est, in emptorem probari devenisse bona censibus obnoxia.*

4 *Confusio prætensa ab hæredibus emptoris facta cum rebus, quas venditor prius habebat, cum aliis, quas postea acquisivit, tollitur, si ex distinctione temporum appareat prius factam venditionem, & postea alia bona acquisita.*

5 *Venditio cum omnibus juribus, & pertinentiis, nihilo penitus excluso facta censetur.*

6 *Remedium associationis non datur, nisi ad fundum censitum.*

7 *Nec Judex præsumitur concessisse, nisi rite, & recte, probatisque extremis.*

8 *Et ex hoc probatur identitas fundi censiti.*

9 *Confinium diversa denominatio non excludit identitatem: si eadem in substantia in una, & altera denominatione esse deprehendantur.*

10 *In venditione dicitur comprehensum quid quid interjacet intra fines designatos.*

11 *Enunciativa catastri ad privati loci pii commodum resenti nullam facit probationem contra tertium.*

12 *Enunciativa domus sub nomine viri non probat eam non esse Uxoris, & cur?*

13 *Enunciativa æquivoca, & inhærens insubsistenti supposito non meretur attendi.*

14 *Insculptio stemmatum in januis, & fenestris probat domum ad illum; cujus sunt stemmata, pertinuisse.*

15 *Confessio facta à venditore non potest impugnari ab eo, qui fidejussor accessit, & confessionem approbavit.*

16 *Nec ab ejus hæredibus.*

17 *Pactum redimendi minuit tertiam partem valoris pretii.*

18 *Negativa non existentiæ bonorum probatur ex uniformitate valoris, & quomodo?*

19 *Et ex descriptione in inventario.*

20 *Non entis nullæ sunt qualitates.*

21 *Liberatio debetur emptori vexato pro fructibus censuum super bonis fidejussoris venditoris.*

22 *Debitoris hæredes tenentur à molestiis liberare fidejussoris hæredes.*

23 *Hæres cum beneficio legis, & inventarii, qui rationem reddidit ad nihil tenetur de proprio.*

24 *Redditio rationis sufficiens dignoscitur ex enumeratione corporum in inventario comprehensorum.*

26 *Praxis Capitolina ob conficienda inventaria quæ sit?*

27 *Inventarium rite, & recte factum ab uno ex fratribus cohæredibus suffragatur aliis; etiamsi nulliter vel nullatenus confecissent.*

28 *Fidejussor pro validitate contractus, & evictione rei venditæ ad nihil tenetur, si molestiæ contra emptorem ad fructus restringantur.*

29 *Secus si promiserit rem venditam esse immunem ab omni censu, & liberare ab omni molestia, & omnibus à venditore promissis uti principalis accessit.*

30 *Et tunc non formalis requiritur evictio; sed satis sunt molestiæ, ut teneatur ad liberationem ab oneribus censuum, & ad restitutionem præstationum solutarum creditoribus venditioni anterioribus.*

DECISIO CCCLXVIII.

CONcessa nova audientia adversus decisiones editas cor. me sub diebus 14. Junii 1697., & 15. Februarii 1704., quibus Antonio Pierleono mediato hæredi Ersiliæ de Magistris, decreta fuerat immissio ad Palatium hæreditarium Francisci de Scapuccis auctoris Ven Archiconfraternitatis Confalonis reæ conventæ, pro relevatione damnorum, ad quæ mediante associatione obtenta à Parabiaccha, aliisque censuariis causam habentibus á bo. me. Cæsaris de Grassis, tam ipse, quam ejus antecessores succubuerunt, ac etiam pro traditione rei liberæ ab oneribus eorundem censuum super domibus existentibus in claustro Hebræorum venditis prædictæ Ersiliæ uxori, ad cujus favorem præfatus Scapuccius pro earundem omnimoda libertate, & evictione fidejussit, cum hodie causa iterum reproponi contigerit DD magis patefacta justitia præcedentium resolutionum etiam ex novis documentis ab Antonio productis circa probationem identitatis domorum censitarum facilius *stantdum esse in decisis, responderunt.*

Etenim cum tota machina præsentis causæ super duplici cardine revolvatur, altero scilicet identitatis, an nempe satis verificatum sit, quod domus censitæ sint illæmet, quæ à Julio fuerunt venditæ Ersiliæ uxori, & quæ ab actore possidentur, altero vero competentiæ actionis intentatæ pro consequenda petita liberatione ab oneribus censuum, & relevatione respective, idcirco methodice procedendo, respectu identitatis, non dubitarunt DD., quin ea fuerit undique ab Antonio justificata, nam cum in instrumentis censuum bona censita, quæ possidebantur a Julio describantur prope bona Domitii de Cavaleriis, plateolam, & vias publicas, & in instrumento associationis passæ anno 1656. per Octavium filium Ersiliæ, & auctorem mediatum Antonii in supradictis domibus ad instantiam Victoriæ Parabiacchæ cessionariæ partis præfatorum censuum, eadem met confinia ad unguem describantur, ex hujusmodi confrontatione
1 controverti non potest, quin eadem sint bona censita, ac illa ab Antonio mediato hærede dicti Octavii possessa, super quibus ad præsens molestias patitur, *Bart. in l. demonstratio nu. 14. ff. de condit., & demonstr Gregor. dec. 575. nu. 5., & seqq., & cor. Emerix Jun. dec. 446. nu 3.*

Non obstat, quod licet concordent confinia instrumenti census cum illis in associatio-

tione descriptis, non perinde sequatur, quod
domus censitæ sint illæsæ, quæ fuerunt à
Julio venditæ Ersiliæ, pro quarum liberta-
te fidejusserat Scapuccius, quævæ transive-
runt in Antonium modernum possessorem,
& subjacent hodie supradictis molestiis, ma-
xime quia domus venditæ describuntur cum
diversis confinibus, videlicet prope bona
Septimii de Magistris, quæ non leguntur
in præfato instrumento census, & associatio-
nis, & rursus prope bona Dominii de Cava-
leriis, quæ nescitur, an & in qua parte
adhærerent bonis nunc ab actore possessis,
itaut cum dignosci non possit, an census ca-
dant super domibus Ersiliæ, & an super illis
evenerint molestiæ, vel potius super aliis
prorsus diversis, hoc solum sufficiat, ut acto-
2 ri habenti onus digito demonstrandi identi-
tatem bonorum deneganda veniat immissio,
ad tradita per Bald. cons. 77. nu. 6. lib. 2., & Rota in dec. 297. nu. 22. par. 19. tom. 1. & dec. 464. nu. 18. par. 19. tom. 2. recent.

Objectum enim pluribus responsionibus
removetur, & primo, quia præscindendo
etiam ab inspectione confinium constitit in
facto, & inter partes admittitur, quod to-
ta insula domorum existen. in claustro Hæ-
bræorum provenit ab hæreditate Antoniæ
Bondæ, quam adiverunt Julius, & Septi-
mius fratres de Magistris, quorum primus
super majori parte ejusdem Insulæ ad ipsum
spectan., census de quibus agitur, imposuit,
unde si postea indefinite loquendo vendidit
Ersiliæ totam, & integram portionem do-
morum, ad ipsum spectan. in claustro Hæ-
breorum ex hæreditate Antoniæ Bondæ,
pernecesse dicendum venit, eadem bona
3 censibus obnoxia per dictum contractum
emptionis, & venditionis, transivisse in Er-
siliam, & successive in Octavium illius hæ-
redem, & auctorem Antonii: Absque eo
quod allegari valeat confusio istarum domo-
rum, cum aliis, quas ibidem possederat Ju-
lius tanquam successor Septimii fratris, qui
pariter fuerat cohæres dictæ Antoniæ Bon-
dæ, & habuerat minorem portionem ea-
rumdem domorum, quoniam objectum me-
retur aliquam animadversionem, si Julius
ante venditionem factam Ersiliæ, hanc etiam
partem domorum acquisivisset, at cum pri-
mo loco vendiderit suam portionem Ersiliæ
& deinde per obitum fratris post annum se-
quutum acquisivit aliam portionem domo-
rum, quæ pariter fuerunt venditæ Brigitiæ
de Magistris Ersiliæ sorori, & auctrici illo-
rum de Bonioannis, partim vero fuerunt
deliberatæ ad instantiam creditorum ipsius
4 Septimii, utique cessat quæcumque confu-
sio, dum aperte convincitur, quod de tem-
pore factæ venditionis Ersiliæ non posside-
bat Julius, nec docetur, alia bona ibi pos-
sedisse præter domos, quas censibus grava-
verat, & per consequens non potest verifi-
cari venditio in aliis, quam in illis, ut etiam
probat *ultima decisio, quæ revidetur §. Nec obstat, & §. Tamen.*

Non attenta replicatione, quod Julius
nullatenus vendiderit integram suam por-
tionem ex materna hæreditate sibi perven-
tam, cum ex lectura instrumenti resultet,
Julium expendisse sc. 1600. pro melioranda
portione sibi ex hæreditate Antoniæ per-
venta, & domos pro sc. 1000: tantum ven-
didit Ersiliæ. Satisfecit enim responsio,
quod hujusmodi melioramenta Julius profes-
sus fuit fecisse in eisdem domibus, quas ven-
debat (sunt verba Instrumenti) ibi -- Ejus
domos supra positas, & confinatas, & ad ip-
sum spectan. ex testamento Antoniæ de
Bondis de Magistris ejus Matris, in quibus
idem Julius asseruit fecisse melioramenta ad
sc. 1600. ascenden. una cum omnibus, & sin-
gulis membris &c. vendidit &c., & ideo
quoties idem Julius fassus fuit domos melio-
ratas, cum dictis pecuniis, reservato sibi
jure redimendi vendidisse uxori cum omni-
bus suis juribus, & pertinentiis universis,
5 absque ulla præservativa, sequitur ipsum
omnia, nihilo penitus excluso, vendidisse,
Bertazzol. de clausul. Instrum. claus. 26. gloss. 2 nu. 3. ad finem, & Rota in Bononien. Prædi 1. Junii 1699. §. Circa sextam cor. R. P. D. meo Ansaldo.

Secundo evitatur confusio, quia credito-
res censuum obtinuerunt modo ab A.C. Al-
drovando mandatum de associando pro fru-
ctibus decursis ad domos, quæ in claustro
Hæbreorum hæreditario titulo ab Antonio
possidentur, cumque intentatum remedium
6 associationis non concedatur, nisi ad fun-
7 dum censitum, nec præsumatur Judicem il-
lud concedere voluisse nisi rite, & recte
probatis omnibus extremis in judicio neces-
8 sariis, hoc sane convincit identitatem bono-
rum, de quibus agitur, & actori sufficeret
ad effectum se eximendi ab ulteriori ejus-
dem probatione, *ex deductis in prima decisione hujus causæ 14. Junii 1697. §. Nec illam, & in altera 15. Februarii 1704. §. Tum quia.*

Tertio quià adhuc examinando singulos
confines recensitos in Instrumentis tam cen-
suum, quam associationis anni 1656., isti
sunt iidem cum illis expressis in instrumento
venditionis initæ favore Ersiliæ, & sola dis-
crepantia consistit in eo, quod in ipsa ven-
ditione vocantur pro confine bona Septimii
de Magistris, quando in aliis nulla eorum
mentio facta fuit, sed istius respectu fuit ani-
madversum, quod dum in aliis Instrumentis
dantur pro confinibus plateæ, quarum è con-
verso nulla fit mentio in instrumento vendi-
tionis, eo ipso, quod bona Septimii posita
sunt in platea Piscariæ, hoc ipsum demon-
strat, quod contrahentes loco assignandi pro
confine plateam Piscariæ, voluerunt quasi
per idem se explicare, adnotando bona Se-
ptimii in eadem platea Piscariæ existentia,
& promiscue eisdem uti quamvis diversis vo-
cabulis, habendo hujusmodi denominatio-
nes pro synonimis, quod clarius eruitur ex
donatione portionis istarum domorum per
Ersi-

Ersiliam successive factam favore Agabiti filii, in qua etsi debuisset eas exprimere cum eisdem confinibus enunciatis in instrumento emptionis, quæ sunt bona Domitii de Cavaleriis, existentia in platea fluminis, & bona Septimii de Magistris in platea piscariæ, variando, & aliis verbis idem significando, descripsit ex una parte plateam versus tyberim è conspectu fratrum *fate ben fratelli*, omissa mentione bonorum Domitii. & ex altera plateam Piscariæ, quod ad evidentiam ostendit semper, licet diversis expressioni-
9 bus, fuisse de eisdem confinibus intellectum, quodque nulla vis facienda est in hac variatione, quando in substantia sub alia verborum structura idem explicatum remansit.

Parum quoque refert, quod bona Domitii de Cavaleriis, quæ tanquam confinantia exprimuntur in omnibus contractibus, & in venditione facta Ersiliæ, hodie non reperiantur, & per hujus confinis deficientiam non levis confusio cadat super controversa domorum identitate; illa enim sublata remanet in præsenti ex juribus de novo repertis; nam cum bona ad Domitium spectantia existerent in platea fluminis; & ab uno latere cohærerent domibus, de quibus agitur: & è converso Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis, quæ fuit hæres Camilli Pignanelli nepotis ex filia d. Domitii, ex dicto jure hæreditario ibidem, & in eadem platea possideat domum ab uno latere cohærentem illis ab Antonio possessis, exinde remanet ad evidentiam verificatus iste confinis: nec dubitari amplius valet: quin domus possessa ab Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis sit illamet; quæ ad Domitium spectabat: quodque molestiæ fuerint illatæ super domibus per Julium venditis Ersiliæ; quia cum istæ reperiantur sitæ inter eosdem confines: quibus comprehenduntur domus censitæ dici-
10 tur in venditione comprehensum quidquid est intra fines designatos: *Spada conf.* 224. *n.*1. & 2. *Gratian. discept.*656. *n.*6. *Rota dec.*238. *n.*22. *par.*8. *dec.*520. *n.*4. *par.*4. & *dec.*1. *n.*8. *par.*17. *rec.*

Minusque subsistit; quod insula domorum, cujus major pars pervenit ad Julium; non spectaret integrè ad hæreditatem Antoniæ Bondæ matris: sed in ea nonnullas domos possideret etiam Marius de Magistris illius vir; sive quia in Catastro Ven. Archiospitalis Consolationis occasione, qua describitur domus dicti loci pii existens supra arcum transitorium nuncupat. del Macello, & ab uno latere cohærens Insulæ prædictæ; dicitur illam confinare cum bonis Marii de Magistris; non autem cum bonis Antoniæ; prout fieri debuisset; si tota insula ad ipsam spectasset: undè cum favore Ersiliæ fuerint venditæ tantum domus, quæ pervenerunt ad Julium ex testamento Matris; exindè infertur; quod pars insulæ, quæ possidebatur à Mario, utpotè sub venditione non compræhensa; cum remanserit in hæreditate Julii: & transiverit primo in Octavium, & deinde in Antonium illius hæredem mediatum, super ista, non autem super venditis Ersiliæ inferantur molestiæ à creditoribus censuariis pro quarum liberatione per consequens nulla debeatur actio: sive quia in donatione facta anno 1621. ab Ersilia favore Marii jun. alterius filii enunciantur pro confine bona ejusdem Marii.

Etenim quod Catastrum Archiospitalis Consolationis omisso quod enunciativa emissa in illo, quod retinetur ad privatum
11 commodum præfati loci pii dumtaxat; nullum gradum probationis constituit contra testium; maximè quia ministri ejusdem Archiospitalis parum informati moveri potuerunt ad describendum nomen Marii cum supposito, quod ipse esset verus dominus dictæ insulæ; eo quia viderint per eum fie-
12 ri diversos actus possessorios exigendo pensiones, & locando domos: quæ tamen omnia, quia geri potuerunt jure familiaritatis pro Antonia uxore; nihil concludunt: itaut proinde talis enunciativa tanquam æquivo-
13 ca, & inhærens insubsistenti supposito, non mereatur attendi; *Menoch. conf.* 145. *n.*2. *Gratian. discept.*88. *n.*17. *Rota dec* 208. *num.*17 *par.*17., & *dec.*544. *num.*17. & *seq. par.*18. *Argel. de legit. contrad. quæst.*2. *n* 3. *Rota dec.*170 *n.*4. *vers. tum quia par.*3. & *cor. Dunoz. jun. dec* 770. *n.*12.

Constat aliundè supradictum Marium de Magistris nullam partem domorum in ea possidisse; tum quia in omnibus januis, &
14 fenestris insculpta cernuntur stegmata familiæ de Bondis; tum quia ipse Julius in contractu venditionis dd. domorum asseruit cum verbis importantibus integralitatem, vendidisse Ersiliæ domos ad ipsum spectan. intra dicta confinia Domitii de Cavaleriis, & Septimii de Magistris; quas declaravit sibi obventas ex hæreditate Antoniæ: quod sicuti controverti non posset à Scapuccio;
15 qui intercessit tanquam fidejussor: & talem confessionem approbavit; ita in præsenti impugnari non valet ab Archiconfraterni-
16 tate illius hærede, *l. exceptione* 11. *ubi glossa verbo consensum C. de evict. Surd. conf.* 15. *n.*21. *lib.*1. *Rota dec.*797. *n.*1. *par.*1. *divers. cor. Gregor. dec.*227. *num.*11. 12. *cor. Arguel dec.*71. *nu.*1. & *in rec. dec.*262. *n.*4. *par.*1., tum, & tertio, quia, id satis colligitur ex uniformitate valoris earundem domorum de tempore venditionis cum statu præsenti, nam si fuerunt capaces, quod super eis imponerentur census in summa sc. 1450., earumque fuit facta alienatio favore Ersiliæ pro sc. 1000., calculato etiam pretio pacti redi-
17 mendi minuentis tertiam partem valoris, prætium ascendit ad sc. 1500., dum postea Octavius ipsamet bona eisdem confinibus circumscripta pro eodem pretio sc. 1500. alienavit, & à Preto illius filio, & immediato auctore Antonii, fuerunt redempta,
18 clarum undique fit, Octavium nunquam habuisse aliam portionem bonorum in Ghetto, nisi illam à Julio venditam Ersiliæ, super

per quā dd. census fuerunt impositi, & dum Marius jun., & Octavius filii, & hæredes
19 Julii descripserunt in inventario bonorum Patris istas tantum domos cum specifica declaratione, quod erant dotales Ersiliæ, hinc deducitur, etiam probatio negativa non existentiæ aliorum bonorum, præter domus descriptas, quodque ideò molestiæ ab Octavio passæ, alibi illatæ non fuerint, quam
20 super rebus Ersiliæ, eum nihil aliud superesset de bonis Julii, & sic non erant nulli poterant esse qualitates, *l. ejus, qui in Provincia ff. si certum petat. l. 4. §. Condemnatus ff. de re judicata Rota cor. Gregor. dec. 287. nu. 1. & in rec. dec. 66. nu. 14. par. 19.*

Quo vero ad assertam donationem anni 1621., placuit responsio, quod dicta bona Marii Junioris sunt eadem, ac illa hæreditaria Septimii, quæ Julius distraxerat favore Brigittæ de Megistris, & quæ idem Marius pro ejus credito contra Octaviam de Maximis d. Brigittæ filiam, deliberari fecerat anno 1617. favore Menichelli, à quo postea per contractum, emptionis in eumdem Marium transiverunt, ut *in Summ. responsionis Antonii nu. 4.*, & subinde recuperata fuerunt à Bonioannis d. Octaviæ filiis mediante beneficio reintegrationis.

Vindicata ab objectis identitate domorum, de quibus agitur, intrat de plano fa-
21 vore Antonii actio pro consequenda liberatione ab oneribus censuum, pro quorum fructibus hodie vexatur, non obstantibus exceptionibus alias allegatis, & nonnullis noviter deductis, quatenus enim replicaba-
22 tur, quod auctores Antonii uti hæredes Julii debitoris censuum, relevare teneantur à mole stils ipsam Archiconfraternitatem hæredem Scapucci fidejussoris, *juxta Text. in l. vendicantem ff. de evict.*, dictum fuit, quod hæreditatem adiverunt cum beneficio legis,
23 & inventarii, ejusque rationem reddiderunt, in quibus terminis ad nihilum tenentur de proprio, *per Tex. in l. fin. § In Comput. C. de jure deliberan. Rota dec. 326. nu. 1. par. 2. dec. 34. num. 1. par. 14., & firmant auctoritates laudat. in 1. decis. hujus causæ §. Mobilia demum.*

Sufficiens autem redditio rationis quemadmodum in *prima decisione §. Ejusdem cum seqq.* clara visa fuit, ita in præsepti ple-
24 ne resultare visa est ex denumeratione corporum in inventario descriptorum, quia domus apud S. Salvatorem in Lauro erat subjecta anterioribus fideicommissis, inca Montium proveniebant ex pretio domus de directo dominio PP. S. Augustini, quibus restituta fuerunt, mobilia vero in eadem quantitate, qua leguntur descripta, tradita fuerunt Ersiliæ pro vestibus legubribus, viduili, ac fructibus dotis, & tandem domus in Ghetto, quæ tantum supererant, tanquam dotales Ersiliæ fuerunt ab eadem in restitutionem suæ dotis retentæ, idcircò, cum nihil ultra remaneat, de quo sit reddenda ratio, actoris illæsa sunt jura pro consequenda petita liberatione, ex allegatis.

Nec in contrarium subsistit, quod inventarium prædictum fuerit tumultuarie confectum conculcatis terminis, & sine testibus, quoniam oppositum ex facto resultat, quia Marius unus ex tribus filiis defuncti illud legitime confecit, & præcedentibus solitis bannimentis, citatisque creditoribus ad interessendum, omnia bona descripsit cum subscripsione quinque notariorum, ac in-
26 terpositione decreti Judicis, juxta praxim fori Capitolini, de qua *Ridolph. in praxi par. 1. Cap. 9. n. 141. Rota cor. durano dec. 287. nu. 1. & in Romana Pecuniaria, seu locorum Montium 4. Maii 1699. §. Legitimum cor. Illustris. D. dell' Olmo*, & in durioribus terminis fuit dictum *in Romana redditionis 27. Novembris 1684. & 16. Januarii 1689. cor. cla. me. Card. Caccia.* Ideoque quidquid sit de legalitate inventarii confecti ab Octavio, & Agabito aliis filiis, hoc unum certum est, quod dum ex illo Marii constat quid, & quantum testator reli-
27 querit in hæreditate, & excluditur præsumptio occultationis bonorum, suffragatur etiam aliis fratribus, & cohæredibus, etiam si inventarium nullatenus confecissent, *ut probant Paschal de patr. potest. par. 1. Cap. 2. nu. 74. de Rosis observ. par. 1. Cap. 27. n. 34. Fontanella de pact. nupt. claus. 4. glos. 5. n. 44. §. In hoc Calvin. de equit. lib. 3. Cap. 254. nu. 11. & seqq. Carolus Antonius de Luca ad Gratian. discept 767. nu. 3.*

Nec quidquam afficit, quod Scapuccius fidejusserit pro validitate contractus, & evi-
28 ctione domorum, unde cum validitas non impugnetur, evictio verificabilis solum per avocationem dominii sequuta diei non possit ex simplici associatione ad fructus, ad quam restringuntur molestiæ, nam Scapuc-
29 cius non solum se obligavit pro evictione, & defensione, sed quoque promisit domos venditas esse liberas, & immunes à quocumque censu, easque liberare etiam ab omni molestia, & omnibus à Julio venditore promissis, uti Principalis, accessit, ut latius resultat ex lectura ejusdem instrumenti venditionis, quapropter non tantum tenetur actorem à molestiis liberare, verum etiam rem venditam ab oneribus censuum immunem reddere, cum autem actio intentata concernat liberationem, tam à censibus, quam à damnis passis mediante associatione per
30 creditores obtenta, non requiritur formalis evictio, sed satis est, quod fuerint molestati, tam auctores quam ipse Antonius ad solvendum fructus censuum ob retentionem, & possessionem domorum, ut cogi possit Archiconfraternitas hæres Scapucci ad liberationem ab oneribus censuum, & ad restituendum prestationes solutas creditoribus venditioni anterioribus, *Urceol. Consult. 53. num. 8., & in Romana donationis 25. Junii 1694. §. Denique coram bon. me. Pio, & late probat prima decisio hujus causæ §. Posita ex his.*

Et ita, suffragantibus omnibus DD., utraque, resolutum fuit.

BONONIEN. FIDEICOMMISSI.

Mercurii 10. Junii 1705.

ARGUMENTUM.

Evictio bonorum fideicommissariorum sequuta post sententiam immissionis ad eadem favore vocatorum, eis non nocet; si hoc evenit ex possessoris culpa, qui Canones non solvit, ideoque caducitatem incurrit: cum ille ad damnorum emendationem teneatur.

SUMMARIUM.

1 *Sententiæ conformes dicuntur, cum secunda primam confirmat.*

2 *Duæ sententiæ ex constitutione Greg. XV. Bononiæ habent vim trium.*

3 *Immissio bene conceditur vocato super rata residui predii fideicommisso suppositi.*

4 *Immissio ad prædium fideicommissarium retardari non potest sub prætextu evictionis partis ejusdem à domino directo ex causa non solutionis Canonum: si id evenit culpa possessoris, ignorante fideicommissario talem litem: quia tunc ad damni emendationem possessor tenetur.*

5 *Factum gravati fideicommissario ex propria persona agenti non nocet.*

DECISIO CCCLXIX.

Vigore fideicommissi per qu. Lactantium de Felicinis ordinati, & successivè purificati favore Hiacinthi Hieronymi de Felicinis, egit iste ex *remed. leg. fin.* coram Vic. Gen. Bononiæ, ac immissionem obtinuit ad Prædium in Communi Anzolæ per Joannem Carolum, aliosque de Jacominis possessum: verum dela a appellatione ad hoc Sac. Tribunal, & superventa re judicata contigit disputari coram R. P. D. meo de la Tremoille, an constaret de re judicata, seu de causis restitutionis in integrum, & per binas decisiones responsum fuit, constare de causis quoad ratam dicti Prædii alienati in quantitate lib. 14. mil. prò restitutione certæ dotis, & in reliquis prò rata lib. 6500. immissio concessa fuit, ad quarum decisionum normam per R. P. D. meum Priolum in locum dicti Collegæ absentis suffectum, prolata fuit sententia revocatoria in primo capite quoad lib. 14. mil. confirmatoria verò quoad 6500. alterius latæ à Vicario prædicto; ab hac autem cum Jacomini appellationem in parte contraria interposuissent, commissionem signari obtinuerunt cum clausula - *conflito de duabus*, eoque mihi directa examinandum dedi dubium - *An constet de duabus, & respectivè an sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda* - & placuit DD. - *affirmativè quoad primam partem* respondere - *dilata* resolutione quoad secundam partem respicientem confirmationem sententiæ Rotalis.

Et sanè dubitatum non fuit, quin constet de duabus sententiis concedentibus immissionem ad Prædium controversum pro rata
1 lib. 6500. quià sententia R. P. D. mei Prioli aliam primo loco latam à Vicario confirmat. Cumque utraque valida, & justa detegatur, ideò locum sibi vindicat notissima Constitu-
2 tio sanct. mem. Gregorii XV. per quam duæ sententiæ conformes habent vim trium & veniunt executioni demandandæ, ut alias respondit *Rota in Bononien. ususfructus 4. Decembris 1686. coram Reverendiss. Turonen. & in Bononien Immissionis 26. Martii 1694. §. 1. coram R. P. D. meo Muto.*

De validitate nulla fuit hæsitatio, & justitia satis luculenter deducitur ex geminis decisionibus editis coram R. P. D. meo Tremoille, in quibus probatur, Prædium Anzolæ esse subjectum fideicommisso favore actoris purificato: illudque usque ab anno 1631. venditum fuisse pretio lib. 205000. ex quibus cum Jacomini possessores habuerint retentionem prò libr. 14 mil. causa restitutionis dotis Blanchæ de Grassis, inde sequitur, quòd pro residuo libr 6500. complente integrum pretium dicti Prædii, bene con-
3 cessa fuit immissio Hieronymo de Felicinis, uti vocato ad fideicommissum super dicto Prædio impositum, *Peregr. de fideicomm. art. 48. n. 55. & seqq. Rota cor. Celso decis. 181. n. 6. & cor. Cerro decis. 614. n. 1. & cor. Emerix decis. 1181. n. 1.*

Minimè refragante unica exceptione, quod pendente lite super immissione, Jacomini passi fuerint evictionem trium tornaturarum, quæ erant emphyteuticæ favore Hospitalis Expositorum Bononiæ; undè prætendebatur inferri, quod sententia Rotalis inexequibilis remaneat, donec non firmetur valor ejusdem Prædii post evictionem secutam, ad hoc, ut dignosci valeat, an superfint lib. 14 mil. prò quibus ipsi retentionem obtinuerunt. Quoniam ultra, quod asserta evictio supervenerit longè post introductam litem, ac reportatam sententiam immissionis per Hieronymum.

Cessare visa fuit quælibet difficultas, ex quo Tornaturæ prædictæ concessæ fuerunt ab Hospitali Expositorum in emphyteusim, seù locationem perpetuam Lactantio fidei-
4 committenti, & si Jacomini emptores earumdem non solverunt Canones, aut renovationem non petierunt, vel ob alium ipsorum defectum re emphyteutica spoliati fuerunt, ipsi procùl dubiò tenentur ad emendationem damni passi ex facto, & culpa propria, non autem possunt refundere onus, & damnum in Hieronymum hæredem fideicommissarium penitùs ignarum litis motæ ab Hospitali ob caducitatem incursam, ad *Tex. in leg. quod si nolit §. si mancipium ff. de edil. edict. Rota decis. 300. num. 7., & 8. par. 15. recen.*

Eoque fortiùs, quia iste causam non habet ab hæ-

ab hæredibus gravatis, qui dd. tornaturas Jacominis vendiderunt, ac propterea neque obligari debent ad evictionem earumdem, cum facta hæredum gravatorum non noceant fideicommissario agenti ex propria persona, *Peregr.de fideicom.art.52.num.81. & seq. Rota cor. Cels. dec.131. n.5.*

Et ità Hyacintho dumtaxàt informante &c.

ROMANA, SEU' CÆSENATEN. FIDEICOMMISSI, SUPER FRUCTIBUS.

Mercurii 10. Junii 1705.

ARGUMENTUM.

Transversalis, qui ad dotandum non tenetur; si pro dotandis filiabus vocatorum ad fideicommissum à se ordinatum, multiplicum constituat: illud taxativè, non demonstrativè stat: præsertìm si cum priùs majorem decrevisset pro eo cõstituendo quantitatem, eam postea imminuit. Quæ fortiùs procedunt, quando jura dd. dotium afferuntur pro compensando alio diverso credito liquido: & quando intret compensatio? In restitutione fructuum locorum montium quænam sint expensæ bonificandæ?

In hac causa sunt superiores decis. 321. & 363.

SUMMARIUM.

1 *Possessor bonorum fideicommissi tenetur à die motæ litis fructus vocato, qui immissionem obtinuit restituere.*

2 *Transversalis fideicommittens gravatorum filias dotare non tenetur.*

3 *Actio pro dote, quando transversalis pro illis multiplicum constituit, & cætera bona libera à tali onere voluit; super solo multiplico à filiis gravatorum intentari potest.*

4 *Bona subjecta fideicommisso liberè ad fideicommissarium spectant à die motæ litis.*

5 *Testator cum pro constituendis dotibus fæminarum destinavit fructus certorum locorum montium, isti taxutivè, non demonstrativè dicuntur adjecti.*

6 *Maximè cum loca montium in majori quantitate per priùs assignata ad minorem Testator restrinxit.*

7 *Voluntas Testatoris cum certa habetur, non est recurrendum ad aliam verisimilem, & ex conjecturis elicitam.*

8 *Quod Testator non expressit in uno casu, cum fecit in aliis, noluisse dicendum est.*

9 *Dotem non deberi dubium esse sat est, cum non agitur an fæminis dos competat ex bonis fideicommissi, sed de evitanda compensatione rei certè debitæ.*

10 *Compensatio de liquido ad illiquidum non datur.*

11 *Et cum creditum, & debitum proveniunt ex diversa causa.*

12 *Et ex diverso titulo.*

13 *Possessori locorum montium fideicommissariorum ab eo, qui ad eadem immissionem obtinuit, bonificandum est augumentum pretii impensi, ut ex locis extractis alia reemerentur.*

14 *Et strenæ depositarii.*

15 *Secùs verò exactoris, cum quantitas locorum montium est pauca.*

DECISIO CCCLXX.

SIcut in præteritis hujus Causæ propositionibus tam super fideicommisso R.P.D. Maraldi, quam super mobilibus eidem fideicommisso subjectis, favorabilem coram me resolutionem Com. Silvia Maralda reportavit, ita, & in præsenti, in qua institit prò restitutione fructuum fideicommissariorum per March. Gallam perceptorum, obtinuit sub dubio -- *An, & ad quam summam, & à quo tempore sint liquidandi fructus, & prò illis exequendum mandatum*, quoniam, & istud pro liquidatione fructuum, & prò relaxatione mandati, juxta tamen modum exprimendum resolutum fuit.

Cum enim dicta Marchionissa à die motæ litis usque ad præsens fructus fideicommissi perceperit in summa sc.2338. ut inter partes non controvertitur, indè sequitur, quod à
1 dicto tempore ad illorum restitutionem, demptis tamen nonnullis partitis, de quibus infra, condemnanda veniat favore Actricis ad dictum fideicommissum vocatæ, *Rota coram Covaler.decis.409. num.2. & 3. & coram Merlin. decis.366. num.6. & 7. & in recen. decis.614. num.7. par.19.*

Non attenta exceptione retentionis illorum prætensæ prò reintegratione dotium trium filiarum Eq. Simonis Petri primi gravati; quæ tam ab illo, quam à Luca Angelo ejus filio solutæ fuerunt in quantitate scut. 4000. mon. Romandiolæ, prout in Testamento fuerat demandatum. Etenim ex ipsa lectura Testamenti qualibet difficultas
2 sublata remansit; quoniam ibi præfatus fideicommittens, licet uti transversalis non tenetur dotare filias gravatorum, *Rota cor. Emer. decis. 1230. n. 2. & in Balneoregien. fideicommiss. 22. Aprilis 1692. §. Insubsistens coram R.P.D. meo Caprara, & in Bononien. bonorum 22. Aprilis 1697. § Ex his coram bon.mem. Pio*, adhùc consulere desiderans indemnitati illarum, precisè disposuit; ut ex fructibus 25. locorum montium perpetuò investiendis conficeretur multiplicum, quod subjectum esse deberet vinculo dotandi prędictas fæminas; liberando postea à tali onere reliquos hæreditatis fructus in commodum vocatorum ad fideicommissum, ut se cum eorum Familia decentiùs, & commodiùs substentari possent; quapropter super d. multiplico, ac super fructibus eorumdem locorum montium dumtaxat de facto extantium
3 remanere poterit actio prò reintegratione dotium solutarum, non autem super fructibus aliorum locorum montium, & bonorum fideicommissariorum, quos Testator ad liberam hæredum dispositionem expræssè reservarentur...

ſervavit, iſti enim liberè ſpectant ad hære-
4 dem fideicommiſſarium à die motæ litis, ex
ſupra firmatis.

Advertendo ſignanter, quod eo ipſo, quod
Teſtator pro conſtituendis dotibus fæmina-
5 rum deſtinavit fructus certorum locorum
montium, iſti dicuntur taxativè, non au-
tem demonſtrativè adjecti, in quibus termi-
nis certum eſt; non poſſe deſumi ſupple-
mentum ex aliis bonis hæreditariis per *Tex.*
in leg. Lucius n. 3. ff. de alim. & cibar. legat.
Mart. de ſucceſſ. legal. par 4. quæſt. 18. ar-
tic. 11. num. 6. Rota coram Merlin. deciſ. 55.
num. 1. & in recent. deciſ. 530. n. 16. par. 19.

Fortiùs quia præcedenter ipſe Teſtator
deſtinaverat ad hunc effectum dotationis
medietatem fructuum omnium loc. mon. 5
ideò dum poſtea declaravit ſe velle corrige-
6 re hanc diſpoſitionem, & obligationem in-
veſtiendi, ac multiplicandi reduxit ad fru-
ctus 25. loc. mon. dumtaxat, indè clarior
emergit ejus voluntas reſtringendi ſuam diſ-
poſitionem ad iſtos, & cæteros à præfato
onere liberandi, *Velaſc. de jur. emphyt.*
quæſt. 27. n. 7. in fin. Surd. de aliment. tit. 6.
quæſt. 31. num. 9 & *14 Rota cor. Merlin. de-*
ciſ. 55. n. 2. verſ premiſſis cum ſeq.

Quin deduci valeat præſumpta voluntas
in contrarium, ex quo diſpoſitio non reſpi-
cit ſolùm dotes conſtituendas fæminis de-
ſcendentibus, quæ in futurum extare poſ-
ſent, ſed ultra illas prodiit favore etiam
trium fæminarum, iam ſuſceptarum à Petro
Simone, & quæ cum nubiles eſsent de tem-
pore obitus Teſtatoris, nimir longum tem-
pus expectare debuiſsent, ſi dotes in ſumma
præſcripta ex multiplico 25. locorum mon-
tium conſtituendæ fuiſsent. Quoniam cum
nullam Teſtator fecerit diſtinctionem inter
fœminas natas, & alias, quæ in futurum oriri
poſsent, & è contra certam habeamus illius
voluntatem reſervandi reliquos hæreditatis
7 fructus ad beneficium, & commodum voca-
torum, utique non venit ad aliam veriſimi-
lem, ac ex conjecturis elicitam voluntatem
recurrendum, *Rota coram Dunoz. Jun. de-*
ciſ. 453. n. 41. & in Romana Legati 1. Julii
1695. §. Hinc parum coram R. P. D. mco
Caprara.

Tanto magis quia, ut præmiſimus reſtrin-
gere, & modificare voluit ipſum legatum
factum prò dotibus, hinc enim ſequitur,
quod licèt illæ præ oculis haberet dictas fæ-
minas jam natas, & exiſtentes, adhùc po-
tiùs ſuppoſuit, quod dotarentur à Simone
Petro eorum patre ex propriis bonis, vel ex
fructibus pinguis patrimonii eidem relicti,
non autem excogitavit obligare fideicom-
miſsum ad id faciendum, & ampliare lega-
tum jam reſtrictum, cum ſi talis ejus volun-
8 tas fuiſset, utique expræſſiſset; prout in cæ-
teris fecit, *Rota coram Dunoz. jun. dec. 630.*
num. 5. & cor. Coccin. deciſ. 2121. n. 143. &
cor Cerr. deciſ. 36. n. 63. & in recen. dec. 222.
num. 8. par. 19.

Et hæc omnia eò faciliùs procedere viſa
fuerunt in præſenti, ex quo non agitur de
rigoroſa cognitione jurium, quæ fœminis
competant contra poſſeſſores fideicommiſſi
prò earum dotatione potiùs in iſtis, quam in
9 aliis fructibus, de qua particulariter, qua-
tenus opus ſit, poterit videri, ſed de evitan-
da compenſatione, quam Marchioniſsa alle-
gabat ad retardandam reſtitutionem fru-
ctuum certè, & indubitatè debitorum, cum
ad hunc effectum ſufficiat, rem eſſe aliquo
modo turbidam, *Rota in Romana Pecunia-*
ria 27. Janu. 1698. §. fin. coram Rm̃o De-
cano, & in Romana Pecuniaria 12. Martii
1700. §. Et hinc cor. Illuſtriſ. Magno Can-
11 *cellario Mediolani:* & quod creditum, & de-
bitum proveniat ex diverſa cauſa, *Grat. di-*
ſcept. 948. n. 2. Rota in Romana manuten-
tionis ſuper fructibus 1. Martii 1694. §. Du-
plex cor. bon. mem. Beninc., & ex diverſo ti-
12 tulo *Rot. deciſ. 352. n. 16. & ſeq. par. 19. rec.*
& in Rom. Pecun. 12. Martii 1700. §. Et hinc
cor. Illuſtriſ. Magno Cancell. Mediol.

Cæterùm nihil turbat recurſus ad aliam
prætenſionem bonificationis fructuum di-
ctorum locorum montium 25. à die motæ li-
tis decurſorum, cum ſuppoſito, quod conti-
neantur in dicta ſumma ſcut. 2338. 46. reſti-
tuenda, quià non ſolùm id non probatur, ſed
immò contrarium reſultat ex partitis Sacri
Montis Pietatis, ex quibus apparet fructus
locor. 25. uſque ad annum 1702. inibi depo-
ſitatos fuiſſe ſub expreſſo vinculo conſtituen-
di dotes fæminis Domus Maraldæ.

Quamvis autem ex prædictis ſatis abundè
conſtet teneri Marchioniſſam ad reſtitutio-
nem omnium fructuum perceptorum, nihi-
lominùs cenſuerunt DD. eſſe ſubducendam
duplicem partitam (quam neque Scribentes
prò Comitiſſa Actrice bonificare contende-
bant) alteram ſcilicèt ſcut. 128. prò augu-
13 mento pretii facto in quibuſdam locis mon-
tium extractis, & á Luca Angelo reemptis,
& alteram ſc. 10. 46. ab eadem perſolutam
14 prò ſtrenis dari ſolitis Depoſitariis locorum
montium, quibus tantùm detractis fuerunt
in ſumma reſiduali fructus liquidati, & prò
illorum reſtitutione conceſſa fuit exequutio
mandati Rejecta altera partita pro impen-
15 ſa Exactoris, cum non doceatur pro hac
modica quantitate fructuum opus fuiſſe, uti
diſtincto, & particulari Exactore.

Et ità juxta hunc modum utraque &c.

ROMANA RESTITUTIONIS HÆRE-
DITATIS SUPER DOTE ſc. 27000.,
ET LUCRO.

Luna 15. Junii 1705.

A R G U M E N T U M.

Habes ex ſuperiori Deciſ. 294. Adſunt in hac
cauſa quoque deciſiones in dicta ſuperiori
Deciſ. notatæ, & infra Deciſ. proxime ſe-
quens, & altera ſuper executione mandati
tom. ultimo 17. Junii 1720.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Renunciatio sub conditione facta, illa purificata, resolvitur, ac si non fuisset secuta. Præsertim si conditioni resolutivæ addita sit clausula* non aliàs aliter, nec alio modo.

2 *Renunciatio facta Patri, ac ejus hæredibus etiam extraneis pendens ab unica conditione, ea purificata tota, evanescit.*

3 *Plus juris habere non potest renunciatarius, quam ejus successores.*

4 *Renunciatarius quibus acquirere voluerit non attenditur: sed quibus, & quomodo renuncians dare voluerit.*

5 *Renunciatio generalis, & indefinite concepta sub conditione resolutionis in casu, quo renuncians a renunciatario hæres instituerctur; etiamsi cum onere fideicommissi instituatur, penitus resolvitur.*

6 *Generalis locutio ad unum potius, quam ad alium casum non est restringenda.*

7 *In conditionibus voluntariis pro earum purificatione nudum factum attenditur.*

8 *Et satis est momento temporis verificari.*

9 *Hæres verè, & propriè dicitur etiam ille, qui cum obligatione restituendi fuit institutus.*

10 *Hæredis essentia stat in, eo quod a testatore talis scriptus, & honoratus fuerit: absque eo quod indagandum sit, quomodo, & quid ei relictum fuit.*

11 *Renunciatio cum pacto resolutivo in casu, quo renuncians a renunciante hæres instituta fuisset, superflua ne sit, si tantum locum habere deberet, quando liberè esset instituta; etiamsi cum onere fideicommissi instituatur, resoluta dicitur.*

12 *Renuncians a renunciatario hæres proculdubio potest institui.*

13 *Renuncians nunquam credi potest, quod non solum se omnibus juribus spoliare voluerit, sed ulterius a se abdicare jura, quæ sibi ex renunciatarii dispositione poterant obvenire.*

14 *Qui potest hæredem instituere potest etiam gravare.*

15 *Qui potest plus, potest etiam, quod minus est.*

16 *Inter facultatem amplissimam disponendi de bonis renunciatis, & conventionem, quod omnia resolvantur, quatenus renuncians hæres constitueretur, est repugnantia.*

17 *Distingue procedere in renunciatione, quam filia facit favore Patris de bonis ipsius Patris: non verò quando renunciatia est de bonis ipsius filiæ, juxta* decis. 85. sub n. 6. Rotæ coram Gregor.

18 *Renuncians bonis propriis conditionem sibi magis bene visam potest apponere.*

19 *Qui potuit quod a se dependebat facere, & non fecit, sibi imputet.*

20 *Qui potuit renunciationis obstaculum evitare, & non fecit; eidem renunciasse censetur.*

21 *In renunciationis materia, utpote odiosa, interpretatio capienda est, quæ minus obsit renunciante.*

22 *Ex restitutione, & separatione dotis in laudo demandatis, de ea utpote restituenda habitum fuisse constat.*

23 *Qui dotem ex proprio restituit habere debet bona ex dicta dote provenientia.*

DECISIO CCCLXXI.

INter partitas, quas prætendebat esse comprehensas D. Princeps Julius Sabellus in restitutione hæreditatis cl. me. Ducis Joannis sibi facienda à Ducissa Camilla auctrice monialium B. Virginis Septem Dolorum; præcipua erat illa dotis scut. 27000., & lucri debiti Liviæ matri d. Ducissæ Camillæ: sed cum post plures propositiones tandem sub die 21 Januarii 1704. fuerit coràm me responsum; hanc partitam non deberi: & propterea mandatum petitum non esse pro ea relaxandum; hinc concessa nova audientia, & revocatis hodiè ad trutinam decisionis fundamentis, ea visa fuerunt plenè subsistere: & ideò *standum esse in decisis* responsum fuit.

Quamvis enim non dubitaretur, quod Ducissa Camilla renunciaverit Duci Joanni Patri verbis, & clausulis amplissimis omnia jura sibi competentia: & quod juxta hanc renunciationem dos Liviæ matris præfatæ Camillæ renunciantis acquisita dici posset Duci renunciatario: & sic veniret restituenda ejus hæredibus in testamento vocatis; tamen ut in præterita decisione dictum fuit: & iterum hodie animadversum; objectum procederet, si renunciatio fuisset facta purè, & liberè: at secùs dicendum est in præsenti, dum legitur renunciationi appositum pactum resolutivum, ut scilicet si Dux Johannes renunciatarius ipsam renunciantem in testamento vel codicillis hæredem institueret, renunciatio haberetur pro non facta:
1 addito etiam, quod non aliis, aliter nec alio modo ad celebrationem Instrumenti devenisset: cum enim hic casus evenit, quia Pater hæredem sibi scripsit Camillam renunciantem, utique renunciatio resoluta remansit, & jura dotalia non potuerunt remanere in hærede renunciatarii, nec ad Principem Julium transire, sed ad ipsam Camillam renunciantem liberè reversa sunt, ac si actus renunciationis in medio nunquam extitisset; *juxta Tex. in Cap. verum 4. de Condit. apposit. l. 1. §. Item cum ipse ff. de donat. & l. Quoties l. de donat. quæ sub modo & probant Autunez. de donat. reg. lib 1. prælud. 2. §. 1. n. 31. Bottilier. de success. Theorem. 50. n. 1. & seq. Torr. de pact. futur. success. lib. 2. Cap 17. n. 6. Rot. cor. Celso decis. 153. n. 5. cor. Priolo dec. 358. n. 5. 6.*

Non attenta responsione, quod cum renunciatio facta fuerit non solum Duci Joanni Patri, sed etiam illius hæredibus, & successoribus quibuscunque etiam extraneis quibus in testamento vel Codicillis per eum faciendis hæredem reliquisset. Quoniam hu-

hujusmodi hæredum expressio regulatur ab
unica determinatione continente resolutio-
nem renunciationis, in casu quo instituere-
tur hæres ipsa renuncians. Ideoque sivè so-
lus Pater, sive illius filii, & alii quicumque
hæredes extranei considerati fuerint, nun-
quam sublata remanet resolutio in casu præ-
2 ciso; cum omnia ab unica conditione depen-
deant, & per illius purificationem tota re-
nunciatio evanuerit; *ad Tex. in l.3.§.Filius inter medias ff. de liber & posthum. l. final. ff. de rebus dubiis, Altograd. cons.88. n.18. lib.1. Rota cor. Merlin. dec.897. n.2. & in Romana donationis 30. Januar. 1690.§.Quæ fortiùs cor. bo.me. Benincasa*: nec plus ju-
3 ris habere debet renunciatarius, quàm il-
lius successores, cum regulare sit; quod
4 nunquam attenditur, pro quibus renuncia-
tarius acquirere, sed quibus, & quomodo
renuncians dare voluerit, *Card. de Luc. de renunciat. disc.1. n.29. Mans. consult. 258. n.11. vers. sed pro responsione*.

Nec juvat replicatio; quod pactum præ-
dictum resolutivum intelligi debeat restri-
ctum ad illum tantum casum, in quo renun-
cians fuisset scripta Hæres purè, & liberè:
& propterea non sit extendendum ad alium
casum, quo institutio legatur facta cum one-
5 re fideicommissi, & obligatione alteri resti-
tuendi. Quoniam huic objecto jam fuit plu-
ribus rationibus satisfactum *in præterita mea decisione*: & primo advertendo; quod
reservatio fuit generaliter, & indefinite
concepta ibi - *quatenus hæres instituatur* -;
ideoque sub tali verborum generali locutio-
ne compræhenduntur tam hæredes liberi,
6 quam gravati: nec est admittenda restrictio
potiùs ad unum casum, quam ad alterum;
ut *præter allegatos in ea §. Non relevante*,
monent, *Surd. cons.151. n.8. Rot. dec.720. n.3. par.3. & dec.108. n.5. par.8. rec.*

Secundo, quod in conditionibus volunta-
riis, pro earum purificatione nudum factum
7 attenditur; quamobrem satis fuerit, quod
momento temporis verificetur; Camillam
8 hæredem fuisse; licet onere restitutionis
gravatam, cum etiam ista verè & propriè
9 sit hæres *ex Text. in §. Restituta instit. de fideic. hæred.* ut latè prosequitur *decisio §. Cessat*: & hæredis essentia non stet in
10 perpetua permanentia bonorum apud ip-
sum; sed in eo quod tali nomine quis à te-
statore scriptus, & honoratus fuerit: absque
eo quod indagandum sit; quomodo fuerit
institutus, aut quid ei relictum fuerit; *Bartol. in l. qui hæred.44. §. Cum hæreditas in principio, & n.1. & 2. ff. de Condit. & demonstrat. Imola in C. si servus 3. §. Si quis ita ff. de hæred. instit. Galgauet. de condit., & demonstrat. par.1. Cap.27. n.1. & par.2. cap.1. quæst.44. n.1. Peregrin. de fideic. art.3. sub n.23. vers. nec propterea*.

Nec potest aliter res se habere; nam ut
dicebatùr in alia decisione §. *Et sanè*, su-
perfluum fuisset pactum resolutivum; si il-
11 lud habere debuisset locum in casu dumta-
xat, quò renuncians fuisset relicta hæres
liberè, & absque onere fideicommissi; nam
tali casu non indiguisset hujusmodi pacto;
quia nulli dubium est; quod renuncians pos-
12 sit institui hæres à renunciatario: & nun-
quam credi posset; quod Camilla voluerit;
non solum se expoliare omnibus juribus, &
prætensionibus favore Patris; sed ulterius à
13 se abdicare jura; quæ sibi ex ejus disposi-
tione poterant obvenire; benè *Rot. in Ariminen. fideicommissi Bandi, & Æneæ de Bandis 26. Junii 1697. §. Nec quæ intelligentia cor. Reverendissimo D. meo Decano*.

Atque hinc evitatur absurdum, deductum
ex eo, quod procedendo cum d. sensu, Dux
Joannes, licet hæredem extraneum insti-
tuere, & filiam præterire potuisset; non ta-
men istam valuisset, instituendo, onere te-
14 statoris gravare, contra regulam, quod
qui potest facere quod est plus; potest etiam,
quod est minus: & nimis aperta repugnan-
15 tia foret inter amplissimam, & liberam
facultatem disponendi de bonis renunciatis,
16 & conventionem, quod omnia resolve-
rentur quatenus hæres institueretur Camil-
la: hinc enim adempta incontinenti reman-
sisset libertas testandi favore ejusdem cum
onere restitutionis, ut advertit *Rota cor. Gregor. dec.85. sub n.6* Quoniam ultra
17 quod in casu decisionis mox recensitæ age-
batur de filia renunciante bonis paternis ad
favorem sui Genitoris; in præsenti verò ver-
samur in renunciatione facta à Camilla de
bonis propriis, & ad ipsam pleno jure spe-
ctantibus; in qua conditionem sibi magis
18 bene visam apponere poterat; sublatum
remanet objectum ex responsione semper
data; quod tota facultas liberè testandi de
bonis renunciatis pendebat à conditione
suspensiva: quamvis ipsa renuncians hæres
non institueretur: Cumque Dux Joannes
semper remanserit in sua facultate liberè di-
sponendi de bonis sibi renunciatis: & ab ejus
placito penderet vel extraneum hæredem
instituere, vel propriam filiam, quoties
istam in sequelam d. facultatis scripsit hære-
dem; sut sibi imputare debet; si noluit uti
19 arbitrio extraneum instituendi, aut di-
cendum venit; ipsum voluisse obstaculum
20 renunciationis removere; dum eam non
curavit præterire; quando poterat; *Galleratus de renunciat. lib.2. Cap.5. sub n.15. & respondet decisio §. Minusque relevat*: & hæc
eò facilius admittenda veniunt, ex quò ver-
21 samur in materia renunciationis; in qua ut-
potè odiosa, semper capienda venit inter-
prætatio; quæ minus noceat renuncianti;
Surd. cons.431. n.31. Rot. cor. Dunoz. jun. dec.879. n.2. & in Cesenaten. prætensæ successionis 25. Junii 1697. §. Absque cor. R. P. D. meo Ansaldo, & fuit dictum *in decisione quæ revidetur §. Omnia*.

Cæterum prædictis assistit etiam declara-
tio emissa in 2. laudo cla. me. Card. Antonii
Barberini, quod prodiit inter Ducissam
Camillam, & DD. de Sabellis. Ibi enim
in

in causam restitutionis propriæ, & maternæ dotis, ac pro aliis omnibus prætensionibus, scut.70000. assignantur dictæ Ducissæ: & in reliquis eadem obligatur ad restitutionem integræ hæreditatis Ducis Joannis; unde clarè resultat; quod etiam de eo tempore partes habuerunt dotem Livię pro non com-
22 præhensa in dicto fideicommisso; quia alias neque restituta, neque separata fuisset, non attento; quod dictum fuerit, illam teneri restituere bona empta cum pecuniis dotalibus; hoc enim evenit, ex quo dum illi assignata fuerunt scut. 70000. prò suis creditis utique rationi, & justitię congruum erat; quod cętera omnia provenientia ex dd. dotibus remanere deberent commodo vocatorum, à quibus dicta sc. 70000. solvebantur.

Et ità videntibus quinto, & sexto responsum fuit utraque &c.

ROMANA RESTITUTIONIS HÆREDITATIS SUPER PARTITIS RESERVATIS.

Lunæ 15. Junii 1705.

ARGUMENTUM.

Habes in superioribus dec.294., quę hic confirmantur. In hac causa sunt dec. in dicta notatę, & proxime superior, & super executione mandati infra tom. ult. 17. Junii 1720.

SUMMARIUM.

1 *Gravatus vel rem fideicommissariam, vel ejuspretium, si alienavit, vocatis restituere tenetur.*
2 *Limita si alienavit pro faciendis melioramentis necessariis in altera re fideicommissaria.*
3 *Verbum* - lavoro - *utpote generale, potius importat simplicem reaptationem, quam melioramentum de novo.*
4 *Melioramenta prætendens quid debeat probare, ut ea assequi possit?*
5 *Expensæ in dubio factæ censentur pro reaptationibus, quæ fieri debent ex fructibus, non ex capitale fideicommissi.*
6 *Hæres gravatus fideicommissi effectus non teneretur alio transferre, ut carius vendantur.*
7 *Pretium rerum vendendarum regulatur ab illo, quod de eo tempore currit in loco, ubi sitæ sunt.*
8 *Actor suom intentionem debet probare.*
9 *Hæres gravatus exigere non valens nomina debitorum fideicommissi, non tenetur, nisi de dolo, & lata culpa.*
10 *Dolus, & lata culpa in fideicommissario pro exactione nominum debitorum fideicommissi, ex quibus diligentiis exclusa dicantur?*
11 *Nomina debitorum post lapsum sexdecim annorum ex statuto Urbis, & triginta de jure exacta, & respectivè soluta præsumuntur.*
12 *Declara conclusionem, seu præsumptionem istam procedere tantum in favorem debitoris.*
13 *Limita in damnum fideicommissarii, qui censeatur nomina debitorum fideicommissi exegisse, nisi exactio clarè probetur, vel dolus, & lata culpa in exigendo.*
14 *Declara quoque dictam præsumptam solutionem ex lapsu temporis una cum juris effectu tolli, cum actus judiciales intervenere.*
15 *Nominis debitoris solutia non desumitur ex quo debitor carceratus, fuerit postea dimissus, & n.17.*
16 *Nominis debitoris solutio tamen secuta præsumitur cum creditor habuit in sui potestate bona fructifera sui debitoris, quæ postea dimisit.*
18 *Donatio bonorum fideicommissi facta cum pacto resolutivo, quatenus molestiæ supervenissent, illis superventis, resoluta remanet.*
19 *Quod amplia eo præsertim locum habere:ne fideicommissarius contra gravatum possit agere, cum contra rem alienatam actionem promovit, ex quo donationem pro resoluta habuisse dicitur.*
20 *Maxime cum decretum a judice habuit, quo donatario rei donatæ alienationem prohibuit, & pro fructibus cautionem demandavit.*
21 *Et tunc donanti sat est res donatas vigere, ne in bonis suis molestetur.*
22 *Compensatia crediti fieri nequit cum illis debitis, de quibus creditor rationem reddidit.*
23 *Consumptio mobilium, quæ usu consumuntur, commodo gravati cedit: nec pro ea datur compensatio cum expensis, & num.* sequenti.
25 *Gravati debito non dantur, quæ de bonis fideicommissariis non habuit.*
26 *Gravatus negligens præsumitur, & dolosus, si alia credita, & census etiam posteriores exegerit, & non illa fideicommissi.*
27 *Secùs si eredita tamen exacta essent.*
28 *Et anteriora, & privilegiata, cum creditum erat census, qui utpote inexigibilis a gravato pro libito exigi nequit.*
29 *Animalia masculini generis gregem non constituentia spatio temporis demortua censentur, & de illis, quæ non probantur vendita, gravatus rationem reddere non tenetur.*
30 *Res, quæ tantum in quibusdam notulis in inventario enunciatis apparent; si non probentur ad fideicommittentem spectasse, a gravato non possunt peti.*

DECISIO CCCLXXII.

Cum Peritus judicialiter electus ad firmandum statum hæreditatis clar. me. Ducis Joannis de Sabellis per Ducissam Camillam au-

autricem Ven. Monasterii Beatæ Virginis
septem dolorum restituendæ Domino Prin-
cipi Julio de Sabellis hæredi fideicommissa-
rio, quamplures partitas, utpotè contro-
versas, in suspenso reliquisset, singulæ sue-
runt ad examen revocatæ, & earum plures
favore Monasterii contra D. Principem bo-
nificatæ, aliæ vero contra ipsum Monaste-
rium admissæ, ut in quatuor decisionibus
editis cor. me *sub diebus* 14. *Decembris* 1699.
4. *Junii* 1703.

Verum quia idem D. Princeps obtenta
nova audientia super iis, quæ sibi denegata
fuerunt, curavit iterum ad examen revoca-
re partitas in prædictis decisionibus discus-
sas; Moniales sumpta occasione cæperunt,
& ipsæ pretendere sibi bonificandam esse
partitam sc. 400. provenientem ex prætio
domus fideicommissariæ, quæ est in ordine
la 2. alias rejectam, sed DD agnita justitia
præcedentium resolutionum non dubitarunt
hodie in omnibus persistere *in decisis*.

Et sane omissis quampluribus partitis, ut-
pote modo amplius non controversis, & se-
quendo ordinem decisionum supradictarum
quoad unicam partitam sc. 400., quam Mo-
niales impugnabant, facilis fuit resolutio
pro persistentia in decisis, quia d. Domus,
1 utpote obnoxia fideicommisso, sicut distra-
hi non poterat, ita hæreditas gravati tene-
tur, vel rem ipsam, vel illius prætium vo-
catis restituere, ut responsum fuit *in decisio-
ne ædita* 14. *Decembris* 1699. §. *Et procedendo.*

Quidquam non relevante, quod recensi-
ta domus fuisset data in solutum fabromura-
2 rio pro melioramentis necessariis factis in al-
tera domo fideicommissaria, quam D. Prin-
ceps post mortem Cammillæ assecutus fuit.
Quoniam verba Instrumenti nihil aliud im-
portant, quam ibi -- *à conto de lavori da
farsi da esso Mastro Giovanni nel Palazzo
3 di detta Signora Duchessa* --, quæ utpote
generalia potius verificantur in simplici
reaptatione fieri consueta in conservatione
edificiorum, quam in melioramentis de no-
4 vo, cumque Monasterium quod pretendit
rem melioratam, sit actor in sua exceptione,
non juvatur hujusmodi probationibus æqui-
vocis, sed debet concludenter, & specifi-
ce docere de assertis melioramentis, ad ef-
fectum dignoscendi, an respiciant simpli-
cem manutentionem, & antea fuerint vo-
luptuosa, vel necessaria, qua probatione
5 deficiente, intrat præsumptio, quod expen-
sæ factæ fuerint pro reaptationibus, pro
quibus alienari non possunt bona fideicom-
missi, sed hæres gravatus explere tenetur
eum fructibus, quos dietim percipit ex bo-
nis fideicommisso subjectis, ut fuit firmatum
in decisione 14. *Decembris* 1699. §. *Et proce-
dendo*.

Quo vero ad alias partitas, quæ impu-
gnabantur à Principe, vel tanquam sibi non
bonificatas, vel tanquam in sui præjudicium
pro majori quantitate, quam ipse suppone-
bat, admissas, obtulit sese decima partita
respiciens nonnullas res, quas Cammilla
exegit post obitum Joannis Patris, in qua
tamen sola difficultas versabatur circa præ-
tium, quod licet D. Princeps pretenderet
calculandum esse juxta illud, quod tunc
temporis currebat in Urbe, DD. adverten-
tes, quod hæres gravatus non tenetur effe-
6 ctus fideicommissi ad Urbem transferre, ut
cum ejus impensę carius vendantur, ut *ple-
nè firmatum fuit in decisione ædita die* 14.
7 *Decembris* 1699., idcirco censuerunt præ-
tium predictarum rerum regulandum esse
juxta illud, pro quo tunc temporis vende-
bantur in Terra Palombariæ, maxime quia
8 D. Princees, qui est actor, & habet onus
liquido probandi suam intentionem, ad ef-
fectum dignoscendi, quanti bona tunc ven-
derentur, nihil usque adhuc circa liquida-
tionem deduxit.

Parum etiam immorati sunt DD. in 4, &
5. partita provenientibus ex nominibus de-
bitorum hæreditatis Ducis Jeannis, quas
iterum Princeps impugnabat, & signanter
in illa sc. 2000. debita per Antonium Bru-
nellum, quia non probantur exacta à Ducis-
sa Cammilla, minusque concurrat in ea do-
9 lus, aut lata culpa in non exigendo, qui-
10 nimo contrarium resultat, ex diligentiis
per ipsam factis contra debitores, tum quia
mandatum, & sequestra contra illos obti-
nuit, tum quia unum ex eis carceribus man-
cipare fecit, & propterea condemnari non
posse censuerunt illius hæreditatem ad resti-
tutionem summæ, pro qua debitores obli-
gati erant, *ut latius in dicta decisione* 14.
Decembris 1699. §. *Nec quartam*, & *quar-
ta Junii* 1700. §. *Decidendi ratio*.

Non obstat, quod attenta censura juris
communis, & statuti Urbis *in Cap.* 168. il-
11 lorum exactio, & respective solutio, præ-
sumi debeat post lapsum 16., & respective
30. annorum. Quoniam cum utraque dispo-
12 sitio locum sibi vindicet tantum respectu
debitoris, cujus favore ob lapsum dicti tem-
poris inducta est præsumptio factæ solutio-
nis, propterea applicari non potest in præ-
senti casu, in quo agitur de hærede grava-
13 to, ad cujus damnum adscribendum non
venit nomen debitoris, nisi per nitidas pro-
bationes constet de exactione, vel potius de
culpa dolosa ex supra allegatis, præsertim
14 quando concurrunt in præsenti tot actus ju-
diciales, ex quibus sicut interrumpitur præ-
sumptio solutionis, quæ ex lapsu temporis
posset desumi, ita tollit de medio quicum-
que juris effectus, *Lege ut per Sexius C. de
annali except. Fenzon ad stat. Urb d. Cap.* 158.
nu. 24. *lib. primo Rota post eumdem dec.* 148.
per totam.

Nec ex eo quod Brunellus debitor carce-
ribus mancipatus fuit, & deinde dimissus,
15 præsumendum venit Ducissam Cammillam
16 satisfactam fuisse. Quoniam hujusmodi
præsumptio intrare quidem posset, quando
versaremur in creditore, qui sui potestate
habuisset bona fructifera sui debitoris, quæ
si po-

si postea dimittit, incongruum non est, quod
præsumatur ejusdem creditoris satisfactio,
& in his terminis procedunt quotquot Do-
ctores in contrarium allegabantur, at diver-
17 simode dicendum est in præsenti, cum non
probetur Ducissam Cammillam ulla bona
penes se retinuisse, minusque eorum dimis-
sionem fecisse, ideoque, & sola carcera-
tione debitoris dici non potest summam de-
bitam solutam fuisse, ut de se patet.

Multoque minus recessum suadere value-
runt ea, quæ fuerunt repetita circa parti-
tam sc. 1580. continentem duos census debi-
tos à Communitate Terræ Matricis, & per
Cammillam donatos illis de Falconiis, à
quorum prætio absoluta fuit Cammilla in de-
cisione anni 1699.. Quia cum donatio emis-
18 sa fuisset cum pacto resolutivo, quatenus
molestiæ supervenissent, idcirco sequuto
casu molestiarum per conditionis purifica-
tionem donatio resoluta remansit, ac si nun-
quam facta fuisset, *l. prima §. Idem ff. de
donat. l. Quoties C. de donat. quæ sub modo
Torr de pact. futur. success. lib. 2. Cap. 17.
nu. 6 Rot cor. Cels. dec. 153. nu. 5. coram
Priolo dec. 358. nu. 5., & 6., & dec. 64. n. 4.
& seqq. par. 19. rec.*. Quod etiam facto D.
Principis comprobatum fuit, qui eligendo
19 potius viam agendi contra ipsos census alie-
natos, quam contra hæreditatem gravati
alienantis, egit contra Falconios donatarios
pro censuum recuperatione, sic habendo
donationem pro resoluta, quodque magis
20 est, prodiit decretum Regii Consilii Nea-
polis prohibens eisdem Falconiis distractio-
nem capitalium, & mandans quoad fructus
præstari cautionem, quæ omnia cum plene
fuerint adimpleta, sibi imputare debet D.
Princeps, si contra illos non egit, & causam
prosequutus non est, satisque Monialibus
est, quod census vigeant, & D. Princeps
21 fuerit constitutus in tuto pro consequenda
illorum restitutionem.

Partita vero conflatam ex tribus summis
constituentibus sc. 1709. quam DD. in deci-
sione anni 1699. censuerunt, ponendam esse
ad creditum Monasterii pro expensis factis
ab auctrice, pro vestibus lugubribus, & fu-
nere testatoris, necnon etiam pro expensis
factis litium, quamvis in præsenti amplius
non impugnet D. Princeps, tamen quia il-
lam pretendebat compensandam esse cum
mobilibus in hæreditate relictis, visum fuit,
etiam compensationem locum habere non
posse, quia si loquimur de mobilibus, quæ
22 usu non consumuntur, & de istis jam fuit
reddita ratio, ac in debitum Ducissæ calcu-
23 lata fuerunt, si vero loquimur de mobili-
bus, quæ usu consumuntur, & prætensio
redditur insubsistens, quia talium mobilium
usus cedit commodo gravati, nec ea con-
traponere tenetur, minusque cum expensis
compensare, ut bene declarat *Peregr. cons.
39. num. 27. lib. 4. Fusar. de substit. quæst.
670. nu. 30. Rota cor. Coccin. dec. 1903. n. 18.
& seqq.*, & generaliter quod detractiones
24 expensarum non compensentur cum mobi-
libus illius generis, quæ usu consumuntur,
quæve consumpta præsumuntur latè *Man-
gill. de imput. quæst. 136. sub nu. 78. vers.
contr Peregr. de fideic. art. 10. nu. 44. Ro-
ta cor. Coccin. dec. 1886. nu. 16. 17., & cor.
Gregor. dec. 185. nu. 30.*

Et in hæc quoad partitas contentas in de-
cisione edita anno 1699. transeundo autem
ad partitas contentas in decisione edita 4. Ju-
nii 1700., pariter in ea denegatum fuit man-
datum Principi Julin pro restitutione sortis
census à Duce Petro Farnesio Cammillæ vi-
ro in summa sc 2500. debitum Duci Joanni,
25 eo quia non constitit, hujusmodi censum
exactum fuisse à Ducissa Cammilla, propte-
rea ex eadem ratione DD. persistentes in
decisis ad debitum gravati adscribendum
non esse responderunt.

Quin dici valeat, quod Cammilla fuerit
negligens, & dolose se gesserit, non exi-
26 gendo præfatum censum à viro, quando
probatur alia credita, aliosve census etiam
posteriores exegisse in conspicua summa
sc. 69675.. Quia respectu creditorum, illa
27 erant anteriora, & respiciebant assecura-
tionem dotis, & lucri dotalis, quo vero ad
28 census cum eorum retrovendito penderet
à libera voluntate debitoris, non poterat
Ducissa Cammilla petere sortem istius cen-
sus, quam debitor retrovendere non cura-
bat, & propter illius perpetuitatem ex par-
te Cammillæ erat irrepetibilis, ideoque
nulla potuit in ea negligentia considerari, ut
latius firmatum fuit *in præfata decisione 4.
Junii* 1700. ubi præceteris *in §. finali* satis-
factum fuit cæteris objectis.

Superest partita animalium, de qua actum
fuit in decisione anni 1703. in tres autem
partes dicta partita divisa fuit. Prima nem-
pe in illis animalibus existentibus de tempo-
re mortis Ducis, & quæ gregem constituunt,
& pro his dictum fuit, esse relaxandum
mandatum, sed circa eam nulla adest alter-
catio inter partes 2. classis consistit in anima-
libus masculini generis gregem non consti-
tuentibus, & 3. in animalibus existentibus
in territorio Corneti, pro quibus duabus
classibus in dicta decisione denegatum fuit
mandatum, quod & iterum placuit hodie
DD. confirmare.

Quia si agimus de animalibus in 2. classe
continentis, non probatur, quod illa fue-
rint vendita à Ducissa, exceptis quibusdam
Bubalis, de quibus jam ratio habita fuit.
29 Quamobrem, cum ipsa supervixerit testa-
tori per 40. annos, cetera animalia, quæ
vendita non probantur, presumuntur de-
mortua, & hæres gravata non tenetur de
illis rationem reddere, ut per *Textum in l.
Mulier 22. §. Sed enim ff. ad Trebell.* & aliis
adduct. firmat *dec. de eo. §. Transeundo au-
tem*. Si vero loquimur de animalibus in 3.
classe comprehensis, & DD. approbarunt
30 fundamenta decisionis, quia neque hodie
probatur, quod illa extantia in territorio

Cornetl pertinerent ad Ducem Joannem teſtatorem, dum ſoium in inventario fuerunt enunciatæ quedam notitiæ, quæ tantum abeſt, ut probent Dominium dicti Ducis Joannis, ut potius comprobent illorum pertinentiam ad Ducem de latere, itaut merito fuerit denegatum mandatum D. Principi, qui illorum prætium uti hæres Ducis Joannis expoſtulabat.

Et ità, utraque &c.

FULGINATEN. SUCCESSIONIS, ET DOTIUM SUPER HÆREDITATE MATERNA.

Ven. 19. Iunii 1705.

A R G U M E N T U M.

Statutum Fulginei fœminas non propter dotem, ſed propter maſculos, & contemplationem agnationis excludit, & poſt distributive omnes perſonas, quibus ſuccedere poſſent narratas, concludit, quod a quocumque dotentur, non poſſint ad eorum omnium ſucceſſionem venire; & ob id etiam ſi de tempore ſucceſſionis dotatæ non ſint: ſi poſtea ab uno dotentur; excluduntur a ſucceſſione omnium recenſitorum. Fortiùs quia ſtatutum jubet, quod fœminę patris judicio acquieſcant, nec ſupplementum legitimę petant. Quę procedunt ad effectum expellendi fœminas a bonis aliorum etiam non dotantium; non verò ad effectum, ne dos ſuccedat loco legitimę, ideo ad hæredes tranſmiſſibilis: quia uterque effectus licet diverſus, a ſtatuentibus demandari potuit. Et latè materia examinatur, & affertur differentia, quæ ab hoc ad ſtatuta Peruſię, & Camerini Intercedit.

In hac cauſa ſunt ſuperiores dec. 107. 346., & proximè ſequens cum brevi dec. 387.

S V M M A R I V M.

1 *Refertur ſtatutum Fulginei de Succeſſione mulierum ab inteſtato.*

2 *Fœmina a quocunque dotata, & à ſtatuto, exiſtentibus maſculis, excluſa a ſucceſſione aſcendentium ex linea paterna, & maternas ſi a patre in teſtamento dotetur, nequit dd. perſonis ſuccedere.*

3 *Etiamſi, poſt apertam ſucceſſionem, fœminæ fuerint dotatæ, cum talis eſt voluntas ſtatuentium ob conſideratum favorem maſculorum, & conſervationem bonorum in agnatione.*

4 *Talis ſtatuentium voluntas deſumitur ex generali ratione ſimilium Italię ſtatutorum.*

5 *Statuta in Italia regulariter fęminas, nonniſi propter maſculos, & agnationis favorem excludunt.*

6 *Familiæ per maſculos conſervantur.*

7 *Familiarum dignitas divitiarum robore ſuſtinetur.*

8 *Fœmina a ſtatuentibus a ſucceſſione ibidem nominatorum excluſa cenſetur, ſi id fuit demandatum ob unicam dotationem a quocumque expletam.*

9 *Et tunc ſola dotatio non eſt cauſa finalis excluſionis fęminæ ab hæreditate dotantium.*

10 *Dos non eſt cauſa finalis excluſionis fœminæ, cum excluſio non eſt correſpectiva ad dotem: ſed fœmina dotata a non dotantium quoque hæreditate a ſtatuto excluditur.*

11 *Dos cum eſt cauſa excluſionis, eam non producit reſpectu hæreditatis non dotantium.*

12 *Fœmina non correſpectivè ad dotem excluſa cenſetur, cum a ſtatuto mulier dotata a ſucceſſione Avi, Proavi, Aviæ, & Proaviæ excluditir, & cur?*

13 *Interpretatio ea in ſtatutis eſt reiicienda, quæ idem ſuperfluum facit, & finem ab eo volitum deſtruit.*

14 *Fratres Sororibus dotes conſtituere tantum tenetur mortuo patre tanquam ejus hæredes.*

15 *Fœminæ excluſæ a ſucceſſione Fratrum excluſæ cenſentur a ſucceſſione parentum; ſive dotatio ante, ſive poſt paternam delatam ſucceſſionem ſequatur.*

16 *Una ſtatuti pars agens de ſucceſſione tranſverſalium declarari nequit ab altera, in qua res eſt de ſucceſſione parentum.*

17 *Statutum poſt diſtributive omnia comprehenſa, ſi decernat a quocumque fœmina dotata eſſet; non poſſe ad eorum ſucceſſionem venire; dicendum eſt etiam propter dotem traditam a tranſverſali a parentum ſucceſſione excludere.*

18 *Statutum Fulginei in privatione fœminarum omnes partes dirigit ad finem, ut bona conſerventur in familia.*

19 *Fœminarum excluſio ab hæreditatibus collateralium, & aſcendentium demandata a ſtatuto, quod habet finem conſervationis bonorum in agnatione; operatur indifferenter earum excluſionem ab hæreditatibus aſcendentium, ſi a collaterali dotetur.*

20 *Quod fortius procedit ſi a ſtatuto demandetur, quod fœminæ acquieſcere debeant judicio patris, & quare?*

21 *Agnationis conſervatio contemplata cenſetur, cum fœminæ deſcendentes a ſtatuto fuerunt excluſæ.*

22 *Probibitio petendi ſupplementum legitimæ filiæ dotatæ in ipſam a ſtatuto directa, qualificat tempus, non ſucceſſionis, ſed petitionis, & intelligenda eſt juxta tempus verbi, cui apponitur, & ſic de tempore petitionis, & exercitii actionis.*

23 *Statuti poſterior pars non influit in præcedentem diverſo modo ordinatam.*

24 *Limita quando ex conjecturis, & argumentis contrarium patet.*

25 *Statutum unum, & idem plures producere poteſt inter ſe diverſos effectus.*

26 *Statutum poteſt voluiſſe dotem ſuccedere loco*

loco legitimæ, ad effectum eam ad hæredes transmittendi, & fæminas excludere propter masculos ad alium effectum eas expellendi a succesfione in bonis maternis.

28 *Exclusio qualificata a dotatione, ab ea pendet.*

28 *Subrogatio dotis loco legitimæ compatibilis est cum exclusione propter masculos.*

29 *Fæminæ dotata exclusa non censentur a succesonessione, nisi eam processerit dotatio, cum statuentes dotationem, & desponsationem pro synonymis habuerunt.*

30 *Contrarium verius, & quare?*

31 *Desponsatio actionem tribuit ad dotem:*

32 *Statutum Perusiæ circa exclusionem fæminarum, quæ disponat?*

33 *Statutum Camerini in eadem materia quid decernat?*

34 *Verba alternativa apposita in parte exclusiva fæminarum, earum exclusionem restringunt ad hæreditatem dotantis.*

35 *Secùs est cum adsunt verba copulativa complectentia exclusionem tam ab hæredicatibus dotantium, quàm omnium aliorum, a quibus nulla dos mulieribus fuit tributa.*

DECISIO CCCLXXIII.

ANna, & aliæ Sorores de Barnabò in audientia diei 25. Januarii præteriti coram me rejectæ fuerunt à successione in hæreditate materna propter existentiam Petri fratris: sed reproposita causa die 27. Aprilis præteriti videntibus quinto, & sexto, mandatum fuit, quod adscitis omnium DD. suffragiis, articulus successionis in hæreditate materna proponeretur, insimul cum altero circa transmissibilitatem dotis propter eorum connexionem. Verum cum hodiè examinari contingerit utrumque dubium, quanvis super illo transmissibilitatis capta fuerit resolutio favore Sororum, tamen respectu successionis in hæreditate materna contra eas responsum fuit: approbando pro illarum exclusione fundamenta præfatæ decisionis.

Assistit enim Petro expressa, & litteralis dispositio statuti Fulginatensis *tit. de Success. mulierum ab intestato rubr.* 42. mandantis *Quod nulla mulier sive dotata fuerit*
1 *à patre, vel à matre avo, proavo, avia,*
vel proavia, seu perverba de præsenti desponsata, legitime possit venire ad successionem ab intestato patris, nec matris, avi, proavi, sive proaviæ donec superest aliquis masculus ex legitimo matrimonio de linea, & stirpe masculina descendenti omnium prædictorum, vel alicujus ipsorum à quocumque dotata esset &c. -- addito etiam, -- *Quod nulla mulier dotata possit petere supplementum legitimæ, sed suo legato contenta sit, & si peteret, non debeat aliquatenus audiri* -- quapropter cum Vincentius pater præfatis Sororibus in suo testamento congruam dotem reliquerit, eædem adspirare
2 non possint ad successionem in bonis aliarum

personarum ibidem enunciatarum, & signanter matris, de qua nunc res est, *ad tradita per Castrens. cons.* 91. *num.* 2. *lib.* 1. *Aldobrandin. cons.* 2. *num.* 123. *cum seq. lib.* 1. *Honded. cons* 10. *num.* 42. *lib.* 1. *Gratian. discept.* 15. *num.* 1., & 2. *Rota coram Cerro dec.* 303. *nu.* 10., & 11., & *in rec. dec.* 342. *nu.* 21. *par.* 12., & *dec.* 335. *nu.* 17. *par.* 17.

Nec subsistit, quod hujusmodi regula non procedat in casu, quo constet statuentes voluisse, quod dotis constitutio concurrat de tempore delatæ successionis, quia tunc nunquam excluditur fœmina ex dotatione superveniente post delatam successionem, ut hic, quasi tunc exclusio fœminarum qualificata dicatur à dotatione tanquam à causa, & conditione volita pro exclusione. Etenim in hac materia, posthabito ordine, & figura verborum, quibus statutum legitur conceptum, unice respiciendum est ad voluntatem statuentium: qua attenta adverterunt DD., quod licet fuerit ab illis considerata dotatio, tamen æque bene fuit consideratus favor masculorum, & conservatio bonorum in agnatione, & Familia: quapropter dici
3 non potest, quod fuerit de necessitate requisita dotatio de tempore delatæ successionis, cum satis sit, quod ex post fæminæ dotatæ fuerint, *Gabiel. cons.* 15. *n.* 42. *lib.* 1. *Rot. cor. Seraph. dec.* 112., & *post Fenzon. ad Stat. Urb. dec.* 113. *vers.*, & *licet*, & *post Modern. Asculan. dec.* 141. *num.* 7. & 8., & *coram Cerro dec.* 303. *num.* 6.

Quodque revera talis fuerit in præsenti statuentium voluntas, plene colligitur non
4 solum ex generali ratione similium statutorum Italiæ, quæ regulariter non nisi pro-
5 pter masculos, & agnationis favorem fœminas excludere solent, cum per eos conser-
6 ventur Familiæ, quarum dignitas solo divitiarum robore subsistetur, *ex Angelo in* §.
7 *Cæterum instit. de legit. agnat. success.*, & *notat Michelor de Fratrib. par.* 3. *cap.* 11. *nu.* 154. *Bondeu. collect.* 28. *nu.* 103. *lib.* 1. *Rota dec.* 510. *num.* 2., & 5. *par.* 4. *diverf. dec.* 53. *num.* 1. *par.* 3. *rec.*, verum etiam ex eo quod fœminæ propter unicam dotem à
8 quocumque constitutam excluduntur ab hæreditatibus omnium personarum, quæ in statuto numerantur, quo casu sola dotatio nequit esse ratio finalis excludendi fœminas ab
9 hæreditate personarum non dotantium, tum quia exclusio deberet esse correspectiva ad
10 dotem receptam, & locum habere non deberet respectu hæreditatis, ex cujus bonis dos constituta non fuit, tum quia æquitati consonum non est, quod quando dos est cau-
11 sa exclusionis, eam producere debeat respectu hæreditatis aliorum, qui non dotarunt, *ut monet Bald. in l.* 1. *num.* 4. *vers. modo accedit*, *Cod. de legit. hæred. Fulgos. cons.* 54. *ver.* 3. *Statutum Rota cor. Merlin. dec.* 390. *n.* 7., & *seq.*, & *dec.* 429. *n.* 1. 13. & 16., & *in rec. dec.* 328. *nu.* 17. *par.* 10.

Accedente insuper duplici validissima
12 animadversione desumpta ex littera ejusdem

dem ſtatuti, quarum altera eſt, quod fœ-
minæ dotatæ excluduntur etiam à ſucceſſio-
ne avi, proavi, aviæ, & proaviæ: cum au-
tem iſtorum hæreditates ex communiter
contingentibus deferri ſoleant antequam
neptes, & proneptes nuptæ ſint ſi ſtatutum
requireret dotationem ante purificatas ſuc-
ceſſiones in hæreditatibus aviæ, & proaviæ,
raro locum haberet ejuſdem diſpoſitio, quia
ſepiſſime contingit, quod avi, & proavi de-
cedunt, antequam neptes conſtitutæ repe-
riantur in ætate nubili: ideoque ne ſuper-
flua reddatur diſpoſitio ſtatutaria, reicien-
13 da eſt interpretatio, quæ deſtrueret finem
volitum à ſtatuentibus, *juxta regulam Te-
xt. in l. ſi aucillas ff. de lagat.* 1. *Rodulphin.
allegat.* 72. *nu.* 20. *Rot. coram Dunoz. Jun.
dec.* 882. *num.* 14.

Altera vero eſt, quod fœmina etiamſi fue-
rit à fratre dotata, excluditur à ſtatun ibi
*ſi vero fuerit data à fratre carnali &c. & à
quacumque ex prædictis fuerit dotata non
poſſit venire ad ſucceſſionem prædictorum,
ſeu alicujus ipſorum* -- cum autem fratres te-
14 neantur ſolum patre à vivis erepto conſti-
tuere dotem Sororibus tanquam patris hæ-
redes, *ex Gloſſ. in l. cum plures § fin. verb.
alio, ff. de adminiſtr., & pericul. Tutor.,
Roland. conſ.* 85. *num* 36. *lib.* 1. *Boſſ. de dot.
cap.* 6. *num.* 5., *Gratian. diſcept.* 504 *nu.* 11.
Rota dec. 315. *num.* 13. *par.* 10., *& dec.* 39.
num. 10. *par.* 11. *rec.*, indè venit in neceſſa-
riam conſequentiam, quod quemadmodum
fœminæ tametſi à fratre dotatæ poſt delatam
paternam, vel maternam ſucceſſionem fue-
runt excluſæ, ita dicendum eſt, ſtatuentes
15 excludendo fœminas à parentibus dotatas,
intellexiſſe de dotatione ſive ante, ſive poſt
delatam ſucceſſionem facienda.

Abſque eo quod reſponderi valear, quod
in hac ſtatuti parte agatur de ſucceſſione in
hæreditatibus tranſverſalium, & de dota-
16 tione facta ab eiſdem: ideoque per eam de-
clarari non poſſit altera ſtatuti pars reſpi-
ciens ſucceſſionem propriorum parentum,
ad quam propterea trahi non poſſit Quoniam
ex littera ſtatuti non reſultat ulla diſtinctio
inter iſtas ſucceſſiones, nam poſt enumeratas
ſucceſſiones aſcendentium, & collateralium
ac dotationes ab eiſdem factas, concluditur,
quod - *à quocumque ex prædictis dotata fue-
rit, non poſſit venire ad ſucceſſionem prædi-
ctorum* -- unde ſi ſtatuentes poſt diſtributive
omnia cõprehendendo præſcripſerunt, quod
mulier à quocumq; dotata eſſet non poſſet ad
17 eorum ſucceſſionem venire, fateri oportet,
ipſos voluiſſe, quod fœminæ propter dotem
traditam etiam à tranſverſali, excluſæ rema-
neant à ſucceſſione propriorum aſcenden-
tium: Et cum ſtatuti partes omnes dirigan-
18 tur ad finem, ut bona conſecuentur in Fa-
milia, ut dictum fuit in terminis hujus ſtatu-
ti *cor. Puteo dec.* 127. *num.* 1., *& per tot.
lib.* 3., *& coram Emerix dec.* 965. *num.* 21.,
hæc ratio ſicut æque procedit, ſive dotatio
19 expleatur ante, ſive poſt delatas ſucceſſio-
nes, & operetur indifferenter excluſionem
ab hæreditatibus, tam aſcendentium, quam
Collateralium, ita influere debet excluſio-
nem à ſucceſſione omnium aſcendentium,
etiamſi à collaterali fuerint dotatæ.

Fortius quia ſtatuentes, ut facilius aſſe-
querentur finem volitum conſervandi bona
in familiis, decreverunt, quod fœminæ
20 acquieſcere deberent paterno judicio, de-
negando actionem petendi ſupplementum
legitimæ, quæ licet nec minui, nec grava-
ri poſſit, tamen dum voluerunt eas exclu-
dere ab illa portione de jure naturæ debita
propter maſculos, multo magis propter il-
lorum favorem dicendum eſt, illas exclude-
re voluiſſe ab hæreditatibus, & ſucceſſioni-
bus minus debitis, ut hujuſmodi argumento
in terminis præſentis ſtatuti utitur, *Rota
coram Puteo dicta dec.* 127. *num.* 1. *lib.* 3.,
& dum fœminarum deſcendentes fuerint
excluſi à ſtatuentibus, hoc non parum con-
fert ad effectum dignoſcendi rationem ex-
cluſionis fuiſſe etiam contemplationem agna-
tionis, *Spad. conſ.* 320. *nu.* 12. *lib.* 3.

Avertendo ſignanter, quod hæc prohibi-
tio petendi ſupplementum legitimæ fuit di-
22 recta in mulierem dotatam ibi -- *Quod nul-
la mulier dotata poſſit petere ſupplementum
legitimæ* -- his enim verbis bene perpenſis,
manifeſtum fuit, ſtatuentes qualificare no-
luiſſe jus, & tempus ſucceſſionis, ſed tantum
tempus petitionis, quo caſu dotatio tempore
adjecta petitioni intelligenda videtur juxta
tempus verbi, cui apponitur, & ſic de tem-
pore petitionis, & exercitii actionis, *Rip.
in l. ex facto num.* 33. *ff. de vulgar., & pu-
pill. Soccin. jun. conſ.* 2. *n.* 12. *lib.* 1. *Brun.
de ſucceſſ. ſtatut. art.* 6. *num.* 272. *Mart. de
ſucceſſ. legal. par.* 1. *quæſt.* 13. *art.* 6. *nu.* 22.
Cirocch. diſcept. 42. *num.* 40. *Theſaur. de-
ciſ.* 101. *num.* 5.

Non attenta reſponſione, quod ſtatutum
in ea parte, qua utitur verbo *petere* reſpi-
ciat petionem ſupplementi legitimæ: cum-
23 que verſemur in inſtantia promota ſuper
ſucceſſione in hæreditate materna, circa
quam ſtatutum diverſimodè loquendo ſe re-
fert ad tempus ſucceſſionis ibi *nulla mulier
ſi fuerit dotata, poſſit venire ad ſucceſſionem*
propterea poſterior ſtatuti pas influere non
poſſit in excluſionem ordinatam in altera
precedenti. Omiſſo enim, quod propter
connexionem omnium ſtatuti partium dici
deberet, quod ſtatuentes pro ſynonimis ha-
buiſſent verba -- *venire ad ſucceſſionem- cum
altero verbo -- petere* --, adhuc ceſſat diffi-
24 cultas, ex quo non eſt attendendum hu-
juſmodi æquivocum argumentum, quando
ex tot aliis rationibus, & circumſtantiis ſu-
pra ponderatis, nimis ad oculum patet, fuiſ-
ſe habitum reſpectum ad tempus petitionis
dumtaxat, nam alias nec poſſent excludi ab
hæreditatibus aſcendentium præmortuo-
rum, nec quando eſſent dotatæ à fratribus
poſt obitum patris: quod eſſet contra ex-
preſſam voluntatem ſtatuentium ex ſupra
ſir-

firmatis, *& plenius dictum fuit in decisione quæ revidetur §. Non obstat*.

His autem ità præmissis, nihil refert, quod
in alio dubio super transmissibilitate respon-
sum fuerit, dotem subrogatam fuisse loco
legitimæ, & fœminarum exclusionem cau-
sam immediatam recipere à dotatione: in-
ferendo exinde, quod pari ratione respon-
dendum veniat in præsenti, quodque pro-
pterea fœminæ, utpote non exclusæ propter
masculos, succedere valeant in hæreditate
matris. Quoniam stat bene simul, quod
unum, & idem statutum plures producat ef-
25 fectus, etiam inter se diversos: quodque
licet dos ex illius mente succedat loco legiti-
mæ, ad effectum eam transmittendi ad hæ-
26 redes, adhuc fœminæ excludantur propter
masculos, ad alterum effectum eas repel-
lendi a successione in bonis matris, cum hoc
tamen, quod exclusio utpote qualificata à
27 dotatione, ab ea pendere dicatur tanquam
à conditione, itaut illa deficiente, exclu-
sio locum habitura non sit, & subrogatio
28 dotis lo.o legitimæ compatibilis remaneat
cum exclusione propter masculos, ne tolla-
tur alterum ex principalioribus requisitis
contemplatæ agnationis.

Quæ omnia non confunduntur ab æquipa-
ratione à statuentibus facta inter dotationem
& desponsationem, quæ pro synonimis ha-
bita fuerunt ibi *nulla mulier sive dotata &c.
per verba de præsenti desponsata legiti-
mæ &c.*, ex quibus inferebant scribentes pro
29 Sororibus, quod si exclusio fœminæ de-
sponsatæ intelligitur de desponsatione cum
dotatione conjuncta, & per verba de præ-
senti verificata ante delationem successionis
ità etiam fœminæ dotatæ, exclusæ censeri
non possint, nisi dotatio præcesserit. Nam
prædicta æquiparatio potius retorquetur,
30 & ostendit non requiri actualem dotatio-
nem, ut fœminæ excludantur, sed suffice-
re vel quod illæ fuerint dotatæ, vel quod
petere possint sibi dotem constitui à parenti-
bus, aut fratribus, veluti effectum neces-
31 sario procedentem ex desponsatione, quæ
actionem tribuit ad dotem.

Et ob id non officiunt auctoritates in con-
trarium allegatæ, & præsertim *dec.* 306. *&*
351. *cor. Dunoz. jun. & in rec. dec.* 67., *&*
578. *par.* 18., quia primæ procedunt in
terminis statuti Perusini, quod exclusionem
32 restringit ad hæreditatem tantum dotantis
& successionem respectu personarum, quæ
dotem non tradiderunt, relinquit sub dis-
positione juris, excludítque fœminas favo-
re masculorum ab hæreditate tantum pater-
33 na. Aliæ vero loquuntur de statuto Came-
rini, in quo discretive, & diversimode dis-
ponitur inter successionem ascendentium, &
transversalium, quodque magis est, in par-
34 te excludente leguntur apposita verba al-
ternativa, quo casu exclusio restringitur
semper ad hæreditatem dotantium, quando
è converso in nostro statuto habemus verba
35 copulativa complectentia exclusionem
tàm ab hæreditatibus dotantium, quam om-
nium aliorum, à quibus mulieres nullam
dotem habuerunt.

Et ità, omnibus DD. suffragantibus, re-
sponsum fuit utraque &c.

FULGINATEN. SUCCESSIONIS, ET DOTIUM, SUPER TRANSMISSIBILITATE DOTIS.

Veneris 19. Junii 1705.

ARGUMENTUM.

Habes supra Decis. 346., quæ confirmatur, quoad transmissibilitatem dotis succedentis loco legitimæ, licèt à statuentibus sit habita ratio agnationis, revocata alia contraria posita in ordine decis. 295.

In hac causa est proximè superior decisio cum alia brevi infrà 387. in qua declaratur, quod transmissibilitas dotis hìc decreta, licèt matrimonium non sit initum, procedat tantùm pro quantitate correspondenti legitimæ, cui succedit.

SUMMARIUM.

1 *Feminæ dotatæ ex Statuto Fulginei non succedunt: cum incipiat à dotatione.*

2 *Dos loco legitimæ subrogata censetur, cum in Statuto exclusive feminarum incipitur à dotatione.*

3 *Dos succedens loco legitimæ, rejecto onere fideicommissi, & dilationis ad tempus nuptiarum, liberè feminis debetur, quæ licèt innuptæ moriantur, eam ad heredes transmittant.*

4 *Conclusionem amplia, licèt in dicto Statuto exclusivo feminarum habita sit ratio conservationis agnationis, & quarè?* numeris 5. 6. & 7.

6 *Statuta regulariter edita censentur favore agnationis.*

8 *Favor agnationis, & quod dos succedat loco legitimæ, itaut femina non consideretur pro extranea, stant benè simul.*

9 *Statutum tunc non habet respectum ad agnationem pro absoluto, & independenti à dotatione, sed pro qualificato ab illa.*

11 *Nec ista libertas, & transmissibilitas dotis excluditur, ex quo pater filiabus provisserit de alimentis quousque nubant, quando statutum de istis nihil provisit, &* num. 13.

12 *Limita ubi dos ex Statuto non succederet loco legitimæ.*

14 *Statutum loquens cum prægnantibus verbis, quod femina debeat esse contenta dote legata, intelligendum venit non solùm quoad quantitatem, verùm etiam quoad conditiones, itaut innuptæ non debeatur, nec tunc ad hæredes trasmittat.*

15 *Intellige procedere, quoties ista verba sunt adeò prægnantia, ut disponant, quod filia sit contenta, & tacita de relicto à patre, & quacumque de causa contra paternam dispositionem venire non possit.*

16 *Si*

16 *Si secùs, verbis generalibus non obstantibus, filia etiam innupta dotem legatam ad hæredes transmittit.*

17 *Dos cum ex statuto succedit loco legitimæ, præceptum de acquiescendo judicio paterno, non tollit libertatem connaturalem legitimæ, sed intelligitur, quoad quantitatem.*

18 *Dos, quæ ad instar legitimæ reputanda est gaudet principalioribus effectibus, quibus potitur legitima.*

DECISIO CCCLXXIV.

QUamvis sub die 25. Januarii 1704. resolutum fuisset coram Me, quod Sororibus de Barnabò dos veniret consignanda, quando solum matrimonium actualiter contraxissent, subministratis interim alimentis, quodque si Innuptæ decessissent, nullo modo eamdem dotem ad hæredes transmittere valuissent, tamen die 30. Januarii præteriti contrarium fuit resolutum, recedendo à decisis: cumque occasione propositionis alterius causæ super successione materna, fuerit demandatum, quod illa proponeretur etiam cum ista causa, quæ respicit transmissibilitatem dotis; Hinc utrumq; dubium hodiè proposui: & licèt in illo sorores succumbuerint, tamen in isto earum favore fuit resolutum, cum DD. steterint in ultimo loco decisis.

Statutum enim Fulginei *tit. de successione*
1 *Mulierum ab intestato rubr.* 42. mandat,
quod fœminæ dotatæ non succedant, & ibi
2 earum exclusio incipit à dotatione, propterea cum dos subrogata dicatur in locum legitimæ, juxtà *Theoricam Castren. in leg. Titio centum 70. §. Titio genero num.* 8. & præter alios adductos in ultima decisione §. *Habilita*, dictum etiam fuit *in Æsina Dotis* 26. *Junii* 1693. §. *quod tertium coram Rmo D. meo Decano, & in Nepesina legitimæ* 26. *Aprilis* 1697. §. *Tertiamque coram R. P. D. meo Muto*, exindè sequitur, quod dos
3 rejecto quocumque onere tam fideicommissi, quam dilationis ad tempus nuptiarum, liberè debeatur filiabus, quæ licèt Innuptæ decedant, illam tamquam proprium patrimonium ad hæredes transmittunt, ut pluribus allegatis prosequitur præfata decisio dicto §. *Habilita circa medium.*

Non obstat, quod licèt statutum præfatum mandet excludi fœminas propter dotem, &
4 istam subroget loco legitimę, quià tamèn in illo fuit habita ratio conservationis agnationis, ea capienda sit interpretatio, quæ sit agnatis magis favorabilis, ut scilicèt dotes ad hæredes fæminarum non transmittantur, quodque saltèm censeantur reservatæ ad tempus nuptiarum, & sub conditione matrimonii, quo non secuto, penès masculos remanere debeant. Quoniam vis non stat in
5 præsumpto favore agnationis volito à statuto, nec in demandata exclusione fæminarum propter masculos, quià si tanti ponderis esset, ut obstaculum præberet transmissioni Dotis, semper statuta tale impedimentum præstarent, cum ea regulariter censeantur ædita ad commodum agnationis, propter masculos, *Gabriel. cons.* 10. *num.* 2. & 15. *vol.* 1. *Modernus Asculanus ad Stat. Urb. dicta annot.* 35. *num.* 1. *Rota coram Cerro decis.* 126. *num.* 2. 3. sed in eo, quod exclu-
7 dantur propter dotem, earumque exclusio incipiat à dotatione, ut hìc, juxta Theoricam *Castren.*, *& alios supra allegatos in §. Statutum enim.*

Stant enim benè simùl, quod fuerit consideratus favor agnationis, & tamen dos suc-
8 cedat loco legitimè, itaut fæminæ conside-
9 rari non debeant prò extraneis, ea potissimum ratione, quià respectus ad agnationem per statutum non fuit habitus prò absoluto,
10 & independenti à dotatione, sed prò qualificato ab illa, quamobrem conservatio agnationis, & fæminarum exclusio non operatur, ut dos reservata illorum intuitu succedere non dicatur loco legitimæ, *Rota decis.* 156. *num.* 3. *part.* 15. *recent. in Cæsenaten. Dotis super fructibus* 26. *Junii* 1693 §. *Quod autem, & in Veliterna manutentionis* 10. *Februarii* 1696. §. *responsione cor. R. P. D. meo Muto.*

Quibus ità firmatis prò transmissibilitate dotis, non obstat, quod Pater interim quò
11 sequuntur nuptiæ, providerit filiabus de alimentis. Etenim quidquid dici posset, ubi
12 dos ex Statuto non succederet loco legitimę, in quibus terminis loquuntur DD., qui in contrarium allegabantur, & signanter *Rota decis.* 342. *par.* 11. *recent.*, *& in Romana Immissionis* 3. *Decembris* 1703. §. *Non relevante coràm R. P. D. meo Muto*: Hoc unum certum est in præsenti, quod cum statutum
13 Fulginei dotem fæminis simpliciter reservet absque ulla conditione nuptiarum, aut alimentorum reservatione, non per hoc, quod Pater quousque nubant alimenta reliquit, impedita remansit libertas dotis, sed ea ad hæredes filiarum innuptarum, adhùc liberè transmittitur, *Rota cor. Dunozett. Jun. decis.* 910. *num.* 9. *ad* 13. *& in decis. quæ revidetur §. fin.*

Absque eo quod juvet recurrere ad generalia, & prægnantia verba statuti disponentis, ibi — *Fæminas esse debere contentas dote sibi legata, nec aliquo jure, vel causa posse ali-*
14 *quod supplementum petere*, ex quibus inferebatur, quod non solum fœmina acquiescere debeat legato dotis sibi facto à patre quoad quantitatem, sed etiam quoad conditionem ex Bruno, Marescotto Altogrado, &
15 aliis, isti enim loquuntur in casu statuti, quod utitur verbis universalibus, & nimia prægnantibus, nempè, quod filia stare debeat contenta, & tacita de eo, quod fuit illi à Patre relictum, & quacumque de causa non possit venire contra dispositionem paternam, quæ in statuto Fulginei non leguntur, cum sit restrictum ad prohibitionem petitionis supplementi legitimæ tantùm, ibi: *quod nulla mulier dotata possit petere supplementum legitimæ, sed suo legato contenta sit,*

16 *sit, & si quæ peteret non debeat andiri*: un-
de illis non obstantibus filia etiam innupta
dotem legatam ad heredes transmittit, *Mer-
lin. de legitim. lib. 3. tit. 1. quæst. 8. n. 48. &
17 seqq. Rota decis. 10. num. 13. par. 15.* recur-
ritque semper responsio, quod cum dos ex
hujusmodi statuto succedat loco legitimæ,
præceptum de acquiescendo judicio pater-
no, & quæcumque alia verba universalia
non tollunt qualitatem libertatis connatura-
lem legittimæ, sed recipiunt intelligentiam
circa quantitatem, ut ita dos, quæ ad instar
18 legitimæ reputanda est, nullo onere grave-
tur, nec ammittat principaliores effectus, &
prærogativas, quibus potitur ipsa legitima,
leg. sicut in principio Cod. de inoffic. Testam., Surd. conf. 341. n. 11. & pluribus seq., Merlin. de legitim. lib. 5. tit. 3. quæst. 9. n. 5., & seq. Grat. discept. 448. n. 23. de Luca de dote disc. 155. num. 15. & recedendi à præcedenti contraria decisione Robusterii, firmatum fuit *cor. Barat. decis. 215. per tot. cor. Emer. decis. 1. n. 15. & decis. 8 n. 9. & in recentior. decis. 10. n. 2. cum seqnen. par. 15.*

Et ità, utraque resolutum fuit &c.

ROMANA TESTAMENTI.

Lunæ 22. Junii 1705.

ARGUMENTUM.

Testamentum à filio familias cum consensu Patris ordinatum, in quo eundem, & filios proprios hæredes instituit, addito patri onere supponendi fideicommisso in eodem ordinato omnia propria bona, valet jure donationis causa mortis; nec à patre postmodùm impugnari potest ex defectu propriæ subscriptionis à statuto in donatione causa mortis a filio familias factæ ejus favore, requisitæ. Neque ex tali obligatione subjugationis propriorum bonorum, dici debet dispositio captatoria, vel nulla, ex eo quod patri liberam testandi facultatem ademerit, cum ei remanet pinguior usufructus. Et quoque nulla non est, ex quo a filiis eadem donatio lucrativa acceptata non fuerit, quia sufficit acceptatio Notarii.

SUMMARIUM.

1 *Filius familias, neque de consensu patris, testari valet.*

2 *Filius familias mortis causa, patre permittente, donare potest.*

3 *Patris consensus præstitus in Testamento filii, quod ipse protestatus fuit, si non valet jure testamenti, valere jure donationis, ad donationem causa mortis in eadem dispositione contentam, est referendus.*

4 *Patris consensus in donatione causa mortis à filio facta non sufficit, sed ex statuto Urbis requiritur subscriptio, expressam de eadem donatione mentionem faciens:*

5 *Declaratur hanc nullitatem inductam favore donantis: ideoque à patre, qui consensit, opponi non posse, ne fraudetur dispositio filis bona fide, & publicè facta.*

6 *Donatio causa mortis cum consensu patris publicè coràm Notario, & testibus facta à filio favore ipsius filiorum, & patris, dici potest contractus inter patrem, & filium initus.*

7 *Subscriptionis patris solemnitas requisita in donatione causa mortis à filio familias facta, cessante fraude, potest per rogitum Notarii, & testium suppleri.*

8 *Consensus patris in donatione à filio familias facta non sufficit, ubi agitur de ejus maximo interesse: sed requiritur auctoritas Judicis, ejusque decretum.*

9 *Fallit si patri sit relictus tantum usufructus, qui etiam seclusa donatione, eidem debebatur.*

10 *Præceptum donantis, ex quo sublata remanet donatario libera facultas testandi, non valet.*

11 *Donatio à filio familias facta correspectivè ad suppositionem propriorum bonorum faciendam à patre dispositioni filii, est captatoria, & declaratur* num. 14.

12 *Testandi libera facultas non est sublata, cum sub generalitate verborum non comprehendunt jura, & actiones.*

13 *Neque cum relictus fuit pinguis usufructus, ex quo bona comparare possit, de quibus testetur.*

14 *Captatoria dispositio tunc dicitur, cum filius in testamento, quod valet jure donationis causa mortuis, instituit patrem, ut iste unum, vel potius alium instituerет.*

15 *Non verò quando voluit patrem supponere bona propria donationi, & fideicommisso ab ipso filio facto, quod est gravamen hæredis usufructuarii in bonis propriis.*

16 *In gravamine hæredi imposito de supponendo bona propria fideicommisso, non inest captatoria.*

17 *Neque in prohibitione legitimè facta servata cauthela Soccini, quamvis correspectivam subrogationem propriorum bonorum importet.*

18 *In donatione lucrativa sufficit acceptatio Notarii facta pro iis, quorum interest.*

19 *Acceptatio donationis à pupillis, & infantibus facienda à lege suppletur, quæ pro illis dicitur acceptare.*

20 *Et etiam suppletur acceptatione ex post ab eorum matre facta.*

DECISIO CCCLXXV.

ANgelus Serena filius Familias condidit Testamentum, in quo constituit Patrem in usufructu, legavit scut. 1000. Uxori unacum nonnullis jocalibus, & filiæ feminæ dotem constituit; masculos verò hæredes scripsit, iisque omnibus suum consensum præstitit Guglielmus Pater, qui tamen postea pœnitentia ductus Testamentum præfatum impugnavit, sed illud substineri tanquam donationem causa mortis pronunciatum fuit in Curia Capitolina, appellatione autem delata ad

ta ad

taad Judicem Neophitorum fuit causa mihi tamquam Prælato in ejus locum commissa, quamobrem consulendo de more DD. meos dedi dubium -- *An Testamentum de quo agitur sustineatur tanquam Testamentum, seu potius tanquam donatio causa mortis* - & responsum habui, *illud sustineri tamquam donationem causa mortis*.

De jure namque præfinitum est, quod licèt
1 filius familias neque de consensu Patris testari valeat, *leg. qui in potestate* 6., *& leg. si filius familias* 19.*ff. de Testam. & qui testam. fac. poss. leg. senium* 3. *Cod. qui Testam. face.*
2 *poss.* Attamen mortis causa, Patre permittente donare, prout in *leg. Is qui* §. *filius familias ff. de donat. caus. mort.*, *Paul. de Castro in leg. qui in potestate n.* 8. *ff. de Testam. Facchin. controu. lib.*5. *cap.*64 *per tot.*, *Paschal. de patr. potest. par.* 1. *cap* 6. *nu.*11., *Rota in Romana Pecuniaria* 12. *Decembris* 1701. §. *Moto ex eo coram R. P. D. meo Priolo, & in Avenionen. fideicommissi super detractionibus* 10. *Aprilis* 1702. *coram R. P. D. meo Ansaldo*.

In præsenti autem Patris consensum intervenisse dubitari non potest, quoniam cum filius non solùm expræsserit se velle Testamentum condere, sed ulterius protestatus
3 fuit, quod si tali Jure non valeret, valere voluit jure Donationis causa mortis, & alterius cujusvis ultimæ voluntatis, & Guglielmus Pater ibidem præsens declaraverit eidem dispositioni consensum necessarium, & opportunum præstare, & omnia, & singula (sunt ejus verba) laudare, approbare, & authorizare: inde sequitur, quod ad donationem causa mortis in eadem dispositionem contentam consensus præfatus referri debeat, ad tradita per *Corneum cons.* 237. *n.* 7. *&* 11. *lib.* 4., *Fulgos. cons* 87. *n.*5. *Facchin. controu. lib.* 5. *cap* 68. *vers. Quod autem Rota in d Romana Pecuniaria* §. *Nec dicatur cor. R. P. D. meo Priolo*.

Nec visa fuerunt obstare plura objecta in contrarium deducta: quatenùs enim opponebatur non satis fuisse consensum verbalem
4 Patris, sed ulterius fuisse necessariam illius subscriptionem ex dispositione *Stat. Vrbis cap.*149. *lib.* 1. expræssam de donatione causa mortis mentionem facientis, satisfacit res-
5 ponsio, quod hujusmodi nullitas tamquam inducta favore ipsius donantis ad evitandas fraudes, nequit opponi à Patre, qui fuit præsens, & consensum præstitit actui, ne alias è converso defraudata remaneat intentio filii, qui fretus consensu Patris ejusque authoritate confisus dispositionem fecit, nulla quoad ipsum fraude, vel dolo interveniente, dum publicè, & palàm coram Notario, & septem Testibus favore filiorum, & ipsiusmet Patris ad donationem devenit; in his enim circumstantiis, vel dici potest, quod
6 potiùs versamur in contracto inito inter Patrem, & Filium, vel sistendo etiam in puris, & simplicibus terminis donationis causa
7 mortis, adhùc dicta solemnitas cessante dolo, & fraude non fuit necessaria, & potuit per æquipollens hoc est per rogitum Notarii, & Testium adimpleri, *Honded. cons.*58. *num.*69. *lib.* 1. *Gomez variar. resol. lib.* 1. *c.*2. *num.*7. *Adden. ad Gregor. decis.*515. *num.* 11. *Rota cor. Bich. decis.*458. *n.*23. *& seqq. & in recen. decis.* 149. *n.* 13. *par.*6.

Quatenùs verò replicabatur, quod adhùc
8 consensus Patris nec fuit sufficiens isto casu, quo requiritur pro forma, & per modum authoritatis, & ad integrandam personam filii: Undè cum in eo pater maximum interesse habuerit ratione ususfructus relicti, necessaria fuerit authoritas Judicis, ejusque decretum ex alias deductis per *Modernum ad Stat. Vrbis adnot.*45. *n.*63., aduerterunt DD. quod (omisso etiam prò nunc examine quæstionis prædictæ in abstracto cujus respectu etiam plures authoritates allegabantur in contrarium) nulla utilitas obvenit Patri ex usufructu ei in hac dispositione reli-
9 cto; nam etiam seclusa donatione fuisset ipsi debitus in bonis filii, qui ab intestato decessisset: quapropter cessante commodo, cessavit etiam necessitas servandi alias solemnitates, quæ isto casu non requiruntur.

Minùs obstant aliæ nullitates deductæ, ex quo cum Testator voluerit, quod Pater supposueret ejus dispositioni - *Tutti, e singoli suoi beni di qualsivoglia sorte ad esso spet-*
10 *tanti, e che spettaranno in avvenire*, prout de facto ille supposuit, dicatur sublata eidem Patri libera facultas testandi, & ulterius,
11 quod hæc dispositio fuerit captatoria tamquam facta correspectivè ad suppositionem propriorum bonorum faciendam per patrem dispositioni filii, nam alias iste non ita disposuisset. Utraque enim difficultas de facili sublata fuit, respectu enim primæ ultra, quod posset substineri prò validitate actus,
12 quod sub d. generalitate verborum non comprehendantur jura, & actiones, ut probant *Card. de Luc. de don disc.*23 *n.*3. *Cutel. de donat. disc.* 1. *special.* 1. *n.*21. *Rot. dec.*273. *n.*12. *p.*11. *rec.* cum aliis adductis in *Bonon. fideic.* 28. *Janu.* 1702. § *Verum coràm R. P. D.*
13 *meo Ansaldo*, cessare visa fuit quælibet difficultas ex reservatione pinguis ususfructus, cum posset ex eo alia bona comparari, de quibus testari, & disponere valeat; *Mart. Med. examinat.* 21. *n.* 28. *& seq. de Franch. decis.* 168. *num.* 3. *&* 4. *Rota cor. Cerro decis.*562. *num.* 7. *& cor. Emerix decis.* 1019. *n.*32. *& in recen. decis.* 10. *n.* 5. *par.* 5. *& decis.*21. *n.* 4. *par.*9.

Respectu verò secundæ animadversum
14 fuit, quod Testator non instituit Patrem, ut iste unum vel potiùs alium institueret, aut substitueret, in quibus casibus intrant termini captatoriæ, sed dumtaxat voluit,
15 ut hæres supponeret bona propria donationi, & fideicommisso à se facto, quod nihil aliud præsefert, quam gravamen hæredis usufructuarii in bonis propriis, qui sunt termini longè distantes à captatoria, ut probant *Card. de Luca de Testam, disc.* 42. *num.*9. *&*

de fidei-

*de fideicomm.disc.*134. *num.* 13. 14., & benè distinguendo *Rot. in d. Bononien fideicomm.* 28. *Janu.* 1701. §. *Nimium*, *& seq. coràm R.P.D.meo Ansaldo confirm.*19. *Janu.*1703. §. *Quò vero ad captatoriam*, *cor. R. P. D.meo Scotto*, alias namque si vitium captatoriæ in hujusmodi casibus sibi locum vindicaret;
16 captatoria similiter diceretur prohibitio legitimæ facta hæredi cum cauthela Soccini, quia, & illa correspectivam subjugationem importat, & tamen nemo unquam dubitavit de illius validitate, ut in specie arguit *Rota in decis. Avenion. fideicomm.*1701. § *fin.cor. cor. R.P.D. meo Ansaldo.*

Cæterùm ea, quæ opponebantur circa defectum acceptationis Donationis, quam non probatur factam fuisse à Pupillis, nullam
17 visa fuerunt mæreri animadversionem, nam cum versemur in donatione lucrativa satisfuit acceptatio Notarii facta pro iis, quibus interer at, *Card. de Luc. de donat. disc.* 36. *n.* 10. *Cancer. var.resol.*242. *n.* 8. *Rot.in Romana Pecun* 12. *Decembris* 1701.§.*Quo verò cor. R. P D. meo Priolo*: Maximè cum
18 agatur de Pupillis, & infantibus: lex enim eorum favore supplet, & dicitur acceptare, ac stipulari, *Card. de Luc. de donat. disc.*56. *n* 8. *Rot cor. Seraphin. decis.*472. *n.*7.*& decis.*653. *n.* 6. *par.*1. *discurs.& decis.*472.*n.*7. *& decis.*653. *n.* 6. *par.*1.*divers.& decis.* 770. *n.* 1. *par.*1. *recent.* Et in omnem casum sufficit etiam acceptatio ex post facta à matre, ut re-
19 spondit *Rot. in d. Rom. Pecun.* 1701. §. *fin. cor. R.P.D. Priolo.*

Et ità utraque &c.

SENOGALLIEN. CANONICATUS DE LUCHIS, SUPER GRATIA SI NEUTRI.

Veneris 22. *Junii* 1705.

ARGUMENTUM.

Gratia *si neutri* executioni demandari non debet, quousque collitigantis jus liquidabile perimatur, vel pro se præsentationem habet. Adest in hac causa infra decis.590.

SUMMARIUM.

1 *Gratia* si neutri *est conditionalis*, *quatenus nulli ex collitigantibus jus competat.*
2 *Gratia* si neutri *non est exequenda*: *dum collitigans habet pro se sententiam*, *licèt per appellationem suspensam.*
3 *Nec quando collitigantis jus est liquidabile*, *licet non liquidum adhuc sit.*
4 *Nec quando unus ex collitigantibus habet pro se præsentationem.*
5 *Præsentatio jus considerabile confert præsentata.*
6 *Fidibus vilium personarum non credendum est.*
7 *Et excludantur ex aliis depositionibus Testium omni exceptione majorum.*
8 *Testibus de bona fama deponentibus*, *major fides præstanda est*, *quam illis*, *qui de mala fama testarunt.*
9 *Testes numero plures*, *& qualificati præferuntur paucioribus.*

DECISIO CCCLXXVI.

AD Canonicatum vacantem in Ecclesia Cathedrali Senogalliæ per obitum Celidei, fuit à Gregorio Soprano præsentatus Dominicus Valerius, sed quia interim sese opposuerunt Joseph de Leona, & Joseph Albertinus, triangularis acta est quæstio super illius collatione, & delata causa ad Tribunal Episcopale, Vicarius Generalis per sententiam, dicto Leonæ faciendam esse collationem, eumque instituendum esse declaravit.

Appellarunt collitigantes, & causam mihi committi obtinuerunt, sed hoc non attento idem Episcopus prætendens omne jus fuisse ad se devolutum non dubitavit Canonicatum Priamo conferre, eique possessionem tradere: quamobrem sub die 6. Junii anni præteriti hæc omnia favore Priami gesta declarata fuerunt attentata.

In hoc statu Priamus agnoscens nullum jus fovere, immò eodem contextu supponens etiam nulli ex aliis collitigantibus Canonicatum deberi, recursum habuit ad Sanctissimum, obtinuitque gratiam *si neutri*, quam hodie DD. non esse exequendam censuerunt.

Cum enim illa sit conditionalis, quatenùs scilicèt neutri ex collitigantibus jus compe-
1 tat *Geminian.conf.*79 *nu.*7., *Rota cor. Celso decis.*366. *n.* 1. *&* 7. *& decis.*220.*n.*6.*part.*4. *recent.* non potest in præsenti casu habere locum, ex quo licet Priamus gratiam impetrando fassus fuerit se nullum sua habere, tamen non probat id ipsum verificari etiam in aliis collitigantibus, ut ex præmissis necessarium foret.

Et quidem respectu Josephi de Leone dici non potest constare de illius non jure, dum
2 non solum habet pro se sententiam, quamvis suspensam per appellationem interpositam à Dominico Valerio, sed etiam comprehensus est in fundatione. Non attenta unica exceptione defectus ætatis, quoniam esse supponitur ejus favore remissus, & in his terminis non esset attendenda gratia si neutri, quia etsi non fuerit decisum in secunda instantia; an his non obstantibus illæ sit instituendus, cum proposito hodiè principali dubio nulla fuerit capta resolutio, & sic ad-
3 huc illius jus non sit liquidum, tamen sufficit, quod sit liquidabile, itaut interim locus non sit exequutioni gratiæ si neutri per Priamum impetratæ, *Lotther. de re benefic. lib.*2. *quæst.*54. *&* 164. *Rota cor. Mantio decis.* 231. *n.* 4.

At quatenus etiam ista patiantur suam difficultatem, remanerent intacta jura Dominici Valerii alterius collitigantis, cum iste habeat prò se præsentationem, per quam
4 fuit illi acquisitum jus considerabile, itaut quidquid dici possit inter illos collitigantes,

qui in separato judicio circa prælationem contendunt; Hoc unum certum est, quod neque respectu istius gratia justificata remaneat, ut in his præcisis terminis *Lotther. ubi supra n.162. Rota decis.726. n.3. par.2. recent. & coram Pamphil decis.556. n.15.*

Non obstantibus exceptionibus circa malos mores, & inhabilitates personales, ac illitteraturam eidem per Priamum oppositis, quoniam ea omnia non probantur, nisi ex simplicibus fidibus reportatis à personis
6 vilibus, quibus propterea credendum non est, *Rota corom Celso decis.351. num.7. & cor. Pamphil. decis.262. n.5. & cor. Emerix decis.69 n.1* immò potiùs excluduntur ab aliis depositionibus personarum Ecclesiasticarum, & Magistratuum, aliorumque Te-
7 stium omni exceptione maiorum de bona vita, & actibus pietatis dicti Dominici atte-
8 stantibus, quibus maior est adhibenda fides, tum quia deponunt de bona fama, *Parisius cons.58. num.30. & 31. lib.4. Roland. cons. 27. n.30. lib.3. Rota decis.421. in fin. part.1. & decis.465. n.10. par.18. recent.* tum quià sunt numero plures, & magis qualificati, per *Tex in cap. licet causam de probat. Rota cor. Gregor decis.322. n.6. & cor. Bich. dec.138. n.4. coram Cerro decis 104. n.7. & in recent. decis.69. n.26. & 27. par.18.*

Et ità utraque &c.

FIRMANA DAMNORUM.

Luna 22. Junii 1705.

ARGUMENTUM.

Damna prætensa in ædificii devastatione, nisi ab actore concludenter probentur, non veniunt reficienda, & ex quibus excludantur.

SUMMARIUM.

1 *Mandatum pro damnis illatis relaxari nequit, cum de illis non constat.*
2 *Fides testis singularis non sufficit ad condemnationem pro refectione damnorum illatorum.*
3 *Probatio facta per unum testem ex aliis adminiculis remanet perfecta.*
4 *In testium contrariis fidibus, una aliam destruit, vel fidem minuit.*
5 *Actori ad hoc ut obtineat, quod petit, incumbit onus illud concludenter probandi.*
6 *Ad damnorum refectionem, qui ea non intulit, non tenetur.*
7 *Testium depositiones ad perpetuam, pendente lite, & non citata parte, reportatæ, nullum gradum probationis constituunt.*
8 *Devastasse non præsumitur ædificia, qui pro illorum reparatione, & bonificamentis notabilem summam impendit.*
9 *Ex venditionis pretio deducitur quid, & quantum fuerit venditum.*

DECISIO CCCLXXVII.

Præter manutentionem reportatam à Lazzarinis in possessionem Molendini, & duorum ædificiorum ad usum raminis, & ferri, quibus spoliati fuerant à Magnificis, ac restitutionem fructuum à die motæ litis decursorum demandatam contra Zambecchinum ultimum possessorem dicti Molendini, ejusque annexis, ut fusiùs *ex decisionibus R. P. D. mei Muti* colligitur; in præsenti institerunt coram me iidem Lazzarini, ut eorum favore relaxaretur novum mandatum contra Zambecchinos pro damnis passis in ædificiis prædictis post commissum spolium, quod non esse contra illos relaxandum DD respondetunt.

Non enim probatum fuit, quod Zambecchini ullum damnum intulerint, nec quod
1 ædificia devastaverint, qua probatione deficiente, non potest contra eos relaxari mandatum, *Thomat. dec. Marchiæ dec. 147. n.2. Rota cor. Pamphil. dec.420. nu.12., & cor. Dunozett. jun. dec. 478. nu.5.*

Et sanè probationes per Lazzarinos inductæ licet consistant in depositionibus plurium testium, tamen unus ex illis dumtaxat formiter examinatus asseruit vidisse Philippum Zambecchinum secum tulisse ferramenta, quæ Thomas magnificus ab ædificiis extraxerat, hæc autem depositio ostendere quidem posset damna fuisse insolidum illata tam à Magnifico, quam à dicto Philippo Zambecchino, sed cum habeatur ex unico,
2 & singulari teste, non sufficit pro condemnatione ad refectionem damnorum, ad *Text. in Cap. licet eam de probat. Rota cor. Coccin. dec. 1385. nu.2., & in rec. dec.700. nu.3. par.2., & dec.177. nu.15. par.5.*

Agnita difficultate per Scribentes pro Lazzarinis curarunt præfatam depositionem adminiculare cum aliis pluribus depositionibus testium factis ad perpetuam rei memoriam, & metu excommunicationis, ex quibus simul junctis asserebant satis probari devastationem factam fuisse à Zambecchinis, itaut
3 probatio, quæ ex depositione unici testis deduci non poterat, remaneret abunde perfecta, ex traditis per *Joannem Andream in Cap. fin. nu.4. de success.*, quem laudat *Rota dec.58. nu.2. par.15. rec.*

Sed non satisfecit argumentum, quoniam Zambecchinus deduxit instrumentum venditionis sibi factæ à Magnificis de hujusmodi Molendino, & ædificiis annexis, ubi dicitur, *illud esse penitus inutile* (sunt verba præcisa) *& modo devastatum, & propterea eis potius damnosum cum non haberent commoditatem illud reaptandi, & reddere macinabile*: istamque enunciativam comprobarunt ex depositionibus plurium testium informiter tamen examinatorum, qui satis aperte probant devastationem fuisse factam, priusquam bona transirent in Zambecchinos, quamobrem libratis invicem probationibus, quæ hinc inde afferebantur,
4 visum fuit, quod una destruat aliam, itaut vel

vel tollantur, vel saltem debilitentur ea,
que pro justificatione damnorum deduce-
5 bantur, & per consequens hoc sufficit, ne
actores, qui tenentur concludenter eorum
intentionem probare, valeant obtinere ad
*Textum in l. 2. ff. de probat. Rota dec. 269.
nu. 1. par. 19. recent. & in Romana seu Ja-
nuen. Pecuniaria* 10. *Martii* 1698. §. *Quan-
do quidem cor. R. P. D. meo Muto.*

Et hæc certius procedunt, ex quo ipsi
met Lazzarini produxerunt testes deponen-
6 tes, quod damna fuerunt illata à Magnificis,
antequam venderent Molendinum Zam-
becchinis, & de facto contra illos senten-
tiam in tribunali A. C. pro refectione dam-
norum obtinuerant. Non attenta responsio-
ne, quod supervenerint ex post novæ pro-
bationes contra Zambecchinos circa deva-
stationes diverso tempore factas, quoniam
7 hujusmodi assertæ probationes consistunt in
dd. depositionibus pendente lite, & ad per-
petuam nemine citato reportatis, quæ nul-
lum gradum probationis constituunt *Rota
cor. Celso dec. 196. nu. 4. & in rec. dec. 281.
nu. 3. par. 17., & dec. 316. nu. 20. par. 19.*

Immo ipsi met Lazzarini in eorum res-
ponsione deduxere nonnullos testes depo-
nentes Zambecchinos habuisse bona contro-
8 versa inepta ad laborerium, quodque mul-
tas expensas fecerunt pro illorum reaptatio-
ne, hinc enim tanto magis excluditur, quod
ipsi illa non devastaverint, dum è converso
notabilem summam impenderunt pro re-
stauratione, ut patet ad sensum. Addito
etiam, quod Molendinum, & ædificia fue-
runt Lazzarinis ab initio vendita pro scut.
450., & quoniam postmodum probarunt se
fuisse enormiter læsos in pretio, obtinue-
runt ad possessionem reintegrari, è conver-
so Magnifici illud vendiderunt Zambecchi-
nis pro sc. 330., imperceptibile autem est,
quod si de isto tempore ædificia fuissent in
bono statu, illa vendidissent adeo vili præ-
tio, neque correspondenti illi quod enor-
9 miter læsum fuerat declaratum, ex vendi-
tione autem deduci quid, & quantum fue-
rit venditum, probant communiter docto-
res *Rot. in Romana Fornacis* 26. *Martii*
1700. §. *Quodque coram R. P. D. meo An-
saldo, & in Romana Communiantiarum, &
fontanilis* 20. *Jannarii* 1702. §. *Decimo cor.
eodem.*

Et ità, utraque &c.

ROMANA DOTIS SUPER MANDATO sc. 1850. EORUMQUE FRUCTIBUS.

Veneris 26. Julii 1705.

ARGUMENTUM.

Ex promissione facta in executionem testamenti, quando quis se obligare voluerit, etiam proprio nomine, examinatur. Læsio in adjudicatione bonorum fideicommissi ab eorumdem pretio non mensuratur, cum illa ad vitam tantum gravati, & non in perpetuum fiat. Neque habenda est ratio de fructibus bonorum fideicommissi favore hæredum gravati, cum illi ad ulteriores vocatos pertinent: qui propterea super istis possunt pacisci. Descendentium dotes promissæ ex fructibus bonorum fideicommissi sunt solvendæ: quod si à gravato factum non fuerit, de proprio tenetur. Et inter istos fructus connumerantur quoque illi, qui proveniunt ex bonis ab eodem testatore prius gravato donatis, cum onere tamen subiiciendi fideicommisso, quod revera postea in testamento ordinavit. Fructus dotis non conventi ad quam rationem sint taxandi ex statuto Urbis? Confirmatur infra dec. 604, & dec. 630. juxta ibidem expressum modum.
Adest proxime sequens super supplemento cum ibi notatis.

SUMMARIUM

1 *Instrumentum cum obligatione camerali promptam, paratamque habet executionem, omnemque reiicit exceptionem.*

2 *Promissionem non proprio, sed hæreditario nomine factam, nonnisi intra vires hæreditarias adimplere quis tenetur.*

3 *Obligatio facta in executionem testamenti demonstrative, uti talis facta censentur: cum non ex fructibus hæreditatis, sed libere fuit conventa solutio.*

4 *Verbum* -- liberamente -- *excludit omnem contradictionem, & fert promissionem independenter.*

5 *Obligans se correspective ad renunciationem ad proprium commodum reportatam, licet expresserit in executionem testamenti fecisse; tamen intuitu dictæ utilitatis, ipse ad solutionem teneri voluisse censetur.*

6 *Fructus percepti ex re, quæ cum enormissima læsione fuit adjudicata in sortis extinctionem imputantur.*

7 *Enormissima læsio adjudicationis non consideratur, attento pretio rei, si illa ad vitam solius debitoris facta fuit.*

8 *Exceptio læsionis post sexaginta annos opposita ad retardandam executionem obligationis cameralis, non attenditur: sed ad suum congruum, & ordinarium judicium reiicitur.*

9 *Debitum redditur illiquidum ex perceptione fructuum de bonis debitoris.*

10 *Fructus fideicommissi post gravati obitum decursi, ad eum non pertinent, sed ad fideicommissarium, &* num. 12.

11 *Neque si ab illius creditore fuerint percepti, pro illius debiti exoneratione, contraponi possunt, aut creditum illiquidum reddunt.*

13 *Etiamsi fideicommissarius eos eidem creditori diverso titulo donaverit.*

14 *Maximè si conventum inter ipsos extiterit, ne credito contra gravatum ex hoc præjudicium inferretur.*

15 *Fæminis, quibus ex fideicommissi fructibus dos debetur, de proprio persolventi, contra ejusdem fideicommissi bonis competit relevatio.*

16 *Hæres; qui debet ex fructibus fideicommissi dotare fœminas, si post eos perceptos non adimpleverit de proprio tenetur, & num. sequenti.*

18 *Oneri dotationis ex bonorum fructibus subjacent etiam bona, quæ per prius donaverat testator cum facultate subministrandi fideicommisso, & revera eadem subjecit, & hoc onere dotationis fideicommissum gravavit.*

19 *Fructus dotales non conventi ex statuto Urbis taxantur ad rationem sc. 7.: 50. pro centenario, & anno.*

DECISIO CCCLXXVIII.

POntius Ceva Senior donavit intuitu certi Matrimonii sc. 20. mil. Pontio Juniori, reservata sibi facultate subiciendi dictam quantitatem fideicommisso favore descendentium facto, seu faciendo, & deinde condito testamento, utendo dicta facultate, fideicommissum instituit cum substitutione illorum de Rattis, & declaravit inter cætera, quod filiæ fœminæ ex dicto Matrimonio nascituræ, mediocriter ex fructibus, non autem ex capitali dotarentur, eodemque contextu cætera alia sua bona eidem fideicommisso subjecit.

In sequelam hujus dispositionis Ludovica una cum aliis sororibus institit in Tribunali A. C. contra Jacobum fratrem pro assignatione dotium, quæ fuerunt singulis constitutæ in sc 2500., sed postmodum Jacobus transigendo cum eadem Ludovica sorore, ei occasione Matrimonii initi cum Bruto Gottifredo neglecta quantitate taxata ab A C. promisit per Instrumentum publicum sc. 3000. pro dote, idest sc. 2000. in executionem testamenti conditi à Pontio Seniore communi avo, & alia 1000. in satisfactionem cujuslibet prætensionis, quam dicta Ludovica posset habere super quantitate scut. 20000. alias per dictum Pontium donata, cum hoc tamen, quod solutio fieri deberet minutatim intra decennium, itaut quolibet anno solvenda esset rata sc. 300., & interim solvi deberent fructus ad rationem sc. 4. pro centenario.

Verum quia Jacobus ex dote promissa solum intra primum annum persolverat summam sc. 50., idcirco Brutus vir duo mandata contra illum obtinuit anno 1645., alterum pro interusuriis dotalibus debitis in sc. 120., alterum pro sc. 150. ad computum capitalis dictæ dotis, & horum vigore favore ejusdem actoris deliberatum extitit jus vitalitium percipiendi pensiones, quoad Jacobum debitorem spectabat super duabus domibus recensito fideicommisso subjectis. Mortuo autem Bruto anno 1649., cum Ludovica anno 1657. transivisset ad secundas nuptias cum Carolo Zeccadoro, iste pro satisfactione residui dotis, & fructeum, reportavit mandatum de associando ad geminas alias domos fideicommissarias, sed quia paulo post decessit Jacobus debitor sine filiis, & purificatum extitit fideicommissum favore illorum de Rattis, isti possessionem omnium bonorum fideicommissariorum nacti fuerunt, & signanter recensitarum domorum, ad quas fuerat obtenta associatio; propterea Ludovica interpellationem exequi curavit contra Agatam Coperchiam Uxorem, & hæredem testamentariam Jacobi, in qua etiam declaravit velle consequi fructus dotales ad rationem à statuto Urbis præscriptam.

Ac deinde, cum novum judicium instituisset in Tribunali Eminentissimi Vicarii, fuit ei oppositum, quod ad manus Jacobi qui dotem promisit, non devenerant tot fructus ex bonis fideicommissi, ex quibus potuissent ad normam testamenti constitui dotes filiabus fœminis, & quod ideo nullum contra ejus bona potuisset relaxari mandatum: hinc deventum fuit ad electionem peritorum, quorum ultimus de consensu partium electus retulit, Jacobus remansisse debitorem cor. R. P. D. Vicesgerente, qui plura mandata relaxavit contra bona hæreditaria Jacobi: videlicet pro sc. 1850. debitis pro residuo capitalis habito respectu ad quantitatem promissam in executionem testamenti Pontii Senioris, & pro illorum fructibus ad rationem sc. 4 usque ad diem interpellationis factæ per Ludovicam, & abinde citra usque quo continuavit Matrimonium cum secundo viro ad rationem sc. 7. : 50. juxta taxam à statuto Urbis per scriptam: & ulterius relaxavit aliud mandatum pro sc. 500. debitis in supplementum dictæ dotis juxta taxationem jamdiu factam in sententia A. C., ac pro illorum fructibus. Cum autem ab hujusmodi mandatis fuisset provocatum, delata mihi appellationis causa, pro faciliori ejusdem examine fuerunt distincta dubia, & omisso altere respiciente augumentum sc. 500. & fructus, hodie pariter contemporanee proposito, quoad istud respiciens capitale dotis sc. 1850. eorumque fructus alias pariter propositum, & non resolutum. Domini *mandatum esse exequendum* responderunt.

Supposita enim validitate mandatorum, justitia quoad sortem resultat, ex quo Jacobus Ceva per Instrumentum publicum promisit inter cætera solvere pro dote sc. 2000. in executionem dispositionis factæ per Pontium Seniorem: quamobrem dum ex istis remanent solvenda sc. 1850. bene fuit processum ad relaxationem mandati vigore obligationis Cameralis, quæ promptam, & para-
1 tam habet executionem, omnemque reiicit exceptionem, ad tradita per *Zacch. de obligat. Cameral. quæst. 2. nu. 4., Rota post eumdem decis. 12. nu. 1., & cor. Buratto decis. 779., & 910. utrobique nu. 1.*

Absque quod opponi valeat, quod promissio pro hac rata facta fuerit non proprio,
2 & particulari, sed hæreditario nomine Pontii, attenta præfata expressione, quod Jacobus ad eam deveniebat in executionem volun-

voluntatis in testamento explicatæ per Pontium, qui dotes ex fructibus fideicommissi constitui mandaverat. Tum quia dicta ver-
3 ba isto casu debent intelligi demonstrative
prolata, dum non fuit dictum, quod deberet solvi ex fructibus, imo è converso fuit conventa dilatio solvendi integram dotem promissam usque ad decennium, quo elapso fuit promissa solutio cum verbo -- *liberamente* --, quod ostendit promissionem fuisse factam independenter à testamento Pontii. Si enim illam voluisset solvere ex fructibus, non se coarctasset ad solutionem libere faciendam, & intra decennium, sed respectum habuisset ad annuam perceptio-
4 nem fructuum pro solutionibus regulandis,
verbum enim -- *liberamente* -- excindit omnem contradictionem. *Simon de Pretis cons.* 117. *nu.* 38., *& de Interpræt ultim. volunt. lib.* 4. *interpræt.* 1. *nu.* 120., *Mans. consultat.* 582. *nu.* 8. *Surd. dec.* 272. *nu.* 14.. Maxime quia etiam unico contextu fuit promissa major quantitas usque ad sc. 3000., & hoc fuit expletum per Jacobum correspective ad amplissimam renunciationem jurium quorumcumque ad Ludovicam spectantium tàm in bonis Pontii fideicommittentis in vim recensitæ donationis, & testamenti, quam etiam in hæreditate Ursulæ Matris, cumque hæc renunciatio respiceret dumtaxat utilita-
5 tem, & commodum ipsius Jacobi, non au-
tem fideicommissi, & hæreditatis Pontii Senioris, inde bene dignoscitur, quod ipsa intuitu prædictæ utilitatis teneri voluit ad solutionem dotis. *Card. de Luca de dot. disc.* 28. *nu.* 10. *Rota decis.* 545. *num.* 2. 3. *par.* 5. *recent.*, *& in Romana Mercium* 4. *Martii* 1688. §. *Quia objectum coram cla. me. Card. Caccia*, *& in Camerinen. censuum* 10 *Martii* 1698. §. *Vindicatis cor. Reverendissimo D. meo Decano*.

Quibus ita firmatis, non obstat, quod Ludovica, aut fuerit de suo credito satisfacta, aut illud hodie illiquidum remanserit, ex pluribus, quæ ad hunc effectum adducebantur, & sane non obstat exceptio, quod Brutus primus ejus vir sibi fecerit adjudicari
6 duas domos pro solis sc. 123. unde attenta
hac enormissima læsione, inferebatur, quod fructus percepti imputari debeant in extinctionem sortis, etenim ultra quod exage-
7 rata læsio cessat, quia cum domus prædictæ
essent subjectæ fideicommisso, non poterant adjudicari in perpetuum, sed ad solam vitam gravatorum, cujus tempus erat incertum, quia poterat immediate deficere, satisfecit responsio, quod post lapsum 60. an-
8 norum cum nunquam debitor reclamaverit,
non meretur attendi in hoc judicio ad retardandam executionem obligationis Cameralis exceptio læsionis, quæ utpote requirens altiorem indaginem, ad aliud ordinarium, & magis congruum judicium per tres conformes terminandum, venit reicienda. *Rota decis.* 459. *nu.* 43. *par.* 11. *dec.* 113. *num.* 15. *par.* 10., *& dec.* 128. *nu.* 11. *par.* 17. *recent.*

Altera vero exceptio, quod idem Brutus obtinuerit associationem ad alias duas domos, quarum fructus etiam longe post pu-
9 rificatum fideicommissum indebite perce-
pit Ludovica, itaut proinde isti cedere debeant in satisfactionem dotis, & illam saltem reddiderint illiquidam, prorsus cessare visa fuit in facto, quoniam statim, ac purificatum extitit fideicommissum, fuit contra Ludovicam intentatum judicium immissionis ad instantiam illorum de Rattis fideicommissariorum, qui obtinuerunt etiam condemnationem Ludovicæ ad restitutionem fructuum, quos post mortem Jacobi perceperat, ut videre est *in decis.* 414. *cor. bon. me. Emerix*, *& decis.* 160 *par.* 18. *recent.*. Quamobrem cum clare pateat. quod illi fructus non spectabant ad hæreditatem Jacobi
10 debitoris utpote decursi post illius obitum,
11 nequeunt ad illius exonerationem contra-
peni, sed Ludovica remansit debitrix voca-
12 torum ad fideicommissum, qui si deinde
ad captandam quietem, & terminandam li-
13 tem, titulo prorsus diverso, & distincto
à dote, medietatem pensionum prædictarum donare voluerunt, non potuit cum illis creditum dotale reddi turbidum, & illi-
14 quidum, maxime quia in transactione spe-
cifice conventum fuit, quod per juribus, & hypothecis sororibus de Ceva quomodolibet competen. adversus bona, & jura hæreditaria Jabobi pro consecutione earum dotium, & fructuum, quodque ad effectum prædictum instrumentum transactionis pro non celebrato haberetur.

Eadem facilitate cessat illiquiditas deducta ex perceptione pensionis ab aliis domibus, ad quas Carolus secundus vir associationem obtinuerat, nam respectu illarum, quarum possessionem nactus fuerat *die* 7. *Decembris* 1657. nihil prorsus venit imputandum, quia nihil perceptum, dum paulo post obiit Jacobus debitor, & post quatuor menses à die ejus obitus possessionem appræhenderunt hæredes fideicommissarii, qui statim obtinuerunt à Judice inhibitionem tam contra Ludovicam, ne conficeret instrumenta locationum, quam contra inquilinos, ne solverent pensiones, easque solum idem Judex deponi jussit ad effectum consignandi cui de jure.

Quatenus tandem opponebatur cum aliis pensionibus perceptis ex alia domo, cujus possessionem cæperunt sorores de Ceva de anno 1658. tanquam obnoxia restitutioni dotis maternæ, constito quod illæ, ex quo succubuerunt in judicio, controvertere non possunt restitutionem, cum portio restituenda à Ludovica ascendat solum ad sc. 832.:50. jam actrix à dicta Ludovica causam habens promptam, & paratam se obtulit illa imputare in diminutionem, & computum fructuum dotalium in longe majori summa ad ipsam spectan., prout etiam R. P. D. Vicesgerens per decretum fieri demandavit.

Non refragante, quod ubi etiam Jacobus,

bus, illiusque hæredes tenerentur consti-
15 tuere dotem de proprio, adhuc ipsis competat relevatio contra bona fideicommissi, ex cujus fructibus dotes fœminarum sunt persolvendæ, atque ideo cum Ludovica mortuo fratre dictos fructus perceperit, illi in satisfactionem dotis sunt imputandi, ut hæreditas Jacobi relevationem consequi possit. Ex facto enim quæcumque difficultas cessate visa fuit, eo quia Jacobus peritam relevationem jam fuit consequutus, constitit enim ex relatione periti de consensu partium electi, quod ex bonis fideicommissariis percepit fructus in quantitate scut. 9859.:79. ex bonis vero donatis in sc. 3138.:6. & sic in totum habuit sc. 12997.: 85., à quibus cum detractis detrahendis in summa sc. 9962. remanserint in manibus ejusdem Jacobi sc. 3034.: 93., hæc eroganda erant in satisfactionem dotis Ludovicæ promissæ,
16 quod dum factum non fuit, tenetur modo illius hæreditas eadem de proprio persolvere, *ad Text. in l. apud Julianum* 40. §. *Hæres ff. de legat. primo, & in l. liberto* 21. §. 1. *ff. de annuis legatis*, & tradunt *Castrensis cons.* 16. *sub nu.* 4. *lib.* 2. *Franch. decis.* 49. *nu.* 2. *Carol. Ant. de Luca ad illum nu.* 21. *Palma decis. Lucen.* 62 *nu.* 56. *Rota decis.* 260. *nu.* 3. *par.* 11. *dec* 160. *nu.* 9. *par.* 18. *& decis.* 293. *nu.* 24. *par.* 19. *recent.*, fuitque etiam decisum per nostrum Tribunal, quando allegantibus sororibus de Ceva retentionem bonorum contra fideicommissarios pro dotibus ipsis debitis rejectæ fuerunt, eo quia
17 illæ erant detrahendæ ex fructibus fideicommissi, quos cum percepisset Jacobus, contra eum actio dirigenda erat, ut late prosequitur *decis.* 160. *nu.* 8., *& 9. par.* 18. *recent.*

Nec obstat, quod pro dotandis fœminis, ratio haberi non debeat de fructibus bonorum donatorum, itaut si isti detrahantur à calculo mox recensito, nihil penitus remaneat, cum quo posset Jacobus dotem Ludovicæ constituere. Etenim quod utraque species bonorum esset obnoxia oneri dotationis fœminarum, manifeste convincitur, tum quia dum donatio fuit facta cum pacto, quod bona donata supposita remanerent fideicommisso facto, & faciendo, eo ipso,
18 quod idem donans ordinavit in testamento fideicommissum, & mandavit fœminas dotari ex fructibus, inde sequitur, quod obligatio dotandi utpote adjecta in fideicommisso faciendo, & respective per eum successive facto, cui subjecta remanere debebant bona donata, restringi non valet ad bona fideicommissaria, sed ea quoque comprehendit quæ fuerant præcedenter in donatione comprehensa, tum quia cum alias in nostro Tribunali petiissent sorores de Ceva sibi dotes constitui super bonis hæreditariis Pontii Senioris ad exclusionem R. P. D. Vecchiarelli creditoris ejusdem Pontii, prodiit *decisio la* 2170. *cor. Coccino*, in qua fructus bonorum valoris sc. 4000. ad quæ fuerat præfatus creditor associatus, eidem reservati fuerunt, eo quia fœminis consultum erat super fructibus aliorum bonorum ascendentium ad sc. 46000., quod aperte denotat, tam bona fideicommissaria, quam donata subjecta esse oneri dotationis, cum bona fideicommissaria de per se ad tantam quantitatem non ascenderent.

Et hæc quoad justitiam mandati respectu capitalis dotis pro rata sc. 2000.. Quo vero ad alteram mandati partem respicientem quantitatem fructuum, justitia pariter resultare visa fuit, ex quo ad illam regulandam processum fuit cum distinctione temporum, & personarum, nam pro decursis à die 3. Martii 1645. usque ad diem 13. Augusti 1658. mandatum fuit relaxatum ad rationem sc. 4. pro centenario, quia in capitulis Matrimonialibus concessa fuerat dilatio decem annorum, eaque pendente promissi extiterunt fructus ad rationem sc. 4. pro centenario, & interpellatio fuit facta solum dicta die 13. Augusti, ideoque ad dictam rationem pro dicto tempore bene fuit relaxatum mandatum, abinde vero citra usque ad diem 14. Decembris 1675. valide, & recte fructus fuerunt calculati in sc. 7.: 50. pro quolibet centenario, quia cum tunc temporis dilatio prædicta jam fuisset expirata, & post eam illorum quantitas conventa non esset, præterea recurrendum erat ad dispositionem statuti, in quo fructus dotales taxantur in dicta quantitate sc. 7.: 50. pro quolibet centenario, ad tradita per *Conciol. alleg.* 8. *nu.* 55., & firmat *Rota cor. Durano decis.* 419. *nu.* 6. *cor. Merlin. decis.* 457. *nu.* 2. *coram Celso decis.* 312. *nu.* 1. *& dec.* 39. *nu.* 8. 9. *par.* 10. *recent.*

ROMANA DOTIS SUPER SUPPLEMENTO.

Veneris 26. *Junii* 1705.

ARGUMENTUM.

Quia diversa tractantur, accipe a Summario. In hac causa est proxime superior decisio. & confirmatur infra dec. 605.

SUMMARIUM.

1 *Pro augumento dotis, ejusque fructibus executive agi potest, cum sub obligatione Camarali fuit promissum, & cum agitur vigore statuti Urbis, quod viam executivam etiam pro isto concedit.*

2 *Gravati hæredes supplere debent factum dotationis, quod ipse percipiendo fructus fideicommissi, ex quibus debebatur, non implevit.*

3 *Sententia super taxatione dotis collusive lata non censetur: cum in ea servatis servandis pater, ejusque creditores fuerunt citati.*

4 *Collusivæ sententiæ suspicio excluditur favore obligati; si illam acceptavit, & fuit executus.*

5 *Renunciatio correspectiva, si renunciatarius*

rim ex parte sua promissa non impleaverit, tota resolvitur.
6 *Correspectivorum uno corruente, corruit & aliud.*
7 *Heres dotem excessivam incidenter redarguere non potest: si contra eam nihil auctor opposuit.*
8 *Fructus dotis etiam non promissi debentur tamquam alimenta.*
9 *Fructus dotis in testamento legatæ statim ac hæredi innotuit matrimonium per legatariam contractum, a die ejus initi debentur.*
10 *Amplia etiam si dos esset de fructibus detrahenda: cum ad hæredis manus tot pervenerint, ex quibus dotem valeat solvere, & quare?* n.11.

DECISIO CCCLXXIX.

Cum juxta facti seriem relatam in altera decisione cor. me hodie pariter edita Sorores de Ceva anno 1634. judicium introduxissent super taxatione dotium ipsis vigore testamenti quondam Pontii Senioris tradendarum ex fructibus fideicommissi ibidem prærordinati: & A.C. Franciottus per sententiam declarasset, dotes esse constituendas in scut.2500. pro qualibet: Hinc quia onus dotandi spectabat ad Jacobum earum fratrem, qui bona fideicommissi possidebat: & ulterius promiserat in causam dotis solvere Ludovicæ sorori scut.2000. in executionem testamenti dicti quondam Pontii, præter alia mille correspective ad renunciationem jurium super aliis bonis per eundem Pontium donatis, Ludovica prædicta, ejusque hæredes non solum obtinuerunt mandatum a R.P.D. Vicesgerente contra bona hæreditaria Jacobi pro dd. scut.2000: sed etiam curarunt, & aliud relaxari pro sc.500. in causam augumenti ad normam taxationis factæ à d. A.C Franciotto una cum fructibus decursis: cumque ab utroque mandato provocatum fuisset; hodie in gradu appellationis duo fuerunt per me proposita dubia, alterum respiciens executionem mandati, quoad summam scut. 2000., quod favore Ludovicæ fuit resolutum, ut in alia mea decisione: aliud verò respiciens mandatum pro supplemento sc.500., & fructibus, quod propter illius validitatem, & justitiam exequendum esse responsum fuit.

Validitas enim resultat ex revolutione actorum, & offuscari non valet ex eo, quod prò d. augumento processum fuerit via executiva; nam cum Jacobus sub obligatione Camerali dotem Ludovicæ etiam in majori
1 summa usque ad scut. 3000. promisisset: & insuper versemur in dispositione *Statuti Urbis lib.* 1. *cap.* 85. permittentis exercitium d. actionis ex utroque capite; licitè potuit executivè procedi pro augumento dotis, ejusque fructibus; *Rota post Fenson. ad stat. Urbis dec.*51. §. *Et quamvis cor. Dunozet. Jun. dec.*650. *n.*1. & *in rec. dec.*161. *num.*4. *tom.*1. *dec.*160. *n.*10. *par.*8., & *dec.*404. *n.*7. & 8. *par.*18. Justitia verò promanat, ex quo dum Jacobus fructus bonorum fideicommissariorum percepit: & ex relatione Periti constitit, ipsum remanere debitorem in quantitate scut.3334. cum quibus juxta præceptum testatoris hæc dos persolvi debuisset; ut fuit firmatum in dicta altera mea decisione, consequens est, quod factum dotationis ab illo non impletum debeat hodiè
2 ab ejus hæredibus suppleri.

Non obstat, quod sententia prædicta, per quam dotes fuerunt taxatæ in sc. 2500. fuerit collusivè procurata à sororibus de Ceva ad effectum repellendi creditores Pontii patris obærati; quoniam in d. judicio taxationis dotium processum fuit cum omni legalitate, quia servata fuerunt omnia de jure servanda cum citatione nedum Pon-
3 tii patris, verum etiam illius creditorum, qui utique non permisissent, quod A. C. Franciottus per sententiam dotes in dicta summa constituendas esse declararet, nisi præcedenter agnitum fuisset, quod inspectis viribus Patrimonii, & solito familiæ, jus exigebat, quod ita taxarentur, Absque eo quod ullum argumentum collusionis desumi valeat ex firmatis *in dec.*2170. *in fin. cor. Coccin.*, Quoniam ibi agebatur non de taxatione dotium, sed in quibus bonis fuissent assignandæ: & quia R. P. D. Vecchiarellus ad cujus instantiam tunc lis versabatur, fuerat associatus ad nonnulla ex eis, quæ oneri dotationis erant obnoxia, respondit Rota, quod super reliquis hæreditatis bonis ascendentibus ad sc.46000, sæminæ suas dotes consequi valuissent, quod nihil conducit ad probationem assertæ collusionis sententiæ latæ super taxatione dotium.

Et in omnem casum cessat quælibet difficultas, nedum, quia à d. sententia nunquam fuit reclamatum, nec per Jacobum, nec per illius hæredes, verum etiam ex eo, quod fuit positivè acceptata, ut probatur ex subsequuta observantia, dum in ejus executionem anno 1684. Annæ alteri ex sororibus fuerunt in dotem constituta scut.2500. stante enim effectu subsequuto, excluditur quæ-
4 libet suspicio collusionis, *Rot. cor. Priol. dec.*188. *num.*7. & *cor. Ludovis. decis.* 157. *num.*19.

Minusque suffragatur; quod hujusmodi augumentum dotis nullo modo competere valeat; vel quia in renunciatione emissa à Ludovica ad favorem Jacobi Fratris, fuerit etiam illud comprehensum sub illis verbis, *cuicumque prætensioni, quam Ludovica habere posset*, vel quia dos in d. summa taxata laboret de excessivitate, etenim, cum renunciatio facta per Ludovicam, fuerit correspectiva ad dotem scut. 3000. à Jacobo fratre eidem promissam; quoties Jacobus ex parte sua promissionem non implevit;
5 dotemque in dicta summa non persolvit, per istius defectum contractus renunciationis totus resolutus remansit, ex natura corresp-

respectivorum, quorum uno corruente, corruit, & alter; *Rota in Fanen. Donationis* 10. *Decembris* 1698. §. *Quia correspectivorum cor. R. P. D. meo Tremoille, & in Romana Pecuniaria* 26 *Martii* 1703. §. *Addito cor. R. P. D. meo Ansaldo*: Unde benè potuerunt Ludovica, ejusque hæredes petere, ut suppleatur eius dos usque ad sum-
6 mam scut. 2500. a Judice præscriptam; quæ propterea de excessu hodie incidenter re-
7 dargui non valet ab hæredibus Jacobi; quando ab eorum auctore nihil contra illam oppositum fuit.

Tandem respectu fructuum d. augumenti, non refragatur, quod R. P. D. Vicesgerens mandatum pro illis relaxare non possit contra bona hæreditaria Jacobi; quia non fuerunt promissi; imo non debeantur pro dote ex fructibus fideicommissi detrahenda. Nam etiam deficiente promissione,
8 fructus adhuc de Jure debentur tanquam alimenta: maximè quando agitur de dote in testamento relicta; tali enim casu sufficit
9 quod hæreditas innotuerit matrimonium per Legatariam contractum, ad hoc, ut fructus dotales debeantur à die initi Matrimonii; *ad Text. in l. 1, & l. assiduis §. Exceptis C. qui potior in pign. habeant Surd. de aliment. quæst. 42. n. 71. tit. 1. Leotard. de usur. quæst. 29. n. 4. cum seqq.*

Etiam si agitur de dote ex fructibus detrahenda; quoties probatum fuit ad manus
10 gravati pervenisse tantam illorum quantitatem, ex qua dotem solvere potuisset, ut evenit in præsenti dum Jacobus remansit debitor liquidus in summa scut. 3334. longe excedente quantitatem dotis favore Ludovicæ per sententiam taxatæ: In his enim terminis, quia ex propria culpa illam non persolvit, condemnari debet ad solutionem eorum fructuum, quos Ludovica percepisset, si dos illicò, & statuto tempore persoluta fuisset; *Leotard. de Usur. quæst. 18. n. 2. cum seq. Fontanell. de pact. nupt. claus. 6. Gloss. 2. par 6. n. 3. Rota cor. Donozet. Jun. dec 96 n. 1. & 2.*

Et ità utraque &c.

ROMANA COLLATIONIS.

Veneris 26. Junii 1705.

ARGUMENTUM.

Patet in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Res judicata oritur ex non præsentata commissione intra annum, cum nulla fuit obtenta prorogatio.*
2 *Et maximè validitate, & sententiæ justitia concurrentibus.*
3 *Validitas constat ex actis.*
4 *Mulier clarè se obligans dotem cum sororibus conferre; hoc servare tenetur.*

DECISIO CCCLXXX.

IN vim promissionis factæ per Elisabettam Zacconam conferendi dotem, quæ à Parentibus sibi fuerat constituta; statim ac illam ab hæreditate Antonucci viri recuperasset; fuit ab A.C. condemnata ad effectivam collationem, postquam illam receperat; cum relaxatione mandati; quod Rota censuit coram bo: me: Pio esse exequendum; prout precedente approbatione Signaturæ usque de anno 1703. propter rescriptum cum clausula *sine præjudicio* factum fuit: & deindè deventum ad deliberationem bonorum detentorum à duobus sororibus de Manuccis, Quintilia scilicet, & Lucretia: cumque tandem in devolutivo causa mihi commissa fuerit; examinandum dedi dubium *An constet de re judicata*, quod *affirmativè* resolutum fuit.

Non solùm enim intrà annum commissio præsentata non existit; sed neque postmo-
1 dum obtenta ulla prorogatio fatalium; quamvis lapsi fuerint alii decem menses; prout omninò requirebatur ad impediendam rem judicatam; *Cap cum sit Romana de appellat Ridolphin. in prax. par. 1. cap. 13. num. 547. Rota in Romana Census 22. Januarii 1700. §. Attento cor. Me, & in Romana Pecuniaria 22. Junii 1701. §. Pri-*
2 *ma cor. R. P. D. meo Caprara* maximè quia validitas, & Justitia concurrunt.

De validitate constat ex revolutione actorum juxtà vulgat. *dec. 260. par. 2. coram Veralli*, justitia verò, benè dignoscitur,
3 ex quo Elisabettha claram, & litteralem promissionem emisit etiam camerali obligatione vallatam conferendi dotem cum sororibus, habita consideratione ad pinguem portionem, quam habuit ex hæreditate
4 Petri Zacconi: unde æquum existimatum fuit; ut ipsa suam dotem conferret; & unicuique ex sororibus daretur actio contra illam ejusque hæredes pro restitutione crediti recuperati; *Cyriac. controv. 368. num. 1. & 2. Rota in recent. dec. 169. num. 5. par. 3.* & benè respondendo omnibus objectis adduci solitis firmant *geminæ decisiones in præsenti càusa cor. bo. me. Pio editæ*; contra quas cum nihil fuerit in præsenti audientia deductum; ex quo sorores de Manuccis licet pluries lacessitæ infirmare detrectarunt; DD. cum illis transierunt: Maria Victoria Actrice tantum informante.

Et ità utraque &c.

ROMANA TENUTÆ CAMPI SALINI.

Veneris 26. Junii 1705.

ARGUMENTUM.

Repete a superiori Decisione 357. revocatoria dec. 332., quæ hic confirmatur.

SUM-

SUMMARIUM

1 *Locatio a collegio facta, nisi probetur utilitas, non sustinetur.*

2 *Condominus vocatus ad locationem, si tempore babili sciens non curavit illam impedire, rescissionem petere nequit; &* n.4.

3 *Sed solum actionem ad damnorum refectionem sortiri potest.*

5 *Secus tamen est cum statim ac fuit interpellatus, contradixeris, & fuerit protestatus; quia tunc probibendi jus ei est.*

6 *In re communi potior est causa probibentis, ad* Text. in L. Sabinus ff. de commun. divid. *qui explicatur.*

7 *Protestatio clam, & sine citatione condominorum facta non impedit validitatem actus a sociis gesti.*

8 *Protestatio cum citatione, & inbibitione facta a consocio specialis, impedit ne Socii in re communi qaidquam ex se disponere possint.*

9 *Et citotio satis est consociis innotuerit, etiamsi in actis non fuerit reproducta.*

10 *Protestatio in actis facta cum intimatione vim citationis babet.*

11 *Consocio non consentiente, etiamsi probatio positiva dissensus desit, re communi Socii uti nequeunt, ad diversum usum a conventu, & contra formam destinatam.*

12 *Socius absente consocio, si quid ad læsionem ejus fecis, factum tollere cogitur; ad explicationem* dicti Textus in L. Sabinus ff. commun. dividun.

13 *Locatio facta pro longè minori pretio proximè procedentium apparet læsiva.*

14 *Ex locationibus longè præcedentibus argui nequit prctium præsens tenutæ deterioratæ.*

15 *Status præsens tenutæ deterioratæ, quæ facilè ad meliorem redigi potest, non est solus considerandus ad effectum commensurandi responsiones affictus.*

16 *In rei communis locatione, cum longè minores repersuntur responsiones; opus est edictorum affixione pro actus validitate, &* num.18., *ubi rationem reddit.*

17 *Locatio damnosa præsumitur cum ipse conductor responsiones auget, & favorabilia pacta promittit, &* num.19.

20 *Locationem perpetuam babens de ejus natura petere probibitur defalcum, propter sterilitatem, & melioramentorum confectionem: & onera a Principe imponenda solvere tenetur.*

21 *Conventio non compensationis melioramentorum, quorum confectio a libera conductoris pendet voluntate; nequit pro utilitate considerari.*

22 *Contractus locationis perpetuæ non vitiatur: quamvis nihil fuerit solutum pra ineundo affictu, & laudemiis: ex his tamen, & modicitate affictus excluditur utilitas.*

23 *Præcipuè aliis concurrentibus circumstantiis utilitatis exclusivis, & potius damnosis.*

24 *Læsio ex conventionibus, aliisque facti circumstantiis desumitur.*

25 *Quæ extra propositum dubium sunt, Rota non examinat.*

26 *Locatio perpetua facta exteris censetur læsiva, ex quo locatores non sint in perpetuum cauti de responsionibus.*

27 *Eo magis si adsit inter socios olim initum pactum de non locando exteris.*

28 L. unicæ Cod. non licet habitat. metrocom. loc. sua ad extran. transfer. lib. 11. *Sanctio refertur.*

29 *Textus dictæ* leg. Unicæ *loquitur de terra mensurata, & a Principe certis personis concessa, quæ locari nequit extraneis.*

30 *Et extenditur etiam ubi agitur de territorio certis familiis ad bonificandum concesso, cum pacto nè in extraneos transferatur.*

31 *Statutum probibens nè aliis, quam civibus domus, seu possessiones vendautur vigore dictæ* L. Unicæ, *est servandum.*

32 *Collegialitas non probatur, nisi ex actibus univocis necessario eam concludentibus.*

33 *Collegialitas excluditur ex eo quod, cum omnium simul consensus non intervenit ad aliquem actum, ex alterius tantum dissensu, nullus fuit declaratus.*

34 *Observantia quid, & quantum geri potuerit declarat.*

35 *Participantium major pars ea, quæ solita fuerit potest explere.*

36 *Non tamen illa, ex quibus & libertas tollitur, & præjudicium irrogatur: nam in eis omnium consensus exigitur.*

37 *Consensus in præjudicialibus debet esse positivus, & expressus.*

DECISIO CCCLXXXI.

TAm ex capite non probatæ collegialitatis, quam ex defectu solemnitatum, & utilitatis respective, nullam, & invalidam fuisse locationem perpetuam tenutæ Campi Salini favore R. P. D. Caroli de Marinis meritissimi causarum Cameræ Apostolicæ generalis auditoris reportatam à pluribus tenutæ dominis, & dumtaxat impugnatam à Paulo de Quinque altero condomino, recedendo à præcedenti contraria, sed contumaciali decisione, responsum fuit coram me die 30 Martii præteriti. Cum autem hodie, etiam Augustino, & aliis de Theulis participantibus de fructibus tenutæ comparentibus, dubitare contigerit -- *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis* -- scribentes in hac causa agnoscendo, quod parum
1 juvaret probare collegialitatem, nisi etiam constaret de utilitate, & validitate actus, nam istis cessantibus, locatio non sustineretur quamvis facta à Collegio, ut etiam late probat *decisio, quæ revidetur* §. *Verum quatenus*, ideo ordine inverso, conati fuerunt in præsenti totis viribus validitatem, & utilitatem comprobare, sed Domini, iis non obstantibus steterunt in *secundo loco decisis*.

P Non

Non subsistere enim visum fuit objectum
prima fronte excitatum, quod ubi etiam
non coollaret de collegialitate, & actus es-
set nullus, edhuc Paulus coodominus oon
2 posset hodie rescissionem petere, quia vo-
catus ad hujusmodi actum faciendum tem-
pore habili non curavit illum impedire, ju-
ta *Text. in l. Sabinus ff. commun. divid.* ubi
3 disponitur, quod solum isto casu liceat pe-
tere refectionem damnorum per ea verba --
*Ideo pro communi dividundo actionem dam-
norum sortiri poterit* -- siquidem ex facto
constitit, quod statim, ac Paulus interpel-
latus fuit, contradixit hujusmodi locationi
faciendæ, & solemniter in actis protestatus
fuit, non posse ad illam deveniri, dum jam
tenuta reperiebatur aliis locata, & signan-
ter (sunt verba præcisa) *cum qualitate
perpetuitatis in maximum prejudicium
suum, & suorum filiorum, ac aliorum in
futurum succedendorum respectu libertatis
augendi de futuro affictum meliorandi præ-
dium ad ipsum, aliosque prædictos uti Domi-
nos*, & *Patronos illius spectant, & per-
tinen.* Quibus positis, ad hominem re-
4 torquetur dispositio *Text. in d. l. Sabinus*,
quæ dat actionem ad damna, si condomi-
nus sciens non sese opposuerit, at secus si ab
5 initio se opposuit, quia tunc inquit *Textus*,
6 *manifestum est probibendi jus esse in re
enim pure, potiorem causam esse probibentis
constat.* Et ex hoc *Textu* notant *Surd cons.*
447 *n. 17. lib. 2. Felicius de societ. Cap.* 28.
nu. 7.

Ad evitandum hoc fatale motivum dice-
batur in præsenti, quod hujusmodi prote-
statio tanquam facta clam, & in abscondito
7 nulla præmissa citatione, vel protestatione,
noo fuerit capax impediendi actum geren-
dunt à sociis, nullumque effectum operari
potuerit, sed facilis fuit replicatio, cum
Paulus exhiduerit citationem contra ipsos
met de Theulis, qui hodie comparuerunt
ad dicendum contra protestationem, & in-
terpellationem in actis factam, juxta illius
formam mandari procedi, & inhiberi in
forma, itaut non solum cesset objectum, sed
8 validius comprobetur specialis oppositio,
& prohibitio, ut requiritur per *d. Taxt. in
L. Sabinus.*

Et quamvis hujusmodi citatio in actis ex-
hibita oon fuerit, adhuc tamen hæc circum-
9 stantia illius efficaciam non minuit. Quo-
niam vis stat in contradictione, & prohibi-
tione, quam satis est, innotuisse sociis, &
10 protestatio ipsa in actis facta vim habet ci-
tationis, solumque ab intimatione prooter
notitiam vim sumit, *Ubert de citation. Cap.* 6.
num. 131., & in durioribus *Rot. decis.* 216.
nu. 2. *par.* 1. *rec.*

Fortius procedunt hæc omnia, quia hic
agebatur de facienda locatione perpetua
personæ, non solum extraneæ, sed Exte-
ræ, quando juxta cooventiones alias inter
comparticipes factas, oec portio fructuum
potest alienari in extraneos, & ulterius hæc
tenuta semper fuit sulita locari ad tempus,
11 non autem in perpetuum, ut infra etiam
explicabitur, in his enim terminis patet,
quod cum alii consocii vellent uti re commu-
ni ad diversum usum, imo, & contra for-
mam destinatam, satis est, alium consocium
non consensisse, nec requiritur probatio po-
sitivi dissensus, *ad Text. in l. Invitum ff. de
servitut. Urbanorum Prædiorum, & decla-
rando Text. in l. Sabinus, late probant Pa-
ris. cons.* 63. *num.* 8. *cum seqq. lib.* 3. *Surd.
Consil.* 443. *nu.* 17. *Felic. de societ. d. Cap.*
28. *nu* 42.

Cum igitur ex prædictis aperte convica-
tur, jus prohibendi competiisse Paulo, be-
12 ne applicatur decisio *Text. in d. l. Sabinus*,
ubi in verbis finalibus inquit, *quod socius
factum tunc etiam tollere cogitur*. Absque
eo quod urgeret necessitas assumendi exa-
men circa validitatem ipsius locationis, quæ
tamen etiam hodie apparuit insubsistens,
nam præter defectum selemnitatum, quæ
in hisce contractibus adhiberi debuissent,
ex firmatis *in mea præcedenti decisione*, ine-
vitabilis agoitus fuit defectus utilitatis, imo
constitit de evidenti damoo.

Fuit enim justificatum, quod non solum
ab antiquo tempore, hoc est usque ab anno
1608. hec ipsa tenuta locata fuit pro annua
responsione sc 792., sed etiam modernis
temporibus, velut de anno 1654. pro sc. 700,
& de anno 1658. pro sc 760., quapropter
præseos locatio facta pro solis sc. 650. ictu
12 oculi dignoscitur damnosa, & læsiva. Abs-
que eo, quud suffragetur responsio, quod
14 staote lapsu 50. aonorum, & ultra nequeat
ex illis locationibus deduci exemplum pro
regulando valore de præsenti, maxime cum
hodie teouta sit in pessimo statu. Quoniam
omisso, quod noo est habenda ratio de præ-
15 senti statu teoutæ, quæ licet ob negiigen-
tiam Dominorum, vel conductorum pro
tempore effecta fuit deterior, de facili re-
duci potest ad meliorem statum per excava-
tionem, & expurgationam foveorum.

Adhuc cessat qualibet difficultas, ex quo
attentis præcedentibus locationibur in tam
notabili summa illam pro qua hic facta fuit
longe excedente, opus erat pro validitate
16 actus devenire ad affixionem edictorum,
& expectare plures oblatores, prout etiam
alias ab istis condominis de anno 1604. pra-
cticatum fuit, hinc enim melior effecta fuis-
set omnium conditio, ut firmat *præcedens
decisio in* §. *Verum cum seqq.*

Et absque ulteriori discussione rem posuit
in claris factum ipsius D. conductoris. qui li-
cet prima vice obtinuerit, sibi io locatio-
nem dari tenutam controversam pro solis sc.
17 650. in perpetuum, tameo ex post alterum
inivit contractum cum aliis de familia de
Quinque, & emendaodo damnum in prima
illatum auxit responsionem ad alia scut. 50.
annua, & ulterius locationem ipsam cas-
satam perpetuitate, ad quartam geoeratio-
nem taotum reduxit.

Su-

Superfluum igitur fuit examinare pacta, ex quibus desumebatur utilitas illius locationis, allegando, quod fuerit non solum auctus Canon respectu locationum immediate præcedenter factarum, sed etiam conventum, quod non peteretur defalcum propter sterilitatem, & confectionem meliorамentorum, juncta etiam obligatione solvendi taxas viarum, omniaque alia onera imponenda à Principe, & impendendi sc. 300.
18 in meliorамentis. Quoniam semper recurrit inevitabilis responsio, quod hæc, & alia majora commoda reportari potuissent, si fuissent expectati plures oblatores, prout
19 etiam ex ipso facto conductoris, qui ur mox præmisimus, & præstationes auxit, & perpetuitatem remisit, quamvis etiam respectu conventionum, quæ adeo, tanquam maximam utilitatem secum ferentes, magnificabantur, adverterunt DD. quod in-
20 hærent naturæ locationis perpetuæ, & ad illa ex vi contractus etiam absque specifica expressione, habens locationem perpetuam renetur. Conventio autem circa meliorамenta cum pendeat ab arbitrio conductoris, in cujus libito est etiam illa non facere, certe nequit pro utilitate considerari, maxime quia adsunt in contrarium tot aliæ conventiones, quæ damnum ostendunt, nam præ-
21 ter modicitatem affictus, nihil fuit solutum pro jucundo ingressu, nihil pro laudemio, & licet ex illis defectibus non vitietur contractus, ut probare conabantur scribentes contra decisionem, tamen controverti non potest, quin excludant utilitatem illius.

Attento signanter altero pacto tantam inæqualitatem præseferente, quod liceat conductori resilire à contractu, non autem locatori, & ulterius eb perpetuitatem illius fuit amissa spes habendi in posterum majorem responsionem ea, quæ conventa extitit. Item fuit perempta libertas participantibus obtinendi ullo unquam tempore locationem
23 tenutæ, vel conductoribus gratificandi, quæ omnia simul juncte non solum excludunt utilitatem, quæ desumebatur ex pactis, ut supra, ponderatis per conductorem, sed, quod magis est, illius evidens damnum probant, & concludunt læsionem, quæ
24 ex conventionibus, aliisque facti circumstantiis bene desumitur, *Surd. conf. 277. nu. 13., & seqq. Post. de Subhastat. inspect. 60. nu. 61. & seqq. Pacion. de locat. cap 19. nu. 192. Rota post Mangil. de subhastation. dec. 39. nu. 5.*. Quin juvet responsio, quod posset contractus reduci ad æqualitatem,
25 nam hodie stricte quæritur. An locatio substineatur, ideo constito ex prædictis de illius læsione, non est curandum quid possit fieri in futurum, augendo pensiones, & moderando pacta, quæ influunt in illius læsionem, & inæqualitatem.

Cæterum augetur læsio, ex quo fuit facta
26 locatio personæ exteræ, ejusque hæredibus, ita ut locatores non sint in perpetuum cauti pro eorum responsionibus, & quod plus est, ea facta fuit contra formam con-
27 ventionum alias factarum, quibus pactum fuerat, ne ipsæ portiones fructuum possent alienari in extraneos.

Immo hæc ipsa circumstantia influit in aliam manifestam nullitatem desumptam ex *Text. in l. unic. C. non licer. habitator. Metrocom. loc. sua ad extran. transferr. lib. 11.* ibi enim disponitur, *quod in illis, quæ Metrocomiæ communi vocabulo nuncupantur &c., ut nulli extraneo illic quoquo modo possidendi licentia tribuatur, sed si quis in iisdem Vicariis &c. non licere ei nisi ad habitatorem adscriptum eidem Matrocomiæ, per qualemcumque contractum terrarum suarum dominium, possessionemque transferre sciente persona extranea, quod si contra vetitum &c. illic possidere tentaverit, quicumque contractus initus fuerit carebit effectu &c.* & notant *Andr. de Baral. in commentar. ad hanc rubric. Francisc. de Amaya in tres lib. posterior Cod. tit. 33. à nu. 20 usque ad 29. Donad. de renunciation, Cap. 26 nu. 126.*

Et licet Textus præfatus loquatur de ter-
28 ra mensurata, & à Principe certis personis concessa, tamen optime applicatur in præ-
30 senti casu, in quo agitur de territorio certis familiis ad bonificandum concesso cum expressa conventione, ne in extraneos transferretur ut supra dictum fuit, & in simili ca-
31 su statuti, quod prohibitio sit servanda vigore illius Textus, notat *Lucas de Penna ad hanc l. unicam vers.* Et nota hic *pro statutis terrarum, quod nullus audeat vendere domos, aut possessiones suas aliis, quam concivibus suis.*

Agnito ex prædictis de nullitate, & læsione, opus non fuit ulterius examinare collegialitatem, & licet in contrarium plura adducerentur, tamen non videntur satis concludere ex rationibus deductis in mea præ-
32 terita decisione, & signanter ex eo, quod non dentur actus univoci, & necessario illam concludentes, prout requiritur, *Lotter. de re beneficial. lib. 1. quæst. 14. num. 55. & seqq. Caren. ref. 356. cum aliis in dicta decisione relatis.*

Hoc uno ad propositum superaddito,
33 quod ubi participantes voluerunt devenire, non ad locationes temporales, sed perpetuas sic recedendo à solito, semper fuit necessarius omnium consensus, nec satis fuit, quod major pars etiam collegialiter actum perficeret, ut signanter ostenditur ex locatione facta in perpetuum anno 1678., ad quam licet deventum fuisset cum assertione, quod adesset major numerus participantium, totum illorum Collegium repræsentans, & facultates necessarias, & opportunas habens, nihilominus, quia Gregorius, & Vincentius de Quinque sese opposuerunt, cumque in contractu non intervenissent, illi noluerunt consensum præstare, opus fuit post paucos menses ad rescissionem lo-

locationis devenire, eamque de perpetua ad temporalem, accedente etiam istorum consensu reducere. Rursus de anno 1681. deventum fuit ad aliam locationem perpetuam favore Cimartæ, in qua fuit exhibitus omnium consensus, itaut contrahentes bene edocti ab eo, quod in præcedenti locatione evanerat, ausi non fuerint ullum ex participantibus spernere, & tamen neque hæc locatio suum habere nec potuit effectum, immo per sententiam fuit rescissa, eo quia constitit, duos ex eisdem condominis præcedenter sua jura cessisse Antonio Ceccarello, qui ex illorum persona locationem impugnavit, protestando, quod nullus contractus fieri potuisset tam super tenuta, quam super herbis, & pascuis, tam ad breve, quam ad longum tempus.

Attenta itaque certa, & specifica observantia, juxta quam locationes perpetuæ, ubi non adfuit unanimis omnium consensus, fuerunt reputatæ nullæ, & invalidæ, non est cur per generales rationes contrarium
34 firmari possit, cum ex notissimis principiis per observantiam declaretur, qualis fuerit potestas eorum, qui actum gesserunt, *Rota dec. 140. nu. 8. par. 14. dec. 229. nu. 12. par. 18. & dec. 498. nu. 20. par. 19. rec., & alibi passim*. Atque ex eo bene ostenditur, quod
35 etiamsi major pars participantium, posset
36 explere ea, quæ solita, & consueta sunt, non tam facere posse illa ex quibus tollitur libertas ob perpetuitatem, & irrogantur præjudicia, cum in hoc casu omnium exigatur consensus, ut per *Text. in l. final Cod. de auctor præstan. Lap allegat. 85. sub nu. 2. Ludovic. Roman. super rubric. de recept. arbitr. nu. 41. vers. secundo limita, Mandos.*
37 *ad Lap. d. alleg. 85. litt. C.*, & quidem positivus, & expressus ratione præjudicii, *Gratian. Cap. 38. nu. 20. Angel. de Confession. lib. 2. quæst. 49. nn. 9. Thomat. dec. 94. nu. 46. Rot. cor. Royas dec. 88. nu. 10.*

Et ita utraque resolutum fuit.

PUTEOLANA JURISDICTIONIS.

Veneris 3. Julii 1705.

ARGUMENTUM.

Ecclesiæ Rector ille est, qui unicus in ea beneficiatus existit, & ad eum spectat, non ad Episcopum, electio personarum pro custodia, reparatione, & implendis oneribus Ecclesiæ, quæ ipse subdit. Absque eo quod contrariari possit actus unicus, licentia celebrandi à Vicario capitulari concessa, vel depositio testium ab Episcopo examinatorum; præsertim cum in parte mendaces agnoscantur: non potest tamen de per se rector de materiali Ecclesia disponere, vel eam servitute gravare. Quæ nihilominus ad Episcopi jurisdictionem in hisce casibus spectent perpenduntur.

SUMMARIUM.

1 *Deputatio, & remotio Capellani, & Heremitæ, ad custodiendam Ecclesiam pertinet ad ejus Rectorem.*
2 *Regimen, & gubernium totale Ecclesiæ spectat ad ejus Rectorem.*
3 *Nominatio, & remotio Capellani est præcipua administrationis pars.*
4 *Unicus beneficiatus in Ecclesia existens ejusdem Rector præsumitur: cum nulli alii regimen, & administratio ejusdem incumbit.*
5 *Maximè si in visitationibus hoc ipsum sit enunciatum.*
6 *Electio personarum pro implendis oneribus Missarum, reparationis, & custodiæ Ecclesiæ, ad eum spectat, qui ea subire tenetur, non ad Episcopum.*
7 *Restoris juribus ex actibus, ipso ignorante, factis, præjudicium non infertur.*
8 *Actus unicus consuetudinem præsertim juris dispositioni contrariam non inducit.*
9 *Deputatio Capellani non inducitur ex simplici licentia celebrandi Missas, & edocendi pueros fidei rudimenta.*
10 *Suffraganeus tenetur observare Constitutiones Synodi provincialis, in qua intervenit.*
11 *Ex licentia inferri non potest ad deputationem.*
12 *Testes lite pendente examinati ab eo, qui habet interesse in causa non attenduntur.*
13 *Testes in una parte falsi nullum genus probationis etiam in altera constituere valent.*
14 *Episcopus de jure fundatam habet intentionem deputandi custodes, & ministros Ecclesiarum intra limites suæ Diœcesis existentium.*
15 *Intellige conclusionem quoad jura Diœcesana, vel in Ecclesiis pleno jure ipsi subjectis, & ejus mensæ unitis, vel Rectore carentibus. Secus in Ecclesiis, quæ suum Rectorem habent.*
16 *Electio personarum necessariarum pro servitio Ecclesiæ spectat ad ejus Rectorem.*
17 *Ad Episcopum spectat Capellanos ab Abbate nominatos approbare, & examinare, & licentiam concedere, ut Ecclesiæ inserviant, visitandi eamdem, corrigendi Ministros, & opera piarecognoscendi.*
18 *Ad Episcopum spectat Eremitæ electo ad custodiendam Ecclesiam licentiam concedere, & approbare circa mores, & delationem habitus.*
19 *Beneficiatus de materiali Ecclesia disponere non potest, illamque aliis in servitutem concedere absque Sedis Apostolicæ, vel Episcopi expressa licentia.*

DECISIO CCCLXXXII.

Ecclesia seu Capella sub invocatione S. Mariæ de Festignano Puteolanæ Diœcesis, de qua auctoritate Apostolica provisus extitit R.P.D. Albertinus, fuit ab eodem, tamquam illius Rectore, & unico Beneficiato absque

abſque ulla Sedis Apoſtolicæ, Epiſcopi, &
Capituli licentia conceſſa quibuſdam devo-
ti Laicis, qui ad Januas Eccleſiæ affigi cu-
rarunt inſignia ejuſdem Rectoris, eidemque
quatuor libras ceræ ſingulis annis tradere
promiſerunt, ſed prætendente Epiſcopo,
quod non ſolùm conceſſio præfata eſſet nul-
la, quodque inſignia apponi non potuerint,
imò quod neque competeret Rectori jus
deputandi, & removendi Capellanum, &
Hæremitam prò ſervitio, & cuſtodia dictæ
Eccleſiæ neceſſarios; delata fuit controver-
ſia ad A. C. Aldrovandum, qui per ſenten-
tiam declaravit fuiſſe nullam dictam conceſ-
ſionem, & è converſo pronunciavit compe-
tere facultatem faciendi dictas deputatio-
nes, necnon retinendi inſignia amovibilia
tantùm: cum autem per appellationem à
Promothore Fiſcali Curiæ Epiſcopalis in-
terpoſitam, mihi cauſa commiſſa fuerit, pro-
poſui dubium -- *An, & de cujus bono jure
conſtet* -- & favore utriuſque juxta modum
infra exprimendum reſponſum fuit.

Reſpectu enim electionis, ac deputatio-
nis Capellani, & Hæremitæ, viſum fuit, du-
1 bitari non poſſe de bono jure Rectoris, cum
ad ipſum pertinere debeat totale ejuſdem
2 Eccleſiæ regimen, & gubernium, in cujus
ſequelam eidem competit jus prædictum
3 (cum hęc ſit pręcipua adminiſtrationis pars)
nominandi, & removendi, *Rot. dec. 455. n. 2.
& 3. cor. Duran. & deciſ. 176. n. 4. cor. Peu-
tinger. & deciſ. 104. n. 8. & ſeqq. cor. Priolo,
& in Urbanien. Canonicatus 23. Januarii
1697. §. Propoſito coram Illmo Magno Can-
cellario Mediolani*.

Non obſtat, quod R. P. D. Albertinus non
ſit Rector Eccleſiæ præfatæ, ſed tantummo-
dò habeat beneficium in eadem ſitum, ideo-
que talis facultas ei competere non poſſit.
Quoniam cum prò parte Promothoris Fiſ-
calis minimè probetur, quod in dicta Eccle-
ſia aliter Beneficiatus exiſtat, cui cura, &
gubernium ejuſdem incumbat, indè ſequi-
4 tur, quod ſemper veniat præſumendum, hac
qualitate pollere R. P. D. Albertinum. Ma-
ximè quia in viſitatione peracta uſque de an-
no 1587. enunciatum legitur, quod Eccle-
ſia poſſidetur per quemdam Abbatem, ſeu
Beneficiatum, itaut clarum fiat, quod ad ip-
ſum pertineat omnimoda Eccleſiæ admini-
ſtratio, *Gratian. diſcept. forenſ. 238. n. 5., Lo-
ther. de re benefic. lib. 1. qu. 3. n. 8. Rota in
recen. deciſ. 60. n. 14. par. 19.* Et nimis durum
6 eſſet, quod ipſe teneatur ſubire onera Miſ-
ſarum reparationis, & cuſtodiæ Eccleſiæ me-
diante opera perſonarum non ab ipſomet,
ſed ab Epiſcopo eligendarum.

Minuſque relevat, quod Vicarius Capitu-
laris alias ſemel deputaverit Capellanum, &
Hæremitam. Tùm quia non probatur hujuſ-
modi deputationes factas fuiſſe ſciente, &
patiente Rectore, cui propterea præjudi-
7 cium irrogari non potuit, *Rota cor. Merlin.
deciſ. 8. n. 5., & in Fanen. juriſdict. 21. Ja-
nuarii 1704. §. Nec demum, & 16. Junii
ejuſdem anni §. Penultimo cor. R. P. D. meo
Scotto*. Tum quia, dictus actus reſpectu
8 utriuſque deputationis eſt unicus, nec ſuffi-
cit ad inducendam conſuetudinem, præſer-
tim contrariam diſpoſitioni juris, prò qua
neceſſaria eſt actuum frequentia, *Rot. cor.
Cerro dec. 551. n. 18., & in Hiſpalen. Juris
votandi 29. Martii 1700. §. Ratio reſolutio-
nis cor R. P. D. meo Caprara, & in Saliſ-
burgen. ſeu Chiemen. teſtimonialium 20. Ju-
nij 1704 §. Animadvertentes cor. R. P. D.
9 meo Scotto.* Tum demùm quia, reſpectu Ca-
pellani, ille actus non præſefert deputatio-
nem, ſed ſimplicem licentiam celebrandi
Miſſam in dicta Eccleſia, & in illa edocendi
Pueros rudimenta chriſtianæ fidei, reſpectu
verò Heremitæ non poteſt dici, factam
fuiſſe deputationem, cum iſta expleri de-
buiſſet per conceſſionem litterarum paten-
10 tium, prout ſancitum fuit in ſynodo Pro-
vinciali Neapolitana, in qua Epiſcopus Pu-
teolanus tanquam ſuffraganeus intervenit;
11 adeout data etiam tali licentia, ex illa in-
ferri nequeat ad jus eligendi perſonam prò
ſervitio Eccleſiæ.

Nec attendi merentur Teſtes deponentes
Eccleſiam ſemper fuiſſe ſubjectam Epiſcopo,
nec unquam Abbatem, ejuſque anteceſſores
deputaſſe Miniſtros prò ſervitio illius. Ete-
12 nim iſti fuerunt examinati lite pendente à
Vicario Capitulari, qui intereſſe habet in
cauſa: ideoque non attendendi, *Rota coram
Cavaler. deciſ. 21. n. 3. & cor. Dunozett jun.
dec. 864. n. 12. & in rec. deciſ. 18. n. 27 par. 9.*

Et quatenùs aſſerunt, Miniſtros non fuiſſe
deputatos à moderno Rectore, ſed ab Epi-
ſcopo, de manifeſto errore convincuntur,
cum ex datis in *Sum illius n. 7. & ſeq.* probe-
tur Cappellanum, & Hæremitam electos, &
minatos fuiſſe a piis Laicis Eccleſiæ cu-
ram habentibus nomine, & vice moderni
Rectoris, & proindè nullum probationis
13 gradum conſtituere valent, *Rot. cor. Peuting.
dec. 52 n. 4 & in Alexan. manuten. 6. Febru.
1702. §. Et quod magis cor R. P. D. meo Priol.*

Minimè refragante, quod Epiſcopus de
jure fundatam habeat intentionem deputan-
14 di Cuſtodes, & Miniſtros Eccleſiarum,
aliorumque piorum locorum intra limites
ſuæ Diœceſis exiſtentium, quia hæc juris aſ-
15 ſiſtentia intelligi debet, quoad conceſſio-
nem, viſitationum, ſivè aliud ſimile jus
Diœceſanum, vel de Eccleſiis pleno jure
ſubjectis Epiſcopo, ejuſque Menſæ unitis, ſi-
ve carentibus Rectore, aut alio legitimo ad-
miniſtratore, ſecùs autem in præſenti ubi
Eccleſia ſuum Rectorem, aut Beneficiatum
habet, ad quem ſpectat eligere perſonas prò
16 ſervitio ejuſdem Eccleſiæ neceſſarias, *Gon-
zal. ad regul. 8. Cancell. gloſſ. 5. §. 3. n. 38. ver-
ſic. Similiter.*

Et hæc quoad Rectorem, quò verò ad
Epiſcopum dixerunt Domini de ejus bono
jure conſtare, quoad facultatem examinandi,
17 & approbandi Capellanum ab Abbate no-
minatum, eique licentiam concedendi, ad
hoc

hoc, ut Ecclesiæ inservire valeat, necnon vilitandi dictam Ecclesiam, Ministrosque corrigendi, & opera pia recognoscendi, *Pignatell. consult.* 58. *n* 11. *tom* 3., *Monacell. formular pract. legal. tit.* 6 *formul.* 1. *num.* 2. & quoad Hæremitam a Rectore deputatum
18 constare de bono jure Episcopi in eo, quod non solùm debeat etiam Hæremita ab eo licentiam obtinere, sed debeat ulterius approbari tam circa morum integritatem, quam circa delationem habitus, ut commorari valeat in præfata Ecclesia, juxta disposita in *Synodo Provinciali Neapolitana anni* 1699. *tit.* 5. *cap.* 3. *n.* 3.

Tandem dictum fuit bonum jus favore Episcopum quoad nullitatem concessionis Ecclesiæ factæ Laicis ab Abbate, quia non potest Beneficiatus de materiali Ecclesiæ disponere, illamque aliis concedere, & in servitutem redigere absque expressa Sedis Apostolicæ, vel Episcopi licentia, & quamvis ab Abbate non impugnetur nullitas prædicta imò potiùs sententia A. C. acquiescat, attamen quia super isto capite expressè ab eo liti renunciatum non fuit; ideò congruum extimarunt Domini nullitatem concessionis etiam in præsenti declarare.

Quibus ita absolutis, supererat quæstio circa retentionem Insignium in janua Ecclesiæ, sed cum Domini non fuerint concordes demandarunt, ut de ea particulariter videatur.

Et ita utraque &c.

EADEM SUPER MANUTENTIONE.

Veneris 3. *Julii* 1705.

ARGUMENTO
Non indiget.

SUMMARIUM.

1 *Manutentio, attento bono jure, & attentata possessione, debetur.*
2 *Actus æquivoci, & gesti sine scientia, & patientia Rectoris, eum sua possessione non spoliant.*

DECISIO CCCLXXXIII.

Sicuti in contemporanea disputatione alterius dubii super bono jure resolutum fuit hodie coram mè constare de eo, tàm favore Episcopi, quàm Abbatis, Ita & in præsenti manutentionem hinc indè ad formam illius resolutionis dandam esse, Domini responderunt.

Manutentio siquidem omninò concedi debet Abbati circa deputationem, & electionem Capellani, ac Eremitæ in Ecclesia S. Mariæ de Festignano, non solùm ratione boni juris, ut in altera decisione; verùm etiam attenta possessione, in qua ipse pluri-
1 bus ab hinc annis reperitur, & de qua deponunt Testes, ad *Text. in leg. & tot tit. ff. uti possidetis* §. *retinendæ instit. de interdict. Rota decis.* 282. *n.* 3. *cor. Cerr. & decis.* 1207. *num.* 1. *coram Emerix, & decis.* 305. *num.* 1. *par.* 19. *recen.*

Nec obstat, quod deputatio, & electio ultimi Cappellani, & Eremitæ facta appareat à Vicario Capitulari. Quoniam neuter actus secumfert deputationem, sed uterque importat simplicem approbationem, & licentiam, ut firmatum fuit *in altera decisione super bono jure* §. *Minusque relevat*, & ideò non potest exindè retardari manutentio Rectori, de cujus possessione non dubitatur; maximè quia actus prædicti gesti fue-
2 runt sine scientia, & patientia Rectoris, prout opus fuerat, ad hoc, ut sua possessione spoliaretur, *Rota post Posth. de manut. decis.* 46. *à num.* 5. *ad* 8. *& cor. Emerix decis* 63. *num.* 3.

E converso ad normam ejusdem resolutionis super bono jure, responsum fuit competere Episcopo manutentioné super jure examinandi, et approbandi Capellanum, ab Abbate præsentatum eique licentiam concedendi prò celebratione Missarum, Eremitamque ultra approbationem super honestate morum recognoscendi.

Et ità reservato pariter examine quoad insignia resolutum fuit utraque &c.

MEDIOLANEN. VICARIÆ DE MEDEA.

Veneris 3. *Julii* 1705.

ARGUMENTUM.

Vicaria incorporata Monasterio non potest ab Episcopo conferri in mensibus reservatis, vigore induli, sed solùm competit ius examinandi Vicarium quoad idoneitatem, absque eo quod turbet à Papa fuisse collatam, nam ex hoc status beneficii non immutatur.

SUMMARIUM.

1 *Provisio simplicis Vicariæ incorporatæ Monasterio, & postea in perpetuum erectæ, facienda non est per concursum.*
2 *Cura Vicariæ unitæ residet penès Monasterium, cui fuit unita, & ejus exercitium dumtaxàt penès Vicarium.*
3 *Vicarius Vicariæ unitæ examinari debet ab Episcopo super identitate.*
4 *Vicaria unita cadit sub octava, seu nona regula Cancellariæ.*
5 *Nec ab Episcopo potest vigore indulti conferri in mense reservato.*
6 *Præsertim accedente contraria observantia.*
7 *Decretum contradicente parte factum, à quo non fuit reclamatum, habet vim rei judicatæ.*
8 *Provisiones à Sede Apostolica factæ statum beneficii non immutant.*
9 *Præsertim cum constet de vera natura beneficii, & statu anteriori contrario.*

DECISIO CCCLXXXIV.

Parochialis Ecclesia B. Mariæ loci de Moda Mediolanen. Diœcesis, quæ pridem erat ad collationem, & omnimodam dispositionem

fsionem Abbatiffæ, & Monialium Mona-
fterii S. Victoris Ordinis S. Benedicti dicti
loci, fucceffivè per fanct.mem Julium III.de
anno 1553.eidem Monafterio unita fuit,cum
facultate deputandi Vicarium ad nutum
amovibilem, & ab Epifcopo approbandum,
& deinde S. Carolus Borromeus eamdem
Parrochialem in perpetuam Vicariam ere-
xit, & abindè citra femper ad nominatio-
nem Monialium provifiones factæ fuerunt:
Illa antem ultimo loco vacante de menfe
Aprilis 1703. nominarunt Moniales Anto-
nium Staturanum, fed Eminentifs. Archie-
pifcopus fupponens illius provifionem ob
vacationem in menfe refervato ad fe fpecta-
re vigore indulti, concurfum indixit, in
quo non obftantibus oppofitionibus per mo-
niales factis Staturanus approbatus remanfit:
eique Vicaria collata fuit, fed ab his omni-
bus interpofita per Moniales appellatione
mediante commiffione mihi directa, hinc
citatis Promothore Curiæ Archiepifcopalis,
& Antonio Staturano, illifque intra legiti-
ma tempora non comparentibus, per con-
tradictas examinandum propofui dubium -
*An collatio per concurfum Vicariæ B. Ma-
riæ de Meda fubftineatur, vel potius fit lo-
cus provifioni ad nominationem Monialium
prævio tantum examine fuper idoneitate* --
quod pro informante refolutum fuit.

Agitur enim de fimplici Vicaria unita, &
1 incorporata monafterio, ac poftea à Divo
Carolo in perpetuam erecta, in quibus ter-
minis provifio illius fieri non debet per con-
curfum, fed ad nominationem Monafterii,
cui unio facta fuit; cum penès illud cura
2 principaliter refideat, & illius dumtaxat
exercitium penès Vicarium, *Barbof.de offic.
Paroch. in quæft.2. num. 19. Rota cor. Mer-
lin. decif.155. n. 1. & cor. Priol. decif.252.*
3 *num.* 10. falvo tamen femper examine fuper
idoneitate, ut exprefsè fancitur in Confti-
tutione B. Pii V. inter ejus impreffas in 47.
4 in *Bullar. tom.* 2. Itaut propterea nec cade-
te potuerit fub *regul.* 8. *feu* 9. *Cancell.* Nec
per Eminentifsimum Epifcopum vigore fui
5 indulti conferri voluerit, *Gonzal.ad regul.*8.
Cancell.gloff.5. §.3. *n.* 50. & 59. *& generali-
ter Rota cor. Emer.jun.decif.73.n.*1.

Accedente præfertim obfervantia, qua
6 provifiones Vicariæ femper factæ fuerunt ad
nominationem Monafterii cum folo exami-
ne nominati, abfque ullo concurfo,& fignan-
ter de anno 1645. & 1674. in qua poftrema
vacatione proceffum fuit, caufa cognita, &
prævio decreto Vicarii Generalis, audito,
7 & contradicente Promothore Fifcali, quod
habere vim judicati, firmavit *Rota dicta
decif.595. n. 2. & 539. n. 5. & 6. cor. Cava-
ler. & decif.* 1301. *n.* 3. *coram Emer. & in
Novarien. Vicariæ S.Martini 22.Jun.prox.
præt.cor.R.P.D. meo Caprara.*

Non obftat, quod Vicaria prædicta fuerit
aliàs provifa à S. Sede abfque nominatione
Monafterii; Regulare enim eft, quod hujuf-
8 modi provifiones ftatum Beneficii non im-
mittant *Card. de Luca de benefic. difcurf.27.
n.17. Rota cor. Priol.dec.252. n.31 & coram
Cavaler. decif. 599. in fin., & cor. Emer. de-
cif.1301.num.final. & in rec. dec.372.n.17.&*
9 *fegq.par.* 17. Tantoque magis, quando clarè
conftat de vera natura beneficii, & ftatu an-
teriori contrario, ut in præfenti, *Rota decif.*
389. *n.* 7. *par.* 18. *recen.*

Et ità per contradictas.

PALENTINA THESAURARIÆ
SUPER EXPENSIS.

Veneris 3. Julii 1705.

ARGUMENTO
Non indiget.

SUMMARIUM.

1 *Exceffus taxationis expenfarum de jure non præfumitur, & eft probandus ab allegante.*

2 *Expenfæ vivæ ufque ad obulum per victum victori funt reficiendę.*

3 *Expenfæ extrajudiciales in Rota de ftylo taxantur in ducatis decem pro qualibet inftantia.*

DECISIO CCCLXXXV.

IN fequelam trium conformium fententia-
rum Rotalium declarantium literas Apo-
ftolicas Jofephi Dias de Mirandos, non effe
exequendas, ac Ferdinandum Ramiro ab
impetitis effe abfolvendum, taxavit R.P.D.
Caffarellius expenfas occafione illarum fa-
ctas in ducatis auri 225. cum dimidio ad ra-
tionem Juliorum duodecim prò quolibet, à
qua taxatione reclamante Jofepho appella-
tionem fuper exceffiva interpofuit, ideò co-
1 ram me examinatum fuit, *an conftaret de
exceffu*, & fuit *negativè* refolutum.

Exceffus enim cum de Jure non præfuma-
tur, venit ab illum allegante concludenter
probandus *leg. 2. ff. de probat. & præfumpt.
Rota coram Emer. dec.* 603., *& dec.* 1369.
utrobique n. 1. *& in recent. decif.* 419. *n.*12.
*par.*19. *& in Leodien. Matrimonii fuper ex-
penfis* 12. *Martii* 1703. §. *Exceffus cor. R. P.
D. meo Omanna.*

In præfenti verò nullus unquam confide-
rari valet exceffus, nam refpectu ratæ du-
catorum 195. folutæ pro fportulis, citatio-
nibus, regeftro, nota fententiarum, & fimi-
lium, plenè juftificatæ remanent ex fidibus,
& notulis Notariorum in eifdem regeftratis:
2 undè cum iftæ nuncupentur expenfæ vivæ
ufque ad obulum per victum victori veniunt
reficiendæ, *Rota coram Buratt. decif.* 921.
*num.*1. *& cor. Emer. dd. decif.* 603. *&* 1369.
*num.*2. *& in dicta Leodien. matrimonii* §. *ex-
ceffus.*

Quo verò ad reliquos ducatos triginta,
cum proveniant ab expenfis extrajudiciali-
bus trium inftantiarum, quæ juxta ftylum
hujus Sacri Tribunalis taxari folent in duca-
tis de-

ris decem pro qualibet instantia *Rota coram Emerix dicta decis.* 603. & 1369. *n.* 3. & *in dicta Leodien. Matrimonii* §. *Eadem*, nullus excessus considerari potest, ideoque in totum reficienda, juxta taxationem per R. P. D. meum Caffarellium expletam.

Et ita Ferdinando tantum informanre &c.

ROMANA EVICTIONIS

Veneris 3. Julii 1705.

ARGUMENTUM.

Habes in superiori decisione 352., quæ confirmatur hic, & infra decis. 396.

SUMMARIUM.

1 *Cessionario evictionem passo datur actio contra cedentem obligatum pro relevatione.*
2 *Salviani interdicti indoles est non abdicandi dominium, sed meram possessionem ad tempus.*
3 *Evictio non dicitur secuta ex immissione passa in Salviano.*
4 *Cedens non promittens exigibilitatem, non tenetur, nisi ad veritatem nominis cessi.*
5 *Census impositus super fundo aliis creditoribus antecedenter totaliter obligato verus, non est in substantia.*
6 *Et pro illo adversus cedentem, cum detur casus evictionis, competit actio cessionario pro damnis, & interesse.*
7 *Hypotheca, & impositio secundi census in fundo totaliter per prius aliis obligato, resolvitur, cum est sequuta evictio vigore primi census.*
8 *Cedens promittens de evictione ad illam tenetur, quoties nomen cessum evincitur.*
9 *Cessionarius, ut agere possit pro evictione contra cedentem, an sufficiat, ut bona debitoris sint intricata? remissivè.*
10 *Bona debitoris intricata ad dictum effectum habentur, ac si non essent in rerum natura.*
11 *Præsertim ubi magna debitorum mole premuntur.*
12 *Cessionarius evictionem passus, si cedenti litem non denunciavit contra eum actionem pro evictione promissa exercere non potest.*
13 *Limita cum cessionarius egit contra debitoris bona ex juribus cessis: quia tunc litem denunciare non tenetur.*
14 *Et nisi cedens doceat sibi competere jus validæ defensionis contra jura evincentis, & quare?*
15 *Et quando cessionarii evictionem passi adeo lites sustinuere, ut cedens nihil amplius facere potuisset.*
16 *Identitas ex confrontatione confinium probatur.*
17 *Decoctus mori dicitur, ille qui omnia sua bona alienavit, & pro debitis in carceribus usque fere ad ultimum vitæ diem permanere est coactus.*
18 *Cedens ad promissam evictionem tenetur, cum cessionarius probat bona debitoris, & fidejussoris non adesse, sed fuisse à creditoribus anterioribus occupata.*

DECISIO CCCLXXXVI.

Revocato iterum ad trutinam examine decisionis editæ coram me 16. Februarii prox. præt. DD. illius fundamentis benè rimaris, in eadem resolutione persistendum esse, censuerunt.

Cùm enim probata remaneat evictio secuta controversi census, & proindè factus fuerit locus relevationi ex parte cedentium
1 promissa, retardari non potest actio per cessionarios evictionem passos promota, *leg. Hipulatio non dividitur ff. de verb. oblig. l. fænerata vers. si Navis ff. de nautic. fænor.*

Non attenta replicata exceptione, quod creditores anteriores immissionem obrinuerint ad fundos censitos in vim Salviani inter-
2 dicti, cujus indoles est, non abdicandi dominium, sed meram possessionem ad tem-
3 pus, ac proinde non dicatur evictio secuta. Etenim omissis aliis responsionibus, una in facto plenè satisfecit objecto, quod scilicèt tantùm abest; fuisse avocatam solam possessionem, ut è converso præcisè probentur evictio etiam quoad dominium, ex quo avocati fuerunt partim vigore sententiarum concedentium retentionem eorumdem prò creditis anterioribus, ut convincitur ex *Summario Actorum num.* 7. & partim in vim Instrumentorum dationis in solutum, ut ex *Summorio addit. n.* 50. ut latiùs etiam infra demonstratur.

Minusque refragante, quod licet census sit effectus inexigibilis per retentionem fundorum à creditoribus anterioribus reporta-
4 tam; nihillominus cum illi is exigibilitas non fuerit in cessione promissa, cedens non teneatur nisi ad veritatem nominis cessi, & sic cessionarii ex causa ejusdem inexigibilitatis agere ad damna, & interesse non valent. Quoniam in præsenti casu quæstio non reducitur ad exigibilitatem, sed ad realitatem,
5 & veritatem census; Nam cum impositus fuerit super fundis aliis creditoribus præcedenter obligatis, & omninò incapacibus alterius oneris, nullatenus dici potest verus in substantia, sed prorsùs insubsistens, & nullus,
6 ac per consequens adversus cedentem intrat actio prò damnis, & interesse, *Cenc. de cens. quæst.* 73. *num.* 23. *vers. Prima est, Urceol. consult.* 2. *num.* 51. *Amatus decis. March.* 6. *n.* 6. & *seq.* & firmatum fuit in *decis. præsentis causæ* §. *Etenim respectu cor. Me.*

Replicatio autem, quod super uno, eodemque fundo validè plures census imponi possint difficultatem non sustulit, quià locum habet data capacitate fundorum, super quibus census imponuntur, non quando,
7 prout hic, constat de incapacitate eorumdem; Tunc enim secuta evictione vigore primi census, posterior remanet resolutus, dum resoluto jure imponentis, resoluta quoque remanet hypotheca, & impositio secun-

fundi census, *Cenc.de cens. qu* 39. *n* 6. *vers. secundò loco*, *& q*.516.*n*.1.*& seqq. Rota post eumdem dec*.548.*& seq.*, *& coram Durano dec*. 449. *n*.1.*& in recent. dec.* 29.*n*.1. *par*.9. *& dec*.21.*n*.6.*&* 11 *part*.12.*recent*.unde stan-
8 te promissione cedentis de evictione, quidquid sit, an sufficeret bona debitoris esse in-
9 tricata, ut voluerunt *Urceol. consult*.2. *n*.39. *Thomat. dec*.61. *n*.11., *Adden.ad Buratt.dec*.*f*.476. *n*.58. *Rota cor.Duran.dec*.212.*n*.16, *& in rec dec*.666. *n* 9 *& seq.par*.4.firmantes tunc bona haberi, ac si non essent in rerum
10 natura, præsertim ubi adest, ut in isto ca-
11 su, magna moles, & multitudo creditorum, *Posth. resol*. 61. *n*. 25. *& seq. & resolut*.75. *num*. 19. Hoc unum satis fuit pro remotione objecti, quod scilicet ex facto constitit, non solùm esse intricata bona debitoris, sed esse penitùs absorpta à creditoribus anterioribus, quodque nihil remanet super quo posset ex pretio istorum bonorum census sustineri.

Inanis denique habitus fuit recursus ad objectum, quod cum cedenti denunciata
12 non fuerit per cessionarios lis contra debitorem census promota, nequeat amplius ex-
13 erceri actio contra illam prò evictione promissa. Quia dum cessionarii egerunt adversus bona debitoris census ex juribus cessis, non tenebantur ulteriùs litem denunciare cedenti, *Rebuff. de dilat. ort*. 5. *gloss. unica n*.5. *Mangil. de evict. quæst*.4. *n*.54 *Tondut. resolut.civil*.49. *n*.49. *par*. 1. maximè quia cedens non ostendit sibi competere ullum
14 jus validæ defensionis contra jura evincentium, quo casu cessionarius agere potest de evictione, denunciatione non facta, cum illa fuisset inutilis, & non profutura ad evictionem evitandam, *Natt. consf*.322. *n*.5., *Gratian.discept*.354.*n*.33., *Mangil.de evict. qu*. 4. *num*. 70. *Rota in Perusina Salviani* 6. *Aprilis* 1699.§.*Eo minus cor.R.P.D.meo Muto*. Eoque fortiùs, quia ex actis per cessionarios factis clarè apparet, quod substi-
15 nuerunt tot lites coram Episcopo Ferrarien., aliisque Judicibus, ut nihil ampliùs à cedenti fieri potuisset prò tuitione census: undè sequitur, quod omissio denunciationis, quidquam præjudicare non valeat, *Rot. cor. Coccino decis*. 2237. *n*. 7.

Demùm, quia in Memoriali pro nova audientia, porrecto ante propositionem dubii, fuerat oppositum, quod non esset probata evictio omnium, & singulorum corporum, quæ fuerant censui supposita, & in omnem casum superfuerint tot alia bona non solùm debitoris, sed etiam fidejussoris, super quibus ratione generalis hypothecæ, & census poterit sustineri, & cessionarius de sorte, & fructibus satisfieri. Ideò reassumendo per partes objectum, animadverterunt DD., quod sex sunt fundi censiti, videlicet domus ad usum Hospitii posita extra Civitatem Biceni in Contrada Fonte leone cum duobus Vineis &c.

Alia Domus in platea dictæ Civitatis in Contrada *Porta Paulina*.

Oliveum arborum 5000. posit. in Contrada *la Costa*.

Aliud Olivetum arborum 800. in Contrada *le Gallette*.

Tenuta Operarum 400. in Contrada *il Prato Corvino*, *e Castanello*.

Petium Terræ operarum 500. in circa, partim arativo, partim prativo in Contrada *Campo nero*: Istis autem singulis consideratis constitit omnes fuisse evictos.

Nam quoad ambas domos ad usum Hospitii, & in contrada, *Porta Paulina*, exhibita fuit sententia Ordinarii Terracinen., qui concessit illarum retentionem pro creditis anterioribus, ut *in dict. Summ. num*.7: Imò cum cessionarii census vellent super eodem fundo executionem consumare pro fructibus decursis, fuit à detentoribus allegata cautela Angeli usque de anno 1683., & ejus vigore causa discussa, absolutoriam ad illorum exclusionem illi reportarunt: Absq; eo quod suffragari valeat, quod evictio sequuta super domo ad usum Hospitii non comprehendat etiam adjacentia illius. Quoniam ultra quod sententia Episcopi Terracinen. loquitur indefinitè, adeoùt apta est etiam ea comprehendere; attamen difficultas sublata remanet ex ipsa allegatione cautelæ Angeli; ubi litteraliter descriptum legitur Hospitium, una cum omnibus terris eidem annexis, ut *in Summ addit. num*.1.

Identitas Oliveti in Contrada *la Costa* impugnatur solùm ex eo, quod in Instrumento census nominatum *la Corba*, sed faciiis est responsio: quia Notarius testatur per publicum documentum se errasse in extractione primæ copiæ, describendo vocabulum in *Corba*: quodque revera in instrumento census reperitur adnotatum vocabulum la *Costa*: Tum ex quo data fuit attestatio Civium Civitatis Priverni deponentiū in Territorio ejusdem Civitatis, non adesse contradam *la Corba*, sed tantum *la Costa*: Unde modicus error identitatis probationem non turbat; *Abbat in Cap. cum Joannes num*. 26. *de fide instrument*., *Rota coram Cerro decis*.246. *num*.4., *& dec*.1591. *la* 2. *num*.23. *coram Coccino*.

Oliveum arborum 800. in vocabulo *le Gallette* probatur venditum Petro Marchesio pretio scut.310. pro quo in se accollavit census anteriores, & fructus; prò quibus fuerat relaxatum mandatum; *Summ. addit. num*.50.

Tenuta operarum 400. in contrada *Corvino*, seu *Castanello* probatur data in solutum Exuberantio Matarello usque de anno 1638. pro antiquissimo censu imposito 8. Februarii 1581. *Summ. num*.10.

Tandem quoad aliud Petium Terræ operarum 100. in Contrada *Campo novo*, difficultas reducitur ad objectum: quod in Instrumento Census legatur descriptum sub vocabulo *Campo nero*; sed ultra quod exhibitæ fuerunt depositiones testium, asserentium, quod in territorio Priverni talis Con-

trada non reperitur, sed dumtaxat Contrada *Campo novo*, difficultas cessat ex confrontatione confinium coherentium; nam in Instrumento census enunciantur via *traversa il riparo di Battista*, *via delle Cottette*, *& il fiume Mazzocchi*, & hæc ipsa adamussim verificantur in Instrumento dationis in
16 solutum; *Summ. addit. num. 2., Bartol. in L. demonstratio num. 14. ff. de condit., & demonstrat., Rota cor. Gregorio decis. 575. num. 5., & cor. Emerix dec. 446. num. 3.*

Probata ex prædictis identitate corporum censui suppositorum, faciliùs elisa remanent ea, quæ dicebantur pro excussione aliorum bonorum tam Ptolomei Quarini debitoris census, quam Curtii Setacci fidejussoris, nam quoad Quarinum ex depositionibus Testium datis *in Summ. addit. actor. num. 6.* clarè patet illum decoctum obiisse, dum ob mul-
17 tiplicitatem debitorum, quibus reperiebatur involutus; nedum distraxit omnia bona mobilia, stabilia, & semoventia, sed ulteriùs in carceribus ferè ad extremum suæ vitæ diem permanere coactus fuit: Et quoad fidejussorem adhibitæ fuerunt per Cessionarios diligentiæ pro reperiendis ejus bonis, sed inutilitèr, cum nihil adinventum fuerit super quo executio potuerit expleri, ut habetur ex sententia A. C. super observatione cautelæ Angeli ab eodem opposita pro eximendis bonis ab executione mandati: Unde dum ex præcitatis sententiis, & examine testium resultat possessionem, & dominium, non minùs bonorum censitorum, quàm
18 aliorum quorumcumque Ptolomei Quarini principalis debitoris, & Curtii Setacci fidejussoris fuisse à creditoribus anterioribus occupata, clarè dicitur probatus casus evictionis promissæ, per *Text. in l. si Servus venditus §. 1. ff. de evictionib., Cravet. consil. 682. num. 5., Rota post Cenc. de Cens. decis. 286. num. 7. & cor. Cerro dec. 738. nu. 5.*

Et ità Maria Jacoba, aliisque litis Consortibus tantùm informantibus &c.

FULGINATEN. SUCCESSIONIS, ET DOTIUM SUPER TRANSMISSIBILITATE.

Lunæ 3. Augusti 1705.

In Congregatione Rotali.

ARGUMENTUM.

In hac causa habes superiores decis. 295. 346. 373., & dec. 374., quæ in hac brevi decisione declaratur, quod scilicet transmissibilitas dotis succedentis loco legitimæ, locum dumtaxat habet in quantitate eidem correspondenti.

SUMMARIUM.

1 *Doti ex statuto succedenti loco legitimæ, regula pro libertate, & transmissibilitate assistit.*
2 *Sed hæc regula locum tantum militat in quantitate correspondente legitimæ.*

DECISIO CCCLXXXVII.

PER geminas decisiones æditas die 30. Januarii, & 19. Junii præsentis anni firmatum fuit, quod Sorores de Barnabò consequi debeant dotem scut. 2000. sibi à Patre legatam, etiam non expectatis nuptiis absque ullo onere reversionis, casu quo innuptæ decederent, relicta eis omnimoda facultate de hac quantitate ad libitum disponendi, & transmittendi ad quascunque personas sibi bene visas ex irrefragabili fundamento,
1 quod cum eisdem dos succedat loco legitimæ juxta dispositionem Statuti Fulginatensis, omnes regulæ pro libertate assistebant præfatis sororibus.

Ad formam prædictarum decisionum petita fuit expeditio, & DD. advertentes, quod ratio resolutionis prædictæ tota posita est in privilegio, & natura legitimæ: Ideo mihi demandarunt, ut hac brevi decisione de-
2 clararem, quod supra recensitæ resolutiones locum sibi vindicant solùm pro quantitate quæ correspondet legitimæ illius debitæ, & non ultra Et juxta hunc modum esse causam expediendam utraque &c.

SABINEN. FIDEICOMMISSI SUPER FRUCTIBUS.

Lunæ 16. Novembris 1705.

ARGUMENTUM.

Habes in superiori dec. 297., quæ confirmatur: hoc addito, quod in præsenti remissoria conceditur pro concludenda tenuitate fructuũ. In hac causa sunt dec. in d. dec. 297 & 348. notatæ.

SUMMARIUM.

1 *Circuitus vitiosus, ut scilicet solvatur, quod postea repeti debet, est vitandus.*
2 *Fructus pro credito pecuniario nec creditores, nec ejus cessionarii valent exigere.*
3 *Creditor pecuniarius occupans bona debitoris, fructus à die motæ litis tenetur restituere, nec illos potest excomputare cum fructibus sui crediti pecuniarii.*
4 *Articulorum relevantià est necessaria, ut remissoria concedatur.*

DECISIO CCCLXXXVIII.

QUamvis die 28. Januarii 1704. resolutum fuisset, quod Ursini, & Palutii pro creditis ab ipsis dimissis suos facere potuerunt fructus perceptos, tàm ex prædio *delli Coppari*, quàm ex aliis bonis, ad quæ fratres de Cæsarinis hæredes fideicommissarii obtinuerunt immitti: Attamen cum postea justificatum fuerit, quod inter credita prædicta nonnulla erant fructifera, alia verò non; DD. reformando dictam decisionem, mandarunt; quod compensata favore illorum de Ursinis quantitate fructuum, quos ex

ex dicto prædio perceperunt cum usuris creditorum fructiferorum, cogerentur, tàm illi, quàm Palutii ad aliorum restitutionem, ut præsefert decisio coram me edita 4. Februarii præteriti: adversùs quam non acquiescentibus reis conventis, obtentaque per ipsos nova audientia, hodie dubium disceptandum proposuit, *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis*: Cumque fundamenta postremæ decisionis subsistere visa fuerint; DD. *in secundo loco decisis juxta modum* infra exprimendum standum esse, responderunt.

Siquidem admissa nec amplius impugnata
compensatione fructuum quoad credita fru-
ctifera, ne post illorum restitutionem Vrsi-
1 ni denuò agere teneantur inutili circuitu ad
solutionem fructuum censuum, quos trans-
lativè acquisiverunt; ut firmatum fuit in
ultima decisione §. Primo, cum qua DD. per-
transierunt: Quoad reliqua credita spectan-
tia tàm ad ipsos Vrsinos, quàm ad Palutios,
2 super quibus tota contentio versabatur, cum
ea sint merè pecuniaria, sicuti pro illis nul-
los fructus exigere voluissent Creditores di-
missi, ita nec consequi valent eorum Cessio-
narii, qui propterea fructus à die motæ li-
3 tis ex dictis bonis perceptos pro hac rata re-
stituere tenentur; ad notata per *DD. in l. 3.
ff. de interd.* & firmatum fuit in *Bononien.
seu Imolen. Bonorum 1. Julii 1697. §. finali
cor. Illust. D. dell' Olmo, in Tiburtina Ca-
strorum super fructibus 1. Julii 1701. §. de-
bitum cor. R. P. D. meo Muto, & in Roma-
na Cambii 27. Junii 1703. cor. R. P. D. meo
Caprara.*

Et licet repeteretur, quod essent excusan-
di rei conventi ab hac fructuum restitutione,
quia Cæsarini nunquam persolverunt pecu-
nias, quas ab ipsis receperunt creditores di-
missi, prout in sententiis demandatum fue-
rat, nisi cum simplici verbali illarum obla-
tione; Nihilominus DD. iterum ponderan-
tes, quod dicta oblatio acceptata non fuit:
quodque hic concurrunt aliæ particulares
facti circumstantiæ, de quibus mentionem
facit ultima decisio, dubitatum non fuit,
quin fructus percepti adhùc veniant resti-
tuendi. Hoc unum addentes respectu illo-
rum de Vrsinis, quod cum isti dederint ar-
ticulos ad concludendam tenuitatem reddi-
tus prædii *delli Coppari* non corresponden-
tis usuris Creditorum, attenta relevantia
4 omninò necessaria, pro illorum admissione
ex firmatis in *dec. 42. nu. 1. & 3., & dec. 499.
num. 2. cor. Bichio*, demandarunt mihi, ut
explicando modum remissoriam concede-
rem.

Et ità, utraque &c.

SABINEN. FIDEICOMMISSI.

Lunæ 16. Novembris 1705.

ARGUMENTUM.

Habes in superiori decis. 346., & 347. in hac confirmatis, & insunt quoque ibidem notatæ.

SUMMARIUM.

1 *Legitima est quota bonorum, non hæreditatis.*

2 *In bonis ea esse dicuntur, quæ remanent deductis debitis.*

3 *Actio pro legitima exerceri nequit non extantibus bonis liberis, multoque magis pro ea in tali casu peti retentio.*

4 *Legitimario concedi solet immissio pro indiviso super bonis defuncti cum onere suscipiendi ratam debiti suæ quotæ correspondentis, ante quam æs alienum detrahatur.*

5 *Legitimario licita est retentio prædii hæreditarii cum obligatione dimittendi proportionabiliter debitores, etiam posita totali insufficientia bonorum.*

6 *Declara proximas duas conclusiones procedere, cum debita absorbentia hæreditatem non totaliter sunt detecta, & quare?*

7 *Limita verò cum æs alienum hæreditatem absorbere fuit compertum, & quare?*

8 *Legitimario competere nequit retentio certi corporis pro legitima antequam formetur status hæreditarius.*

9 *Favor legitimario indultus in quæstione; an ei competat immissio in genere ante firmatum statum, procedit in filio, non in successore illius successoritstitulo particulari.*

10 *Successori titulo particulari non competunt omnia jura activa, & passiva auctoris, quæ solùm transferuntur in successorem universalem.*

11 *Tertius possessor legitimam deducens tanquam creditor ex persona sui mediati auctoris, non valet post translatum dominium bonorum substitutis propria auctoritate retinere, & habere jus dimittendi creditores pro sua rata.*

12 *Pro retentione requiritur dominium, nec sufficit purum creditum.*

13 *Creditor ut satisfieri possit; requiritur, ut judicem adeat.*

14 *Distractio prædii contra judicis inhibitionem vitio attentatorum laborat.*

DECISIO CCCLXXXIX.

Restricta tota controversia præsentis causæ ex rescripto nostri Tribunalis ad articulum retentionis Prædii *delli Coppari* ab Vrsinis, & Palutiis petitæ titulo legitimæ competentis Petro Silverio ipsorum mediato Auctori, geminæ coram me prodierunt decisiones, videlicet *sub diebus 28. Aprilis anni 1704., & 4. Februarii præteriti*, in quibus prædicta retentio denegata fuit: & in hac nova propositione DD. hodie *in decisis* persistere non dubitarunt.

Omissis enim iis omnibus, quæ inutiliter re-

repetita fuerunt pro obtinenda retentione tàm ex titulo Trebellianicæ, quàm pro creditis ab Vrsinis persolutis, cum omnibus plenè satisfaciant Decisiones editæ coram RR. PP. DD. meis Muto, & Caprara, & quorum mentio hic habenda non erat tamquam jam decisa, & in hoc dubio non comprehensa, unicè examinando alteram legitimæ detractionem, nullum fundamentum super ea constitui posse visum fuit, ex eo quod, dum legitima regulariter est quota
1 bonorum, non autem hæreditatis, ex traditis per *Altograd. cons. 91. num. 22. & 23. lib. 1.*, *Crass. de success. recept. sent. §. Legitima qu. 1. num. 3. Costa in tract. aut sciebat, aut ignorabat centur. 2. distinct. 93. num. 15. 16.*, *Bottiglier. de success. cap. 1. theorem. 20. sub num. 1. & seq.*, *Rot. dec. 164. nu. 3. par. 1.*
2 *divers.* Et ea dicuntur esse in bonis, quæ remanent deductis, & solutis debitis, per *Text. in l. Papinianus §. Quarta ff. de inoffic. testam. Jason. in l. pro hærede §. si quis tamen n. 12. ff. de acquir. hæredit.* exinde sequitur, quod dum bona Nicolai fideicommittentis absorpta remanent à debitis, quæ in scut. 516. 45. hæreditatem superant, legitima nunquam initium habere potuit ex defectu realis existentiæ bonorum, quibus adhærere posset, & sine quibus sicut actio pro legitima exerceri
3 nequit, ita multò minùs peti valet retentio; *Bald. in l. scimus §. in Computatione C. de jure deliber. num. 10.* ubi quod si æs alienum vires hæreditatis absorbebat, non est de legitima tractandum, *Gobb. Consult. 149. numer. 176. & seqq.*, ubi quod prætensio legitimæ si bona non remaneant, evanescit in totum, *Conciol. de hærede art. 1. num. 32. Rota cor Coccin. dec. 774. num. 1.*

Hæc satisfecit responsio, quod etiam ante
4 firmatum statum hæreditatis, & antequam habeatur notitia æris alieni detrahendi, adhuc filio legitimario concedi soleat immissio pro indiviso super bonis defuncti cum onere suscipiendi in se ratam debiti suæ quotæ correspondentem, ex traditis per *Angelum de legitim. contradictor. quæst. 13. art. 4. num. 4. & seqq.*, *Rota dec. 301. num. 8., & 9. par. 13. rec. & in Montis Falisci legitimæ 30. Junii 1704. §. Nec adversatur cor. R. P. D. meo Kaunitz*, cum aliis ad id allegatis: unde
5 inferebatur, quod etiam posita totali deficientia bonorum, adhuc licita esset retentio prædii controversi cum obligatione dimittendi proportionabiliter creditores, ut prosequitur *Angelus ubi supra num. 51. in fine.*
6 Etenim adverterunt DD. ad diversitatem casuum, aliud enim dici debet, quotiès æs alienum non est totaliter detectum, itaut incertum sit, ad quam summam illud ascendat, & an absorbeat integrum assem hæreditarium, tali enim casu, cum supponi possit, aliquid etiam remanere pro legitima deductis debitis, mirum non est, si Doctores, & nostrum Tribunal passim soleant admittere, quod legitimario concedatur immissio pro indiviso, ne interim hæres totum possidendo omnes fructus percipiat, legitimarius verò fame pereat: & in his terminis loquuntur authoritates in objecto allegatæ.

Aliud verò dicendum est, quotiès debita
7 sunt detecta, quia tunc si constat, ut hic, de quantitate æris alieni, per quod integra hæreditas absorbetur, itaut nihil liberum remaneat: imò ipsa debita superent valorem bonorum, nequit talis immissio practicari, cum semper recurrat responsio, quod nihil supersit in hæreditate, ex quo legitima detrahi possit. Maximè quia hic neque versamur in casu, quo immissio petatur pro indi-
8 viso, sed allegatur retentio certi corporis, quod neque antequam firmetur status hæreditatis prætendi potest, ut tradit idem *Angel. dict. quæst. 17. art. 4. num. 39.* ubi quod hoc modo filius occuparet plus juris, quam habeat *Rot. cor. S. Me. Alex. VIII. decis. 47. num. 17. & in rec. dec. 332. num. 7. & sequen. part. 13.*

Rursus quæstio ista, an possit legitimarius
9 obtinere immissionem suscipiendo in se ratam debiti, agitari solet cum filio, cujus favore plura fuerunt per legislatores concessa, quæ tamen non possunt extendi ad præsentem hypothesim, in qua filius non comparet: nec unquam petiit legitimam, sed post purificatum per ejus obitum, & agnitum fideicommissum à substitutis, imò etiam post Judicis inhibitionem, prędium, de quo agitur, illius hæres alienavit contra præceptum testatoris, qui filium fideicommisso gravaverat, itaut retentio solum allegetur à tertio possessore causam habente ab hærede extraneo filii legitimarii, cujus favor in hoc casu nunquam fuit à legibus consideratus, quoniam dicitur successor particularis, in quem
10 non transeunt jura activa, & passiva defuncti, quæ solum transferuntur in hæredem, & successorem universalem, ad *Text. in l. hæreditatis appellatio ff. de verbor. significat.*, *Faber. in Cod. lib. 3. tit. 19. definit. 6. sub vers. planè quoniam*, *Menoch. præsumpt. 196. n. 21. lib. 4.*, *Carolus de Rubeis de Confus. & di-stinct. jur. Defunct. cap. 14. num. 9.*

Et sanè imperceptibile est, quod tertius
11 possessor, qui legitimam deducit solùm tanquam creditum ex persona sui mediati auctoris sibi competens, valeat post translatum dominium in substitutos, prætendere jus dimittendi creditores, atque ulteriùs propria authoritate bona retinere ex causa legitimæ, quando ad hunc effectum requiri-
12 tur dominium, nec sufficit purum creditum, pro quo debet agi coram Judice ad con-
13 sequendam illius satisfactionem, & bonorum assignationem respectivè, *Menoch. consil. 206. num. 98.*, *Peregrin. de fideic. art. 4. num. 15. §. Ad hoc Mangil. de imput. quæst. 9. num. 36. 37.* Hic autem tantùm abest, quod præcesserit Judicis authoritas, ut immò potiùs resisteret illius inhibitio, qua prohibitum fuerat, ne ad ullam alienationem deveniri posset, ideoque dum ea non obstante distractum fuit prædium controversum, actus hu-

hujusmodi præter ejus nullitatem, attentatorum etiam vitio laborat, ut fuit firmatum *in decis.28. Aprilis 1704. §. Absque eo quod in fine cor. Me*.

Et ità, utraque &c.

PLACENTINA BENEFICII.

Lunæ 7. Decembris 1705.

ARGUMENTUM.

Ut verificetur valor beneficii in minori summa expressus, impensæ modicæ, variabiles, incertæ, & voluntariæ non detrahuntur, neque consuetudo minoris expressionis probatur per simplices, & informes testium fides.

SUMMARIUM.

1 *Litteræ Apostolicæ non justificatæ dant locum arbitrio pro illarum retardatione.*

2 *Patrono, ut tempus currat ad præsentandum, non sat est ut habeat notitiam vacationis de jure; dum eodem tempore videt beneficium de facto non vacare ob continuationem possessionis.*

3 *Ordinarii attestationi super valore beneficii, visis videndis, exaratæ deferendum est.*

4 *Ordinarius præsumitur optimè informatus de qualitate beneficiorum suæ Diœcesis.*

5 *A valore beneficii non sunt detrahenda onera missarum à Capellano celebrandarum, quando sunt annexa beneficio, ex præcepto testatoris.*

6 *Maximè cum beneficium est residentiale, & Sacerdotale.*

7 *Nec expensæ pro suppellectili sacra, non ad necessitatem, sed ad meram honorificentiam factæ.*

8 *Impensa modici valoris, incerta, & variabilis minime apta est imminuere beneficii valorem exprimendum.*

9 *Nec impensa modica, nec impensa variabilis.*

10 *Nec impensa voluntaria fieri solita à beneficiato pro devotione, non ex obligatione, cum tale onus in fundatione non adest.*

11 *Nec solutio pro taxa militum, quia est onus variabile, ac temporale.*

12 *Consuetudo, quod expressio valoris fieri debet de minori summa, ratione onerum, per simplices, & informes fides non probatur.*

DECISIO CCCXC.

JOseph Lavellus, non obstante quod reperiretur in possessione Cappellaniæ sub titulo S.Sebastiani de Jurepatronatus Communitatis Burginovi, obtinuit ab Ordinario Placentino sibi conferri Ecclesiam Parochialem loci S.Georgei: Unde Joannes Baptista Piana occasionem sumpsit impetrandi à Sede Apostolica Cappellaniam prædictam, sum supposito, quod intra legitima tempora à die vacationis secutæ ob assecutionem alterius Beneficii incompatibilis, Patroni ad eamdem Cappellaniam non præsentassent, una cum expressione valoris in ducatis 24. per non excessum: Et earumdem literarum vigore nemine citato illius possessionem nactus fuit, quam postea contradicente Lavello Signatura circumscripsit, & commissa Causa R.P.D. Marabotino, ille favore Joannis Baptistæ sententiam protulit.

Habita de his notitia per Marchionem Zandemariam donatarium Juris præsentandi pro una vice, ut ex donatione sibi facta de Jurepatronatus à Communitate Burginovi, cumulativè nominavit, una cum alio Clerico Sacerdotem Bernardinum del Monte, qui etiam postmodum fuit de eadem Cappellania tamquam ad Sedem Apostolicam devoluta provisus; Delataque ad me controversia superexecutione literarum Apostolicarum, quas Joannes Baptista reportaverat, dedi dubium -- *An intret arbitrium, vel potius Beneficium sit adjudicandum Bernardino* --, & DD. quoad primam Dubii partem *Affirmativè* responderunt, omisso examine secundæ partis circa adjudicationem Beneficii à Bernardino petitam, nam cum, & iste literas Apostolicas impetraverit, mihi demandarunt, ut in repositione Causæ adderem dubio, *An præfatæ literæ sint exequendæ*.

Et sane non dubitarunt respondere, quod esset locus arbitrio pro retardatione literarum Apostolicarum Joannis Baptistæ, quia noverunt illas non esse justificatas, ad *Text. in cap. si capitulo ibique gloss. in verb. exequat. de concess. præbend. Rot. dec.413.n.4. p.18. rec., & in Carpentoraten. Canonicatus 10. Dec. 1698. §. Hac itaque coram R.P.D. meo Caprara, & in Colonien. Vicariæ 26. Junii 1699. §. Justificatio coram R.P.D. meo Scotto*.

Quidquid sit circa expressionem devolutionis ad Sedem Apostolicam ob lapsum quadrimestris præfixi Patronis Laicis ad præsentandum, quia etiamsi Marchio Zandemaria Patronus non præsentaverit, statim ac Lavellus obtinuit secundum Beneficium incompatibile, tamen respondebatur; id evenisse, quia cum iste continuaverit pos-
2 sessionem Cappellaniæ; nulla potest imputari negligentia Patrono, si non præsentavit, cum satis non fuerit, habere scientiam vacationis de jure, dum eodem tempore vidit Beneficium non vacare de facto ob continuationem possessionis, *Frances. de intrus. q.75. n.11. Lotter. de re Benefic. lib.2. q.24. n.10., & 11. Mascobr. in prax. convers. requis. 7. dub.3. n.3. vers., & sic tempus Vivian. de jure patron. lib.7. cap.4. n.36. vers. & tamen, & n.37. Ros. in add. ad tract. de execut. litt. Apostol. cap.7. n.209. Rota decis. 128. n.16., & dec.359. n.7. cor. Cerro, & in rec. dec.518. n.7. par.14., & dec.648. n.5. p.18.* Verum quia talis continuatio visa non fuit concludenter probata, ideo DD. ommissa hac inspectione, strictè censuerunt de-

defectum verificatio nis satis resultare ex
mala expressione valoris, qui fuit narratus
in ducatis 24. per non excessum, & tamen
certum est, illud ascendere ad scut. 66. mo-
netæ constantia ducatos 38. Cameræ ut in-
ter partes non controvertitur, & probatur
3 ex attestatione per Ordinarium *visit videndis* exarata cui omnino deferendum venit,
Rota coram Gregor. decis. 482. *num.* 6., *&*
coram Merlin. decis. 495. *num.* 5., *& in rec.*
decis 152. *num.* 5. *par.* 7. cum præsumatur op-
4 timè informatus de qualitatibus Beneficio-
rum suæ Diæcesis, *Rot. coram Bichio decis.*
280. *n.* 30., *& cor. Otthobon. dec.* 125. *n.* 8., *&*
9., *cor. Emerix dec.* 97. *n.* 3.

Nec ad minuendum valorem prædictum
5 deducenda sunt onera Missarum à Cappel-
lano in qualibet hæbdomada celebranda-
rum, quoniam illa sunt annexa Beneficio,
& respiciunt servitium, quod ab eodem ex
præcepto fundatoris præstari deber; *Barbos. vot. decis.* 108. *num.* 42. *lib.* 3. *Rot. cor.*
Merlin. dec. 587. *n.* 6., *& in Ferrarien. Cappellaniæ* 20. *Junii* 1692. §. *Cæterum cor. bo.*
me. Benincasa, *&* 13. *Februar.* 1696. §. *Sed*
neque coram R.P.D. meo Priolo; maximè
6 quando Beneficium, ut hic. est residentiale,
ac Sacerdotale, *Garz. de Benef. p.* 5. *cap.* 3.
n. 169. *Castropal. in tract.* 13. *de Benef. disput.* 2 *n.* 2. *punct.* 26. *n.* 9. *Card. de Luca de*
Benef. disc. 90. *n.* 80.

Multoque minus calculandæ veniunt ex-
pensæ pro supellectilibus sacris, ac pro di-
stributione Panis; Etenim quoad paramenta
sacra, & Altaris ornamenta, ultra quod
ista subministrantur ex Massa Communi
præbendatorum in eadem Ecclesia existen-
tium, & Beneficiatus propria supellectili
7 de necessitare non indigeat, sed ad meram
honorificentiam dumtaxat in quibus termi-
nis non solet beneficari, *Card. de Luca d.*
disc. 90. *n.* 80. *vers. voluntaria*: nihilominus
8 cum illorum refectio raro contingere soleat,
& impensa sit modici valoris, ac incerta,
& variabilis, de illa nulla est habenda ratio
ad Beneficii valorem minuendum, *Rota*
coram Buratt. dec. 468. *n.* 1., *& in rec. decis.* 343. *n.* 31. *p.* 9. *tom.* 2., & quoad panis di-
stributionem in die festivitatis faciendam,
hæc pariter non venir subducenda, tum
9 quia consistit in modico, tum etiam quia est
10 voluntaria, & fit pro devotione Benefi-
ciati, non autem ex obligatione, quia non
est onus in fundatione injunctum, *Barbos. d.*
vot. 108. *n.* 43. *Rota d. dec.* 648. *n.* 5. *coram*
Buratt., *& in dict. Ferrarien. Cappellaniæ*
20. *Junii* 1692. §. *His autem coram Benincasa*.

Sicut etiam detrahenda non est solutio,
quæ fit pro taxa militom; cum etiam ista
11 sit onus variabile, ac temporale; ut de simi-
libus oneribus temporalibus respondit *Rota*
dec. 418. *n.* 4. *&* 5., *& dec.* 468. *n.* 1. *cor. Buratt.*,
& in rec. dec. 158. *nu.* 20. *par.* 1., *& in dicta*
Ferrarien. Capellaniæ coram bo. me. Benincasa §. *His autem cum seq.* Collecta verò
pro triremibus, quæ consistit in solis libris
septem annuis; verificatur in modica sum-
ma; quæ etiam si dematur una cum sexta
parte valoris; nihilominus fructus longè ex-
cedunt quantitatem in litteris narratam, &
expressam.

Non obstat, quod juxta consuetudinem
Placentinæ deducenda sit una integra anna-
ta de fructibus bonorum singulo novennio ob
possibilia infortunia, quoniam de hujusmodi
12 consuetudine nulla datur concludens pro-
batio, & simplices, ac informes fides, quæ
ad hunc effectum adducuntur; satis non fuis-
se visum fuit ad probandum; *Rota coram*
bo. me. Emerix. dec. 243. *n.* 7., *& in rec. decis.* 157. *n.* 1. *par.* 7., *& dec.* 596. *n.* 28., *&* 32.
par. 19.

Quibus ita firmatis pro retardatione exe-
cutionis litterarum Joannis Baptistæ DD. li-
benter emiserunt resolutionem secundæ par-
tis dubii respicientis adjudicationem Bene-
ficii, quam sibi deberi tamquam præsentato
à Patronis contendebat Bernardinus; quo-
niam, cum hæc pendeat ab examine validi-
tatis præsentationis factæ à Patrono post lap-
sum quadrimestre; dum circa eam DD. no-
luerunt quidquam firmare; consultiùs pura-
runt demandare mihi ut disputandum pro-
ponerem dubium super executione literarum
Apostolicarum; quas idem Bernardinus ob-
tinuit.

Et ita utraque &c.

CIVITATIS VETULÆ FIDEICOMISSI.

Vener. 11. *Dec.* 1705.

ARGUMENTUM.

Dat superior Decisio 359. quæ hic confirmatur. Et inest dec. 397.

SUMMARIUM.

1 *Versio pecuniarum quomodo probetur.*
2 *Pro monacanda descendente detrahi possunt bona fideicommissi ascendentalis in subsidium*, & n. seq.
3 *Dos detrahi non potest a fideicommisso ascendentali cum commodè haberi potest ex bonis liberis.*
4 *Fideicommissarius reclamans a dote descendenti ex fideicommisso jam constituta, & longo tempore non impugnata, ipse tenetur concludenter probare existentiam bonorum liberorum, cum quibus expeditè dos poterat constitui. Secus cum res est de dote constituenda*,
5 *Bona acquisita cum pecuniis dotalibus, vel dotalia remanent, vel doti specialiter hypothecata.*
6 *Dos descendentis, cum bona libera sunt debitis involuta; detrahi debet ex fideicommisso ascendentali.*
7 *Maxime cum agitur de dote danda monasterio.*
8 *Dotes non nisi promptas, & facilis exactionis*

nis Monasteria recipiunt.
9 *Bona libera, quæ pro una dote, ex duabus debitis, solùm sufficiunt; si pro una assignentur, in alia non computantur.*
10 *Existentia bonorum liberorum proportionabiliter ad solutionem dotium ex ipsis antecedenter facta cessat.*
11 *Bona libera, ut intricata dicantur, sufficit, quod sint hypothecata pro alia dote, cujus restitutio, licèt non debeatur, nisi moriente viro, tamen post ejus mortem potest accidere.*

DECISIO CCCXCI.

DEnegarunt DD. die 4. Maii præteriti immissionem, quam Paulus Junior de Blancardis petierat vigore *legis finalis* ad pratum obnoxium fideicommisso condito à quondàm Trajano, quod Magdalena Andreotta tanquam Procuratrix, & Conjux Pauli Senioris sui viri pro sc.300. vendiderat Collemodio Auctori Religionis Hierosolymitanæ, ad effectum pretium erogandi in Monacationem Franciscæ Communis filiæ, *ut ex decisione quæ dicta die prodiit coram Me*. Cumque hodie sub hoc novo examine non solum illius fundamenta subsistere visa fuerint, sed ulteriùs versio d. pretii in causam expressam, quæ in præterita propositione impugnabatur, comprobata remanserit; DD. etiam ex hoc fundamento *in decisis* standum esse responderunt.

Fuit itaque in præsenti justificatum; quod facta per Magdalenam venditione
Prati sub die 20. Januarii 1634., successivè
18. Februarii sequentis Trajanus illius filius
deposuit sc. 400. penès Hyacinthum Scarpelium, qui promisit illa solvere Ven. Monasterio S. Luciæ; quoties Francisca deponentis Soror professionem emisisset: quodque anno 1636. purificato jàm die, quò ipsa
profiteri debebat; Moniales, mediante publico instrumento, quietarunt Paulum patrem de dictis sc.400. asserendo, quod essent
illa met, quæ dicta die 18. Februarii anni
1 1634. deposita fuerunt: quibus stantibus amplius impugnari non potest, quin pretium
fundi versum fuerit in dotationem Franciscæ
2 pro qua tanquàm descendente ab ipso conditore fideicomissi licitè potuit fieri alienatio; *ad Text. in authent. Res quæ Cod. Commun. de legat. Peregrin. de fideic. art.42. n.26. Molina de primogen. lib.4. cap.6. n.7. Rot. dec.32. n.1., & seq. par.10. rec., & in Efina Census 12. Januarii 1699. §. Non obstat coràm Me.*

Non obstat, quod bona fideicomissi sint affecta pro dotatione fœminarum in subsidium, & non existentibus bonis liberis, &
3 tamen anno 1636. tempore Monacationis
Franciscæ Paulus Pater hæres gravatus possidebat duas domos, alteram pretio sc.360.
acquisitam de anno 1615., & postmodum
alienatam pro sc.450. cum pacto redimendi,
& alteram valoris sc.350. circitèr in permutatione receptam anno 1619. ex quarum
4 venditione, sicut commodè poterat retrahi
Dos sc.300. Franciscæ constituta, ità Pratum fideicommissarium vendi nequibat ex firmatis *in dec.43.n.3.cor. sa.me. Alex. VIII. dec.925. n.9. cor. Cerro, & in Romana Dotis 27. Maii 1700. §. Detractio cor. R.P.D. meo Priolo.*

Quoniam ultrà quod pro objecti remotione sufficeret hic agi de Dote jamdiù constituta, ac de retractanda alienatione facta ad effectum prædictum, & quæ spatio longi temporis 60. annor. circiter ab hæredibus gravatis impugnata non fuit in quibus circumstantiis fideicommissarius arctatur one-
5 re concludentèr probandi existentiam bonorum liberorum, cum quibus expeditè dos constitui potuisset, ut distinguendo respondit. *Rota in Romana fideicomissi, seu manutentionis 6. Junii 1701. §. Certum est coram Rmo D. meo Decano in Romana Censuum 3. Julii 1702. §. Multoque coram eodem in Romana fideicomissi 4. Decem 1702. §. Etenim coram R.P.D. meo Kaunitz, & in Romana Immiss. 2. Martii 1703. §. Absque coram Rmo D. meo Decano.*

Cessare visa fuit difficultas; quia constitit, quòd dd. Domus valoris in totum sc.875. erant pluribus oneribus obnoxiæ; nam una ex eis fuerat subrogata loco Census Fideicomissarii pro rata sc.100. ut etiam dictum fuit *in decisione, quæ revidetur §. Quibus*;
6 altera fuerat acquisita cum pecuniis dotalibus Magdalenæ, & sic vel remanebat dotalis, vel saltem specialitèr affecta pro d. Dote, & utraque non solùm erat pro illa obligata, verum etiam hypothecata favore Communitatis Civitatis Vetulæ pro reintegratione pretii duorum locorum Montium ascendentium una cum fructibus ad sc.343., vigore obligationis per eundem Paulum acquirentem emissæ de anno 1617. itaut proindè convincatur, quod non solum istæ non sufficiebant pro integra satisfactione Dotis Magdalenæ sc. 1000. verùm etiam
7 quod cum essent ab eo debitis involutæ;
pernecessæ distrahi deberent bona fideicomissi pro Dote Franciscæ. Maximè quia
8 agitur de dote persolvenda Monasterio,
9 quod regularitèr non solet recipere, nisi illas dotes, quæ promptæ, & facilis sunt exactionis; ut fuit firmatum *in Romana Assentistatus 23. Januarii 1699. §. Præmissis cor. Rmo D. meo Decano, & in Romana Dotis de Salviatis 22. Januarii 1707. §. Et licet coràm R.P.D. meo Ansaldo.*

In nihilum relevante, quod præter dictas
Domos extarent Mobilia, Soccita Animalium, & Sata spectantia ad d. Paulum; nam
ut in præterita decisione animadversum
fuit, non probatur existentia Mobilium, nec
cujus valoris essent. Soccita verò nullam
attulit utilitatem, cum esset gravata debito
sc.190. illius Capitali æquivalente; & sata,
factis deductionibus, reducuntur ad quid
minimum. Quamobrem cum ex istis omni-
10 bus Bonis essent solvendæ duæ dotes, Consti-

ſtituentes ſummam ſc. 1400. ſive illa alienata fuiſsent pro conſtituenda Dote Franciſcæ, ſive pro reſtituenda altera Magdalenæ; fideicommiſsum nunquam evitare poterat propriam jacturam pro ſolvenda una ex illis; cum pretium Bonorum non ſufficeret pro utriuſque ſatisfactione.

Nec juvat replicatio; quod dos Magdalenæ fuerit jam ſatisfacta pro rata ſc. 775. juxtà partitas relatas *in deciſione*, quæ *revidetur* §. *Non attenta*; quodque in omnem caſum de tempore Monacationis non eſset exercibilis actio pro illius reſtitutione, quæ ſolum competit per obitum viri, qui longè poſt deceſsit. Quoniam præter reſponſiones datas in *mea præterita deciſione* §. *Pro remotione*. Adverterunt DD. quod ſatisfactio præ cæteris deducitur ex venditione unius ex dd. Domibus, quæ computatur inter Bona libera. Ideoque ſi ceſsat pro rata credi-
11 tum dotis, ceſsat etiam proportionabiliter exiſtentia dd. Bonorum; & licet actio eatunc non eſset exercibilis; per hoc tamen non excluditur; quin Bona eſsent intricata; cum ad hunc effectum ſufficiat; quod tamquam hypothecata poſt obitum viri avocari potuiſsent; ut fuit reſponſum *in dict. Romana Immiſsionis 2. Martii* 1703. §. *Quoniam cor. Rev. D. meo Decano*.

Et ita utraque &c.

PLACENTINA LEGATI PII.

Lunæ 14. Decembris 1705.

ARGUMENTUM.

Legatum pium ſolemnitates non requirit, ſed ſufficit, ut appateat perfectum ex voluntate diſponentis, quæ elicitur ex ſubſcriptione, & appoſitione ſigilli in ſchedula, quamvis, vel dictum fuit Notario conſignandam, quia hoc tantum intelligitur volitum ad probationem; niſi ex circumſtantiis contrarium appareat: vel conſtet teſtatorem dixiſſe, ſe velle aliqua mutare; quoties non mutavit: & niſi ex ejus verbis neceſſario ad revocationem inferatur. Legatum nominationis Capellani eſt pium.

Confirmatur infra deciſ. 431., & ſuper remiſſoria eſt deciſ. 432.

SUMMARIUM.

1 *Res judicata naſcitur, cum in termino primi fatalis commiſſio non fuit incapſata, & intra biennium acta non fuerunt tranſportata.*
2 *Voluntas Teſtatoris eſt ſervanda.*
3 *Legatum pro celebratione miſſarum eſt pium.*
4 *Solemnitates in Legato pio neceſſe non eſt, ut ſerventur; ſed ſufficit conſtare de teſtatoris voluntate.*
5 *Voluntas Teſtatoris probatur ex ſchedula ab ipſo ſubſcripta, & proprio ſigillo ſignata.*
6 *Perfectio teſtamenti ad pias cauſas conſiſtit in eis, quæ voluntatis perfectionem indicant; non in eis, quæ ſolemnitates reſpiciunt.*
7 *Voluntas dicitur non completa, ſed in via; quoties aliquid faciendum remanet.*
8 *Secus cum appareat Teſtatorem habuiſſe animum perfectum, & deliberatum diſponendi: & ex quibus eliciatur?*
9 *Voluntas Teſtatoris conſignandi Teſtamentum Notario reſpicit ſimplicem ſolemnitatem, & probationem; non vero, quod ſine ea noluerit Teſtamentum valere.*
10 *Fides ſimplices contra perfectionem Teſtamenti ad pias cauſas non admittuntur.*
11 *Voluntas mutandi, cum non ſit ad actum perducta, non derogat præcedenti perfectæ diſpoſitioni; niſi ex ejus verbis neceſſario ad revocationem inferatur*, & nu. ſequenti.
12 *Piæ cauſæ in dubio eſt favendum.*
13 *Declarantur* deciſ. Romana Legati 30. Aprilis 1703. coram Pio, & 28. Novembris ejuſdem anni coram Priolo, *in quibus ex circumſtantiis habetur, quando ſolemnitates, non ad probationem, ſed ad perfectionem voluntatis ſunt requiſitæ.*
14 *Non procedunt cum agitur de ſchedula abſolute ſubſcripta per verba de præſenti.*
15 *Hæres acceptans paternam diſpoſitionem, quoad legata pia, non poteſt eam amplius impugnare.*
16 *Acceptans laudum, in quo demandatur erectio capellaniæ ad formam Teſtamenti; etiamſi proteſtetur Teſtamentum non acceptare, tamen adimplere tenetur.*
17 *Nominatio capellani non eſt opus pium.*
18 *Contrarium.*
19 *Maximè ſi fiat de Clerico, ut ad ſacros ordines poſſit promoveri.*
20 *Legatum, ut pro pio habeatur, ſufficit, quod pia cauſa ſit annexa, & conſequutiva.*

DECISIO CCCXCII.

IN ſupremis Tabulis per quondam Co. Cæſarem Coſtam exaratis, ac proprio caracthere, & ſigillo ſubſcriptis, atque roboratis, hæres ſcripta fuit anima ſua, & Hieronyma Coſta Labadina ejus filia, ac ſucceſſivè ordinata fuerunt diverſa legata pia, & ſignanter favore Eccleſiæ B.M.V. Turricellæ relictum legitur prędium annui redditus lib. 1650. ex quibus tradendæ eſſent lib. 600. capellano, qui miſſam quotidianam celebrare teneretur, cujus nominationem voluit quod ſpectaret ad proximiorem, & ſeniorem de Coſta, & pro prima vice ipſemet nominavit Antonium Stuppanum, tunc Clericum, cui ſi de tempore obitus Teſtatoris, adhuc non eſſet in ſtatu celebrandi Sacrum per ſe ipſum ſubſtituit Petrum Jordanum, qui celebrare deberet, donec Antonius Sacerdos effectus fuiſſet.

Verum quia d. Co. Cæſar deceſſit non facta conſignatione Teſtamenti, orta fuit quæſtio inter Hieronymum Coſtam Nepotem

tem ex fratre d. Testatoris, ac Marchionissam Hieronymam Costam Labadinam Cæsaris filiam super ejusdem Testamenti validitate, & pro amicabili compositione decisio remissa fuit Judicio Arbitri communitèr electi, qui laudando assignavit Nepoti majorem partem bonorum hæreditariorum; residuum verò relaxavit favore filiæ, cum omnibus tamen honoribus, & oneribus eidem à Testatore ordinatis, inter quæ aderat legatum factum Ecclesiæ prædictæ prò Capellania erigenda. Quæ omnia Marchionissa acceptavit, & adimplere promisit, ac in executionem suæ obligationis ad dictam Capellaniam nominavit Joannem Varsium loco aliorum à Testatore nominatorum, qui tanquam prætermissi recursum habuerunt ad Judicem prò sui nominatione, & quia in prima instantia succubuerunt, in secunda verò coram A. C. Aldovrando Sententiam revocatoriam reportarunt, quæ ob non transportationem actorum transitum fecit in Judicatum. Ideò curarunt per me proponi dubium -- *An, & cui competat nominatio, seu An constet de re judicata, vel potiùs de Causis &c.* -- *& constare de re judicata, ac nominationem spectare ad Antonium, & Petrum DD. responderunt.*

Res judicata namque resultare visa fuit, quia appellatio à Sententia A. C. fuit per Marchionissam interposita sub die 16. Decembris 1702., commissio verò incapsata remansit sub die 25. Januarii 1704., & acta transportata fuerunt die 5. Maii 1705., ut *ex Sum. Antonii, & Petri num.6. 7. & 11.* undè dum nihil peractum fuit intra tempus primi fatalis, & post lapsum biennii, seu secundi fatalis acta transportata fuerunt,
1 sententia in judicatum transivit, perindè,
ac si nunquam ab ea fuisset appellatum. *Rota coram Cerr. dec.410. num.1., & cor. san. mem. Alex. VIII. dec.228. num.8., & in rec. dec.15. num.10., & seq. par.10.*

Fortiùs concurrente justitia illius ultimæ sententiæ declarantis nominationem ad Capellaniam controversam spectare ad Antonium, & Petrum, cum ipsis assistat voluntas Co. Cæsaris Testatoris omninò servanda,
2 *ad Text. in l. in conditionibus ff. de condit., & demonstrat.*, & quamvis ista desumatur
ex Testamento minùs solemni, attamen
cum agatur de legato ad pias causas relicto,
3 nempè pro celebratione Missarum, solemni-
tates juris non sunt necessariæ, sed sufficit,
4 quod aliquo modo constet de Testatoris vo-
luntate. *Sanchez cons. moral. lib.4. cap.1. dubit.7. n.6. Panimol. dec.12. annot.7. nu.56. Rota in rec. dec.108. num.2., & 26. par.7., & dec.484. num.2. par. 19. tom.2.*, de qua profectò dubitari nullo modo potest in præ-
5 senti hypothesi, cum illa apertè habeatur ex
schedula proprio Testatoris caracthere, in pluribus foliis scripta, non abolita seù cancellata, & ab eodem subscripta, ac proprio sigillo firmata, in quibus consistit per-
6 fectio Testamenti ad pias causas, cum cæte-
ra omnia solemnitatem respiciant, *Covar. in Cap. relato il primo num.2. in fin. de Testam. Gratian. discept. for. cap.895. num.22., & seq. Rota in rec. d. dec.108. nu.13. par.7.*

Non relevante, quod ex supradicta schedula solùm desumi possit quædam præparatio, seu dispositio ad testandum, non autem perfecta, & absoluta Testatoris voluntas, sic disponendi attentis præcipuè verbis illis in principio dispositionis expressis -- *Volendo fare il suo Testamento nuncupativo, cioè senza scritti hà palesato à me Notaro infrascritto alla presenza, udienza, & intelligenza delli soprascritti Testimonii, e me Notaro &c. la sua volontà*. Ex quibus deduci prætenditur argumentum potiùs actus faciendi coram Notario, & Testibus, quam jam facti, & completi, adeout voluntas
7 semper dicatur in via, quousque aliquid fa-
ciendum remanet, ut in similibus terminis fuit latè firmatum *in Romana legati 30. Aprilis 1703. coram bon. me. Pio, & 28. Novembris ejusdem anni coram R.P.D. mea Priolo*.

Quoniam rectè perpenso toto schedulæ
8 Testamentariæ contextu manifestè apparet;
Testatorem perfectum, ac deliberatum animum habuisse de rebus suis disponendi, eo modo quo in dicta schedula expresserat, prout indicant sæpissimè repetita verba -- *perchè così è la mia assoluta, e finale intenzione*, & inferius -- *e giachè nella presente mia disposizione, e final volontà*, & aliàs -- *Io Cesare Costa affermo le sudette mie dispositioni in conformità della mia presento volontà, quale, e voglio, e pretesto habbia il suo effetto in ogni meglior modo* -- Quæ non simplicem præparationem, & imperfectam dispositionem important, sed perfectissimam, & deliberatam voluntatem præseferunt; *Altograd. cons. 61. num.23. lib.1., Rota coram Cels. dec.293. num.6., & in rec. dec.150. nu.9. par.16., & dec.226. nu.6. par.19.*

Verba autem in prohemio Testamenti expressa, simpliciter indicant, quod Testator in mente habuerit consignatione Testamen-
9 ti Notario, quod respicit simplicem solem-
nitatem, cum censeatur volita ad majorem probationem, non verò quod sine ea noluerit Testamentum valere: ideò illius defectus aptus non erit infringere perfectionem voluntatis à tot expressionibus elicitam *Menoch. cons. 267. in fin. num.33., & seq. Gratian. discept. forens. cap. 895. num.21. usque ad 29. de Marin. var. resol. cap.238. num.8., & per tot. Rocc. disput. Jur. capit.42. num.7. tom.1. Card. de Luca de Testam. disc.15. num.4. Rota dicta decis.484. num.3. par.19. tom. 2. rec.*

Nec obstat fides nonnullorum Testium asserentium Testatorem dixisse -- *che bisognava mutare molte cose*. Quoniam ultra regulam, quod hujusmodi simplices fides
10 non attenduntur in judicio; *Rota dicta de-
cis.484. num.17. par.10. rec.*, potiùs eorum

dicta retorquentur, cum immediatè refe-
rant Testatorem, sic allocutum fuisse - *Que-
sta è la schedula continente l'ultima mia vo-
lontà, è desidero che se ne faccia un publico
Instrumento* -- & voluntas motandi solum-
respicit quamdam nudam, & simplicem vel-
11 leitatem, quæ cum non fuerit ad actum per
ducta, non derogat præcedenti dispositioni
contentæ in schedula undique perfecta, nisi
talibus verbis declarata sit, ut ex illis neces-
sariò ad revocationem inferatur. *Menoch.
consil.224. nu.23. Gratian. discept.895. n.28.
& seq. & in rec. decis.108. n.14. par.7.*, ubi
12 dicitur, quod licet cogitaverit aliquid fa-
cere, vel addere, non tamen ex eo, quod
non fecit definit esse perfecta. Et quatenus
prædicta aliquam dubietatem involuerent,
13 tamen in dubio favore piæ causæ proce-
dendum esse visum fuit; *Tiraquel. de Pri-
vil. Causæ piæ privil. 16. Mantic. de conje-
ctur. lib.12. tit.1. num.32.*

Decisiones verò in Romana Legati supra in
objecto allegatæ in præsenti hypothesi non
14 applicantur, ibi namque plures concurre-
bant circumstantiæ voluntatis imperfectio-
nem denotantes, & præcisè Testator ex-
presè protestatus fuerat velle condere Te-
stamentum sigillatum, illudque consignare
Notario, quodque magis est, ipsam sub-
scriptionem schedulæ qualificaverat sub
conditione consignationis, & sigilli, & ro-
gitus, ac ulterius folia per ipsum anteà exa-
rata noluit ampliùs attendi, cum deman-
daverit novæ copiæ exemplationem, quam
nec recognovisse, nec subscripsisse legeba-
tur. Undè benè in illis firmatum fuit, quod
solemnitas volita fuerat, non ad solam pro-
bationem, sed pro perfectione voluntatis
15 ut ex earumdem lectura patet. In casu au-
tem de quo agitur, subscriptio est absoluta,
& libera, ac expleta cum verbis indicanti-
bus actum de præsenti, non autem de futu-
ro, ut ex supra narratis verbis apparet.

Cessatque omnis difficultas stante acce-
ptatione paternæ dispositionis quoad lega-
ta pia facta per Comitissam vigore laudi pro-
16 lati à Judice compromissario per ipsam ele-
cto, quæ approbatio operatur, ut hujus-
modi legatum pium ab illa ampliùs impugna-
ri non possit. Non obstante quod in subscri-
ptione protestata fuerit se nolle -- *approva-
re ò consentire alla validità, è sossistenza
di alcuno de Legati pii è profani contenuti
nella schedula* -- quia talis protestatio esset
contraria laudo per ipsam emologato, per
17 quod tenetur dicta legata pia adimplere,
eo modo quo continentur in Testamento,
in quo sicuti fuit demandata erectio Capella-
niæ, & ad eam certæ personæ fuerunt no-
minatæ, ità debet Comitissa utrumque ad-
implere vigore prædictæ acceptationis; *Ro-
ta in rec. dec.419. num.14. par.12., & de-
cis.400. num.15. par.16.*

Absque eo quod vim faciat replicatio,
quod nominatio Capellani non sit opus pium.
18 Quoniam illa uti tendens ad celebrationem
Missarum per ipsos nominatos explendam,
19 dici debet etiam legatum pium. Maximè
quia per eam Testator invitavit Stuppanum
20 simplicem Clericum ad Sac. Ordines susci-
piendos, & sic inservire debet pro patrimo-
nio, & substentatione illius. Ad hoc autem
ut legatum pro pio habeatur, satis est, ut
pia causa sit annexa, & consecutiva; *Bellet.
disquisit. Cleric. tit. de favore Cleric. §.5.
num.63. Panimol. dec.12. adnot.7. num.3.*
Et ita utraque &c.

REATINA FIDEICOMMISSI SUPER DETRACTIONIBUS.

Luna 14. Decembris 1705.

ARGUMENTUM.

Detractiones non debentur concurrentibus alienationibus cum defectu inventarii, quod non suppletur ex inventario tuteiari ex divisione facta inter secundos hæredes ex libris, ex articulis, & consensu præstituto à primo hærede, quando ex his negativa existentiæ aliorum bonorum de tempore mortis Testatoris non coarctatur. Cohæres quando cohæredi inventarii defectum possit opponere.

In hac Causa sunt superiores. dec.216.226.276.

SUMMARIUM.

1 *Detractiones non debentur concurrentibus defectu inventarii, & pluribus alienationibus.*

2 *Et contrarium pretendenti onus incumbit negativam concludenter probandi.*

3 *Inventarium tutelare primorum hæredum non sufficit ad coarctandam negativam bonorum testatoris, prout requiritur.*

4 *Præcipuè si factum sit post multos annos à morte testatoris.*

5 *Inventarium ut robur obtineat firmare debet statum de tempore mortis Testatoris, & cur?*

6 *Testes deponentes omnia bona descripta in inventario tutelari primorum hæredum longè post mortem Testatoris facto, ejusdem statum non firmant, quia negativam non coarctant alia eum non possedisse.*

7 *Cohæres cohæredi defectum inventarii non potest opponere.*

8 *Declara procedere conclusionem, quando fideicommissarius esset hæres cohæredis inventarium non facientis.*

9 *Secùs quando fideicommissarius venit ex persona propria.*

10 *Status hæreditarius fideicommittentis firmari non potest ex divisione bonorum facta inter secundos hæredes gravatos, quia negativam non coarctat: deserviet siquidem ad probationem identitatis*

11 *Negativa existentiæ aliorum bonorum destruitur potiùs, quam probetur ex libro, in quo aliqua annumerantur bona, quæ inter fideicommissaria Testatoris describuntur.*

12 Item

12 *Item ex articulis restrictis.*
13 *Item ex depositionibus testium negativam non coarctantibus.*
14 *Testes singulares non attenduntur ad probandam negativam existentiæ bonorum Testatoris.*
15 *Factum gravati fideicommissario ex propria persona venienti non præjudicat.*
16 *Inventarii defectus non suppletur ex justificationibus etiam simul sumptis, quæ non continent omnia bona fideicommissaria.*
17 *Animalia gregem constituentia pro fideicommisso servari debent.*
18 *Detractiones ab hærede faciendæ non sunt, deficiente inventario, & concurrentibus conspicuis alienationibus.*

DECISIO CCCXCIII.

CUM fratres de Sempiternis in vim rei judicatæ Rotalis possessionem nacti fuerint bonorum fideicommissariorum quondam Cherubini senioris de Sempiternis, post habitis per hoc Sac. Tribunal detractionibus, quas super illis Paulus Corona ex persona Dionisii hæredis gravati sibi competere prætendebat, propter illarum turbiditatem, curavit ille mediante Periti electione ad earundem liquidationem devenire, ac stante relatione ab eodem facta instetit per me proponi dubium - *An debeantur detractiones, & in qua summa* -- quod *negativè* in omnibus resolutum fuit.

Siquidem non solum deficit inventarium bonorum hæreditariorum Cherubini fideicommittentis, sed ulterius fuerunt adductæ quamplurimæ alienationes, & quidem in considerabili summa à primis hæredibus gravatis factæ, quibus concurrentibus cessat quæcumque detractionum prætensio, quia sicuti alienata fuerunt bona de quibus constat, adeout contrarium asserenti onus incumbat dictæ alienationis, & occultationis negativam concludenter probandi -- *Rota coram Bich. dec.608. num.18., & seqq., & coram Priolo dec.420. n.12., & in rec. dec.96. n 20. p.12., & dec.103. n.6., & seqq. p.16., & dec.193. n.2., & seqq. p.19., & in Perusina fideicommissi 27. Junii 1698. §. Nec ad supplendam cor. R. P. D. meo Priolo.*

Inventarii verò defectum nullo modo supplere possunt ea, quæ in contrarium afferuntur, quia nec sigillatim, nec simul sumpta probant statum hæreditarium Cherubini fideicommittentis excludendo existentiam aliorum bonorum ejusdem.

Non quidem inventarium tutelare factum de bonis paternis à Catherina Uxore Dionisii unius ex primis gravatis tutorio nomine filiorum; Tum quia in illo non leguntur descripta bona Cherubini fideicommittentis, sed illa Dionisii, & Leandri primorum hæredum gravatorum: Unde sufficiens non reputatur ad coarctandam negativam bonorum Testatoris, prout requiritur: *Rot. cor. Bichio dec.161. n.25. cor. Cavaler. dec.491. n.3., & cor. Cerro dec.29. n.7. cor. Coccin.* dec.59. n.5., & in rec. decis. 384. n.31. p.9. & dec.489. n.28. p.18. Tùm etiam quia factum fuit post lapsum undecim annorum, & ultrà à die obitus fideicommittentis, ideoque non potest ex eo firmari status hæreditarius de tempore mortis ejusdem, ut est necessè, ad hoc ut Inventarium robur obtineat, & clara ratione, quod intermediæ accidere potuerint alienationes, prout de facto evenerunt, *Rota cor. Bich. dec.591. n.14., & cor. Cerro dec.443. n.14., & in rec. dec.224. n.2. & 3. p.18., & dec 23 n.7 p.19.*

Tom.II.

Ideoque non sufficit, quod omnia bona in illo descripta sint fideicommissaria Cherubini, ut probari prætenditur ex Testibus, aliisque documentis exhibitis, quia id non est, de quo quæritur, sed per necessè probandum est, quod illa essent omnia bona à Cherubino relicta coarctando negativam existentiæ.

Non relevante, quod cohærea opponere non possit cohærendi Inventarii defectum. Quoniam conclusio locum habet, quando fideicommissarius esset hæres cohæredis Inventarium non facientis, non autem in præsenti hypothesi, in qua fratres de Sempiternis non aspirant ad controversa bona fideicommissaria ex persona Leandri, sed independenter ab ipso tanquam à Testatore, ad successionem fideicommissi vocati, quibus negligentia gravati præjudicare nequit, *Peregrin. de fideicom. art. 41. n.16. Rota in rec. dec 302. n.10. p.18.*

Multoque minus status hæreditarius fideicommittentis firmari potest ex divisione bonorum facta de anno 1617. inter secundos hæredes gravatos. Etenim illa facta dignoscitur post 16. annos à die obitus Testatoris, nec in ea exprimitur, quod esset divisio omnium bonorum provenientium à Cherubino fideicommittente, & sic benè inservire poterit ad justificandam identitatem, & quod bona ibidem descripta reperta fuerint in hæreditate Testatoris, non autem ad probandam negativam aliorum bonorum fideicommittentis, ex eadem ratione mox adducta, quod scilicet intra dictum tempus plura alienari potuerunt, ex supra firmatis.

Prout nec statum hæreditarium concludere valet libellus transmissus per Leandrum, & Vincentium de Sempiternis contra Antoniam Mostardam. Etenim tantum abest, ut ille coarctet negativam existentiæ aliorum bonorum, ut potiùs illam destruat, cum ibi dicatur; quod inter alia bona fideicommissaria Cherubini aliqua possidebantur à dicta Mostarda: Quæ verba litteraliter excludunt requisitam negativam aliorum bonorum: Undè clarè patet, quod in eo nullum constitui valet fundamentum. *Rota penès moder. Ascul. ad Statut. Urbis decis. 115. num.5. & 6., & coram Priolo decis.438. n.5.*

Ejusdemque irrelevantiæ sunt tam nonnulli articuli dati ab hæredibus gravatis contra Montem Pietatis assertum Posses-

R 2 so-

sorem aliquorum bonorum fideicommissariorum, cum sint restricti ad quædam particularia bona fideicommissaria, & non extendantur ad omnia, proùt necessarium esse superiùs ostensum fuit, quam aliquæ depo-
13 sitiones Testium, quia nec isti concluduut
14 negativam existentiæ aliorum bonorum, & ulterius sunt singulares, immò unus ex eis testatur, se nescire bonorum quantitatem, & valorem, ut ad rem advertit *Rota coram Merlin. dec.633. num.4. vers. non probatur.*

Demùm nullius efficaciæ visus fuit consensus per Leandrum præstitus ad hoc ut Cherubinus legitimam detraheret super Prędio Coactani; Potuit enim ille consentienti
15 præjudicare, sed non fratribus de Sempiternis venientibus ex propria persona, *Rota in Compsana Abbatiæ 6. Aprilis 1699. §. Ex quibus coram Rmo Decano, & in Maceraten. fideicommissi 17. Junii ejusdem anni §. Demum coram me.*

Ex quibus omnibus, sicuti manifestè apparet justificationes omnes adductas pro
16 supplendo defectu Inventarii singillatim examinatas esse imperfectas, cum non contineat omnia bona fideicommittentis, ita simul sumptæ nequeunt talem probationem concludere, *Surd. cons. 129. n.45, & seqq. Torr. de pact. futur. success. lib. 3. cap.13. num. 219.*

Et hæc quoad defectum Inventarii: Quo verò ad alienationes, istæ satis superque probatæ remanent, ex Decisionibus in hac Causa tàm cor. bo. me. Albergato, quàm bo. me. Pio emanatis, & ex relatione Periti noviter per Paulum Coronam productę, ut ex ejus Peritia *lit. V.*; Quibus addendæ sunt alienatio Census facta ante divisionem inter hæredes gravatos initam, *ut in Sum. illorum de Sempiternis n.6.*, mobilium, quæ servando servari poterant: quæque descripta apparent in Inventario tutelari, *ut in Sum.*
17 *Coronæ n.1.* Et demum animalium, & signantèr soccitæ pecudum, quæ cum gregem constituant pro fideicommisso servari debebant *dict. Sum. n.1.* Hujusmodi autem alienationes inspecto asse hæreditario valdè considerabiles esse dubitari non potest; ideoque in præsenti casu, in quo deficit etiam legittimum Inventarium, opus non
18 fuit assumere examen circa liquidationem detractionum, cum nullæ ex eis possint prætendi ex allegatis.

Et ita utraque &c.

PISANA CAPELLANIÆ.

Veneris 15. Januarii 1706.

ARGUMENTUM.

Dat superior Decis. 365. quæ confirmatur.

SUMMARIUM.

1 *Narrativa, quod nulla facta sit in jurepatronatus præsentatio verificatur; si illa, quę facta fuit non potest sortiri effectum.*
2 *Pluralitas Beneficiorum non impedit acquisitionem alterius Beneficii, sed retentionem.*
3 *Retentio Beneficiorum post assecutum alterum facit vacare non ultimum, sed antecedenter obtenta.*
4 *Impedimentum pluralitatis Beneficiorum removetur dispensatione Apostolica.*
5 *Dispensatio in forma gratiosa à sui principio perfectissima est, & quibus verbis imperativis detur?*
6 *Verificatio gratiæ coram delegato retrobaitur ad diem gratiæ obtentæ.*
7 *Verificatio gratiæ dicitur simplex patefactio præteriti jam existentis, & quoad omnes juris effectus facit illam puram, perfectam & irrevocabilem.*
8 *Clausula* -- dummodò tempore datæ &c. -- *ostendit Papam habere gratiam pro perfecta tempore datæ.*
9 *Et præservando jus antecedenter quæsitum intelligere excludere jus proveniens à gratia eidem posteriori.*
10 *Gratia* - perinde valere - *operatur idem ac si omnia in primis litteris fuissent expressa.*
11 *Litteræ* -- perinde valere -- *non suffragantur contra alias ante ipsas impetratas.*
12 *Maximè si adsit Clausula* -- à data præsentium tantum valeant.
13 *Limita conclusionem cum litteræ ab alio ante revalidatorias reportatæ non obtentę fuerunt ex præciso capite, pro quo reportatæ sunt revalidatoriæ.*
14 *Jus nullum promanat ex litteris subreptitiis.*
15 *Nec illud præservatum intelligitur in litteris posterioribus.*
16 *Obreptionem facit non expressa ab extraneo lex in fundatione contenta, quod proximiores Fundatoris semper præsententur.*

DECISIO CCCXCIV.

Revocatis ad trutinam fundamentis Decisionis editæ coram Me sub die 5 Junii anni præteriti, DD. agnita insubsistentia exceptionum, quæ pro obtinenda nova audientia fuerant per Venturellum excitatæ non dubitarunt etiamsi in hac propositione ille non informaverit *in decisis* persistere.

Constitit enim quod jus nominandi, & præsentandi ad hanc Cappellaniam sicuti etiam ad cætera Beneficia, de quibus in Testamento Antonii Perini fuit translatum, mediante duplici donatione facta per illos de Corsinis de Cascina, in Marchionem Filippum Corsinum, ejusque hæredes, & successores, itaut posita pertinentia Jurispatronatus, clarum remaneat vitium obreptionis litterarum, quas à S. Sede reportaverat Venturellus, cum supposito, quod Patroni Laici intra terminum à jure præfixum non præsentaverant Joannem. Id enim ex combinatione temporum facta in præterita Decisione sublatum remanet; Absque

I co

1 eo quod replicari posset narrativam concep-
tam fuisse cum illa circumstantia, quod ni-
mirum nulla facta fuerit præsentatio, quæ
suum sortiri posset effectum: Ideoque benè
verificari possit ratione incapacitatis Joan-
nis, qui possidebat alia dun Beneficia de
tempore præsentationis: Quoniam objectum
2 cessat, dum incapacitas resultans ex plura-
litate beneficiorum non impedit assecutio-
nem alterius Beneficii, sed eorumdem re-
tentionem dumtaxat, ut probant *auctorita-
tes præteritæ Decisionis* §. *Non obstat*, *Ro-
sa de executione litt. Apost. cap.4. num.65.
Rota in Cracovien. Canonic. 13. Junii* 1701.
§. *Certè cor. R.P.D. meo Ansaldo*: Et re-
3 tentio illorum ultra lapsum duorum men-
sium non facit vacare Beneficium ultimo lo-
co acquisitum, sed alia antecedenter obten-
ta, ad *Text. in Cap. commissa de elect. in* 6.
*Card. de Luca de Benef. disc.155.n.20. Ro-
ta coram Seraph. dec.773. n.2*, *& coram
Cavaler. dec.450. n.6.*, *& in rec. dec.174.
n.18 p.5.* Et in omnem casum satis esset, quod
Joannes à Sanctissimo reportavit dispensa-
tionem ad effectum obtinendi controversum
4 Beneficium, aliaque retinendi per quam
sublatum remansit quodcumque impedi-
mentum, ut præter adductos in alia Deci-
sione *dicto* §. *Non obstat. Corrad. in prax.
dispens. lib.3. cap. 1. nu. 16. Rota coram Bi-
chio dec.360. n.18.*, *& in rec. decis.43.n.4.
p.16.*

Quæ dispensatio cum concepta legatur
illis verbis præceptivis *mandamus quatenùs
verificato priùs coram te dicti juris Patro-
natus &c. eidem Joanni auctoritate nostra
conferas, & assignes* dicitur in forma gra-
5 tiosa, & à sui principio perfectissima, *Card.
de Luca de Benefic. disc.35. num.13. Cappon.
discept.46. n.25. Rota in Melphiten. Capel-
laniæ 17. Junii* 1697. §. *Gratiam autem cor.
R.P.D. meo Muto*, *& 7. Junii* 1700 §. *In
subjecta coram Me*, adeoùt licèt verificatio
coram delegato non fuerit ab initio facta,
6 sed subsequenter, tamen retrotrahitur usque
ad principium gratiæ obtentæ, quia cum
dicatur simplex patefactio præteriti jam
7 existentis, habetur quoad omnes juris effe-
ctus pro pura perfecta, & irrevocabili, *Lot-
ter. de re beneficiaria lib.2. quæst.51. nu.41.
& seqq. Rota in Barchinonen. Benefic.2. De-
cembr.*1701. §. *Nullius denique circa finem
coram R.P.D. meo Caprara*.

Maximè quia ibidem adjecta fuit etiam
clausula -- *dummodo tempore datæ præsen-
8 tium non sit in ea alicui specialiter jus quæ-
situm* -- per quam ostenditur, Summum
Pontificem nedum habuisse gratiam, tam-
quam perfectam, tempore datæ, sed etiam
per præservationem juris quæsiti ante datam
9 ejusdem intellexisse excludere jus Venturelli
proveniens ex gratia posteà expiscata, ideo-
que nullatenus præferenda venit, utpotè in
data posterior, *ad Text. in cap. cum cui de
præben. in 6. Rota cor. bo. me. Emerix de-
cis.1133. n.1.*

Non obstat exceptio, quod dictæ literæ
secumferentes dictam gratiam dispensatio-
nis sint obreptitiæ, utpotè obtentæ sub falso
supposito præsentationis per Joannem re-
portatæ à majori parte Patronorum quando
de tempore impetrationis gratiæ solam me-
dietatem vocum habebat. Ex facto etenim
compertum fuit, quod Joannes duplicem, &
in diversis temporibus à Marchione Corsino
præsentationem reportavit; Iste enim prima
vice præsentavit, utendo jure trium ex qua-
tuor Patronis, à quibus cessionem juris no-
minandi reportaverat, *ut in ejus Summario
n.1.*, & secundo loco pro alia voce, cujus
cessionem acquisivit ex post, *ut in d. Sum-
mario n.2.* Undè dum prima præsentatio fa-
cta fuit antè impetratam gratiam à Joanne,
manifestè sequitur, verificatam fuisse narra-
tivam præsentationis à majori parte Patrono-
rum, ut firmavit *præterita decisio* §. *Ex
quibus*.

Maximè quia ab eodem obtenta fuit alia
gratia -- *Perinde valere* -- quæ operatur
10 idem, ac si omnia in primis litteris fuissent
expressa, & sic cessat quælibet difficultas.
*Ros. de execut. litter. Apost. par 1. cap.6.
nu. 343.*, *& seqq. Rota decis.276. num.12.
par.19.*, *& in Leodien. Canonicatus 4. Ju-
lii* 1698. §. *Siquidem cor. R.P.D. meo An-
saldo*.

Minimè refragante, quod Venturellus
suam gratiam reportaverit antequam obti-
nerentur dictæ litteræ -- *Perindè valere* --
11 ideoque per eas tolli non potuerit jus prius
d. Venturello quæsitum, præsertim quia in
gratia revalidatoria additum fuit, quod *à
12 data præsentium tantum valeant* -- Quo-
niam cum Venturellus suam gratiam non
obtinuerit ex præcisò capite quod Joannes
13 de alio Beneficio mentionem non fecerit;
indè sequitur quod litteræ ex alio capite re-
portatæ impedire nequeant effectum gratiæ
revalidatoriæ Joannis: *Amayden. de Styl.
Dat. lib 1. cap.14. n.9. Ros. de execut. litter.
Apost. par.1. cap.5 n.334. Rota in Aurien.
Cantoriæ 8. Junii* 1696. *cor. R.P.D. meo de
la Tremoille, confirmata* 10. *Decembris ejus-
dem anni cor. Rev. Conchen. utrobique* §. *fin.*
14 Fortiùs quia, dum gratia Venturelli manife-
sto obreptionis vitio laborat, omne jus ab il-
la proveniens remanet invalidum, ac proin-
15 dè in præservatione facta in litteris secundæ
gratiæ Joannis illud non censetur præserva-
tum, *Gomez in regul. Cancell. de Jur quæs.
non tollen. quæst.1. n.13.*, *cor. Bich. dec* 286.
n.41., *& seqq.*, *& in rec. dec.606. num.6.
par.19.*

Ultrà obreptionis vitium, subreptione
16 quoque laborant dictæ litteræ Venturelli,
cum non expresserit ad controversam Ca-
pellaniam ex lege fundationis contenta in
Testamento fundatoris, modo in actis pro-
ducto, quod semper præsentari debeant pro-
ximiores de Familia; qualis nullo modo dici
potest Venturellus, quæ circumstantia si
fuisset expressa, vel Summus Pontifex gra-
tiam

tiam denegasset, vel difficilius concessisset, ut firmatum fuit in alia decisione cor. Me.

Et ità Joanne tantùm informante, Venturello autem licet pluries lacessito non comparente &c.

VALENTINA BENEFICII.

DECISIO CCCXCV.

Hanc decisionem invenire hactenus datum non fuit; quod si per ulteriores diligentias reperiri contigerit, in hujus tomi calce imprimi curabitur.

ROMANA EVICTIONIS.

Lunæ 25. Jan. 1706.

ARGUMENTUM.

Habes supra in Decisio 352., & 386. quæ confirmantur.

SUMMARIUM.

1 *Evictionis locus non fit pro censu in solutū dato cum sola promissione evictionis non autem exegibilitatis: cum illius fructus, postquam longo tempore fuerint soluti, fiunt inexegibiles.*

2 *Fallit si ista evictio proveniat ab impedimento hypothecarum anteriorum fundum censitum absorbentium, juncto n.4.*

3 *Census impositus super fundo ab hypothecis anterioribus absorpto, est insubsistens, & nullus.*

5 *Census plures imponi possunt super uno, eodemque fundo.*

6 *Declara tantùm procedere si fundi adsit capacitas tàm quoad capitale, quam quoad fructus: quia si se us esset, secuta evictione vigore primi census, posterior resolvitur quoad jus imponentis, & subsequenter hypothecæ.*

7 *Annexorum nomine ea veniunt, quæ semper annexa in venditionibus, impositionibus censuum &c. habita, & data fuerunt.*

8 *Evictio avocata, vel non avocata possessione etiam vigore Salviani à quibus verbis importetur?*

9 *Avocationem proprietatis, & dominii importat sententia Judicis concedentis retentionem, quæ prsùs habebatur vigore dationis in solutum.*

10 *Evictio ex adjudicatione pro creditis anterioribus probatur.*

11 *Census non sustinetur super fundo, quod vigore antecedentium hypothecarum fuit prorsus avocatum, & à debitoris dominio exivit.*

12 *Contrada, quæ duobus nominibus promiscuè appellatur; si cum uno in uno, cum alio in altero actu nuncupetur, identitatem non excludit.*

13 *Identitas satis probatur in antiquis, si concordent viæ publicæ pro confinibus assignatæ, etiamsi alia non reperiantur.*

14 *Prædium alienatum pro credito anteriori impositioni census super eo factæ, non transit cum d. Census onere.*

15 *Creditores auctoris in bonis ab eo provenientibus prius dimittendi sunt, quam ejus hæredis.*

16 *Cessionarius cedentis bona excutere non tenetur: cum existentia bonorum cedentis excluditur, & ex quibus exclusio ista probetur?*

17 *Excutienda non sunt bona coobligati, qui de tempore promissionis filius fam: erat, nihilque possidebat, nec aliquid posteà habuisse convincitur.*

18 *Excutienda non sunt decocti bona.*

19 *Decoctio convincitur cum filii paternam hæreditatem, utpotè damnosam, repudiarunt.*

20 *Excutienda non sunt pro credito posteriori bona illius, cujus hæres beneficiatus creditor in redditione rationum remanet, & tot habet creditores anteriores, qui statim bona possent vocare.*

DECISIO CCCXCVI.

Geminæ in hac Causa emanarunt decisiones; Altera videlicet sub die 16. Februarii, altera sub die 3. Julii anni præteriti, in quibus firmatum extitit, fuisse evictos fundos suppositos censui, de quo agitur: & propterea relaxandum fuisse mandatum pro illius sorte: & fructibus loco damnorum, & interesse, & in hac tertia propositione agnita irrevelantia exceptionum, quæ fuerunt iterum adductæ, DD. *in decisis* standum esse responderunt.

Quatenus enim repetebatur objectum, quod census ab hæreditate c. a me. Juniperæ de Salviatis fuit traditus in solutum illius Le-
1 gatariis cum sola promissione evictionis, non autem exigibilitatis, & ideo cum illius fructus per lapsum quinquaginta annorum exacti fuerint, si modo illi amplius haberi non possunt, dici quidem valeat censum fuisse effectum inexigibilem, non autem factum fuisse locum evictioni. Placuit responsio alias
2 data, quod stantibus hypothecis anterioribus, quæ fundos censitos absorbent, haberi debeat, ac si fuisset evictus, & resolutus,
3 quia non potest dici verus in substantia, sed prorsus insubsistens, ac nullus: Proindeque orta fuit actio ad favorem cessionariorum con-
4 tra cedentem solemniter de evictione obligatum, ut præter adductos in *prima decisione §. Etenim, & in secunda §. Minusque*, advertunt *Amat. dec. March. 6. num 6., & seq., Gratian. dec. 13. nu. 25., & per tot. Rot. cor. Merlin. dec. 629 num. 6.*

Nec juvat, quod super uno, eodem q; fundo
5 possint validè imponi plures census, quia hoc procedit data capacitate ejusdem, non autem quando, prout in præsenti hypotesi, fundus est omninò incapax, tàm quoad capitale, quàm quoad fructus: tunc enim secuta evi-
6 ctione

6 ctione vigore primi census, posterior resolutus remanet, cum resoluto Jure imponentis secundum censum, resoluta quoque remaneat hypoteca, & impositio ejusdem, *Cene. de Cens. quæst. 39. num. 6. vers. secundo loco, & quæst. 106. num. 1. & seq. Rot. penès eundem dec. 548. & 549., & cor. Burat. decis. 449. num. 1. & in rec. dec. 29. num. 1. par. 9. & dec. 22. num. 6. & 11. par. 12.*

Quod autem verè omnes fundi censiti fuerint evicti, satis probatum fuit in mea præcedenti decisione: Idemque hodie iterum, illos singillatim examinando, apparet, ut enim aliàs dictum fuit, sex sunt corpora super quibus impositus fuit census controversus: Et primo domus in contrada *Fonte Leone* cum omnibus adjacentiis, sed hæc probatur evicta ex quousque de anno 1659. fuit data in solutum Octaviæ de Carolis pro suis creditis longè anterioribus, & deinde orta lite inter eam, aliosque creditores fuit ipsi concessa retentio per Sententiam latam ab Episcopo Terracinen pro summa scut. 5668. reservatis juribus etiam pro aliis sc. 600., ut in *Summ. Legatariorum num. 7.*

Nec obstat, quod in dicta Sententia non comprehendantur Vineæ, & adjacentia domus, quodque retentio in Salviano tantum concessa prætendatur. Etenim compertum fuit fundum prædictum emptum fuisse à Ptholomeo Guarino una cum assertis Vineis, & Pratis sub unica structura verborum; ut in *Summ. Additionali eorundem impresso n. 2. lit. G.* Eodemque modo subjectus dignoscitur censui de quo agitur, ut patet ex instrumento impositionis census *dict. Summ. nu. 2.* Sicut etiam idem Ptholomeus illum vendendo Curtio Setaccio expressit vendere cum omnibus suis adjacentiis, ut in *Summ. hodierno eorundem num. 1.* illumque pari modo Curtius prædictus tradidit in solutum Octaviæ de Carolis, ut in *dict. Summ. Responsionis num. unico*: Unde dubitari non potest,
7 quod concessa retentione domus in Sententia vigore dictæ dationis in solutum cum suis annexis, concessa quoque sit super Vineis, & Pratis adjacentibus. Quodque clariùs convincitur ab allegata successivè cautela Angeli per dictam Octaviam super dicta domo, & adjacentiis, ut in *dict. Summ. Additionali Actorum num. 1.* & à Judice admissa, *dict. Summ. num. 8.*

Quò verò ad retentionem in Salviano ista penitus excluditur: non solum quia cedens promisit evictionem universalem, & particularem in forma, ibi -- *Promisit omnem litem in se suscipere, & prosequi in omni judicio propriis, & dictæ hæreditatis expensis, & denique de dicti census, & jurium cessione, evictione jurisque, & facti defensione universali, & particulari in forma, & de*
8 *omnibus damnis &c.* Quæ verba important obligationem evictionis avocata, & vel non avocata possessione, & sic etiam vigore Salviani, *Mangill. de Evict. quæst. 12. num. 13. & 14., Urceol. consult. 25. num. 22., Rota in rec. dec. 407. num. 6. & seq. par. 5.* Verum, & fortiùs, quia Judex concessit retentionem,
9 quam Octavia habebat ex datione in solutum sibi facta, quæ avocationem proprietatis, & dominii importat, ad *Text. in l. fin. ff. quibus ex caus. in poss. ead., Rot. cor. Emerix decis. 1304. num. 6. & in rec. dec. 374. num. 10. part. 19.*

Secundò domus in contrada *Porta Pauli-*
10 *na*, & ista probatur evicta per eandem Sententiam Episcopi Terracinen. cum adjudicata fuerit pro eisdem creditis, unde, quo ad illam militant regulæ, aliæque rationes mox adductæ.

Alia duo corpora videlicet Olivetum arborum 2000. in contrada *la Costa*, & Prædium in vocabulo *Campo novo* fuerunt data in solutum pro restitutione dotis Laviniæ uxoris Ptholomei Guarini, quæ constituta apparet usque, & de anno 1590., & sic longè ante impositionem controversi census, ac proinde de istis corporibus nulla potest ha-
11 beri ratio ad substinendum censum, cum fuerit prorsùs avocata pro credito anteriori, & de dominio debitoris exierint.

Haud relevante, quod respectu Oliveti, non probetur identitas, ex quo in Instrumento census enunciatur positum in vocabulo *la Costa*, & quod circum circa adsunt viæ publicæ: Illud verò quod datum fuit in solutum Laviniæ sic denominatum *l'Orto de' Massimi* juxta bona Eccles. S. Spiritus, bona Scipionis Pitinelli, ac vias pub. Etenim quo-
12 ad diversitatem Contradç, jam fuit in pręterita decis. responsum, id processisse ex errore Notarii, & vocabulum *Costa, & Orto de' Massimi* pro unico loco accipiantur, ut patet ex Instrumento affrancationis dicti Oliveti, in quo promiscuè appellatur. Quò verò ad diversitatem confinium, satisfacit responsio,
13 quod in utroque instrumento vocantur pro confinibus viæ publicæ, quod sufficeret in antiquis, *Rot. cor. Merlin. dec. 134. num. 2., & 3., & cor. bo. me. Emerix dec. 1086. nu. 8.* Ultra quod bona Ecclesiæ S. Spiritus, & Pitinelli, quæ enunciantur in altero ex dictis Instrumentis nihil variant, cum stent è conspectu Oliveti, ut deponunt duo testes, de quibus in *Summ. Additionali n. 4 litt. A.*

Sicut etiam facilis est responsio ad objectum, quod prædium *il Campo novo* fuerit alienatum post impositum censum, de quo res est, & ideo transierit in emptorem cum suo onere. Quoniam ex facto constitit, non fuisse venditum sed traditum, & assignatum in satisfactionem dotis Laviniæ longè, ut prę-
14 misimus anteriori: Ideoque dici nequit, quod cum suo onere census transierit, dum iste erat valdè posterior.

Transeundo modo ad Olivetum arborum 800. in contrada *Valle Cagnana*, quod fuit pariter controverso censui suppositum, opponebant scribentes pro hæreditate cla. me. Juniperæ Salviatæ, illud fuisse venditum anno 1660. Petro Marchesio, nulla facta mentione, quod esset hæreditarium Ptholomæi

Gra-

Guarini debitoris census, imò cum expressione, quod esset proprium Lucæ Felci, & Mariæ Rusconiæ, & quidem pro satisfaciendis propriis debitis, unde inferebatur ad diversitatem personarum, bonorum, & debitorum. Sed æquivocum manifestè patuit, ex quo dictum Olivetum fuit evictum de anno 1623., quo tempore subhastatum apparet favore Honorii Filcis ad instantiam Faustinæ Guarinæ uti hæredis Victoriæ Marchesiæ pro censu in causam dotis assignato, usque, & de anno 1585. unde nihil refert, quod de anno 1660. in venditione facta expresserit Lucas Filci cum uxore, quod esset proprium, quia benè verificatur ex deliberatione facta favore Honorii Felci sui Actoris.

Supererat Tenuta in vocabulo *Prato Corvino*, seu *Castanello*, & illam constitit fuisse datam in solutum a filiis Ptholomæi Guarini Exuberant, cum hic census esset debitus à Marco Guarino seniore, non autem à Ptholomæo Guarino ejus filio, & debitores census controversi: Quoniam cum eadem Tenuta proveniret ab hæreditate d. Marci, uti
15 que potuit dari in solutum, quia super ea erant prius satisfaciendi creditores Marci, quàm Ptholomæi filii.

Constito ex prædictis, quod verè fuerint evicti omnes fundi censiti, inane fuit refugium ad exceptiones, quod adhuc debuissent discuti alia bona Ptholomæi debitoris, & ulterius omnia bona Marci Guarini insolidum obligati, & Caroli Setacci fidejussoris. Etenim distinctè procedendo, quoad bona Ptholomæi, licet plura ex eis recensita fuerint in quodam calculo exhibito per scribentes pro hæreditate, tamen statim occurrit responsio, quod ex eisdem partitis catastri ad probandam existentiam adductis constitit omnia detineri à creditoribus, nec satis fuisse pro illorum integra dimissione, dum coacti fuerunt usq; de anno 1615. Ptholomæum carceribus mancipari facere, & decoctus obiit anno 1626. in carceribus Frosinoni, ut deponunt plures testes, addentes etiam quod tota ejus familia ob ingentem debitorum molem à nimia paupertate opprimebatur, & de facto iidem creditores non obstante quod bona occupaverint, adhuc remanserunt detecti in ingenti summa, quod non evenisset, si alia bona Ptholomei adessent super quibus consecutionem integram omnium credito-
16 rum obtinerent, ex quibus omnibus pœnitus excluditur existentia aliorum bonorum debitoris census, quæ per cessionarios, ejusdem veniant excutienda.

Quo verò ad bona Marci Guarini illorum
17 discussio superflua visa fuit, quia de tempore obligationis erat filius familias, & nihil possidebat. Absque eo quod fieri possit fundamentum in restitutione dotis maternæ, quia non probatur, quod fuerit institutus hæres à matre, nec eï quantùm potuerit ex dicta hæreditate obvenire, cum ignoretur numerus filiorum, & ulteriùs ignotum est quid, & an potuerit aliquid ab hæreditate patris recuperare. Et tandem quoad discussionem bonorum Setacci fidejussoris, illa quoque inutilis recognita fuit, tum quia, &
18 iste decoctus obiit; dum ejus filii, & hæredes paternam hæreditatem, veluti dam-
19 nosam repudiarunt, tum & quia in redditione rationis facta per Octaviam de Carolis tutricem filiorum de Setaccis, illa Canoni-
20 zata fuit creditrix hæreditatis viri in scut. 734., ut ex sententia, quæ desuper emanavit resultat. Itaut neque allegari meratur, quod fuerit creata quædam Cappellania ex ejus bonis, quæ possent avocari pro satisfactione hujus crediti anterioris, quoniam semper in concursu obtinerent creditores anteriores in tanta summa, quæ omnia absorbent

Et ita utraque &c.

CIVITATIS VETULÆ. FIDEICOMMISSI.

Mercurii 10. Februarii 1706.

ARGUMENTUM.

Eo non indiget, quia est brevis Decisio confirmatoria superiorum Decis. 359., & 391.

SUMMARIUM.

1 *Contrahentibus post celebratum contractum eorum confessionibus præjudicium invicem inferre non licet.*

2 *Provenientia pecuniæ probatur ex Instrumento illius versionis.*

DECISIO CCCXCVII.

EX duplici fundamento denegata fuit immissio petita à Paulo Biancardo vigore fideicommissi ordinati à Trajano Seniore ad Pratum venditum Collemodio auctori commendæ Religionis Hierosolymitanæ: Altero, quod pretium ex dicto Prato retractum versum fuerit in satisfactionem Dotis pro Monacanda Francisca Nepte ex filio Fideicommittentis, itaut venditio sustineatur tanquam facta in vim *Authen. resque Cod. comun. delegat.* Altero, quod ubi etiam talis versio probata non fuisset, dum Magdalena ejus Mater promiserat pœnes se retinere pretium, & illud suo tempore exbursare Monasterio, competebat emptori retentio ex juribus dotalibus dictæ Magdalenæ vigore ejusdem authenticæ: Cum autem hodiè fuisset petita causæ expeditio, Paulus prædictus ad illam impediendam impugnavit præceteris totis viribus primum fundamentum positum in probatione versionis, adducendo, quod licet constet post venditionem Prati fuisse factum depositum scutorum 400. pœnes Hyacinthum Scarpellottum, & Moniales. Subinde recepta dote liberasse Depositarium; attamen rem ità non se habuisse: sed præfatum depositum fuisse omnino fictitium, & simulatum, juxta declarationem factam à Trajano filio Magdalenæ, & respectivè Fratre Franciscæ, addendo ad com-

comprobationem. quod subinde pro solutione ejusdem dotis fuerit venditum aliud Pratum fidecommisso subjectum, & impositus Census scut.200.

Verum DD. licet crederent, quod pro deneganda immissione satis esset alterum fundamentum ductum ex obligatione Magdalenæ, ob rationes adductas in Decisionibus. Adhuc etiam ad satisfaciendum ex abundanti huic objecto noviter in memoriali pro nova audientia excitato advertterunt, quod per declarationem factam à Trajano non potuit poni in controversiam veritas ejusdem depositi, multoque minus tol-
1 li de medio obligatio facta à Depositario,
cum non sit licitum post jam celebratum contractum confitendo præjudicium inferre contrahentibus, & interesse habentibus, eosque tali medio circumvenire, *juxta Theoricam Costren. in l. facto §. Si hæres num.4. ff. ad Trebellian.*, & firmavit *Rota coram Buratt. dec.470. num.4., & dec.476. num.9. & coram Bich. dec.191. num.1., & dec.584. num.18.*

Qin valeat allegari, qund solutio dotis fuerit facta ex pecuniis retractis à venditione alterius Prati, & impositione Census. Quoniam quidquid dictum fuerit in illis contractibus, hoc unum certum est, quod Moniales tantum abest, quod in receptione pecuniarum dotalium fecerint de illis
2 mentionem, ut è converso constet ex In-
strumento quietantiæ se retulisse ad depositum ibi -- *de qua dote constat per Instrumentum depositi per Me rogatum sub die* 18. *Februarii* 1634., *de quibus scut.*400. *pro dote prædicta eædem Moniales &c. eumdem Paulum &c., & Depositarium dictæ Dotis, omnemque alium quietarunt &c.*

Et ita, extensa hac brevi Decisione, mihi demandarunt, ut ad d.Causæ expeditionem devenirem.

ROMANA PRÆTENSÆ REDUCTIONIS CANONUM.

Lunæ 1. Martii 1706.

ARGUMENTUM.

Reductio Canonum in emphyteusi quomodo debeatur, & probanda sit ex peritia læsio in originem contractus, vel ex post superventa. Præsertim si novennio ante concessionem pro responsione canonem superante consuevit locari.

SUMMARIUM.

1 *Canonum reductioni ut sit locus requiritur, quod emphyteuta concludenter probet vel adfuisse læsionem in ipsa origine contractus, vel ex post absque emphyteutæ culpa supervenerit ex Causa perpetuo duratura.*

2 *Læsionis probatio in ipsa origine emphyteusis difficilis est post lapsum 60. annorum.*

3 *Perit a referens statum rei in emphyteusim concessæ de tempore æstimationis, non concessionis, non probat.*

4 *Læsio in emphyteusi, ut ex peritia probetur eadem referre debet non solum de quantitate fructuum, qui tempore concessionis percipiebantur; sed etiam de iis, qui aptitudine, & potentia produci potuissent.*

5 *Læsio in emphyteusi, ut probetur constare debet, ut res concessa tot fructus ferre non potuisset, qui sufficerent pro solutione canonis.*

6 *Terrenum in emphyteusim concessum sodivum non probatur; si usque ad diem initi contractus inservierit pro usu vineæ, & horti.*

7 *Conventio, ad evitandam contradictionem, intelligi debet de ea parte, cui congruit.*

8 *Læsio, & quod terrenum in emphyteusim concessum sit sodivum excluditur, si idem antea locabatur pro majori responsione* num.10.

9 *Etsi adsit domus cum cortili, & qui ad alios, usus, quam pro servitio fundi locata fuerint.*

11 *Lesio in origine contractus non adfuisse præsumitur, quia primus emphyteuta, & ejus successores non præsumuntur excedentem canonem pati, & cum longa observantia persolvere continuasse.*

12 *Fundus novennio non adeo incultus evasisse præsumitur, ut cum in ejus initio locaretur pro summa majori; in fine emphytheusim concedi non possit sine lesione pro minori.*

13 *Diversitas bonorum in loco proximo non præsumitur.*

14 *Identitas probatur ex confrontatione confinium.*

15 *Læsio successivè secuta in emphyteusi ut dicatur, per necesse debet ostendi, quod fundi deterioratio non processerit ex culpa emphyteutæ, & quod causa, quæ supervenit sit perpetua adimens aptitudinem producendi, etiam cum diligentia emphyteutæ, majores fructus.*

16 *Et his deficientibus reductionem Canonum emphyteuta consequi nequit.*

17 *Fructus pro Canone, & expensis à re emphyteutica produci posse convincitur, si illa ante pro majori summa locabatur, & canones longissimo tempore primus acquirens & successores solverunt.*

18 *Deterioratio, tunc cum non probatur ab emphyteuta intrinseca mutatio; ejus culpæ adscribitur.*

19 *Læsio contractus, ut consideretur, æstimanda sunt omnia, ex quibus fundi pretium augetur.*

20 *Et præsertim æstimari debent res, quæ fundo inserviunt, & separatim etiam locantur.*

DECISIO CCCXCIII.

Situs, qui eo tunc inservierat pro usu Vineæ, & Horti cum Domo, aliisque pertinen-

tinentiis ad corpus, non autem ad Mensuram anno 1622. Franciscus Bonjoannes etiam nomine Augustini fratris in emphyteusim perpetuam concessit Joanni Cellino pro aun. Canone scut. 55. sub certa lege, quod illum excassare, & in eo Vineam plantare teneretur, prout omnia adimplendo Canonem continuo persolvit; Verum Joanne Defuncto, Carolus filius, prætendens contractum emphyteuticum propter immoderatam Canonis responsionem ab initio fuisse læsium, vel saltem talem tractu temporis evenisse, impiorando Officium Judicis anno 1687. institit coram Emo D. de Aste, tunc in Judicem ab A.C deputato, ut cum temperando Canonem reduceret, *ex remedio legis 2. Cod de rescend. vend't*, & hinc indè electis Peritis, isti retulerunt vineam esse petiarum novem cum dimidia, & valutata singula petia in scut. 50. prætium constituerunt in scut. 475. Sed postmodum tam Actor, quam illius hæredes Causam deserentes Canones in summa prædicta modo sponte, modoque auctoritate Judicis persolverunt, donec anno 1704. Comparuerunt Prudentia, & Magdalena de Cellinis, quæ deputato altero Judice ab A.C. in locum d. Emi de Aste, obtinuerunt per sententiam declarari, Canonem prædictum scut. 55. reducendum esse ad annua scut. 22.70., & Marchionem Ferdinandum successorem præfatorum de Bonjoannis teneri, & obligatum esse ad restituendum à die motæ litis annua scut. 32: 20. memoratis Cellinis. Interposita verò appellatione per dictum Marchionem Causa devoluta fuit ad Rotam, atque mihi commissa quæsivi à DD. *An sit locus reductioni Canonum*, *& negativum* habui responsum.

Etenim, cum ad obtinendam reductionem Canonis ex capite læsionis, regulariter necesse sit, quod emphytheuta doceat concludenter adfuisse læsionem, vel in ipsa origine contractus, vel quod ea ex post supervenerit ex Causa perpetuo duratura; propterea deficiente alterutro ex prædictis extremis emphytheuta petitam reductionem consequi non potest, sed debet promissum Canonem persolvere, *juxta gloss., & DD. in l. 2. C. de rescind vend. Decius cons. 474. n. 11. Mans. consult. 616. sub num. 10. Rot. coram Buratt. dec. 678. num. 1., & coram Emerix. dec. 1170. num. 1., & dec. 1186. in princip., & in Romana Canonum 9. Martii 1703. §. Retento cor. Me.*

At in præsenti Cellini nullo modo justificant læsionem adfuisse de tempore celebrati contractus, utpotè difficilis probationis propter cursum 65. annorum, qui ab anno 1622. usque ad diem motæ litis lapsi sunt; Quatenus verò illam desumunt vel ab enunciata æstimatione facta à Peritis, qui retulerunt vineam esse petiarum novem cum dimidia, super quibus repartito Canone scutor. 55. emphytheuta non sine magno gravamine solvere tenetur scut. 6. pro qualibet petia, vel à concessione facta de simplici, & mero Terreno sodivo, pro cujus cultura fuit conventum, quod primus acquirens teneretur illum excassare, & in eo plantare vineam, quod fieri non potuisset, nisi cum maxima læsione emphytheutæ, qui obligari nequibat ad annuum Canonem scut. 55 quando nullos fructus consequi poterat ex Terreno prædicto.

Adhuc læsio probata non remanet; nam quoad Peritos, illi simplicitèr referunt statum vineæ, in quo reperiebatur de tempore æstimationis, & tamen ad hunc effectum, ut læsio probata dici posset, debuissent referre non solùm super quantitate fructuum, quos concessionis tempore producebat, sed etiam de ea, quam in aptitudine, & potentia ferre valuisset, itaut constare deberet, quod situs non esset tunc temporis aptus producere tot fructus, qui sufficerent pro solutione Canonis, quamvis sub optima cultura, ut dixit *Rota cor. Emerix decis. 1188. n. 2., & in Rom. Canonum 9. Martii 1703. §. Nec ulla cor. Me* Ideoque de dicta Peritia nulla ratio habenda est ad effectum de quo agitur. Quo verò ad qualitatem sodivam Terreni, ea tollitur de medio ex lectura Instrumenti, in quo narratur quod situs in emphyteusim concessus usq; ad diem initi contractus inservierat pro usu Vineæ, & Horti, & licet paulò post Terrenum asseratur sodivum, & Joannes præfatam obligationem emiserit; tamen ad evitandam omnem contradictionem dicendum venit, quod conventio excassandi respicit solum aliquam partem d. situs indigentem meliori cultura, & excassatione: prout de facto convincitur ex tenore ipsius instrumenti, ex quo resultat emphytheutam assumpsisse onus excassandi tantum tertiam partem illius.

Sed quocumque modo situs reperiretur de tempore concessionis; adverterunt DD. quod dum per novem annos ante concessionem ex instrumento anni 1613. fuerat locatus pro annua responsione sc. 75 $\frac{1}{2}$ & ex hoc duplex eruitur argumentum; alterum, quod tunc temporis terrenum non esset sodivum, & sic exclusa remaneat asserta læsio: Accedente potissimum circumstantia, quod versamur in situ existente immediatè extrà portam Castri S. Angeli apud Mænia Urbis, habente domum annexam cum cortili, & cellavinaria, quæ non simplicitèr inservit fundo, sed separatè ad plures usus sæpissimè locata fuit. Alterum quod Canon sc. 55. pro quo fuit facta concessio, non sit excessivus, dum paulo ante Vinea reperiebatur conducta pro longè majori affictu, ut ponderat. *Rota decis. 468. sub num. 21. par. 14. rec.*

Nam alias certè fatui fuissent, nedum primus acquirens, qui assumpsit in se onus prædicti Canonis, verum etiam illius successores, qui longa observantia plurium annorum promissum Canonem continuo persolverunt: Undè eum præsumendum non sit, quod iidem voluerint jactare suum, ita ad

ad evidentiam convincitur lesionem non adfuisse in origine contractus, ex animadversis per *Rot. in dec.1130. n.19. cor. Emerix, & in dicta Romana Canonum §.fin. cor. Me.*

Absque eo quod in contrarium opponi valeat, quod à locatione anni 1613. inferri non possit ad justitiam sequentis contractus; maximè quia in dicta priori locatione agebatur de bonis omnino diversis, & separatis, quia cum à prima locatione usque ad diem celebratæ investituræ favore Cellini intercesserit breve tempus novem annorum, stante hac modica distantia unius contractus ab alio quantitas pensionis stabilitæ in primo, benè sumi potest argumentum pro indicanda justitia responsionis in secundo conventa; cum prorsùs inverisimile sit, quod fundus,
12 qui de anno 1613. locabatur pro sc.75. de anno 1622. adeò evaserit incultus, & deterioratus, ut propter decrementum fructuum non sine enormissima læsione potuerit pro sc.55. in emphytheusim concedi; non subsistente supposita diversitate bonorum circa quam, cum nullum afferatur documentum
13 in contrarium, nec probatur illos de Bonioannis possedisse alias Vineas in loco proximo situi de quo agitur eo excludendam pluralitatem bonorum eo ipso, quod in utroque Instrumento enunciantur eadem
14 confinia ex illorum confrontatione pro identitate Vineæ concludendum venit, ex firmatis per *Rot. dec.372. n.41 44. par.14. dec.288. n.5. & dec.332. n.14 par.19 rec.*

Circa verò læsionem successivè sequutam, ac de tempore præsenti, cum ad eam probandam pernecesse debuisset ostendi, quod fundi deterioratio non processerit ex culpa Emphyteutæ, quodque quantitas non sufficit pro solutione Canonis propter eorum diminutionem superveutam ex Causa perpetua adimente fundo aptitudinem producendi majores, & uberiores fructus, qui ex majori diligentia Emphiteutæ sperari potuissent juxta ea, quæ advertuntur per *Mans. consult.616. sub n.6., & 10.* & firmatur per *Rot. cor. Emerix d. dec.1130. n.18., & dec.1186. n.1., & 2., & in d. Rom. Canonum §. Nec ullum fundamentum cor. Me.* Quamobrem cum in utroque ex prædictis deficiant Pos-
16 sessores Vineæ, petitam reductionem Canonum consequi non valent: Quinimmò, dum è converso contra ipsos habetur, quod Vinea pro majori Canone, & pensione locata fuit ante concessionem factam Cellinis, & tàm primus acquirens, quàm illius successores Canonum sc.55. spatio longissimi tempo-
17 ris persolverunt, & ex hoc manifestè resultat, vineam prædictam jamdiù aptam fuisse ad producendum fructus sufficientes pro Canone, & expensis, itaut si modo illos in ea quantitate non reddit, cum nulla afferatur probatio super intrinseca mutatione status dictæ Vineæ, ejusdem deterioratio, & sterilitas, culpæ Emphyteutæ ad scribenda veniat.

Atque ex his nec ullum fundamentum

constitui valet, quoad tempus successivum in dicta relatione Peritorum, quia licet illi referant super statu Vineæ anni 1688. attamen ultrà supra adducta responsum fuit, quod illi æstimarunt simpliciter situm, nec rationem habuerunt valoris domus cortilis, & cellæ vinariæ eidem annexæ, quando ad effectum metiendi læsionem contractus æsti-
19 mari debebant prædicta omnia, ex quibus fundi pretium augetur. Potissimè quia non
20 solùm fundo inserviunt, sed etiam separatè locari possunt, & insuper respiciunt utilitatem, & commodum Emphytheutæ. *Mans. Consult.616. n.7. & seqq., Rota cor. Pænia dec.1374. cor. Pamphil. dec.288., & in rec. dec.296. n.6. par.17.*

Et ita utraque &c.

FAVENTINA PRÆDII.

Veneris 5. Martii 1706.

ARGUMENTUM.

Illiquiditas crediti in possidente, & retentionem petente proveniens ex perceptione fructuum, ut operetur quid requiritur? Mulieris obligatio emissa in venditione, & remissio hypothecam cum causa finali, quia super aliis bonis viri se tutam credebat; si postea aliorum bonorum evictio sequatur; etiam si de tempore obligationis esset tuta, nisi id continuaverit; non sustinetur, & cessat. Retentio Mulieri datur pro fructibus census, quem cum viro habebat; non pro sorte, utpote irrepetibili, nec pro expensis voluntariis in lite calumniosa, nec pro illiquidis.

SUMMARIUM.

1 *Creditor posterior avocare non potest rem communis debitoris ab anteriori creditore possessam.*

2 *Crediti illiquiditas, stante perceptione fructuum ex bonis debitoris, excluditur: cum illi probantur fructus crediti non æquare.*

3 *Possidenti prædium debitoris ex credito anteriori retentio conceditur, absq; eo quod justificet quid, & quantum perceperit.*

4 *Creditor posterior prætendens avocare prædium communis debitoris ab anteriore possidente, tenetur ab eo petere notulam juratam, & interim usque ad integram satisfactionem retentionem non potest retardare.*

5 *Et cum creditor anterior non possideat, cui satisfactionem non plenariè sequutam nec ne conveniat probare? remissive.*

6 *Mulier obligans se in venditione prædii à viro facta hypothecam dotalem amittit.*

7 *Limita cum Mulier ad id se obligavit exprimens pro causa finali in alio prædio sibi assignato de sua dote fuisse securam: quod si postea a creditoribus avocetur, cessante causa finali obligationis, cessat consequenter obligatio, seu remissio hypothecæ illi correspectiva.*

8 *Et per consequens cessio jurium dotalium ab eodem causa originem trahens.*

9 *Mulier valide cedit hypothecam, & voluntarie se spoliat fundo viri, nec super id amplius agere potest, cum de tempore obligationis erat pro sua dote cauta super aliis bonis, licet ista postea ab anterioribus creditoribus fuerint avocata.*

10 *Declara procedere cum agitur de læsione, in qua attenditur tempus remissionis hypothecæ.*

11 *Limita cum agitur de consensu Mulieris in alienatione, quem in tantum præstitit, in quantum voluit, & convenit super alio prædio se esse securam cum dimissione ab emptore facienda anteriorum creditorum.*

12 *Causa remissionis hypothecæ a Muliere facta non sufficit, quod momento verificetur, sed debet esse perpetua, sicut perpetua prætenditur ejus obligatio.*

13 *Collusio contractus cessat cum adsunt in illo solemnitates, & legitima causa.*

14 *Retentio bonorum viri, quæ à Muliere fieri prætenditur; exclusa remanet; ex quo mortuus ille est cum concursu creditorum, & decoctus.*

15 *Retentio Uxori bonorum viri competit pro fructibus Census, quem cum illo habebat: non pro sorte, cum sit irrepetibilis.*

16 *Retentio denegatur pro expensis necessariis, & factis pro injusta lite.*

17 *Et pro expensis non justificatus.*

18 *Retentio non datur, nisi pro credito claro.*

DECISIO CCCIC.

Barbara Caldarona creditrix Nicolai Pasil viri in sc. 1500 suæ dotis, illam assecurari curavit super prædio *in Scuola Ronchi* tornaturarum 40. circiter. Sed quia adhuc molestias passa fuit à creditoribus anterioribus sui viri, obtinuit citato curatore hæreditati ejusdem d. prædium subhastari, & ex illius pretio dimissis creditoribus retinuit penes se sc. 750. in causam d. sui crediti dotalis; prò remanenti vero simili rata aliorum scutor. 750. ejusque fructibus Judicium immissionis instituit ex integro ad prædium in vocabulo *Rosajoli* retentum à Communitate Faventinæ prò aliis suis creditis, & favorabilem sententiam reportavit, quæ transitum fecit in judicatum, & prò ejus effectu possessionem apprehendit.

Cum autem successive molestata fuerit super eodem prædio ab Hospitali SS. Crucifixi Faventiæ, quod prò Censu imposito à dicto Nicolao, ejusque fructibus, immissionem ad illud obtinuit, coacta fuit ex propriis pecuniis, reportata prius jurium cessione, præfatum Hospitale dimittere, ac postmodum institit coram A.C. prò manutentione in possessione d. prædii, donec sibi satisfieret, tam de d. credito dotali, & fructibus, quam de alio censu per d. cessionem acquisito. Sed prò hoc credito census noviter acquisito solummodo ei concessa fuit retentio, quam tamen etiam prò dote in secunda instantia reportavit. Devolutaque causa ad me per appellationem à Communitate Faventiæ interpositam, proposui dubium – *An competat retentio, & pro qua summa* – & DD. retentionem competere *prò summa in decisione exprimenda* responderunt.

Respectu enim medietatis dotis in sc. 750. visum fuit eam denegari non posse, dum creditum est longè anterius illo, pro quo agit Communitas, dos enim fuit constituta usque de anno 1675. quando creditum Communitatis incipit ab anno 1681. Undè licitum non est creditori posteriori avocare rem

1 communis debitoris per anteriorem creditorem possessam, eique retentionem impugnare. *Rota post Zacch. de oblig. Camer. decis. 187. num. 8., & coram Pamphil. dec. 68. num. 1., & coram Cerr. dec. 655. nu. 1., & in rec. dec. 778. num. 18. par. 18.*

Non obstat, quod d. creditum effectum fuerit illiquidum, & non satisfactum ex perceptione fructuum ab anno 1691. quo controversum prædium Barbara occupavit, vel saltem a b anno 1698. quoad illud judicialiter immissa fuit. Etenim quoad fructus, qui supponuntur percepti ab anno 1691. difficultas cessavit ex facto, quia paulo post ille possessionem dimisit, restituitque totum id, quod perceperat, ut fuit justificatum *in Summ. responsionis n. 1* Quo vero ad fructus perceptos ab anno 1698. satisfecit responsio, quod calculatis fructibus d. prædii ad rationem Taxæ legalis, & contrapositis fructibus tam dictæ dotis, quàm census traositivè acquisiti, clare patet, quod illa non potuit de dicto suo credito satisfieri, immò in majori summa adhuc remanet creditrix, ut apparet *ex Calculo aritmetico dato in Summ. responsionis Barbaræ num. 2.* Ideoque præteusa il-

2 liquiditas crediti ejusdem penitus exclusa remanet, & quatenus per Communitatem prætendatur d. calculum non esse attendendum, tamen hodie, quod Barbara jam possidet, satis est, quod excipiat de retentione, ex credito anteriori, absque eo quod justificet quid, & quaotum perceperit, &

4 tenetur Communitas instare prò traditione notulæ juratæ. Nec interim retentionem usque ad integram satisfationem retardare

5 valet. Quidquid secus dici posset, ubi Barbara non possideret, ut distinguendo casus, *Merlin. de pignor. lib. 5. tit. 2. quæst. 77. num. 45., & seq. Rota cor. Emerix dec. 206. n. 4., & 5., & in Faventina Census 15. Maii 1662. §. Nec adducendum coram bon. mem. Bevilacqua.*

Minus relevat, quod cum Mulier se obligasset in venditione prædii controversi facta usque de anno 1687. à Nicolao Viro favore Comitis Berardi de Cattulis, hypothecam dotalem, quam super eo habebat, remisse-

6 rit, ideoque nequeat amplius illam super hoc eodem prædio exercere ad exclusionem Communitatis, quæ immissionem pro suo credito incontrovertibili super illo obtinuit; ex

ex firmatis in dec.352. nu.3., & seq. par.19. rec. Quia in d. venditione io tantum Barbara se obligavit, in quantum opinabatur se tutam prò suis Juribus dotabilibus super aliis bonis viri, & signanter super prædio *in Schola Ronchi*, jam prælecto de consensu Mariti io causam suæ dotis occasione alterius venditionis factæ de anno 1683. ad favorem Cantoni. Cumque dictam securitatem tanquam causam finalem suæ obligationis, & contractus animativam in Instrumento dictæ venditionis anni 1687. expræsserit ibi -- *Quod respectu d. Barbaræ ipsa Cauta remanet pro suis dotibus, & secura super aliis bonis sui viri, & signanter super quodam prædio posito in Villa Ronchi ejusdem assignato* -- eo ipso quod ex post passa fuit evictionem d. prædii ab aliis creditoribus anterioribus viri, cessavit causa finalis obligationis, & consequenter obligatio, seu remissio hypothecæ illi correspectiva. *Rota in Romana Executionis Apocæ 24. Januarii 1698. §. Corruente coram Rev. Conchen.* Et cessio jurium dotalium ab illa pariformiter originem trahens
8 subsistere amplius non valet. *Rota coram Pamphil. dec.36. num.3., & in Reatina fideicomm. 7. Martii 1704. §. Citius coram Rev. D. meo Decano, & 13. Martii 1705. §. Multoque minus coram Rev. P. D. meo Omanna.*

Nec obesse potest, quod de tempore factæ obligationis mulier esset prò sua dote cauta, dum actu possidebat prædium *Schola*
9 *Ronchi*, itaut nihil relevet, quod istud postea avocatum fuerit à creditoribus, eoque fortius, quia ipsamet Barbara se dicto prædio voluntariè spoliavit, dum illud an.1695. vendidit ad effectum dimittendi creditores, qui illam molestarunt. Etenim hic non agi-
10 tur de læsione, in qua attendendum sit tempus remissionis hypothecæ, sed allegatur defectus consensus ipsius mulieris, quem
11 in tantum illa præstitit, in quantum Emptor assumpsit in se onus dimittendi alios creditores anteriores, quibus dimissis mulier secura remanebat prò sua dote in d. prædio *Schola Ronchi*. Quamobrem cum dicti creditores anteriores non fuerint dimissi, ac emptor suam obligationem non adimpleverit, adeòut, iidem creditores contra prædium *delli Ronchi* à muliere prò sua dote retentum se verterint, hinc sequitur, quod si ipsa coacta fuit illud vendere, cessavit securitas cujus intuitu contraxerat, & per consequens etiam remissio hypothecæ, quæ fuit correspectiva ad dictam accollationem debitorum anteriorum per Cattulum Emptorem factam, ex allegatis. Non enim sufficit
12 causa, ex qua fuit facta remissio verificari per momentum, sed debuit esse perpetua, sicut, & perpetua prætenditur obligatio mulieris; *L. 3. §. Si quis servum ff. de stat. liber. l.1. §. ait Prætor ff. quorum Legator. Valenzuel. cons. 60. num.66. Rot. in Bugæbina Pecuniaria 6. Junii 1704. §. Verum coram R. P. D. meo Ansuldo, & in Romana Statu Zagaroli 27. Martii 1705. §. Responsione non attenta, & seq. cor. R. P. D. meo Muto.*

Absque eo quod opponi valeat de collusione hujusmodi venditionis, nam illa fuit facta citato curatore deputato hæreditati jacenti Nicolai sui viri, & prò dimittendis illius creditoribus anterioribus, à quibus jam fuerat molestata; stante enim hac sole-
13 mnitate, & legitima causa, cessat quæcumque collusionis, aut simulationis suspicio. *Capyc. Latr. consul. 137. num.67. Rota post Merlin. de pignor. dec.48. num.15., & in rec. dec.475. num.16. par.1.*

Replicatio autem quod mulier retineat alia bona viri, super quibus possit de sua dote satisfieri in facto non subsistit, cum pro-
14 batum fuerit, quod ejus vir decoctus objerit, dum adhuc eo vivente formatus fuerat concursus super illius bonis.

Quibus stantibus superfluum existimarunt DD aggredi examen, an consensus præstitus à Barbara alteri venditioni factæ à viro de anno 1683. alterius prædii favore Cantoni, fuerit validus nec nè, cum ad effectum retentionis petitæ prò medietate dotis sufficiat corruere consensum præstitum venditioni prædii *de Rosajoli*, ex allegatis.

Benè tamen præter illam putarunt DD. esse quoque concedendam retentionem prò fructibus decursis census per mulierem acquisiti in summa sc. 65., & in futurum decurrendis: Non autem prò sorte utpote de-
15 sui natura irreptibili, quia de illius validitate nequit dubitari, & ad hunc præcisum effectum introductum fuit judicium, ut communitati inootesceret hoc novum creditum cum fructibus d. prædii excomputandum.

Quò verò ad expensas factas ab Hospitali SS. Crucifixi occasione obtinendi immissionem contra mulierem, & eidem pariter à dicto Hospitali cessas, denegata fuit prò eis
16 retentio, ex quo illæ voluntariè fuerunt à Barbara factæ, quæ statim liti, injustæ cedere debebat, & sibi imputet, si eisdem, causam dedit injustam litem defendendo; Tantoquè magis, quia nulla de illis datur ju-
17 stificatio, & hodie nimis impropria visa fuit petita prò illis retentio post duas sententias contrarias, cum instantia creditum cla-
18 rum requirat; *l. final. C. de Compens. Gratian. discept. Forens. 374. num.15., & seq. Rota in recen. decis. 802. num. 18., & 19. par.18., & dec.646. n.39. par.19.*

Et ità utraque &c.

ROMANA FIDEICOMMISSI SUPER EXPENSIS.

Veneris 5. Martii 1706.

ARGUMENTUM:

Sportulæ, ut taxeotur, quomodo valor causæ dijudicatur? Renunciatio liti facta sine obligatione refectionis, expensarum deposito

to unius julii, & nisi sit pura, & simplex, & si agitur de bonis dotalibus durante matrimonio cum interventu viri, non impedit expeditionem causæ, & expensarum taxationem.

SUMMARIUM

1 *Expensæ veræ integrè refici debent.*
2 *Sportulæ pro causa sc.20.m. sunt sc. 50. auri.*
3 *Sportulæ commensurantur à valore fideicommissi, quod fuit impugnatum, & super quo subscriptum fuit dubium generale, & indefinitum, & lata sententia, & appellatum.*
4 *Sportulæ solvi debent habito respectu ad valorem assis, super quo ad repellendas exceptiones libertatis bonorum, opus fuit firmare fideicommissum.*
5 *Renunciatio liti facta sine obligatione reficiendi expensas præ edentium instantiarum cum deposito unius julii, illasque liquidatas solvendi, est nulla.*
6 *Stylus iste quomodo fuerit coherenter ad jus & stylum antiquum confirmatus.*
7 *Renunciatio à sola uxore facta de bonis dotalibus, durante matrimonio, sine viro est nullius ponderis.*
8 *Maritus constante matrimonio habet dominium bonorum dotalium.*
9 *Renunciatio, ut valida sit, debet esse pura, & simplex approbativa totius judicati.*
10 *Expensæ pro honorariis Advocati, Procuratorisque, si renunciatio liti valida non fuit, sunt reficiendæ.*

DECISIO CCCC.

Anna Maria aliique de Marescottis ex dominis Montis Albani hæredes quondam Franciscæ Justinæ Cuchiæ de Marescottis, binas reportarunt sententias adversus Comitissam Annam Mariam Victoriam, & Co. Philippum de Marsciano Conjuges, tam coram R. P. D. Caprara quam successivè coram Rmo Decano, antequam ad actualem postremæ expeditionem devenirent, & Comitissa Anna Maria Victoria de Marsciano tantum renunciationem emisit. Verum ea non obstante per hæredes ad expeditionem causæ, expensarumque taxationem deventum fuit, à qua uti excessiva appellantes Marsciani, curarunt per me congruum proponi dubium in quo habui responsum *non constare de excessiva* taxatione.

1 Illa namque continet expensas vivas sportularum, regestri, aliasque similes integrè reficiendas. *Rota cor. Coccin. dec. 254. num.6., & in rec. dec.384. num.3. par. 14. & dec.214. nu.8. par.15. In Farfen. Expensarum 5. Junii 1705. §.E contra vero, coram R.P.D. meo Priolo.*

Non attenta prætentione excessivitatis quoad sportulas in utraque instantia persolutas in sc. 100 auri, ex quo valor medietatis bonorum à Comitissa de Marsciano retentorum non excedant sc. 20000., quorum
2 respectu solvenda essent sc.50. auri dumtaxat. Etenim quidquid sit de præfato valore, qui validè impugnabatur per scribentes prò Marescottis, satisfecit responsio, quod illa suam prætentionem non limitavit ad medietatem bonorum, quæ per eam retinebatur, sed impugnavit fideicommissum in Testamento Jo. Angeli Cuchi ordi-
3 natum, sustinendo omnium illorum libertatem, & de facto obtinuit subscribi coram R.P.D. meo Caprara dubium generale, & indefinitum -- *An constet de fideicommisso quon. Jo. Angeli Cucchi* -- quo affirmativè resoluto, lata fuit sententia declarans constare de fideicommisso super omnibus bonis. Unde pernecesse sequitur, quod tota hæreditas longè excedens sc.48. mil. venerit sub sententia, & resolutione totali integrum fideicommissum canonizante. Tanto magis quia ipsa absolutè appellavit à dicta sententia absque ulla restrictione ad medietatem, ideoque certum remanet, quod sportulæ solvi debuissent habito respectu ad valorem
4 totius assis super quo ad repellendas exceptiones libertatis bonorum opus fuit firmare fideicommissum.

Multoque minus excessus desumi potest eo quia fuerunt taxatæ expensæ factæ post expletam renunciationem; Quoniam illa multiplici defectu laborat, & quidem caret obligatione reficiendi hæredibus collitigantibus expensas in præcedentibus instantiis factas cum deposito unius julii, illasque solvendi postquam fuerint liquidatæ, ut firmatum fuit; *in Asculana Beneficii, seu Abbatiæ 3. Februarii 1702. coram bon. me. Pio, & in Alexanen. Manutentionis 15. Januarii 1703. coram R.P.D. Casarello.*

Id relevante, quod stylus se obligandi ad refectionem expensarum cum deposito unius Julii fuerit introductum solum post extensionem prædictarum Decisionum Alexanen., & Asculana, quæ de tempore emisæ
6 hujus renunciationis, nondum emanaverant, Quia dictæ Decisiones statuunt, id quod de jure faciendum erat, non per viam novæ legis, sed coherenter ad Jus, & antiquissimum stylum Tribunalis, ut optimè habetur *in decis.31. num.5. post Posth.de subbast.*, & plenè nuperrimè explicatum fuit *in Lucana Præeminentiarum super expensis 4. Maii 1705. cor. R.P.D. meo Omanna.*

Deficit ulterius renunciatio prædicta, quia facta fuit à sola Comitissa de Marsciano,
7 non autem à Comite Viro, & tamen cum ageretur de bonis dotalibus, ut habetur *ex dec. R.P.D. mei Caprara sub die 26. Novembris 1696. §.Vita funct.*: Renunciatio emittenda erat ab utroque, quia Maritus con-
8 stante Matrimonio habet dominium bonorum dotalium, & fuerat semper in Causa citatus, *Rota post Tor. de pact. futur. success. dec.192. num.4.*

Nulla denique est habenda ratio de dicta renunciatione, quia non fuit fideicommissum Canonizatum in Decisionibus, sed potius impugnativè de illo fuit facta mentio

per

per illa verba, *e renunciare alla lite sopra il Fidelcommisso, che si pretende ordinato;* Renunciatio verò, ut sit valida debet esse
9 pura, & simplex approbativa totius judicati, itaut nulla conditio, aut reservatio pretensionis in ea considerari possit. *Rota cor. Cerro dec.170. num.4.*

Sublata exceptione excessus quoad sportulas, nulla fuit difficultas quoad alism partitam pro honorariis Advocati, & Procuratoris, tum quia illa fuerunt soluta ante renunciationem, tum quia si renunciatio ex præmissis
10 valida non fuit, utique locus est refectioni dictarum expensarum, ut *in dicta Lucana Præeminentiarum super expensis.*

Et ita utrque &c.

FLORENTINA CANONICATUS.

Veneris 12. Martii 1706.

ARGUMENTUM.

Juspatronatus ex privilegio revocatum non censetur ab Adriani VI. Constitutione, si sit acquisitum ex causa onerosa augumenti dotis correspondentis fructibus primo loco assignatis. Et quomodo hęc dotatio ex præsentationibus effectum etiam judicialiter sortitis supra centum annos probetur? quin obsint expressiva valoris per non excessum, quæ quid operetur? & exhibitio tituli ex privilegio in aliquibus præsentationibus facta. Qualitas agnatitia jurispatronatus, etiam si ejus fundatio vel contraria, vel dubia sit, quomodo ex præsentationibus per duo Sæcula effectum sortitis probetur? Quin obstet unica præsentatio facta à descendentibus à fœmina, contra quam agnati protestationem emiserunt, & idem præsentarunt? Juspatronatum gentilitium ultimus masculus, in fœminarum præjudicium, potest in alios transferre.

SUMMARIUM.

1 *Juspatronatus ex fundatione, vel dotatione probatur ex præsentationibus factis, & effectum sortitis per supra 100. annos.*
2 *Juspatronatus ex privilegio Apostolico revocati sunt ex constitutione Adriani VI.*
3 *Constitutio Adriani VI. non revocat juspatronatus acquisitos titulo oneroso augumenti dotis absque ad medietatem antiquæ.*
4 *Augumentum dotis non correspondens fructibus dotis primo loco assignatæ, non sufficit, ut tale juspatronatus ex privilegio concessum, ex constitutione Adriani non sit revocatum.*
5 *Valor per non excessum expressus verificatur in quacumque minori summa, nec connotatam concludit.*
6 *Et remanet verificatus etiam in obulo.*
7 *Juspatronatus ex privilegio ex minori dotatione antiquæ non correspondenti obtentum non censetur, si non obstante revocatione Adriani VI. per lapsum duorum sæculorum fuit observatum.*
8 *Episcopi fugner esse non solent in vindicanda libertate beneficiorum.*
9 *Juspatronatus ex privilegio ex minori dote obtentum non censetur; si institutiones sequentes revocationem eorum Adriani VI., reportatæ fuerunt in contradictorio judicio, & verificato jurepatronatus ex fundatione, & dotatione.*
10 *Sententia, quæ transit in judicatum est pro veritate habenda.*
11 *Observantia inconcussa, & longæva jurispatronatus validum tribuit argumentum æquivalens fuisse augumentum antiquæ doti factum, ex quo illud fuit ex privilegio acquisitum.*
12 *Et contrarium asserenti, inest onus concludenter probandi.*
13 *Immemorabilis virtus est tribuenda meliorem titulum de mundo.*
14 *Privilegii commemoratio in aliquibus præsentationibus facta, non concludit, ut præsentantes titulum ex dicto privilegio allegare voluerint.*
15 *Præsertim si in alio judicio facta fuerit.*
16 *Exhibitio unius tituli non perimit facultatem in beneficialibus allegandi alium; præsertim ex immemorabili resultantem.*
17 *In jurepatronatu agnatio fœmina non comprehenduntur.*
18 *Et ultimus masculus validè potest, in præjudicium fœminarum, illud in alios transferre, & efficere hæreditarium.*
19 *Agnatitia qualitas jurispatronatus probatur, si spatio duorum Sæculorum soli masculi præsentarunt.*
20 *Absque eo quod probetur fœminas non adfuisse: cum agatur de immemorabili.*
21 *Fœminæ veniunt appellaione posterorum, & successorum.*
22 *Ad fundationis verba recurrendum non est: cum adest lapsus duorum sæculorum; ex quo qualitas jurispatronatus præscribitur.*
23 *Fundationis verba dubia à longæva observantia declarantur.*
24 *Præsentatio unica facta ab illo de familia, & descendente à fœmina ejusdem familiæ cum protestationem agnatorum, qualitatem juspatronatus gentilitii non frangit.*
25 *Præsertim si cæteri agnati eamdem personam præsentarunt.*
26 *Præsentatio æquivoca nullum operatur effectum pro declaranda qualitate jurispatronatus.*

DECISIO CCCCI.

IN hac triangulari controversia, in qua aliàs coram Mè sub die 8. Maii præteriti Urbanus Altovitus præsentatus à Senatore Andrea del Rosso Causam mediatam habente à Petro Antonio ultimo de Famiglia de Pazzis, institutionem obtinuit exclusis tam Viviano (tunc non comparente) qui uti de libero

bero provisua fuerat ab ordinario, quam-
Carlino ab aliis prætensis Patronis præsen-
tato: Modo Antonius del Rosso, qui con-
temporaneè cum Urbano interim pendente
lite defuncto à dicto Senatore præsentatio-
nem reportaverat, curavit per me proponi
Dubium — *An sit standum, vel recedendum
à Decisis* — Et Domini *persistere in Decisis*
nob dubitarunt.

Sicut enim existentia jurispatronatus cla-
rè resultare visa fuit ex præsentationibus
per illos de familia de Pazzis spatio ferè bis-
1 centum annorum expletis, & effectum sor-
titis: Ex quibus juspatronatus tam ex fun-
datione benè probatum remanet. *Rota de-
cis.302. num.5. cor. Dunoz., & in rec. de-
cis.347. num.5.p. 11., & dec.341.num.5.,
& 6. p.12., & in Beneventana juspatrona-
tus 10. Maii 1700. §. Præsentationes coram
R.P.D. meo Caprara, & in Asculana ju-
rispatronatus 26. Julii 1703. §. Quod in ho-
dierna coram R.P.D. meo Scotto*. Ita de
illius pertinentia favore præsentantis dubi-
tari non potuit, attenta donatione facta
per Petrum Antonium de Pazzis Petro Ner-
lio, à quò devenit in Marchionem Philip-
pum, qui postea illud Senatori Andreæ do-
navit.

Nec probationem jurispatronatus obum-
brare valuerunt ea, quæ in præsenti pro-
positione deducebantur per Vivianum,
quod scilicet cum juspatronatus fuerit ac-
quisitum Familiæ de Pazzis ex privilegio
2 Julii II. revocatum extiterit per superven-
tam Constitutionem sa. me. Adriani Sexti,
3 Quoniam Constitutio prædicta non revocat,
immo expressè præservat juspatronatus ac-
quisitum titulo oneroso augumenti Dotis
usque ad medietatem Dotis antiquæ, & sic
locum habere nequit in præsenti jurepatro-
natus, quod reservatum fuit de anno 1505.
ab ordinario Florentino, Et successivè de
anno 1506. à sa. me. Julio II. concessum fa-
vore Familiæ de Pazzis, attenta dotatione
per ipsos facta in annuis ducatis 16. *Lotter.
de re benefic. lib.2. qu.8.num.24. usq. ad 55.
Card. de Luca de jurepatronat. disc.2. n.7.
& disc. 10. num.21. versic. in Congressibus,
Rota coram Ninot. dec.73. num.5., & in
recen. dec.492. n.7. p.13., & dec.10. num.10.
p.18., & dec.472 num.53.p.19.*

Minimè relevante, quod cum dos antiqua
consisteret in annuis ducat. 32. augumentum
deinde factum in aliis ducatis 16. non suffi-
4 ciat, cum non sit medietas totius Dotis, nec
correspondeat fructibus pro Dote primo lo-
co assignatis, ut requiritur, juxta opinionem
*Lotter. de re benefic. lib.2. quæst.8. num.16.
cum seq. Pannimol. dec.10. annotat.4. n. 31.
Rota in recen. dec.29. num.12., & 16. p.7.*
Etenim quod antiquus valor controversi Ca-
nonicatus esset in tanta quantitate ducato-
rum 32. nullibi justificatur, & quædam sim-
plex enunciativa emissa in concessione Ju-
lii II. in quà expressus fuit valor per non
5 excessum, ad nihilum deservit cum possit
verificari in quacumque etiam inferiori sum-
ma, *Lotter. de re benefic. lib.1. qu.38. n.53.
Rota coram Seraphin. dec.1017. num.5., &
6 in rec. dec.313. num.6. p.11*. ubi quod potest
remanere verificatus etiam in obulo. *Rota
coram Mantic. dec.138. num.2., & cor. Cel-
so, dec.239. num.9.* Quamobrem cum verifi-
cari valeat dos antiqua non solum in duca-
tis 16. sed etiam in longè minori summa fru-
stra impugnatur, quod augumentum non
attingat medietatem dotis, ut advertunt au-
thoritates supra allegatæ.

Fortiùs, quia successivè per lapsum duo-
rum sæculorum Ordinarii admiserunt præ-
7 sentationes Patronorum non obstante dicta
revocatione facta per Adrianum Sextum,
quas utique non admisissent, si agnovissent
augumentum non equivalere doti, quam-
8 vis in solis ducatis 16. Consisteret, cum
Episcopi non soleant esse segnes in vindi-
canda libertate Beneficiorum, *Rota in rec.
dec.136. num.19. p.19, & in Neritonen.
Jurispatronatus super bono jure 11. Decem-
bris 1702. §. Adminicula cor. R.P.D. meo
Priolo*. Addito ulterius quod institutiones
non fuerunt datæ oscitanter, sed magna cum
9 animadversione, quamplures enim reporta-
tæ fuerunt in contradictorio Judicio, & ve-
rificato prius jurepatronatus ex fundatione
& dotatione, ut apparet ex sententiis ab
Ordinariis prolatis, quæ cum transitum fe-
10 cerint in judicatum, hodie veniunt pro ve-
ritate habendæ, *Rota dec 337 num.17. co-
ram Priolo, & in rec. dec.139. nu.11. p.17.
& dec.697. num.1. p.18, & dec.472. n.28.
p.19, & in Florentina jurispatronat.4. Ju-
nii 1631. §. Accedente coram bonæ memor.
Paoluccio*.

Quodque magis est à d. anno 1506. usque
in præsens, & sic spatio biscentum annorum,
nulla datur provisio facta à Sede Apostolica
tamquam de reservato, sed è converso præ-
sentationes continuò factæ fuerunt, ut præ-
missum fuit à Masculis de Pazzis: Hæc au-
tem inconcussa, & adeo longæva observan-
11 tia validum tribuit argumentum præsumendi,
æquivalens fuisse augumentum antiquæ doti
factum, adeout contrarium asserenti incum-
bat onus illud concludenter probandi. *Rota
13 cor. Emerix, dec.828. n.4 & seq., & in rec.
dec.725. n.6., & par.18., & in Placentina
Jurispatronatus 23. Martii 1703. §. Quan-
doquidem cor Rev. D. meo Decano confir-
mata 1. Decem. 1704. Neque in hoc casu
cor. R.P.D. meo Ommanna*. Immo ex dicta
possessione Patroni allegari valent quem-
cumque alium titulum meliorem convali-
dantem Privilegium Julii 2. cum virtus im-
13 memorabilis sit tribuendi meliorem titulum
de Mundo; *Rota cor. Buratto dec.673. n.5.,
& coram Celso dec.32. n.6., & cor. bo. me.
Emerix dec.33. n.2., & in rec. dec.115. n.7.
par.14.*

Non attento, quod in aliquibus præsenta-
tionibus fuerit habita relatio ad Privilegium
concessum à sa. me. Julio II., quia non exin-
de

de inferri potest , quod Præsentantes titulum ex d. Privilegio allegare voluerint;
15 Tum quia id factum fuit in alio judicio , & inter alias Personas *ad Text. in l. non debet alteri per alterum de regul. Jur. Rota coram bo. me. Emerix dec.439. num.5. , & dec.1089. n.29.* tum quia exhibitio unius tituli non perimit facultatem alium præsertim ex imme-
16 morabili resultantem allegandi, eum in Beneficialibus detur multiplicatio titulorum. *Card. de Luca de Jurepatr. dis.22. n.4. Rot. cor. Ubald. dec.144. per tot.*

Quibus ad exclusionem Viviani ita firmatis , inconcussa remanent deducta in mea præterita decisione adversus Hieronymum præsentatum à Carlinis per medium fœminarum descendentibus à Familia de Pazzis; illis enim nullum ius competere in Patrona-
17 tu controverso iterum responsum fuit , ex quo in eo, uti agnatitio fœminæ non comprehendunt : Et sic valide potuit in præjudicium earumdem ab ultimo masculo in
18 alios transferri , illudque de agnatitio hæreditarium effici ; juxta *Consil. Anchar. 81. aliasque authoritates , & rationes in mea præterita decisione adductas.*

Quod autem Juspatronatus esset agnatitium , probatum remanet ex sæpedicta ob-
19 servantia duorum sæculorum juxtà quam semper in vacationibus, quæ tanto temporis spatio evenerunt , præsentationes à solis masculis factæ noscuntur , itaut nunquam fœminæ cum illis admissæ fuerint , ut ad rem observant . *Peregrin. conf.33. n.21. circa med. Pacion. allegat.196. n.22. , & seq. Rota cor. R. P. D. meo Ansaldo inter ejus impressas la 38. n.23. , & in Firmana Jurispatronatus 21. Aprilis 1704. §. His accedunt cor. R. P. D. meo Muto cum aliis adductis in decisione , quæ revidetur . §. Etenim cum seq.* Absque eo quod necesse fuerit ostendere , quod fæminæ ad fuerint ; Quoniam necessi-
20 tas hujusmodi probationis non requiritur , ubi decursum est tempus immemorabile. prout hic . *Bald. in l.1. Cod. de Annal. præscript relat. per Rot. cor. Emerix dec.1139. num.6.*

Et quamvis illud à principio legatur reser-
21 vatum Posteris , & successoribus , quorum appellatione Fœminæ quoque comprehendi dicuntur ; attamen ubi concurrit prout in
22 hypothesi duorum sæculorum observantia, recurrendum non est ad Privilegium , seù fundationem , cum per tantum temporis decursum qualitas Jurispatronatus præscripta remaneat ; & quatenus verba Privilegii aliquam dubietatem involuerent , ista per tàm
23 longevam observantiam declarari optime possunt *Peregr.d. conf.31. n 21. lib.1. Tond. quæst. Benefic. tom.2. cap.157. n.45. Caren. var. resol. resol.10. n. 6. Pacion. allegat.196. n.22., & seq. Rota cor. Cerro dec.670. n.9.*

Absque eo quod in contrarium allegari mareatur unica præsentatio facta de an.1607. ab Alexandro de Pazzis tanquam descendente à Petro mediante Diana de Pazzis.

Quoniam non exinde interrumpi valuit præscriptio favore masculorum inducta , dum ipsemet Alexander, qui & ipse erat de familia de Pazzis expressè protestatus fuit, præsentationem facere absque præjudicio , & innovatione jurium ipsius comparentis &c. quæ protestatio inutilis esset , si Alexander sua jura non aliunde, quam per medium fæminæ habuisset , & ab illa independenter præsentationem facere non valuisset . Sed quod magis est; in præsentatione prædicta non solùm præservata leguntur jura ipsius Alexandri , sed etiam Andreæ de Pazzis alterius ex masculis dictæ fæminæ descendentis . Ex quibus omnibus validè redditur
24 æquivoca d. præsentatio , maxime quia Andreas eidem consentire noluit , ac proindè sicuti isti per eam præjudicatum non fuit, ita , & multo minus potuit aliis ejusdem successoribus præjudicium irrogari .

Præsertim quia ille idem, qui fuerat ab Alexandro præsentatus , aliam separatam , & independentem ab aliis Masculis Familiæ de Pazzis tunc viventibus præsentationem reportavit , & successivè ab Ordinario institutionem obtinuit , unde satis est , quod Epi-
25 scopus posuerit adherere huic ultimæ præsentationi factæ ab aliis Masculis , ejusque vigore ad institutionem procedere neglecta potiùs altera præsentatione per Alexandrum expleta , quæ proindè remanet æquivoca, nec ullum operari valet effectum , *Rota in rec. dec.269. n.15. par.11. , & dec.96. n.12. par.13.*

Et ita omnibus informantibus &c.

FLORENTINA CANONICATUS .

Veu. 12. Martii 1706.

ARGUMENTUM.

Cumulativè præsentatus cum subalterna conditione ; si moriatur primus , vel pacificè institutionem non sit assecutus ; ad beneficium debet institui . Et quid sit ista subalterna conditio explicatur .

SUMMARIUM.

1 *Primo præsentato mortuo , secundus evadit primus , ac si alius præsentatus non adfuisset .*
2 *Præsentatio cumulativa est tantæ efficaciæ , ut quoties subalterna conditio ei resisteret ; deberet potius haberi pro non apposita .*
3 *Utile per inutile non vitiatur .*
4 *Subalterna conditio in cumulativa præsentatione est , quod primo præsentato institutionem reportare non valente, vel decedente ante reportatam effectivam institutionem , secundus præsentetur .*
5 *Conditio subalterna non purificatur per acceptationem , sed per effectivam institutionem .*
6 *Vacatio consumpta , & patroni præsentatio effe-*

effectuata non dicuntur, antequam præsentatus sit pacificè institutus per rem judicatam.

DECISIO CCCCII.

CUm in contemporanea hujus causæ decisione constiterit de existentia Jurispatronatus, & de præsentatione ad Canonicatum controversum facta primo loco in personam Urbani Aloviti, & secundo cumulativè, ac in subalternam conditionem favore Antonii à Senatore Andrea del Rosso tanquam verò, & legitimo Patrono, non dubitarunt Domimini attento obitu Urbani institutionem sub particulari dubio petitam Antonio concedere.

Eo enim ipso quod Urbanus primo loco præsentatus fuit è vivis ereptus, Antonius
1 evasit primus, non secus, ac si alius præsentatus non fuisset. *Lamber. de Jurepatr. par.1.lib.2.quæst.6. art.12. n.4. Vivian. eodem tract. par.2. lib.5 n.30, & seq. Rota cor. Zarat. dec.55. num.2., & cor. Priol. decis.405. n.4., & 5., & cor. Merlin. dec.443. n.17., & cor. R. P. D. meo Ansaldo inter ejus impressas la 52. n.15.*

Non obstat, quod Urbanus acceptaverit præsentationem sui favore primo loco factam, ac ulterius institutionem sibi decerni obtinuerit, & deindè elapso jam termino quatuor mensium obierit; Undè inferebatur, quod subalterna conditio, cum qua fuerat præsentatus Antonius, purificata non fuerit: immò per acceptationem & petitam institutionem ab Urbano, evanuerit. Etenim misso quod cumulativa præsentatio, de qua
2 hic dubitari non potest, est tantæ efficaciæ, ut quatenus subalterna conditio ei resisteret, deberet potius haberi pro non apposita, ex
3 nimis vulgata regula, quod utile per inutile non vitiatur. *Rota cor. Pen. dec.400. n.1., & seq., & in rec. dec.73. n.9 par.17.*

Cessare visa fuit difficultas, quia conditio subalterna nil aliud importat, nisi quod Ur-
4 bano Canonicatum, seu institutionem obtinere non valente, vel illo decedente antè reportatam effectivam institutionem, Antonius secundo loco præsentabatur. Qua pro-
5 pter non sufficit sola acceptatio, sed requirebatur effectiva institutio, qua cessante dicitur purificata conditio, *Lambertin. de Jurepatr. lib 2. par.1. qu.6. art.5. n.1. fol.514. Vivian. eod. tract. lib.5. cap.5. n.30., & 31. Marant. respons.14. n.22. Rota dec.16. n.3. de renunciat. in antiq.* Et regulare est,
6 quod antequam quis fuerit pacificè institutus per rem judicatam, non dicatur consumpta vacatio primæva, & effectuata præsentatio Patroni; *ad Tex. in cap. si electio de elect. in 6., Vitalin. in Clem. secunda n.97. ut lite pendente, Rota in Asculana Beneficior. 15. Martii 1700. §. Non relevante coram R. P. D. meo Muto.*

Et ita omnibus suffragantibus &c.

ROMANA FIDEICOMMISSI.

Lunæ 15. Martii 1706.

ARGUMENTUM.

Latè argumenta perpenduntur, ex quibus conicitur, an in donatione condita in longissimos gradus, & in perpetuum protracta ab ascendente intuitu certi Matrimonii favore filii legitimi, & descendentium legitimorum, filii uti filii jure proprio, vel uti patris hæredes sint vocati, & potestas donantis, & observantia proxima ad declarandam ejus voluntatem perpenduntur. Fœminæ descendentes in dicta donatione comprehensæ, cum ex auctoris testamento essent exclusæ, defectis masculis invitatæ censentur.

Super eisdem bonis adest decisio sequens.

SUMMARIUM.

1 *Res judicata oritur, cum appellatio intra præfinita à jure tempora non fuit interposita.*

2 *Restitutio in integrum concurrente validitate, & justitia Sententiæ non conceditur.*

3 *In donatione facta patri, & filiis, omnes capiunt ex liberalitate donantis.*

4 *In donatione facta simpliciter favore patris acceptantis pro se, & filiis, & descendentibus, filii admittuntur tanquam hæredes.*

5 *Limita ubi ex contextu, & ex conjecturis ex jure proprio vocati convincuntur.*

6 *Amplia limitationem procedere etiam si non res sit de donatione facta Patri acceptanti pro se, & filiis.*

7 *Donationis contextus collectivus, & comprehensivus plurium personarum, & graduum in remotissimum tempus, denotat donantis voluntatem fuisse instituendi fideicommissum descensivum, itaut vocati ordine successivo independenter à donatario, censeantur invitati.*

8 *Donans, qui remotissimos gradus consideravit qualitatem hæreditariam voluisse in donatarii filiis, est imperceptibile.*

9 *Nam alias omissa fuisset prolixitas verborum, vel processisset cum stipulatione cæterata.*

10 *Dictio* -- in perpetuum -- *ostendit in donatione contineri fideicommissum restitutorium.*

11 *In donatione contemplatione certi Matrimonii facta donans, & donatarius principaliter solent prospicere filiis ex eo nascituris.*

12 *Præsertim cum donatio est facta filio naturali, licet legitimato, & quare?*

13 *Ascendentes præsumuntur non minus filiis, quam nepotibus prospicere.*

14 *Donans filio legitimato, & descendentibus cum qualitate legitimatis, nepotes ex suo jure succedere voluisse præsumitar,*

tur, ne legitimati si haberent qualitatem hæreditariam admittantur ad hæreditatem una cum legitimis.

15 *Actus factus à Procuratore specialiter deputato de tempore proximo donationi, plurimum attenditur pro illius declaratione.*

16 *Declaratio facta à donante tempore non suspecto, & ante jus quæsitum creditoribus, valdè confert ad patefaciendam ejus mentem.*

17 *Donans actum præcedentis donationis dubiæ potest declarare.*

18 *Donantis actus metimur à potestate. Donatio facta de rebus, quæ distrahi non possunt in habentes solam qualitatem hæreditariam à donatario pro filiis non uti hæredibus stipulata censetur.*

19 *Legitimitatis qualitas cum est de jure tertii non potest opponi.*

20 *Fœminarum sola comprehensio in donatione bonorum, quæ ex auctoris testamento ad Masculos erant restricta, non concludit, quod illi donans nequiverit se conformare, sed quod fœminæ succedere possint extincta linea Masculina.*

DECISIO CCCCIII.

HEnricus, & Franciscus Fratres de Ursinis contemplatione certi Matrimonii omnia bona tam feudalia, quam libera per actum irrevocabilem inter vivos donarunt Franciotto filio, & respectivè Nepoti pro se Filiis Nepotibus, Pronepotibus, & descendentibus ab eisdem Masculis, & Fœminis, legitimis, & naturalibus, & ex legitimo matrimonio procreatis in perpetuum absque ulla bonorum detractione; præmortuis verò donantibus subindè donatarius decessit relictis Henrico, & Francisco, ac Isabella Filiis, sed cum omnes præter Isabellam obiissent sine Filiis multò ære alieno gravatis; Creditores petierunt satisfieri in bonis, quæ per debitores possidebantur provenientibus à prædictis donantibus, quibus cum se opposuissent Marchionissa Laura Carpinea de Tanara, & Comitissa Victoria Carpinea de Albergatis Sorores, & Filiæ respectivè dictæ Isabellæ allegantes retentionem ex titulo fideicommissi ordinati in supra enunciata donatione. Hinc orta fuit judicialis contentio, in qua coram bo. me. Verospio sub die 22. Junii 1663. declaratum fuit extra re fideicommissum, illudque fuisse purificatum favore dd. sororum, & licet nostrum Tribunal recesserit *in dec.529.p.14 rec.* tamen vita functis prædictæ Sororibus, & causam prosequentibus Franciotto Tanara, & Francisco Maria, & aliis de Albergatis eorum Filiis, *coram Rmo D. meo Decano sub die* 10. *Decembris* 1702. perstitum fuit; in primo loco Decisis, reservatis sub particulari cognitione locis Montium, ad quę contrà possessores petebatur Immissio, & ad limites hujusmodi resolutionum lata fuit sententia, quæ ob non interpositam appellationem transitum fecit in rem judicatam. Verùm quia Angelus Androsilla unus ex possessoribus locorum Montium ad evitandam Immissionem curavit signari commissionem mihi directam cum Clausula *de Causis restitutionis in integrum*, idcircò præter alterum dubium à me hodie contemporaneè propositum super immissione quæsivi à DD. -- *An constet de re judicata, seu potiùs de Causis restitutionis in integrum, & affirmativa quoad primam partem negativa quoad secundam* prodiit resolutio.

Etenim cum à Sententia lata per Rmum D. meum Decanum die 22. Decembris 1704. nulla fuerit interposita appellatio intra tem-
1 pus à Jure præfinitum, sed tantum post ultimam diem 30. Aprilis 1705. occasione, qua fuit in Signatura petita commissio; exindè sequitur, quod ea transitum fecerit in auctoritatem rei judicatæ, ex firmatis per *Rotam coram Bichio decis.472. num.3., & in rec. decis.483. num.23. p.19. tom.2.* itaut
2 concurrente illius validitate, & justitia exclusa remanserit quæcumque imaginabilis læsio, sine qua beneficium restitutionis in integrum concedi non debet, ex firmatis per *Rotam dec. 491. nu.2. p.19. rec.*

De validitate non fuit quæstio inter partes: justitia verò resultat ex pluribus luculentèr firmatis in ultima Decisione ædita coram Rmo D. meo Decano, in qua præceteris advertitur, quod ubi etiam donatio
3 non sit facta patri, & filiis, itaut omnes capiant ex mera liberalitate donantis, & tot censeantur donationes, quot sunt personæ
4 contemplatæ, sed legatur simpliciter concepta favore patris acceptantis pro se, & filiis, & descendentibus, in quibus terminis considerantur, & admitti debent filii tanquam hæredes donatarii; Adhuc etiam
5 isto casu filii dicuntur proprio jure vocati quoties ex contextu donationis, & ex conjecturis ab ea elicitis videtur talem fuisse voluntatem donantis. *Altograd. cons. 36. num 10. lib.2. Castill. dec.106 num.8. Rota decis.127. num.8 p 6., & decis.212. num.8. p. 13. rec., & in Sabinen. Pecuniaria 5 Decembris 1659. §. Nec urget coram bon.mem. Verospio.*

Quinimo quidquid sit, an donatio de qua agitur sit favore patris, & filiorum, aliorumque descendentium. Hoc unum irrefragabile visum fuit, quod admissio etiamsi non versatur in donatione facta patri acceptanti
6 pro se, & filiis, tamen concurrunt isto casu tot, & tam validè conjecturæ, ut dubitari non possit, quin donans æque contemplatus fuerit filium, ac illius descendentes. Itaut omnes ex propria persona, & independenter à patre primo donatario comprehensi dicantur, ut benè prosequitur *eadem Decisio. §. Certum est.*

In præsenti itaque valdè movit DD. ipsa lectura donationis, quæ apparet concepta favore filiorum, Nepotum, pronepotum, aliorumque descendentium Masculorum, & Fœ-

Fœminatum in perpetuum cum qualitate,
quod esse debeant legittimi, & naturales;
per hujusmodi enim contextum, uti colle-
ctivum, & comprehensivum plurium per-
sonarum, & graduum in remotissimum tem-
7 pus directum clarum fit, donatoris volun-
tatem fuisse instituendi fideicommissum de-
scensivum, itaùt ex vocatis unus post alium
ex propria persona censeretur invitatus in-
dependentèr à donatario. Tum quia imper-
ceptibile redditur, quod donans in tot gra-
8 dibus in adeò remotum tempus considerare
potuerit qualitatem hæreditariam; Tum
quia alias si hæredibus dumtaxat voluissent
9 donantes consulere omissa prolixitate ver-
borum potuissent breviter se expedire sti-
pulando pro filiis, eorum hæredibus, vel
cum stipulatione cæterata, ut pluribus con-
cordantibus respondit *Rota in Avenionen.
seu Vasionen. Primogeniture 28. Janua-
rii* 1695.§. *Clarius coram R.P.D. meo Mu-
to, in Avenionen. Primogenituræ* 10. *Ja-
nuarii* 1701.§.2. *ex longa serie cor. R.P.D.
meo Caprara, & in decis. Rm̃i D. mei De-*
10 *cani*. §. *Prima*. Accedente potissimum di-
ctione in perpetuum, quæ ostendit in dona-
tione contineri fideicommissum rest tuto-
rium, *Rota decis.* 283. *per totam p.* 11. *rec.
in Veliterna Salviani* 28 *Iunii* 1686 §. *Non
obstant coram bo.me Albergato, & in Fa-
ventina fideicomm* 10. *Martii* 1658.§. *Cre-
scitque coram Rm̃o Zamoren.*

Rursùs animadvertum fuit, quod donatio
legitur facta contemplatione certi Matrimo-
nii per Franciottum contrahendi, quo casu
11 regulariter, tam donans, quam donata-
rius solent primo, & principaliter prospi-
cere filiis ex eo Matrimonio nascituris, ut
præter cumulatos *in decis. Rm̃i D. mei De-
cani* probant *Castill. decis.* 106. *num.*6. *Ma-
strill. dec.*211. *num.*3., *& Rota cor. Priolo
dec.*203. *num.*3. Et hæc conjectura, quæ ita
simpliciter approbata fuit in pluribus casi-
bus, eo fortiùs urget in præsenti, ex quo
Camillus Sabellus Nuptui tradens propriam
filiam Franciotto filio naturali licet legitti-
mato Henrici non potuit non respicere pri-
mo, & principalitèr ad manutentionem filio-
12 rum, qui ex dicto Matrimonio nascituri
erant, quod obtinere non potuisset, nisi
fuisset illis quæsitum jus independenter à
patre; Quoniam alias tanquam patris hęres
tantummodo, eventuale jus habuissent, non
autem certum, & irrevocabile in propria
eorum persona radicatum, ut firmatum fuit
in Fanen. Donationis 10. *Decembris* 1698.
§. *Quia cum filii coram R. P. D. meo Tre-
moille.*

Accedit prædictis, quod hic agitur de
donatione facta ab ascendente favore filio-
rum, & descendentium, qui haberent qua-
litatem legittimitatis, & orti fuerint ex le-
gitimo Matrimonio: Hic enim duplex con-
jectura prò vocatione descendentium ex
13 persona propria deducitur: Altera quod
in ascendente pręsumitur concurrere volun-
tatem non minus filiis, quam Nepotibus
prospiciendi. *Amat. Cons.*66. *num.*14. *Ca-
pic. Galeott. contr.* 57. *num.*18. *lib.*1. *Rota
coram Priolo dec.*446. *num.*5., *& dec.*229.
num 9 *p.*12. *rec. ubi concordantes*. Altera,
quod si vocati fuissent filii Franciotti primi
donatarii uti illius hæredes prædicta dispo-
14 sitio servari non possit, quia legittimati
admitterentur ad hæreditatem una cum le-
gittimis, dummodo haberent qualitatem
hæreditariam, *Surd. Cons.* 162. *num.*8. *Ro-
ta cor. Greg. decis.*369. *num.*6., *& dec.*422.
*num.*4. *p.*4 *tom.*2. *rec.*

Confirmantur prædicta ex declaratione
emissa occasione insinuationis per Procu-
ratorem specialiter à donante constitutum,
in illa enim dicitur donationem fuisse
factam favore Franciotti, & aliorum in ea
nominatorum. Quamobrem si in donatione
sunt nominati filii, & descendentes, per ne-
cessè sequitur, quod donans contemplatus
fuit descendentes ex eorum propria perso-
15 na, & hujusmodi actus utpote gestus à
Procuratore speciali, & verisimiliter infor-
mato de tempore proximo donationi du-
bium non est, quin plurimum attendi debeat
pro illius declaratione. *Rota coram Priolo
dec.*446. *num.*9. *in rec. decis.*229. *num.*17.
*p.*12. cum aliis cumulatis *in dec. Rm̃i D. mei
Decani*. §. *Retenta*.

Fortiùs quia accessit altera declaratio in
instrumento cessionis initæ inter Henricum
donantem, & Franciottum donatarium, ubi
in actu dimissionis jurisdictionis Castrorum,
non per simplicem relationem ad donatio-
nem, sed cum explicita declaratione dici-
tur donationem fuisse factam favore Fran-
16 ciotti, & filiorum; Cumque ista emana-
verit tempore non suspecto, & ante jus quę-
situm creditoribus, valdè confert ad pate-
faciendam mentem ipsius donantis, qui po-
17 terat declarare actum præcedentem dona-
tionis, quando etiam illa in se fuisset dubia
per ea, quæ habentur, *in dec.*238. *num.*5.
*p.*3., *& dec.*402. *num.*31., *& seqq. p* 9. *rec.*,
*& dec.*119. *num.*6., *& seq. cor. sa.me. Ale-
xand. VIII.*

Tandem validam etiam conjecturam pręe-
buit qualitas bonorum donatorum, cum ex
eis nonnulla essent feudalia, & fuissent con-
cessa à Sa.Me. Leone X. Franciotto Ursino
Seniore, ejusque filiis, & descendentibus
Masculis, & Fœminis in perpetuum, non-
nulla verò obnoxia fideicommisso ordinato
ab Octavio favore omnium descendentium
Masculorum, ideoque donantium volun-
18 tatem metiendo à potestate, quam non
habebant distrahendi in habente solam qua-
19 litatem hęreditariam, dicendum est, pa-
trem stipulare voluisse pro filiis uti filiis,
non autem tanquam hæredibus, *Paulus de
Castro cons.*343.*n.*3. *ante medium vers. sic est
in casu lib.* 1. *Menoch. cons.* 286. *num.* 17.
*Surd. decis.*324. *num.*4. *Saminiat. Contro-
vers.*52. *num.*14., *& seq.*, *& num.*20., *&*
22. *Rota in Avenionen. Primogenit.*10. *Ja-
nua-*

nuarii 1701. §. 4. *Demum. cor. R.P.D.meo Caprara, & prosequitur Decis. Rmi D.mei Decani. §. 2. Conjectura.*

Absque eo quod in contrarium opponi valeat, quod qualitas bonorum non sit habenda in consideratione ad effectum, de quo agitur, vel quia proveniant ab investitura Leonis X. requirente legittimitatem, quę deficiebat in Franciotto donatario, vel à Testamento Octavii, in quo vocantur solum Masculi cum quo noluit Henricus se conformare, dum donavit Masculis, & Fœminis. Quoniam respectu investiturę Leonis X. ultrà quod non constat de illegittimitate Franciotti; quinimò è converso excluditur per tres Sententias conformes illius legittimitatem Canonizantes, ut legitur in *dec.283. num 12., & seq. p.11. rec.* Quando etiam Franciottus talis fuisset, hoc tamen non excludit, quia in illius filiis, ejusque descendentibus Henricus voluerit qualitatem legittimitatis, etiamsi ex natura bonorum debuissent succedere solum legittimi, quia hujusmodi exceptio potuisset opponi à concedente ad quem bona redivissent non autem ab alia persona tamquam de jure tertii. *Rota dec.313. num 14., & seq. p.11. & dec.1300. num.3. cor.Emerix, & in Melevitana Decretorum 7. Aprilis 1704. §. Nec juvari. cor. R.P D. meo Caprara.* Respectu verò Testamenti ex sola comprehensio-
2 ne Fœminarum in donatione, inferri nequit, quod Henricus donator voluerit se conformare antiquo fideicommisso Octavii ad solos Masculos restricto, sed ea operatur, quod Fœminę succedere possint post extinctam lineam Masculinam suorum descendentium, ut advertit, *Fusar. de substitut. q.385. n.1. & 9. Rota. dec.294. n.1., & seq. p.7., & decis.452 n.1. p.19. rec. to.2.*

Et ita utraque &c.

ROMANA FIDEICOMMISSI SUPER IMMISSIONE.

Lunæ 15. Martii 1706.

ARGUMENTUM.

Immissio non conceditur ad bona, quæ à Testatore **provenire** non probantur, & **provenientia** non convincitur ab expressione vinculi fideicōmissi facta in litteris patentatibus: **excluditur** vero ex quo testator cum omnia **sua bona** recensuerit, de istis, licet insignibus, mentionem non fecit: & cum hæres **pro se**, & suis hæredibus acquirendo, super **eisdem** transegit, vel cum pecunia fideicommissaria eodem modo acquisivit: vel testator **aliis** reliquit: nec immissio conceditur **ad bona**, de quibus actores petentis sunt **satisfacti**, vel sunt illiquida. Donationi consentiens, donare non dicitur. Loca montium, nullum vinculum præter expressum recipiunt.

Est super eisdem bonis superior. Confirmatur infra decis.646., & 676.

SUMMARIUM.

1 *Immissio, ut obtineatur, requiritur, quod præter fideicommissum, & ejus purificationem, probetur, quod bona à testatore de tempore sui obitus fuerunt possessa.*
2 *Bona à fideicommittente non possessa dicuntur, si cum agatur de corpore valde insigni, cum alia recensuerit, de hoc mentionem non fecit.*
3 *Præsertim si post testatoris mortem hæredes eadem non ex illius jure, sed alterius recuperarunt.*
4 *Testator hæredes etiam in eorum bonis potest gravare.*
5 *Consentiens donationi non consideratur tanquam donans, sed remittit simpliciter jura, quæ habere posset super bonis donatis.*
6 *Vinculum in litteris patentibus Locorum Montium censetur appositum favore illorum, qui probare possunt se vocatos, & in fideicommisso comprehensos, ostendenda omnia requisita necessaria.*
7 *Immissio concedi nequit ad bona, quæ à fideicommittentis hæreditate non proveniunt.*
8 *Immissionem obtinere non possunt illi quorum auctores de bonis prætensis sunt integre satisfacti.*
9 *Actoris factum impugnari nequit.*
10 *Loca montium acquisita, pro se, hæredibus, & successoribus quibuscumque in transatione super bonis fideicommissariis, transigenti acquisita sunt independenter à fideicommisso, pro quo prætenduntur.*
11 *Amplia quamvis bona, super quibus transigitur subjecta essent fideicommisso.*
12 *Loca montium ex pecunia fideicommissaria empta, cum declaratione acquirendi pro se, hæredibus, & successoribus, fideicommisso non acquiruntur; sed libera transeunt.*
13 *Loca montium nullam recipiunt vinculum, nisi, quod expressum legitur in litteris patentibus ex constitutione Urbani VIII. & num.17.*
14 *Loca montium, in quorum patentibus habetur relatio ad instrumentum, affici non possunt vinculo fideicommissi, quod in eo non legitur.*
15 *Frustra petitur, quod intus habetur.*
16 *Immissio non conceditur cum adest illiquiditas.*

DECISIO CCCCIV.

MOrtuo Henrico de Ursinis Camera Apostolica ex capite lineæ finitæ possessionem adepta fuit plurium Castrorum non obstante, quod aliqua ex eis intuitu certi matrimonii fuissent donata Franciotto filio legittimato pro se, filiis, nepotibus, & descendentibus, post acquisitam tamen possessionem devenit ad concordiam cum filiis dicti Franciotti, quibus solvit sc. 50. mil. ad effectum ea reinvestiendi in tot locis montium, quæ perpetuo stare deberent obnoxia vinculo evictionis eorumdem Castrorum, adjecta insuper conditione, quod nulli alteri jus quæ-

situm

situm censeretur. Ad formam conventionis summa prædicta fuit erogata in emptionem locorum montium, quæ pervenerunt in diversas personas, & signanter plura in bon. mem. Angelum Androsillam, & deindè in Angelum juniorem illius hæredem, & alia plura in Franciscum Monthionum.

Verùm quia Franciscus Tanara, & alii descendentes mediati Franciotti Ursini donatarii in sequelam fideicommissi ordinati in dicta donatione judicium immissionis introduxerunt contra dictos possessores, atque disputato dubio sub die 11. Decembris 1702. prodiit resolutio quoad fideicommissum ejusque purificationem favore Actorum, sed reservatus fuit articulus immissionis lataque sententia, fuit mihi commissa causa in gradu restitutionis in integrum, & hac die præter dubium disputatum respectu fideicommissi proposui etiam alterum -- *An, & contrà quos sit danda immissio* -- quod *negativè* resolutum fuit.

Quoniam vero loca montium de quibus agitur, sunt diversæ naturæ, & nonnulla continent certa vincula, alia vero non, idcirco DD separando unam speciem ab altera, quoad loca montium empta ex pretio medietatis Castri Montis Rotundi, fundamentum resolutionis posuerunt in eo, quod illa non proveniunt ex bonis donatis per Henricum Franciotto, ejusque descendentibus, & sic deficit unum ex principalibus requisitis pro obtinenda immissione, cum præter fideicommissum, ejusque purificatio-
1 nem, necessario probari debeat, quod bona fuerint per fideicommittentem possessa de tempore sui obitus, ad tradita *per Rotam coram Pania dec. 1015. num. 10., & seq., & in rec. dec. 89. n. 2., & dec. 245. nu. 5 par. 18. in Avvenionen. fideicom. super immissione 14. Jan. 1701. §. quo enim cor. R. P. D. meo Priolo, & in Romana Census 23 Aprilis 1703. §. proindeque coram Rm̃o D. meo Decano.*

Quod autem medietas dicti Castri nunquam possessa fuerit per Henricum donantem resultat non solum ex quo ille singillatim describendo omnia bona Franciotto filio donata, de ea tamen quamvis corpore valde
2 insigni nullam mentionem fecit, quod certe nimis inverisimile est. Verum etiam, & clarius, quia probatur, quod longe post
3 obitum donantis, & donatarii Henricus, & Franciscus juniores illam non tamquam successores Henrici Senioris, sed tamquam habentes causam à Francisco patruo recuperarunt è manibus Cameræ, ut constat ex sententia lata eorum favore, in qua fuit etiam dictum prædictam medietatem esse liberam, & transitoriam ad quoscumque extraneos, ut latius in *Sum. actor. num. 1.*, & de facto iidem fratres prædictam portionem Castri vendiderunt ferè immediatè post dictam sententiam d. Principi Barbarino pretio sc. 25. mil. cum expressione, quod proveniebat ab hæreditate Francisci quodque erat libera, & nulli fideicommisso obnoxia, itaut benè excludatur, quod Henricus illam unquam possederit, multoque minus quod fideicommisso à se condito supposuerit, ut necesse est ex allegatis.

Non obstat, quod præfata medietas proveniat ab hæreditate Octavii communis parentis Henrici donantis, ex cujus fideicommisso agitur, & Francisci senioris: cumque fideicommissum ab eodem Octavio institutum expiraverit in Henrico, benè potuerit ille disponere, vel in omnem casum etiamsi non expirasset, substineretur dispositio in præjudicium Franciotti, qui eam accepta-
4 vit, ex nota regula, quod testator possit gravare hæredes etiam in eorum bonis. Quoniam ommissis responsionibus, quæ contra prædicta afferebantur per scribentes, visum fuit ex Facto cessare quamcumque difficultatem, utpotè quià Octavius non supposuerat fideicommisso dictam medietatem Castri, sed illam prælegaverat bo. me. Leoni Ursino Episcopo Forolivien. alteri ejus filio, ut plenè narratur *in dec 1715. nu. 29. & dec. 103. cor. Coccino*, in qua etiam probatur, quod cum Henricus, de cujus fideicommisso hodie agitur, quoddam delictum patrasset, ex cujus causa fuerunt ejus bona confiscata, capta fuit à Camera possessio medietatis hujus Castri, sed cognito, quod in in ea nullum jus habebat Henricus, quia ex prælegato Octavii spectabat ad Episcopum Forolivien., fuit iste ad possessionem reintegratus de mandato S. Me. Pii IV. juxta literas Divi Caroli Borromæi ejus Nepotis relatas in *dict. dec. num. 29.*: Adeoût non solum nullum possit constitui fundamentum in fideicommisso Octavii, sed ulteriùs tanto magis remaneat exclusa possessio Henrici, dum postea à Leone Episcopo Forolivien. devenit in Franciscum, qui eandem medietatem recuperavit iterum è manibus Cameræ, quæ per deficientiam lineæ legitimæ, & naturalis denuò possessionem acceperat.

Minùs refert, quod etiam Franciscus donavit unà cum Henrico favore Franciotti, ejusque successorum, & ideo si medietas Castri non est comprehensa in donatione tanquam de bonis Henrici, possit dici saltem comprehensa tanquam de bonis Francisci, qui sine dubio ex prædictis illam possidebat. Etenim non subsistit in Facto, quod Franciscus quidquam donaverit, sed donationi factæ ab Henrico consensum præstitit pro omni suo Jure, & interesse, quod etiam de futuro eidem competere posset in bonis donatis vigore fideicommissi Octavii patris, ex quo aderat substitutio reciproca ad suũ favorem. Quamobrem nequit peti à comprehensis in donatione aliquid, quod spe-
5 ctaret ad Franciscum, qui non considératur tanquam donans, sed remisit simpliciter jura sua, quæ habere poterat super bonis Henrici donantis, *Cyriac. contr. 37. num. 28. & cont. 251. n. 29. Rot. cor. Certo dec. 31. n. 21. & seqq.*

Atque

Atque hic nihil refert, quod in literis pateutibus locorum Montium provenientium à dicta medietate Castri legatur expressum vinculum fideicommissi, & primogenituræ in genere. Quoniam illud cense-
6 tur appositum favore iliorum, qui probare possunt se vocatos, & comprehensos in fideicommisso ostendendo omnia ad hunc effectum requisita, quod scilicet non solum constet de fideicommisso ejusque purificatione ad sui favorem, sed etiam, quod agatur de bonis à fideicommitente possessis, & in ejus testamento comprehensis, ut omissis generalibus in his terminis firmavit, *Rota in Romana fideicommissi 15. Januarii* 1700. §. *Extranea cor. R. P. D. meo Ansaldo.*

Constito ex prædictia, quod loca Montium, de quibus agitur, non proveniant à dicta medietate Castri olim spectantis ad Franciscum, perperam allegabant scribentes pro actoribus, quod provenire possit ab alia medietate possessa per Franciottum donatarium. Quoniam neque ista provenit ab Henrico donante, cum probatum fuerit, quod eam idem Franciottus acquisivit ex venditione sibi facta per Congregationem Baronum pro se, hæredibus, & successoribus quibuscumque in perpetuum, ut fuit dictum in prælaudata *dec.* 1715. *num.* 93. *cor. Coccin.* Quamobrem firmæ remanent omnes regulæ supra firmatæ, quod cum non prove-
7 niant ab hæreditate Henrici fideicommittentis concedi nequit immissio.

Accedit prædictis, quod cum occasione venditionis Castri Montis Rotundi fuisset ordinatum multiplicum insignis summæ scutor. 135. m. pro indemnitate omnium, & quorumcumque fideicommissorum primogeniturarum, & donationum, quibus essent obnoxia, illud fuit à Marchionissa Laura, & Comitissa Victoria de Albergatis cessum favore Fratrum de Nigronia, cum onere solvendi omnia debita Henrici, & Francisci juniorum de Ursinis, propterea cum multiplicum fuerit alienatum ab auctricibus actorum, tanto minùs potest hodie ab eis peti immissio ad controversa loca Montium; tum quia ut firmatum fuit, non proveniunt à dicto Castro Montis Rotundi; tum quia
8 attenta prædicta alienatione, fuerunt integrè de illarum prætensione satisfactæ illius auctrices, quorum factum isti nequeunt im-
9 impugnare, *Surd. cons.* 571. *num.* 32., *Rota cor. Celso dec.* 220. *num.* 4. *in rec. decis.* 207. *num.* 42. *par.* 4. *dec.* 24. *num.* 9., *& decis.* 283. *num.* 10. *par.* 14.

Transeundo autem ad alteram classem locorum Montium, quæ proveniunt ex scut. 50. m. per Cameram solutis Henrico, & Francisco fratribus junioribus de Ursinis in transactione inita occasione devolutionis Castrorum, ut supra dictum fuit, faciliùs denegarunt DD. immissionem, quia transactio præfata fuit à dictia fratribus inita proprio, & particulari nomine pro se, hæredibus, & successoribus quibuscumque, itaut proindè pecuniæ, & Loca Montium ex eis empta,
10 quæsita remanserint ipsis transigentibus, eorumque hæredibus independenter à quocumque fideicommisso, *Noguerol. alleg.* 20. *num.* 130., *Valleron. de transact. quæst.* 62. *num.* 36, *Rota dec.* 224. *num.* 14. *par.* 15., *& dec.* 318. *num.* 12. *par.* 17. *rec.* Quamvis ipsa
11 Castra essent subjecta fideicommisso, quoniam non ideo Loca Montium empta cum
12 dicta explicita declaratione ex pecunia fideicommissaria acquiri potuerunt fideicommisso, sed omninò libera, & immunia ad quoscumque transierunt, *de Luca de fideicom. disc.* 105. *& disc.* 177. *utrobique num.* 4. *Peregrin. de fideic. art.* 44. *num* 29, *Rota dec.* 201. *num.* 2., *& dec.* 365. *num.* 7. *part.* 1. *divers.* cum aliis *in Romana fideicommissi Prospori Senioris de Caffarellis* 1. *Jun.* 1699. §. *Absque eo quod cor. Me*, *& in Romana fideicommissi de Bubalo super Domo* 14. *Januarii* 1704. §. *Neglectis cor. R. P. D. meo Ansaldo.*

Cessatque penitus omnis difficultas, ex quo in literis patentibus nulla fuit facta expressio fideicommissi, sed fuit duntaxat adjectum vinculum evictions favore Cameræ Apostolicæ: Quapropter nulla competit
13 actio vocatis ad fideicommissum pro illorum vindicatione, cum ex nota Constitutione S. Me. Urbani VIII. Loca Montium nullum recipiant vinculum, nisi illud, quod expressum legitur in litteris patentibus, ut notant *de Luca de Regal. disc.* 38. *num.* 6., *& disc.* 39. *num.* 2., *Rota dec.* 77. *num.* 20. *par.* 6. *rec.*, *& in Romana Locorum Montium* 7. *Maii* 1694. §. *At cum in hoc cor. bo. me. Ursino*, *& in Romana retractus* 28. *Junii* 1697. §. *Immo coram Me.*

Quin urgeat replicatio, quod in dictis litteris habetur relatio ad transactionem; nam eum, ut mox probatum fuit, illa non sit ini-
14 ta pro vocatis ad fideicommissum, sed pro Henrico, & Francisco junioribus, & ipsorum hæredibus, relatio importare nequit vinculum fideicommissi, quod in ipsa transactione non legitur, ut egregiè probat *Bonden. Collect.* 18. *num.* 42. *& seq. tom.* 2., *Rota dec.* 78. *num.* 3. *&* 4. *cor. Merlin.*, *& dec.* 437. *num.* 18. *cor. Priolo.*

Ultra quod cum ex octo Castris, super quibus fuit transactum, tria duntaxat essent comprehensa in donatione facta ab Henrico, pro eorum tantùm rata pretium à Camers solutum remaneret obnoxium fideicommisso: Cumque actores plura Loca Montium possideant, quæ supponuntur absorbere integram portionem pecuniarum respicientem d. tria Castra, hinc eorum actio
15 vel remanet exclusa per regulam quod frustrà petunt quod intus habent, vel saltem effecta fuit turbida, & illiquida, quia priùs esset facienda repartitio pecuniarum ratione octo Castrorum, & postmodum fieri deberet distributio inter possessores Locorum Montium, etiam penès actores existentium,
16 & hæc sola illiquiditas sufficit ad denegandam

dam petitam immissionem . *Rot. dec.* 268. *n.* 17. *cor. Duran. & dec* 187. *nu.* 12. & 14. *par.* 14. *rec.*

Absoluto examine Locorum Montium, quæ possidentur per Androsillam, facilior fuit resolutio pro denegatione immissionis quoad alia Loca Montium retenta per Monthionum, quia non solùm quoad ista procedunt ea omnia, quæ firmata fuerunt, verùm etiam concurrit alia valdè specialis circumstantia, quia scilicet in ventre literarum patentium nullum aliud legitur appositum vinculum, quam primogenituræ ordinatæ per bo. me. Angelum Androsillam; itaùt proin-
17 de illo excepto ab aliis quibuscumque vinculis. & hypothecis libera dicantur ex Constitutione S. Me. Urbani VIII. & ex aliis supra in §. *Cessatque all. gatis.*

Et ita omnibus suffragantibus resolutum fuit &c.

ROMANA, SEU FERRARIEN. LIBERATIONIS A' MOLESTIIS.

Mercurii 17. *Martii* 1706.

ARGUMENTUM.

Apoca continens Capitula per verba de futuro, cum promissione stipulationis instrumenti, quando totum robur habeat, vel pro simplici minuta habenda sit expendiitur. Possessio ad quem titulum referenda sit? & ex quibus eodem jure dominii probetur? Facultates Thesaurari Papæ executivè procedendi,& efficacia clausulæ -- *cum facultate procedendi simpliciter, & de plano* -- & an via executiva contra debitorem ex sententia absolutoria favore ejus fidejussoris vulnerata sit examinatur; & quando commisso requiratur, vel citatio sufficiat pro admissione ad causam.

Adest infra brevis decisio 439.

SUMMARIUM.

1 *Contra accollatarium, qui deficit in solutione debiti accollati, locus est mandato.*
2 *Apoca continens tantummodo capitula per verba de futuro, cum promissione stipulandi instrumentum, postea non executa: dicitur minuta preparatoria.*
3 *Secùs cum in eadem continentur omnia substantialia contractus.*
4 *Substantialia accollationis sunt quantitas, causa, & modus.*
5 *Stipulatio instrumenti in apoca continenti omnia substantialia contractus, conventa censetur pro faciliori probatione.*
6 *Apoca cum omnibus substantialibus contractus, licèt contineat promissionem per verba de futuro, & stipulationem instrumenti conficiendam, quoties promissio sit perfecta, robur tamen habet.*
7 *Limita si contineat promissionem conditionalem, & exigat aliquid perficiendum ante, vel in actu stipulationis ibidem contentę.*
8 *Limitationem declara non procedere: cum ea, quæ sunt in stiputatione addenda, sunt clausulæ, & cautelæ, quæ juxtà conventum in apoca ejus substantiam non possunt alterare.*
9 *Et secundò cum id quod addendum erat in stipulatione de jure debebatur.*
10 *Et tertiò cum in actu, quo ad stipulationem instrumenti esset deveniendum, apocam non impugnavit, sed alia opposuit ille, qui ejus imperfectionem postea prætendit, & ejusdem vigore bona possedit: quia tunc stipulatio dicitur effectuata; juncto nu.* 14.
11 *Possessio referri nequit ad titulum locationis jam expiratæ.*
12 *Neque ad titulum creditorum: cum bona auctoritate judicis non fuerint adjudicata.*
13 *Creditor ex facto propria, sine auctoritate Judicis, sui debitoris bona retinere, & occupare nequit.*
15 *Possessio bonorum jure dominii probatur: cum pluries in inventariis uti propria auctorum sunt descripta, locata, & in emphyteusim concessa.*
16 *Apoca concordiæ suum effectum habuisse dicitur: cum bona ibidem concessa à cessionario jure domini i sunt possessa.*
17 *Et eum ex confessionibus concedentis probatur.*
18 *Omissio descriptionis bonorum in Inventario ab hærede facta non præjudicat absenti, & non citato.*
19 *Actus æquivocus non debet attendi.*
20 *Actus ineffectuati ex oppositione partis, non prosunt agenti.*
21 *Subscriptio facta à filio etiam nomine patris ante illius obitum facta dici debet.*
22 *Thesaurarii facultates sunt procedendi simpliciter de plano, sine strepitu, & figura judicii, sola facti veritate inspecta.*
23 *Clausula* -- cum facultate procedendi simpliciter, & de plano &c. -- *operatur, ut procedi possit via executiva etiom vigore apocæ camerali obligacione destitutæ.*
24 *Via executiva sublata non remanet ex sententia absolutoria favore fidejussoris: cum illa lata est ex particularibus circumstantiis, & cum proceditur contra principalem obligatum.*
25 *Commissio pro admissione ad causam non requiritur; sed sat est simplex citatio illius, qui vult admitti.*
26 *Fructus legitimi census sub obligatione camerali promissi, sine exceptione debentur.*

DECISIO CCCCV.

Census in sorte scutor. sex millium, alias impositus à fratribus de Nappis favore Canonici Jo: Apruch cum fidejussione Francisci de Amicis, necnon Thomæ senioris, & Fortunati de Bacellis, postquam ad plures manus devenit, fuit tandem acquisitus à Co. Montecatino Advocato Concistoriali, qui tàm pro illius fructibus, quàm pro renovatione fidejussoris, & præstatione Cedulæ

dulæ Banceariæ obtinuit plura mandata, de quibus infrà contra Nappios, curavitque super illorum bonis fieri executionem. Cum verò isti occasione dationis in solutum plurium stabilium, & signanter unius Tenutæ annui redditus scut.5000. circiter jamdiù factæ Thomæ, & Vincentio de Baccellis curassent, quod isti susciperent in se onus plurium debitorum, & præcisè istiusmet census, ideò obtinuerunt pro liberatione à molestiis, & damnis passis relaxari mandatum contra Thomam juniorem de Bacellis à Reverendiss. D. meo Decano, cui in vim antiquæ commissionis unientis causas omnes spectantes ad Nappios, & directæ R. P. D. Thesaurario devoto Rotæ, etiam hæc causa remissa fuit. Sed ad instantiam Bacelli commissà mihi causa per Signaturam Gratiæ, cum clausula *restitutionis in integrum sine præjudicio rei judicatæ*: Hodie proposito dubio de ea constare, non autem de causis restitutionis in integrum responsum fuit.

Sicut autem diversæ sunt personæ, contra quas fuerunt relaxata mandata, ità DD separatam assumentes inspectionem responderunt, quoad Bacellum, eum tanquam accolatarium benè fuisse condemnatum ad relevandos Nappios à molestiis passis, quia dum au-
1 ctores Thomæ in se accollarunt censum controversum, ipsumque promiserunt extinguere occasione dationis bonorum in solutum sibi factæ, eo ipso quod defecerunt in adimplemento, locus fuit relaxationi mandati. *Bartol. in l.2. num.7. Cod.de condit. ob causam, & in l.Civile Cod.de rei vindicat., Gabr. consf.49 num.1. vol.2., Natta cons.171.num.1. & 2., Rota dec. 129. n.14. par.5. in rec., & cor. Gregor.dec.130. nu.1.*

Perperam autem impugnabatur hæc datio in solutum, cum supposito. quod desirmatur ex quadam apocha, quæ potiùs im-
2 portet simplicem minutam præparatoriam ad actum, quam contineat contractum perfectum, cum recenseat duntaxat capitula ad transigendum per verba de futuro, ibi -- *Darà, assegnarà* -- cum promissione stipulandi instrumentum, quod postmodum fa-
3 ctum non fuit, quia cum in dicta apocha contineantur omnia substantialia contractus,
4 nempe quantitas, causa, & modus, quibus assignatio, & accollatio fieri debet, quamvis de futuro obligat, perindè ac si facta esset de præsenti, & habetur pro assignatione, & accollatione, ut præter adductos *in Decis. Rmi D. mei Decani, Gratian. discept. for. cap.964. n.25., Rota coram Buratt. dec.719.*
5 *num.* 6. Et stipulatio Instrumenti censetur conventa tantùm pro faciliori probatione, contractus, & ejusdem efficaciori observantia, ut *in dec 291. n 22.23., & dec.253. n.1. cum pluribus seq. & num. 15. part 9. rec. in Romana annuæ prælationis 16. Januarii 1702. §. prout non obstat cor. R. P. D. meo Caprara.*

Nec juvat replicatio, quod hæc proce-

dant, quoties promissio de futuro sit in se
6 perfecta, & nihil aliud expectet nisi simplicem stipulationem Instrumenti, secus verò quando promissio sit conditionalis exi-
7 gatque aliquid aliud perficiendum ante, vel in actu ipsius stipulationis, ut in præsenti casu, quo in unoecimo capitulo concordiæ conventum extitit, quod in stipulatione -- *doveranno li Signori Baccelli esser cauti, e sicuri per la validità, sussistenzia del presente contratto per l' interesse dell' Eredità del Sig. Carlo Nappi* - quasi talis modus consulendi indemnitati, & securitati illorum de Baccellis prævidendus, & considerandus ante stipulationem Instrumenti reddat actum imperfectum. Quandoquidem dum in eodem capitulo undecimo conventum legitur, quod omnes cauthelæ, & clausulæ ne-
8 cessariæ apponendæ in successiva stipulatione non deberent alterare substantiam capitulorum jam Conventorum, indè sequitur, quod quæcumque cautels, quæ apponi debuisset, nihil poterat innovare, nec producere substantiam diversam ab ea, quæ fuerat concordata. *Rota dec.147. nu.15. p.11. dec.339. num.27 par.12., & dec.114. nu.1., & seq. par.14 rec.*

Maximè quia talis cautels consistebat in eo, quod Petrus Nappius se, suaque bona obligaret pro liberatione à molestiis cum Bacellis inferri potuissent ab hæredibus Caroli Nappi pro credito, quod ipse habebat super celebri Tenuta data in solutum, cumque pro consequenda hujusmodi liberatione sufficeret Baccellis, quod Petrus esset hæres Caroli, qui jam obligationem emiserat illos liberandi, exindè dicendum venit, quod
9 pro consequenda prædicta assecuratione, & cautela, nihil aliud remanebat, quam concordiam in effectivam stipulationem deducere.

Sine difficultate, quia cum post subscriptam Apocam concordiæ debuissent Partes ad stipulationem Instrumenti devenire, Vin-
10 centius Bacellus illam non impugnavit, sed solum opposuit, quod erat necessaria declaratio nonnullorum capitulorum, & conventionum à sapientibus facienda, ad quem effectum obtinuit commissionem Nostro Tribunali directam, quod ne fortius post ipsam concordiam Bacellus semper permansit in possessione d Tenutæ suis auctoribus in illa assignatæ, & etiam adhuc de præsenti illam possidet. Quamobrem cum illius possessio referri non possit ad titulum af-
11 fictus, qui terminavit de anno 1663., & non fuit amplius renovatus, minusque ad
12 titulum creditorum quæ habebat Bacellus contra Nappium, quia pro illis non poterat propria authoritate, & citra factum Judicis retinere, & occupare bona sui debitoris, per-
13 necesse referenda est ad titulum d. assignationis, & concludendum venit pro illius ef-
14 fectuatione, ut firmatum fuit in *dec. 291. num.7., & dec. 353. num. 15. par. 9. rec. in Romana Census 10. Decembris 1704. §. Minus*

nus officere coram R.P.D. meo Caprara, & in decisionibus hujus causæ 24. *Novembris* 1704. §. *finali, &* 20. *Martii* 1705. §. *Inevitabiliter coram Rmo P. D. meo Decano.*

Certius quia defuncto Vincentio Bacello,
Thomas junior reus conventus dicta bona
assignata uti propria, & hæreditaria in il-
lius Inventario descripsit eaque successivè
diversis personis non solum tanquam propria
locavit, sed etiam in emphyteusim perpe-
tuam concessit, ut constitit ex pluribus In-
strumentis, de quibus in *Sum. Nappi nu.*6.
ad 9. ; ex quibus actibus, cum remaneat
incomperto, quod Bacellus retineret dicta
15 bona Jure dominii, amplius dubitari non
potest, quin concordia suum habuerit effe-
16 ctum, ut in *dicta dec.* 291. *num* 7. 9., *&*
dec. 353. *num.* 15., *&* 25. *par.* 9. *rec.*

Omnem tamen hesitationem substulit repe-
tita declaratio emissa per eumdem Thomam,
& quidem iudicialitèr. Ipse enim tam de
anno 1670. Conventus à Nappio pro reddi-
tione rationis de fructibus bonorum perce-
ptis usque ad annum 1661., quàm de anno
1688. à Montillis prætendentibus alteri lo-
care tenutam assignatam, ex quo forsan non
solverentur fructus Locorum Montium,
semper Thomas protestatus fuit bona præ-
dicta possidere jure proprio in vim recensi-
tæ concordiæ, fructusque titulo dominii per
cepisse, & ad hunc effectum produxit in
actis non solum apocam concordiæ, seu Ca-
pitula assignationis Tenutæ, verùm etiam
commissionem per Vincentium illius Au-
thorem obtentam, id circò quidquid sit de
aliis actibus gestis tempore Minoris ætatis;
hoc unum certum est, quod dum hujusmodi
Confessiones fuerunt judicialiter per Tho-
mam emissæ, nequit contra illum melior pro-
batio effectuationis concordiæ dari, quam
ea, quæ ab ipsius proprio ore promanat, ut
17 fuit firmatum *in dicta Romana Census* 15.
Decemb. 1704. §. *Minus officere cor. R. P. D.*
meo Caprara; & in decis. hujus Causæ 20.
Martii 1705. §. *Quod evidentius cor. Reve-*
rendiss. D. meo Decano, & in dicta dec. 291.
n. 19., *&* 20. *par.* 9. *rec.*

Nec adversus hæc omnia ad excludendam
effectuationem d. assignationis quidquam re-
levat, quod in Inventario Thomæ Senioris
de Bacellis non fuerit descripta supradicta
Tenuta, & idem Thomas de anno 1663., &
1668. obtinuerit sibi consignari illius affictus
ad computum Creditorum, quodque Virgi-
nia Nappia de anno 1671., & 1672. instete-
rit contra Bacellum pro redditione rationis
affictuum, & successivè de anno 1687. com-
paruerit in actis pro suo interesse, occasio-
ne qua fuerunt affixa ædicta pro affictu Te-
nutæ, quoniam cum novum non sit, quod
hæredes sæpissimæ omittant describere om-
nia bona in Inventario defuncti, talis omis-
18 sio nihil concludit, & nocere non potest
Nappio, qui in dicta confectione Inventarii
non interfuit, minusque citatus fuit. *Bart.*
in l. fin. §. *Cum igitur n.*3. *de Jure deliber.*
*Phanuc. de Invent. par.*3. *n.*20. 26. *Rota cor.*
*Greg. decis.*473. *n.*1. *cor. Buratt. decis.*750.
*n.*5. *&* 7. *& dec.*800. *num* 44. *par.* 1. *divers.*
Mandatum autem de consignando affictus
reportatum à Thoma Seniore de anno 1667.
non repugnat dationi in solutum; sed cum
illo compatitur, cum affictus duraret per to-
tum annum 1663. Alterum autem mandatum
licet expeditum anno 1668. pariter non ob-
stat; vel quia decretum Judicis, cujus vigo-
re fuit facta expeditio, prodiit anno 1663.,
quo tempore adhuc continuabat affictus fa-
vore Thomæ Junioris, ut mox dictum fuit,
vel quia tunc temporis Nappius citatus non
fuit, vel denique, quia Bacellus in eo nun-
cupatur administrator, & possessor ex
quocumque alio titulo, unde tanquam actus
19 æquivocus, non meretur attendi. *Cap. in*
præsentia de probat. Rota cor. Cavaler. de-
*cis.*326. *num.*5. *cor. Bichio dec.*425. *n.*15., *&*
*cor. Dunozett. Jun. decis.*995. *n.*19. Actus
verò gesti per Virginiam Nappiam contra
Thomam Juniorem, pro redditione rationis
sunt referendi ad affictum anni 1663., quod-
que magis est tàm illi, quàm subsequuta edi-
torum affixio pro ineundo novo affictu, nul-
lum habuerunt effectum propter oppositio-
nem factam à Bacello, qui allegavit retinere
20 Bona jure proprio, & titulo dominii. Quam-
obrem cum remanserint ineffectuati, nihil
possunt operari; *Rota cor. Celso decis.*296.
*n.*5. *cor. Emerix dec.*843. *n.*8., *& in rec. de-*
*cis.*561. *num.*13. *par.*10

Atque ex his supervacuum visum fuit inda-
gare tempus præcisum, quo fuerunt subscrip-
ta memorata Capitula, cum hoc nihil con-
ferat ad intentum, nam quidquid dictum
fuerit in præcedentibus Decisionibus de
subscriptione facta anno 1666. hoc unum
certum est, quod ante illud tempus omninò
21 dici debet facta, cum Capitula sint discrip-
ta à Vincentio etiam nomine Thomæ Patris,
quod non potuit fieri de anno 1666., cum
longè prius decessisset Thomas nempè an-
no 1563., ut habetur ex Inventario ejus Bo-
norum confecto de mense Martii ejusdem
anni.

Firmata ex predictis validitate, & justitia
rei judicatæ inter Nappios, & Bacellum
quoad mandatum pro liberatione à molestiis;
non minori facilitate constitit de re judica-
ta juxtà modum tamen infra exprimen-
dum, quoad mandata reportata à Co: Mon-
tecatino, tàm pro præstatione novi fidejus-
soris, ac cædulæ Bancariæ, quàm pro fru-
ctibus Census controversi, ac damnis, & in-
teresse passis. Etenim juxta seriem facti re-
latam *in prima decisione Rev. D. mei Deca-*
ni præfatus Census imposit. favore Joannis
Apruch devenit ad PP. Præmonstratenses,
qui die 4. Januarii 1656. facta relatione ad
acta, illum cesserunt una cum fructibus de-
cursis usque ad illam diem in summa sc. 500.
& ultra Emilio Amatorio pro persona no-
minanda, & iste sub die 28. Julii ejusdem
anni ratam scut. 500. Capitalis ejusdem una
cum

eum ejus fructibus decursis cessit Almæ Do-
mui Lauretanæ, quæ simul erat hæres pro-
prietaria Francisci de Amicis unius ex fide-
jussoribus in d.Censu, & in residuo Capitalis
sc.5500 nominavit Episcopum Jo: Baptistam
Honoratum, cujus hæredes de anno 1688.
pro fructibus istius ratæ præstatione fidejus-
sionis, ac renunciatione Cedulæ Bancariæ
egerunt contra eandem Domum Laureta-
nam tanquam hæredem dicti Francisci fide-
jussoris, obtinueruntque mandatum pro fru-
ctibus decursis post annum 1688. in cujus
executionem pluribus vicibus exegerunt
sc.4503.

Post hæc Co: Montecatinus reportavit
etiam ab hæredibus d. Ep. Honorati cessionem
jurium d. Census, una cum fructibus decur-
sis usque ad diem 10. Octobris 1688., quàm
ab Alma Domo Lauretana usque ad annum
1701., & in hac cessione iidem Honorati cal-
cularunt summam fructuum sibi debitorum
in scut.56724 comprehensa etiam illa quan-
titate sc.5000.quam PP. Præmonstratenses ex
Causa fructuum eorum tempore decursorum
cesserant Amatorio, pro quibus, & aliis par-
titis fructuum decursorum Rmus D. meus
Decanus tulit votum relativè ad acta Causæ
pro relaxatione plurium mandatorum con-
stituen. in omnibus scut.19527. 50. præter
aliud mandatum pro aliis scut.687. & obuiis
96., occasione damnorum, & interesse pas-
sorum ex causa deliberationis duplicis præ-
dii Tabani scilicet, & Paradisi à die 18. Ju-
nii 1692. usque ad diem 18. Junii 1704., pro
ut R.P D.Thesaurarius in executionem dicti
voti relaxari mandavit.

Quibus ita positis DD. de validitate
mandati conliare visum fuit, non obstanti-
bus nullitatibus, quæ in contrarium oppo-
nebantur, quod enim actum fuerit via exe-
quutiva pro executione apocæ non conti-
nentis obligationem Cameralem, nullam
meruit animadversionem, cum in Causa
processerit R. P. D. Thesaurarius, cujus fa-
22 cultates præceteris sunt procedendi simpli-
citèr de plano sine strepitu, & figura judicii,
solaque facti veritate inspecta, quæ clausula
operatur, ut procedi possit via exequu-
tiva. *Gratian. cap.322. n.1. Barbos. de Clau-
sulis Clausula 176. num.11. Marchesan. de
commiss. aperitione ar.5 par.2. §. Unico n.82.
fol.*419. quod verò saltem via executiva sub-
23 lata remanserit ex sententia absolutoria à so-
lidatione fructuum lata à bo: me: Altovito
favore hæreditatis Francisci de Amicis, al-
terius ex fidejussoribus, faciliùs tollitur,
24 quia illa tanquam lata ex peculiaribus cir-
cumstantiis non impedit, quin potuerit pro-
cedi executive contra Bacellum, & Nap-
plos principales Debitores, & qui tenebantur
ad solutionem fructuum vigore impositionis,
& respectivè accollationis Census indepen-
denter à d. Francisco de Amicis, & tandem
quod fuerit processum sine Commissione
admissionis ad Causam, nullam potuit pa-
rere nullitatem, quia cum Co: Montecati-
25 nus fecerit se admitti ad Causam coram
R.P.D. Thesaurario, satis fuit simplex cita-
tio absque alia Commissione.

Circa verò justitiam mandatorum in ge-
nere nulla fuit difficultas, quia cum agatur
de fructibus Census legitimè impositi, & sub
26 obligatione Camerali promissis, illi sine ulla
exceptione debentur. *Rata post Zacch. de
oblig. Camer. dec.1. num.11 dec.93. n.2. de-
cis.*147. *n.*3., & latiùs firmatum fuit *in dec.
Rev. D. mei Decani sub die* 18 *Maii* 1705.

Tota tamen quæstio fuit circa illorum
quantitatem, quam excessivam prætende-
bat Bacelius; quamobrem ad vendicandam
hujusmodi acceptionem DD. reassumentes
calculum à principio cum distinctione tem-
porum, recognoverunt, quod fructus primo
loco cessi Amatorio à Patribus Præmonstra-
tensibus, & decursi usque ad diem 4. Januarii
1656. ascendunt ad sc.5000., & ultra, à dicto
verò tempore usque ad diem 28. Julii ejus-
dem anni fructus integri Census ascendunt
ad alia sc.211. 60.

Quoniam verò sub d. die 28. Julii cessa
rata sc.5500. eisdem Honoratis, fructus il-
lius usque ad diem 18. Octobris 1688. ascen-
dunt ad sc.11512. 50.; pro alia autem rata
soluta ab Alma Domo Lauretana, cum alie-
nationibus prædiorum Tabani, & Paradisi
debiti sunt fructus in summa scut.1430 quæ
omnes partitæ simul junctæ constituunt sum-
mæ sc.17124. 10., & ista vigore cessionum,
quas reportavit Co: Montecatinus, ad illum
spectabant, & pro eis ritè, & rectè relaxa-
tum fuit mandatum. Verùm quia summa
specificata in relaxatione excedit hanc quan-
titatem, cum sit sc. 19527. 50. ÷ DD pro
nunc reformarunt mandatum in summa scu-
tor.1373. 40. ÷ & juxtà hunc modum con-
stare censuerunt de re judicata.

Et ità utraque &c.

FOROLIVIEN. FIDEICOMISSI DE TORELLIS SUPER DOTE MARIÆ PADOVANÆ.

Lunæ 22. *Martii* 1706.

ARGUMENTUM.

Sicuti Mulier potest detrahere dotem, ex bo-
nis fideicommissi; nec cogitur accipere bona
libera intricata; ita fideicommissum pro re-
integratione, licet habeat cessionem jurium
à lege potest nihilominus eandem petere,
& obtinere mandata contra bona hæredita-
ria gravati. Quid autem requiratur ut illa
obtineat contra bona propria hæredis expo-
nitur in decisione.

SUMMARIUM.

1 *Deficientibus bonis liberis, alienari possunt
bona fideicommissi ascendentis pro resti-
tuendis dotibus.*

2 *Ut impugnetur detractio dotis facta ex bonis
fideicommissi debet concludentèr probari*

existentia bonorum liberorum, cum quibus, commodè potuerit dos restitui.

3 *Uxor non cogitur recipere, pro restitutione suæ dotis, bona valdè involuta; sed agere potest contra bona fideicommissi.*

4 *Restituta dote ex bonis fideicommissi fideicommissarius quamvis habeat ministerio legis; potest petere cessionem jurium contra bona libera hæredis gravati.*

5 *Fideicommissum, ut legalis fidejussor debet reintegrari ex bonis illius, cujus causa facta fuit alienatio.*

6 *Hæres beneficiatus pro retentione bonorum potest allegare credita anteriora.*

7 *Stante beneficio inventarii actiones non confunduntur.*

8 *Hæres beneficiatus consideratur tanquam tertius, & persona extranea.*

9 *Amplia, quod neque obligatio cameralis contra eum operetur.*

10 *Fideicommissarius ex juribus fideicommissi agere potest pro dotibus ab eo detractis in ejusdem reintegrationem contra bona dotare obligatorum.*

11 *Mandata relaxantur contra bona hæreditaria, & hæres beneficiatus ad effectum retinendi jure proprio, & pro aliis creditis bona allegat cautelam Angeli.*

12 *Hæres, ut condemnetur in bonis propriis debet prius citari ad docendum adivisse hæreditatem cum beneficio legis, & inventarii, cum præfixione termini ad reddendam rationem.*

13 *Secùs autem ut mandatum relaxetur contra bona hæreditaria.*

14 *In Rota evitantur superfluæ dubiorum propositiones.*

15 *Rota unicè attendit veritatem, & substantiam rei, & studet ne litigantes immodicis graventur expensis, & inutili circuitu, & litium longitudine.*

16 *Rota rationem non habet de eis, quæ nec veniunt in sequelam, nec connexionem habent cum dubio, quod proponitur.*

DECISIO CCCCVI.

INter multiplices exceptiones, quas deduxerunt Bedolini, ad impediendam immissionem petitam à Hieronymo Torello ex titulo fideicommissi reciproci linearis ordinati à quondam Thoma Actoris proavo non modicæ relevantiæ fuit illa, quæ respicit Dotem Mariæ Paduanæ, pro qua concessa fuit retentio Tornaturarum sexdecim prædii in Villa *della Pianta* in loco denominato l'*Altura*, utporè quia, cum ageretur de fideicommisso ascendentis, & deficerent bona
1 libera, potuerunt alienari bona fideicommissi, ex remedio *Authent. resquæ C. Com. de leg.* ut latè firmat *Dec. R.P.D. mei Muti edita die 27. Aprilis* 1703.

Verùm quia in alia disputatione sub die 20. *Martii* 1705. *cor. eodem* dictum fuit, quod tenerentur Bedollini cedere jura contra bona Lelii viri d. Mariæ Padovanæ, imò etiam cedere ipsa bona libera per eos possessa; ideò cum hodie per me in locum R. P. D. mei Muti suffectum, fuerit iterum proposita causa sub dubio -- *An sit standum, vel recedendum à decisis* -- responderunt DD. standum esse in *decisis, juxta modum*, infra exprimendum.

Quò enim ad retentionem, nulla fuit quæ-
2 stio, quin ea competeret pro dicto credito,
dotali. Non obstante repetita exceptione,
quod adessent bona libera viri. Quoniam
cum non agatur de Dote detrahenda ex fideicommisso, sed de distractione jam facta in causam restitutionis Dotis, debuisset
concludentèr probari existentia bonorum
liberorum, cum quibus commodè dos restitui potuisset, & tamen si quæ aderant,
3 cum essent valde involuta, & intricata,
non poterat cogi Maria ad illa recipiendum, sed permissum erat agere contra bona fideicommissi pro restitutione suæ dotis, ex pluribus animadversionibus relatis *in dicta decis. Rev. Pat. Dom mei Muti 20. Martii* 1705. §. *Tantum abest cum pluribus seqq.*

Sicut autem non dubitarunt DD. persistere in decisis super hoc articulo retentionis; ità etiam approbarunt resolutionem in
ea parte, quæ respicit cessionem jurium fa-
4 ciendam à Bedollinis contra bona Lelii,
eidem Torello, cum iste præter cessionem,
quam habet ex ministerio legis, possit etiam
exabundanti illam petere eo potissimum
fundamento, quia fideicommissum tanquam
5 legalis fidejussor reintegrari debet cum bonis illius, cujus causa fuit alienatio facta, & ad quem onus dotandi spectasset, ut prosequitur *d. decisio* §. *Similem*.

Sed eam reformarunt, quoad aliam partem respicientem cessionem bonorum; censuerunt enim non potuisse ad illam cogi Bedollinos, qui cum sint hæredes Lelii cum be-
neficio legis, & inventarii, utique possunt
6 allegare pro eorumdem bonorum retentio-
7 ne alia credita fortassè anteriora, si quæ ha-
bent; quia attento d. inventarii beneficio,
actiones non fuerunt confusæ, per *Text. in
l. final.* §. *Et si præfat. C. de jur. delib. Rot.*
8 *cor. Merlin. decis.* 891. *n.*4., *& in rec. dec.* 37.
*n.*5. *par.* 11. Et considerantur tanquam tertii,
& personæ penitus extraneæ. *Card. de Luca
de hæred., & hæredit. disc.* 22. *num.* 17. *Rota
cor. Cocc. dec.* 151. *n.* 1. ubi quod neque obli-
9 gatio Cameralis operatur contra hæredem
beneficiatum, & *cor. Celso dec.* 240. *n.*9.

Benè tamen omnium colligantium juribus consulendo in hoc rerum statu visum
fuit relaxandum esse mandatum contra bona
hæreditaria ejusdem Lelii favore Torelli,
10 qui ex juribus fideicommissi agere potest
contra bona obligatorum ad dotes prò reintegratione. *Card. de Luca de dote disc.* 48. *n.*7. *Rot. cor. Cocc. dec.* 1681. *n.* 1. *cum aliis in d. dec.* 20. *Martii* §. *Similitèr cor. R. P. D. meo Muto*.

Neque exinde illatum dici potest præjudicium Bedollinis, quoniam passim hujusmodi

11 modi mandata relaxantur contra bona hæreditaria debitorum, remanente hæredi facultate allegandi famigeratam Cautelam Angeli, nè super dictis bonis fiat executio, si jure proprio, & pro aliis creditis illa retinere pretendat, itaut liberum remaneat, etiam ante executionem utrique parti excipiendo, & replicando jura sua deducere, juxta praxim quam docent. *Card. de Lucà de Judiciis disc.40. n.15. Ridolph. in praxi par.1. cap.9. n.12.*

Et ex hac animadversione cessant ea, quæ opponebantur circa ordinem Judicii, ut scilicet condemnari non possit hæres in persona, & bonis propriis, nisi prævia citatione ad docendum se adivisse hæreditatem, cum beneficio legis, & inventarii, & cum præfixione termini ad reddendam rationem. Quoniam ea omnia procedunt in suis terminis, quando scilicet mandatum relaxatum contra ipsum hæredem, secus autem quotiès
13 ut hic mandatum respicit solum bona hæreditaria debitoris, quod continuo practicatur absque necessitate deveniendi ad præfatas citationes, ex deductis per *Ridolph.* ubi supra.

Absque eo quod obstare possit, quod in alio particulari dubio actum fuerit de relaxatione mandatorum pro reintegratione fideicommissi quoad alias partitas. Etenim id quod pro faciliori, & comodiori resolutione de mandatum fuit, impedire non valet, quin etiam hodie cum præcisè agitur de dote Mariæ Paduanæ, si Bedolini liberantur ab onere cædendi bona loco hujusmodi cessionis, liceat relaxari mandatum contra bona hæreditatia Lelii debitoris, tanquam in sequelam præsentis disputationis, itaut evitentur superfluæ dubiorum propositio-
14 nes, prout passim fieri solet in hoc supremo
15 Tribunali, in quo unicè attenditur veritas, & substantia rei, longeque abest, quod litigantes immodicis graventur expensis, & inutili circuitu, & litium longitudine defatigentur, ut benè pluribus cumulatis advertitur *in dec.481. n.10. par.19. rec. tom.2.*

Et hæc quoad partitam dotis Mariæ Paduanæ; quo verò ad aliam prætensionem excitatam à Bedolinis super reformatione decisionis in ea parte, qua supponit Joannem, & Lelium de Torrellis fuisse hæredes simplices Fabritii eorum patris, existimarunt DD. non posse in præsenti de illa ratio-
16 nem haberi, quia nec venit in sequelam, nec ullam habet connexionem cum dubio, de quo res est, imo cum de ea latè actum fuerit in alia decisione, vel erit dandum dubium, vel in revisione ejusdem decisionis de ea agendum erit.

Et ita utraque &c.

BONONIEN. BONORUM EMPHYTEUTICORUM.

Lunæ 22. Martii 1706.

ARGUMENTUM.

Examinatur an contractus cum Ecclesia initus sit potius perpetuæ locationis, quam emphyteusis, & conjecturæ ex quibus hoc distinguitur perpenduntur. Agitur quoque quinam hæredes comprehensi dicantur in emphyteusi Ecclesiastica. Et an jus, ex lege investituræ competens remissum censeatur ex divisione, in qua bona libera prò emphyteuticis sunt habita, & ideo prò majori pretio assignata, etiam cum clausulis *ad habendum &c.*, & quæ ad hoc requirantur? & an, & quid habens in sua portione dicta bona emphyteutica possit prætendere?

SUMMARIUM.

1 *Actorit factum impugnari nequit.*
2 *Emphyteuticus potius contractus quam locationis perpetuæ præsumitur. Cum sit ab Ecclesia, licet in instrumento verba locationis, & emphyteusis promiscue adhibeantur.*
3 *Licentia à superiore concessa regulatur ad limites supplicationis.*
4 *Pacta, quæ emphyteusim potius, quam perpetuam locationem bonorum Ecclesiæ suadent examinantur.*
5 *Emphyteuticus contractus potius, quam perpetuæ locationis cum sit ab Ecclesia præsumitur, licet adsint pacta. quæ sint æquivoca, an alterum ex his sit.*
6 *Pro intratura in emphyteusi aliquid potest non exigi cum annua responsio est notabilis quantitatis, & bona male qualitatis, impensis, & industria investiti ad culturam redigenda: quin ex hoc convincatur potius contractum esse perpetuæ locationis.*
7 *Canon in emphyteusi ita auctus esse potest, ut respondeat etiam fructui, qui poterit in futurum provenire a cultura ab investito facienda.*
8 *Præsertim cum nihil solutum fuerit pro ingressu, ut contractus emptyteusis cedere dicatur in utilitatem Ecclesiæ: nec ex hoc locatio potius perpetua convincitur.*
9 *Pactum francandi factum per nomina permutationis alterius stabilis æqualis valoris non suadet, potius conventum de locatione perpetua, quam de emphyteusi.*
10 *Affrancatio conventa in re immobili tollit qualitatem locationis.*
11 *Locationis qualitas in contractu conventa frustra contenditur, cum postea cum explicita declaratione, post intentatam caducitatem, explicatum fuit agi de emphyteusi.*
12 *Hæredum appellatione in emphyteusi Ecclesia veniunt hæredes sanguinis, &* num. 16.
13 *Alienatio rei emphyteuticæ in extraneos non concludit esse transitoriam ad extraneos,*

neos, quando eadem fuit facta cum consensu Domini directi, qui concessionem renovavit favore extranei.

14 *Concessio secunda relativa ad primam extenditur solum ad personas, cujus generis in prima sunt comprehensæ.*

15 *In concessione emphytentica attenditur linea acquirentium, & totum id quod in ea fuit expressum.*

17 *Emphyteusis Ecclesiasticæ alienatio in extraneos non probas ad quoscumque hæredes transmitti, cum concessio restricta est ad hæredes sanguinis.*

18 *Præsertim si in dicta alienatione in extraneos consensus hæredum sanguinis, & approbatio domini directi fuerit requisita.*

19 *Consensus hæredis sanguinis, & approbatio domini directi in alienatione in extraneos non sunt necessaria, cum extranei in investitura sunt comprehensi, & cur?*

20 *Observantia præcedendis investituræ extincta non facit, sed illa, de qua agitur.*

21 *Successoribus ex propria persona venientibus præjudicari nequit ex facto antecessarum.*

22 *Emphyteusi renunciatum non præsumitur à pupillis, qui contrahere non poterant, nisi vigore rescripti superioris, in quo talis facultas non aderat.*

23 *Jus proveniens ex investitura remissum non censetur, nisi fuerit promissa evictio ex natura rei, quæ est necessaria.*

24 *A promissione libertatis respectu ad canonem, non arguitur ad remissionem investituræ.*

25 *Remissionem investituræ non important clausulæ -* ad habendum *-, & similes: si stipulans scientiam investituræ, & propriæ vocationis non habuit.*

26 *Voluntas non trahitur ad incogitata.*

27 *Remissio investituræ in ignorante investituram, & propriam vocationem non importatur per clausulam -* ad habendum simpliciter *cæteratam.*

28 *Remissionem investituræ non importat clausula -* ad habendum *-, & quotquot aliæ, cum agatur de actu facto à minore.*

29 *Æqualitas in divisione est servanda.*

30 *Investituræ leges servandæ sunt in emphyteuti, cum in divisione dividentes super eo nihil dixerunt, quando in aliis, quæ voluerunt expresserunt.*

31 *Æqualitas sat est de tempore divisionis, nec inæqualitas superveniens obicem facit.*

32 *Inæqualitas in divisione ob assignationem rei emphyteuticæ, immissionem debitam ex lege investituræ comprehensis non retardat: cum illa supervenerit de tempore divisionis, vel post, sed remanet jus gravato agendi in particulari judicio.*

DECISIO CCCCVII.

COmites Pompejus, & Hercules Maria de Herculanis, tanquam vocati in duplici investitura, altera olim concessa ab Abbate Sanctorum Felicis, & Naboris Hieronymo, & Jacobo pro se, & eorum filiis descendentibus masculis, & per masculum legitimis, & naturalibus, usque in infinitum, altera verò à Rectore Altaris S. Joannis Baptistæ in Cathedrali Bononiæ pro se ipsis, & eorum hæredibus, reportarunt ab A. C. mandatum de associando ad duo prædia in dictis Investituris compræhensa, ac detenta per Comitissam Annam Barberiam uxorem, & hæredem Comitis Caroli de Herculanis sine filiis defuncti, quod successivè prævijs tribus decisionibus prius cor. bon. me. Pio, & deinde cor. R. P. D. meo Priolo, eidem subrogato per sententiam dictum fuit esse exequendum. Mihique causa Comitia cum clausula *alteri, qui ad legitimam*, DD. disputato de more dubio hodie *procedendum esse ad legitimam* responderunt.

Quoniam vero circa prædium concessum ab Abbatia Sanctorum Felicis, & Naboris nulla amplius fuit inter partes controversia, cum ex deductis in præfatis decisionibus satis constiterit de bono Jure actorum ob restrictionem investituræ ad solos masculos ex masculis. Tota difficultas redacta fuit ad aliud prædium proveniens ex secunda investitura, quam à Rectore S. Joannis Baptistæ reportavit à principio Paulus de Franchis pro se, & hæredibus. Triplici enim fundamento prætendebat Comitissa posse idem prædium retinere, & primo quia hic non agebatur de concessione in emphyteusim, sed de locatione perpetua, secundo, quia sub simplici hæredum mentione poterant compræhendi, etiam extranei. Et tertio tandem, quia in omnem casum per Instrumentum decisionis factum inter fratres de Herculanis auctores collitigantium, fuerit remissum jus competens ex lege investituræ itaut hodie Actores nequeant amplius illo-
1 rum factum impugnare, ad regulam *Text. in l. cum à matre Cod. de rei vindicat.* Ast sicut in præcedentibus propositionibus, ista minus se habere visa fuerunt, ita, & in præsenti repetita non valuerunt DD. removere à prædicta resolutione, cum iterum agnita fuerint irrelevantia.

Et sane non subsistere visum fuit, quod hic agatur de locatione: cum etenim in originario instrumẽto concessionis factæ cum Paulo de Franchis contrahentes promiscue usi sint verbis locationis, & emphyteusis, attamen cum agatur de bonis ab Ecclesia concessis,
2 contractus emphyteuticus potius, quam locatitius judicari debet, *Mantic. de tacit. lib. 22. tit. 8. num. 1., & seq. Modern. Ascul. ad Statut. Urb. tom. 1. annot. 28. n. 29. Rot. in Roman. Domus 15. Decembris 1702. §. Quatenus itaque cor R.P.D. meo Priolo, &* firmavit postrema *decisio præsentis Causæ §. At objectum.*

Nec quidquam obstare valent, aut licentia à Vicario concessa pro perficiendo contractu, aut pacta in instrumento concessionis apposita, nam quoad licentiam, cum illa expres-

expressam resolutionem habeat ad supplica-
tionem à Rectore porrectam, quæ concepta
3 legitur pro concessione in emphyteusim,
utique ad ejus limites regulari debet, *ad
Text. in cap. inter dilectos circa finem de fid.
Instrum. Rota coram Cavaler. dec.11. nu.4.
& 5.*, & bene prosequitur postrema *decisio
§. Non urgente*. Pacta vero qualitatem em-
phyteuticam non tollunt, imò plura ex eis
illam expressè præseferunt.

Nam solutio canonis non fuit distributa
4 per paghas, sed unica vice facienda legitur;
ulteriùs adjectum fuit pactum caducitatis
unà cum melioramentis casu, quo solutio
canonis retardaretur per biennium, ita etiam
conventum extitit, quod investitus tenere-
tur meliorare bona, quæ tunc erant malæ
qualitatis, & inculta, ac tandem constat,
quod in subsequutis renovationibus semper
fuit expressum, quod illæ fiebant de bonis
Ecclesiæ à Rectore in perpetuam emphyteu-
sim concessis, quæ omnia maximè simul jun-
cta bene ostendunt non versari in contractu
emphyteutico, ut singula examinando plu-
ribus etiam cumulatis authoritatibus firma-
tum fuit *in decisionibus præcedentis* instan-
tiæ.

Et licet repeteretur in contrarium non-
nullæ aliæ conventiones, ex quibus probari
prætenditur hic agi de contractu locationis,
tamen singulæ suas relevantes patiuntur re-
plicationes, ex quibus nisi retorqueantur,
saltem redduntur valdè æquivocæ, & proin-
5 dè non sunt aptæ destruere alias supra recen-
sitas, ultra generalem præsumptionem, quæ
Ecclesiæ assistit, ut in dubio pro qualitate
emphyteutica respondendum sit ex supra de-
ductis.

Incipiendo enim ab ea, quod nihil fuit so-
lutum pro intratura à principio, ista nullius
momenti remanet ex peculiaribus Facti cir-
6 cumstantiis, quia scilicet constat, quod an-
nua responsio fuit in notabili quantitate pro-
missa, quamvis ageretur de bonis malæ qua-
litatis, & expensis, ac industria investiti ad
culturam reducendis: undè benè inferri va-
let, quod in præmium istorum onerum Re-
ctor tunc temporis non curaverit aliquid
pro intratura recipere, ut declarando opi-
nionem *Bartol. in l. de jure emphyt.* plenè
probant *Alciat. cons.49. lib.5. Natta cons.
49. num. 17. lib. 1. Mantic. de tacit. lib. 22.
tit. 3. num.18. & 19 Marescott. var. resolut.
cap.76. num.13., Rota in Casalen. prætensæ
nullitatis contractus* 19. *Junii* 1669. §. *Et
quamvis cor. Emo Carpineo, & in Romana
Quindenniorum* 12. *Maii* 1679. §. *DD. sua-
debant cor. bo. me. Rondinino*.

Atque hinc retorquetur alia conjectura
deducta à quantitate canonis; quoniam omis-
sis aliis responsionibus decisionum præce-
dentis instantiæ, illa præceteris satisfecit,
quod canon potuit ità augeri contemplatio-
ne hujus, quod in ingressu solvi debebat, ha-
bendo etiam rationem de fructibus perci-
piendis in futurum ob culturam ab investitis
faciendam, ut egregiè ponderat *dicta secun-
da decisio edita cor. R. P. D. meo Priolo*:
8 Itaut potiùs dici debeat fuisse necessarium
augere canonem in notabili quantitate, nam
alias non cessisset in utilitatem Ecclesiæ isto
casu, quo nihil à principio solutum fuerat,
& in futurum fructus augeri debuissent, *Ro-
ta dec.468. num.22. & seq. par.14. rec.* & la-
tiùs *in dict. Casalen. prætensæ nullitatis Con-
tractus §. Hujus autem cum pluribus seqq.
cor. Emo Carpineo*.

Minùs visum fuit sufficere ad denotandum
non versari in contractu locationis pactum
francandi ibidem adjectum: Illud enim con-
9 ceptum legitur per nomina permutationis al-
terius stabilis æquivalentis: Et quamvis ad-
sit alternativa videlicet, vel illud dandi, vel
solvendi libras 300. pro pretio dictorum bo-
norum, attamen eum in beneplacito per Vi-
carium præstito decretum fuerit, quod in
casum solutionis pecuniarum in affrancatio-
ne eædem pecuniæ, statim investirentur in
re tuta, & secura pro Altari: Inde fit evidens,
10 quod pro affrancatione requisita fuit res im-
mobilia: quod tollit qualitatem locatitiam.
*Rota in Mantuana Emphyteusis 27 Junii
1698 §. sub iisdem coram bo me. Ursino, &
in alia Mantuana Emphyteusis* 14. *Februa-
rii* 1701. §. *De pacto cor. R. P. D. meo Ca-
prara*.

Sine difficultate, quia in renovatione sub-
indè facta anno 1585 favore illorum de Her-
culanis emptorum, fuit explicitè narratum,
quod Rector præcedentèr devolutionem
intentaverat, ex quo fuerat deteriorata, seù
potiùs diruta domus rustica in controversia
bonis existens, & Herculani ad evitandam
caducitatem in locum dictæ domus subjece-
runt dominio directo Rectoria alias duas pe-
tias Terræ, & auxerunt canonem cum præci-
sa declaratione, quod agebatur de conces-
sione in emphyteusim, adeoùt inutile hodie
11 sit ampliùs allegare qualitatem locatitiam,
attenta adeo explicita declaratione, quod
ageretur de emphyteusi, ut firmatum fuit in
*secunda dec. § Ulterius, & in tertia §. Imo
Hoc ipsum coram R. P. D. meo Priolo*.

Firmata ex prædictis qualitate emphyteu-
tica, irrelevans pariter agnita fuit altera ex-
ceptio, quod attenta concessione pro hære-
dibus, possint in illa dici comprehensi etiam
extranei: considerata præsertim subsecuta
observantia, juxta quam Paulus de Franchis
primus investitus bona controversa cum suis
melioramentis vendidit fratribus de Hercu-
lanis omninò extraneis: quod utique facere
non potuisset, nisi emphytheusis diceretur
transitoria ad extraneos. Etenim præmissa
12 conclusione, quod in emphyteusi Ecclesia-
stica hæredum appellatione veniunt hære-
des sanguinis dumtaxat, *Card. de Luca de
emphyt. disc.28. num.2. Rota in rec. dec.423.
num.9., & seq. part.9. & dec.209. num 1., &
seq. part.10. & dec.311. num.2. & seq. par.11.*
Contraria interpretatio, quæ in præsenti de-
ducitur ex alienatione facta in extraneos,

13 non

13 non meretur attendi, ex quo ad alienatio-
nem prædictam deventum fuit cum præciso
consensu domini directi, qui alienationem
approbando, concessionem renovavit favo-
re emptorum cum iisdem pactis, & condi-
tionibus, quibus prima investitura concessa
fuerat: Unde cum in præsenti nullus compa-
reat, qui de nullitate istius concessionis exci-
piat, tanquam comprehensus in alia prima
antecedenti, sed solum dubitetur, qui sint
14 in secunda comprehensi, utique dici debet,
quod & in ista veniant solùm hæredes san-
guinis, sicut in prima, dum facta fuit relati-
vè ad illam, *ad Text. in l. Asse toto ff. de hæ-
red. instit.*, *Surd. cons.* 105. *num.* 3. *Gabriel.
cons.* 84. *num.* 2., *& seq. tom.* 2. *Rota coram
Emerix jun. dec.* 708. *num.* 1., *& dec.* 1045.
num. 4.

Quinimo etiamsi hæc secunda concessio
favore illorum de Herculania emissa, in ap-
probatione dictæ alienationis factæ, dici de-
beat nova, & quasi per actũ occultum prima
censeatur extincta, semper unicè attenden-
15 da erit linea acquirentium: & totum id,
quod in ea fuit expressum, *de Luca de em-
phyt. disc.* 32. *num* 8., *Rota dec.* 132. *num.* 1.
part. 6. *& decis.* 267. *num* 5. *& seq. part.* 15.
rec. Cum igitur ibi fiat concessio pro se fra-
tribus, & suis, ac illorum hæredibus, & hoc
in emphyteusim perpetuam renovandam de
29. in 29. annos, recurrit eadem responsio
16 supra adducta, quod in emphyteusi Eccle-
siastica appellatione hæredum veniunt so-
lùm hæredes sanguinis, non autem extranei,
ut præter mox relatos *Andreol. controvers.*
378. *num.* 1., *Rota decis.* 429 *num* 1. *part.* 9.
dec. 209. *num.* *part.* 10., *& dec.* 340. *nu.*
par. 11. *rec.*

Hinc retorquetur observantia in contra-
rium allegata ob dictam alienationem in ex-
traneos, nam præter responsiones egregiè
deductas *in ultima decisione R. P. D. mei
Prioli*: necnon omisso, quod ea non mere-
17 tur attendi, quoties, ut hic, constat de re-
strictione ad hæredes sanguinis, ut arguit *de
Luca de emphyt. disc.* 59. *num.* 16, adverte-
18 runt DD., quod Paulus curavit reportare
consensum sui filii, & approbationem domi-
ni directi, hæc enim omnia superflua fuis-
19 sent, si in investitura comprehensi essent
etiam extranei, quia tunc proprio Jure po-
tuissent ad libitum de bonis disponere, ut
pluribus cumulatis *Rota dec.* 26. *n.* 3. *ibique
Addentes num.* 11. Quamvis opus non sit
20 agere de observantia illius investituræ, quæ
jam est extincta, sed unicè agendum est de
observantia istius novæ concessionis, juxtà
quam semper admissi fuerunt hæredes san-
guinis, & nunquam bona devenerunt ad ex-
traneos.

Nec allegari valet, quod in divisione bo-
norum facta inter partes anno 1549. præ-
dium habitum fuerit pro libero: unde vel
desumebatur etiam respectu hujus concessio-
nis observantia, vel quod saltem fuerit re-
missum jus, quod ex lege investituræ con-
trahentibus competebat. Quoniam dividen-
tes, nec potuerunt, nec voluerunt vocatis
ex propria persona præjudicium inferre, im-
mutando qualitatem emphyteuticam prædii
controversi: Et sanè non potuerunt, quia
præter generalem regulam, quod successo-
ribus ex propria persona vocatis, nullum
21 potest irrogari præjudicium, constat, quod
inter dividentes aderant pupilli, quibus con-
22 trahere prohibitum erat nisi ad formam re-
scripti, seu facultatis à Card. Legato Vexil-
liferis concessæ, in qua nunquam fuit data
facultas jus emphyteuticum remittendi: un-
de tanto minùs illi renunciare potuerunt,
Cyriac. controv. 323. *sub num* 40. *vers. Nec
potest*, *& num.* 41., ac optimè etiam firmant
Peregrin. cons. 93. *num.* 13. *signanter in fine
vers. Addo, quod volum.* 1. *Ladercb. cons.* 73.
sub num. 2. *vers. si impossibile.*

Imò nec voluerunt, quia non fuit promis-
23 sa evictio ex natura rei, ut requiritur ad
hoc, ut dicatur remissum jus ex investitura
proveniens, *Berous cons.* 108. *nu.* 2. *Gabriel
cons.* 41. *num.* 12. *lib.* 2., *Curt. sen. cons.* 49.
num. 71., & benè firmat *ultima decisio coram
R. P. D. meo Priolo*, §. *Maximè quia*: Et
quamvis in Instrumento divisionis enuncia-
tum fuerit prædium controversum, *possessio-
ne della Certosa considerata libera di Torna-
ture &c.*, non exindè argui valet ad liberta-
tem ejusdem. talis quippe libertas conside-
24 rata fuit respectivè ad canonem ab ejus va-
lore detractum, ut subsequentia verba de-
monstrant ibi -- *Delle quali se ne cavano li-
re &c. per il livello* -- non autem quià electa
possessio remansit libera, ac ad hæredes tran-
sitoria.

Absque eo quod talem facultatem impor-
portare valeant clausulæ *ad habendum*, &
similes in divisione expressæ. Quia non da-
25 ta in dividentibus certa scientia legis inve-
stituræ, & propriæ vocationis dictæ clausu-
læ juris ignorati, remissionem importare non
26 possint, cum voluntas non trahatur ad in-
cognita *Torr. variar. Jur. quæst. tom.* 1.
tit. 2. *de substitut.*, *& fideicom. qu.* 25. *nu.* 1.
& seq., *Rot. cor. Bich. dec.* 7. *num.* 21., *& in
Bononien fideicommiss.* 1. *Martii* 1697. §. *Sed
& etiam*, *&* 9. *Decembris ejusdem anni* §.
Ignorantia coram Rmo Decano. Maximè
quia clausula *ad habendum*, quæ in Instru-
mento aliàs adducto legebatur extensa juxta
formularium Bononiæ, in sua originali ma-
27 trice est simpliciter cæterata absque ulla
extensione, quo casu nihil operatur, *Rota
post modern. Asinlan. ad Statut. Urb. dec.* 41.
num. 26., *& dec.* 42. *num.* 8. *&* 10. *& seq.* Imò
28 nec illa, nec aliæ quotquot adducebantur
erant aptæ importare renunciationem, cum
agatur de divisione facta cum minoribus, ut
in specie admittit *Castald. in contrarium al-
legatus consult.* 141. *num.* 15.

Haud refragante, quod stantibus suprà
præmissis, talis divisio inæqualis remaneret:
29 & quod ad æqualitatem servandam fratres
de Herculanis Actores bona controversa à
Co-

Comitissa avocare non possint. Quoniam ubi dividentes super dicta inæqualitate providere voluerunt, apertè convenerunt, ut apparet factum fuisse super bonis fideicommissariis: unde dum quoad emphyteutica nihil dictum fuit, signum evidens est, quod investi-
30 turæ leges servari voluerint, quod si secus esset, super illis diversimodè se habuissent, *Rota dec.*176. *n.*18. *cor. Priolo*, & *dec.*413. *num.*6. *part.*3. *rec.* Nec inæqualitas superve-
31 niens obicem facit, cum satis sit, quod divisio de tempore quo fuit inita esset æqualis, *Soccin. jun. conf.*119. *nu.*28. *lib.* 3. *Bero. conf.* 108 *num. fin. lib.* 1., *Magon. Rota Lucen. dec.*7. *num.*41., & *seq.*

Et quamvis inæqualitas à Comitissa præ-
32 tensa irrepserit, vel de tempore divisionis, vel etiam post, poterit illa agere in suo particulari judicio, nec interim retardare valet immissionem fratribus de Herculanis debitam, & ex lege investituræ competentem, *Rota dec.*41. *num.* & *dec.* 44. *num. post modern. Asculan. ad Statut. Urb.*

Et ita, suffragantibus quinto, & sexto, utraque.

ROMANA SALVIANI.

Veneris 16. *Aprilis* 1706.

ARGUMENTUM

Fructus hæredi gravato relicti donec filios habuerit, non ad fideicommissum, sed ad ipsum spectant: & illi eidem minori à matre tutrice soluti præsumuntur ex lapsu temporis, & generali quietatione tutelæ reportata. Filius minor hæres quando dicatur, cum sine illo curator hæreditatem adivit?

SUMMARIUM.

1 *Instrumentum publicum Cambii regulariter habet executionem peractam.*
2 *Obligatio omnis tollitur solutione ejus, quod debetur.*
3 *Actor exceptione non juris repellitur.*
4 *Sententiæ incidenter revocari non possunt: sed sunt supponendæ, donec per viam restitutionis in integrum examinandæ sint.*
5 *Ægidiana locum non habet cum constat de injustitia sententiæ.*
6 *Fructus census à creditore præsumuntur exacti ob lapsum* 50. *annorum.*
7 *Fructus debiti à tutrice filio, præsumuntur vel minutatim, vel in subsecuta redditione rationis soluti, cum illa generalem quietantiam reportavit.*
8 *Fortius si creditor summa agestate laborasset.*
9 *Fructus census primo hæredi relicti in generali fideicommisso comprehensi non sunt: & tunc etiam non soluti, fideicommissario non debentur.*
10 *Qualitas hæreditaria probata remanet; cum tutrix nomine filii hæredis hæreditatem adivit cum subsecuto inventario.*
11 *Præsertim si non doceatur hæreditatem damnosam fuisse.*
12 *Hæreditatis aditio facta à Curatore pro minore sine ejus interventu, nulla non est: cum ille longævam habuit possessionem cum acquiescentia.*
13 *Quæ longæva possessio talem aditionem ratificat.*
14 *Repudiatio hæreditatis aditæ fieri non potest in præjudicium creditorum jus quæsitum habentium.*
15 *Repudiatio hæreditatis negari non potest, quin aditionem præcedentem non probet.*

DECISIO CCCCVIII.

Vigore cambii scut.4000. in sorte usquè ab anno 1647. per Drusillam Spadam contracti favore Martiæ Victoriæ cum expresso pacto solutionis fructuum quousque Gaspar Alverus dictæ Martiæ Nepos prolem habuisset, obtinuit Maria Laura Alvera de Cardellis ejusdem Gasparis filia in diversis vicibus integram solutionem sortis, reservando sibi jura pro fructibus dicti cambii decursis, & non solutis, & successivè pro illis consequendis judicium intentavit in vim utilis Salviani interdicti super emolumentis Portæ Pincisnæ olim per Drusillam possessis, & modo retentis à Salvatore Manganello causam habente à Marchione Joanne Baptista Naro dictæ Drusillæ creditore, ac super dictis emolumentis satisfacto, & immissionem ad illa per sententiam ab A.C. reportavit, à qua circumscripta prius possessione Mariæ Lauræ, Marchio Narus, & Manganellus appellarunt: devolutaque causa ad me cum clausula constito quod *sit locus Ægidianæ*, dubium illi conforme proposui, & DD. *non esse locum Ægidianæ* responderunt.

Quamvis enim actrix suam intentionem fundaret in publico instrumento cambii,
1 quod regulariter habet executionem paratam ex firmatis per *Rot. decis.* 338. *num.* 1. *part.* 10. & *dec.* 141. *pariter num.* 1. *par.* 11. & *dec.* 424. *num* 2. *par.* 19. *tom* 2. *rec.*

Attamen duo pro retardatione petitæ immissionis opponebantur: Et primo quod Instrumentum cambii non esset legale, sed pluribus exceptionibus circa illius veritatem obnoxium: secundo quod, vel fructus illius fuerunt exacti à Gaspare, & per consequens non poterant amplius prætendi à dicta Maria Laura, cum solutione ejus, quod
2 debetur, omnis tollatur obligatio, *de qua in* §. 1. *instit. quibus modis solu. oblig.*, & *in leg. nulla Cod. de solut. Rota in rec. decis.* 214. *n.*4. *par.* 18. & *dec.* 186. *n.* 1. *par.* 19.

Vel quatenus non essent exacti, non à Maria Laura, quæ adhuc non erat nata, sed à creditoribus ejusdem Gasparis, tanquam in ejus vita maturati prætendi possent, ita ut exceptione non juris illa veniat repellenda, *ad Text. in l. ille à quo* §. *si de Testam. ff. ad Trebell.* firmavit *Rota coram Gregor. dec.*396 *num.*3. & *cor. Bieh. dec.*21. *n.*8.

Verùm quia hodie sola contentio versatur

 circa

circa fructus decursos usque ad diem nativitatis Mariæ Lauræ, & sic spectantes ad Gasparem, ut mox dictum fuit, DD. omisso examine circa veritatem, & legalitatem cambii, ex quo jam sors illius fuerat restituta Mariæ Lauræ in vim duarum sententiarum, quæ contra authores Marchionis editæ fuerunt, cum enunciatæ sententiæ inci-
4 denter revocari non possint, sed pro veritate sunt habendæ, donec per viam restitutionis in integrum revocentur, *Rot. dec. 536. num. 10. par. 19. rec.*, *& in Ravennaten. Pecuniaria 12. Februarii 1703. §. Nec allegabilis cor. R. P. D. meo Caprara.*

Strictè assumentes prætensionem fructuum, à qua unice totum causæ momentum dependet, censuerunt istos non deberi Mariæ Lauræ; Ideoque non esse locum Ægidianæ, cum exindè oriatur injustitia sententiæ,
5 qua stante Ægidiana constitutio locum habere non potest, *Rot. dec. 77. nu. 17. par. 18. rec.*, *& in Romana Immissionis 26. Martii 1700. in princip. coram bo. me. Pio.*

Et sanè dicti fructus non debentur, quia cum Maria Victoria obierit de anno 1648., & in suo testamento, postquam Gasparem hæredem instituit, ei dictos fructus reservavit, donec, & quousque prolem habuisset, & solum ille de anno 1658. Mariam Lauram susceperit, utique fructus præcedenter decursi ab ista peti non possunt, cum spectent ad Gasparem á quo præsumuntur exa-
6 cti. Tum attento lapsu adeò longi temporis annorum 50., & ultrà, *Rota in Ariminen. fideicom. Bandi de Bandis 10. Januarii 1701. §. Quod vero cor. R. P. D. meo Scotto.*

Tum quià, cum isti deberentur à Drusilla matre ejusdem Gasparis, cujus tutelam, & curam illa suscepit, & bona administravit vel præsumi debet, quod fructus minutatim
7 suis statutis temporibus, vel saltem in redditione rationis fuerint per illam soluti, & cum Gaspar fecerit generalem quietantiam nequeunt hodie iterum peti, *Rota coram Merlin. dec. 714. num. 8.*, *& cor. Dunozz. jun. dec. 1703. num. 4.*, *& in rec. dec. 418. num. 2. par. 9.* Fortius, quia ille tunc temporis summa ægestate præmebatur, itaut, & post decoctus objerit, quæ omnia simul juncta ad præsumendam solutionem valde conferunt.

At quatenus etiam fructus controversi exacti non fuerint, adhuc pro illis nulla competebat actio Mariæ Lauræ, sed creditoribus Gasparis, qualis est Marchio Narus cum relicti fuerint eidem Gaspari, donec
9 filios susciperet, quapropter compræhendi non possunt in fideicommisso universali ad quod est vocata, itaut si exacti non sint, non spectent ad hæredem fideicommissarium prout spectarent si provenirent à fideicommisso universali, sed remanserunt in hæreditate primi hæredis, & per consequens obnoxii creditoribus illius, qui restituere debebat dumtaxat capitale d. Cambii ejus filio, vel filiæ primogenitæ, *Mantic. de Conject. lib. 7. tit. 8. num. 29. vers., & hac intelligitur. Rota cor. Priolo dec. 378. nu. 2. & seq., & in Romana seu Cæsenaten. fideicommissi super reservatis 22. Aprilis 1705. §. Et secundo coram R. P. D. meo Ansaldo.*

Nec subsistit, quod Gaspar non fuerit hæres Mariæ. Constat enim Drusillam illius matrem, tutricem, & curatricem, hæreditatem adivisse cum subsecuto Inventario,
10 adeout qualitas hæreditaria amplius impugnari non possit, *per Text. in l. si Infanti Cod. de jur. deliberan. Corn. cons. 37. num. 4. Borgnin. Cavalcan. de Curator. cap. 1. n. 86. Rota coram Priolo dec. 137. num. 20.* Tantoque magis, quia non docetur hæreditatem
11 damnosam fuisse, *Capon. discept. foren. 3. nu. 29. tom. 1. Magon. dec. Floren. 148. nu. 9. de Franch. dec. 60. num. 9., & 22.*

Quod autem talis aditio fuerit nulla, ex quo Gaspar tunc minor in illa non interve-
12 nerit, nihil relevare visum fuit, attenta longæva possessione hæreditatis cum acquiescentia annor. 20., & ultra; ideoque ex continuata retentione bonorum spatio tanti
13 temporis sufficiens resultat aditionis ratificatio, *Bartol. in l. gerit ff. de acquiren. hæred. Rota coram Gregor. dec. 460. num. 11. & coram Pamphil. dec. 574. num. 4., & 5., & coram Bich. dec. 66. per tot.* Deinde Gaspar eandem hæreditatem repudiaverit, licet
14 hoc non potuerit fieri in præjudicium creditorum, quibus ad illam Jus quæsitum fuerat. *Rota cor. Gregor. dec. 7 num. 5. par. 17. & in Nullius seu Terræ Ponsiani Census 2. Decembris 1705. §. nec qualitas coram R. P. D. meo Kaunitz*, Negari tamen non potest, quin aditionem præcedentem non probet,
15 *Rota in Perusina Dotis 20. Junii 1701. §. Nec ulla vis cor. R. P. D. meo Caprara.*

Et ita utraque &c.

ROMANA CENSUS.

Lunæ 19. Aprilis 1706.

ARGUMENTUM.

Agitur de relaxando mandatum pro debitis testatoris in hæredem beneficiatum, cum non constet de sufficienti redditione rationis, nam in ea ratio habita non fuit de bonis donatis testatori, licet donationis instrumentum legale non sit; sed tamen observatum; & de dote illius matris, cujus, licet hæreditatem non adivisse constet: tamen cum decesserit intra annum, & res sit de hæreditate non damnosa, istud jus transmisit. Præsertim cum soror testatoris debitoris sit hæres, quæ correspective ad dotem eidem á fratre datam ad ejus favorem etiam taxative renunciationem fecerat, & cur?

Confirmatur infra dec. 474 ....

SUMMARIUM.

1 *Hæres auctoris debita tenetur solvere.*
2 *Amplia etiamsi inventarium legitime confecerit*

terit, quando non constat de sufficienti redditione rationis.

3 *Apoca integra, & perfecta eamdem vim habet quam publicum instrumentum, in quo est inserta.*

4 *Præsertim si sit observata.*

5 *Observantia simplici etiam copiæ, præsertim ab altera parte approbatæ, superlativam fidem vindicat.*

6 *Donationem, quam perfectam recognovit auctor, ut alliceret tertios ad credendam sibi pecuniam, impugnare contra eumdem non potest ille, qui à debitore causam habet.*

7 *Detractiones faciendi jus, quod competebat gravato, illius donatario, ejusque hæredibus competit.*

8 *Donatio à subsequenti fideicommisso in testamento condito non infringitur.*

9 *Dos filii, vel Nepotis fideicommittentis gaudet privilegio* auth. res quæ, & n.11.

10 *Quæ de actis non sunt, extra mundum esse censentur.*

12 *Decedens intra annum hæreditatis non aditæ, jus adeundi transmittit.*

13 *Animus non adeundi in moriente intra annum non præsumitur, cum hæreditas non est damnosa, sed opulenta.*

14 *Jus ex renunciatione dependens ab actu inter vivos elicito, est transmissibile.*

15 *Restrictio ad personam renunciatarii, in una renunciatarum bonorum specie facta, ad aliam, quæ expresse pro hæredibus quoque, & successoribus facta fuit, non potest induci.*

16 *Creditores renunciatarii, qui renunciationem obtinuit correspective ad dotationem sorori factam, si renunciatio difficultatem patiatur, pro dicta dote actionem possunt intentare.*

17 *Ratio bene reddita non est; cum adsunt multæ partitæ non consideratæ, quæ hæreditatem augent.*

DECISIO CCCCIX.

Bernardus Capotius in ultimo, cum quo decessit elogio sorores suas Pantasileam, & Hyppolitam hæredes universales instituit. Verum quia Pantasilea tunc in Gallia degebat, & Hyppolita in Urbe à nimis gravi infirmitate torquebatur, exequutores testamentarii descriptionem omnium bonorum hæreditariorum per publicum Instrumentum confecerunt. Redeunte vero Pantasilea ad Urbem prævia restitutione in integrum tam prò sui, quam pro sororis comodo, fratris hæreditatem adivit, quam Hyppolita ob suam ineptitudinem adhuc non adiverat: Et repetendo descriptionem ab executoribus testamentariis antecedenter confectam, curavit electionem Periti Curialis pro reddenda ratione hæreditatis, quæ subindè reddita fuit. Rebus ita se habentibus Monasterium Purificationis de Urbe, uti creditor Bernardi pro fructibus decursis, & non solutis unius census ab eodem ad sui favorem impositi, obtinuit ab A. C. mandatum exequtivum contra bona hæreditaria Bernardi non obstante cautela Angeli ex titulo fideicommissi ordinati à Joanne Angelo Coccino contra illius bona à sororibus hæredibus allegata, quam tamen esse, servandam declaravit hoc sacrum Tribunal, coram bo. me Ursino sub die 26. Junii 1697. Factoque melius postea dilucidato coram R.P.D. meo Ansaldo in ejus locum suffectum, recedendo à decisis, concessa fuit exequtio mandati adversus Josephum Cevam dictarum sororum hæredem; & successivè emanavit sententia, à qua appellante Josepho, causa mihi fuit delegata cum *clausula Alteri qui ad legittimam, propositoque de more dubio,* DD. ad *legitimam ejusdem mandati exequtionem procedendum* esse, censuerunt.

Posita enim validitate, & iustitia manda-
ti, quæ nequè erat in controversia, visum
fuit, non posse suffragari dictam cautelam
Angeli ex titulo fideicommissi allegatam,
cum autrices Josephi fuerint hæredes Ber-
nardi debitoris, cujus debita ideo tenentur
1 omnino satisfacere, *Mantic. de tacit. lib.11.
tit 16. vers sed advertendum, Pacificus de
Salviano interdicto inspect. 3. cap.2. nu.289.
Afflict. dec.111. nu. 16. Rota dec. 80. nu.10.
coram Priolo.*

Non obstat, quod illæ hæreditatem adive-
rint cum beneficio legis, & Inventarii, &
quod prævia restitutione in integrum utriusque
sororis nomine repetita fuit descriptio ab
executoribus testamentariis confecta. Quo-
niam omisso pro nunc examine non solum
articuli, an restitutio in integrum reportata
à Pantasilea, quæ fuerat absens, potuerit
suffragari etiam Hyppolitæ, quæ semper in
Urbe commemorata fuerat, sed etiam circa
validitatem Inventarii, & legalitatem peri-
tiæ editæ super redditione rationis, de qui-
bus actum fuit in decisione præcedentis in-
stantiæ, Hoc unum visum fuit. satis esse pro
resolutione causæ, quod scilicet non con-
stet de sufficienti redditione rationis dictæ
2 hæreditatis, quo casu nihil suffragari potest
inventarium etiam legitimè confectum, *Ga-
briellius cons. 125. num. 112. lib.1. adden. ad
Gregor. dec. 418. nu.15., & in rec. dec. 197.
nu.13. par.12., & dec.417. nu.14. par.19.*

Et sanè status hæreditarius à perito firmatus in folis scut.5096 est valdè defectuosus, & erroneus, cum omissæ fuerint plures partitæ, quæ pro illius augumento favore Monasterii creditoris veniunt calculandæ, & primò recognitum fuit, quod bona sita in territorio Taleacozzi fuerunt calculata in folis sc. 333., cum tamen æstimata fuerint in sc.1000. prout etiam admittitur in *decisione edita coram bo. me. Ursino in §. Tantum vero abest,* & firmatur in alia *cor. R.P.D. meo Ansaldo, §. Defectus itidem.*

Secundus error detectus fuit, ex quo legitima, & Trebellianica, quæ ex bonis fideicommissariis Jo: Baptistæ, & illius filii obvenit in Franciscum ob donationem universalem

ſalem omnium bonorum ei factam à Joanne
Baptiſta, in quem jura dictæ legitimæ con-
ſolidata fuerant, & à Franciſco deindè trans-
lata in Bernardũ ejus filium,& tamen de ea,
ejuſque fructibus ad notabilem ſummam aſ-
cendentibus nulla habita fuit ratio in perizia.
Minimè relevante, quod de donatione
prædicta non conſtet, niſi ex copia inſerta in
Inſtrumento cenſus. Quoniam ultra quod
habet aſpectum publici Inſtrumenti, uti con-
tinens omnes clauſulas, indicationem, & ſub-
ſcriptionem publici Notarii, ac in protocol-
3 lo aliorum Inſtrumentorum alligata reperia-
tur, ut patet *ex Summ. Monaſterii num.*10.
unde cum in ſe ſit integra, & perfecta, eam-
dem vim publici Inſtrumenti habere poſſet,
*Caputaquen. dec.*163. *num.*3. *&* 4. *part.*3. *&*
*in rec. dec.*413. *nu.*2. *part.*2. *& dec.* 528. *n.*8.
*part.*4. *& dec.*522. *num.* 1. *part.* 19. *tom.*2.
Ceſſat difficultas, tum quia ex pluribus
actibus tàm judicialibus, quàm extrajudicia-
4 libus apparet obſervatam fuiſſe abſque ulla
partium contradictione, quæ obſervantia
exuberat, ut ſimplici etiam copiæ præſer-
5 tim ab altera parte approbatæ ſuperlativa
fides ſit adhibenda, *Rot. cor. Seraph. deciſ.*
1192. *num.*2. *& cor. Priolo dec* 433. *num.*3.
*& in rec. dec.*52. *num.*5. *part.* 12. *& dec.*104.
*num.*12. *part.*16, *& dec.* 646. *num.*2 *&* 4.
*par.*19. Tum,& fortiùs quia Bernardus, ut alli-
ceret Monaſterium ad contrahendum, eique
oſtenderet ſecuritatem contractus, præfatam
donationem uti validam, & integram appro-
bando, regiſtrari curavit in inſtrumento im-
6 poſitionis controverſi cenſus: ex quo ſequi-
tur, quod ſicuti illam tamquam perfectam
recognovit Bernardus ita, & Joſeph Ceva ab
ipſo cauſam habens eamdem in præſenti im-
pugnare non valet, ad *Text. in Authen. de*
Jur. Juran. à Moriente præſt. cap 1. *Fuſar.*
*conſ.*39. *num.* 4. *Rota cor. Arguell. dec.*99.
*num.*6. *& in rec. dec.*537. *num.* 12. *par.*19.
Tantoque magis, quia præter titulum do-
nationis prædictæ, adhuc Bernardus habe-
bat alium titulum hæreditarium dicti Ale-
7 xandri, ita & etiam ſi per hypotheſim jura le-
gitimæ obventa in Jo: Baptiſtam fuiſſent
tranſlata in Alexandrum, adhuc ea debean-
tur Bernardo ex titulo ſupervento ei compe-
tenti, *ad Text. in l.Empt., ibique gloſ. C.de*
hæreditate, & act. vendit. Conciol. allegat.
*Forenſ.*9. *num.*34., *& de hæred. art.*1. *n.*20.
*Sperell. dec.*169 *n.*25., *& ſeq. lib.*2. *Rota in*
*rec. dec.*590. *n.*20. *par.*4. *tom.*4., *& dec.*390.
*num.*11. *part.* 18. Replicatio autem, quod
Joannes Baptiſta ſcripſerit heredem ſibi in
Teſtamento Alexandrum, nullam meruit
animadverſionem; quia nihilominus præce-
dens donatio ab eo facta Franciſco Patri Ber-
nardi ſuum debet conſequi effectum.
Tertio prætermiſſum quoque fuit reſi-
duum Dotis Pantaſileæ Senioris Aviæ Pa-
ternæ Bernardi debitoris aſcendentium ad
ſc.1050. quæ uti tradita Nepoti Jo: Angeli
fideicommittentis ex ejuſdem bonis detra-
9 henda venit, cum gaudeat Privilegio *Au-*
then. res quæ C. communi de legat., *Card.*
*de Luca de Dot. diſc.*147. *num.*13., *& in rec.*
*dec.*123. *n.*26. *par.*16. Non attenta quadam
alia quietantia finali dictæ Dotis, quæ per
Joſephum Cevam modo adducebatur, quia
cum illa poſt tantum tempus, quo lis pendet
producta non fuerit, & non ſit de actis, ex-
tra mundum eſſe cenſetur. *Rot. cor. Coccin.*
10 *dec.*1784. *n.*13., *& in rec. dec.*552. *num.*13.
*par.*19.
Quarto demum calculanda quoque venit
in hæreditate Bernardi Dos Eliſabettæ Car-
minatæ ejus Matris nuptæ Franciſco filio di-
cti Jo: Angeli fideicommittentis, ex cujus
fideicommiſſo, uti ab aſcendente prove-
11 niens dicta Dos reſtituenda venit ad præ-
ſcriptum *Authen. res quæ C. comuni de le-*
gat., & ultra ſupra relatos firmavit *Rota*
in Romana Fideicommiſſi de Goggis 4. *Fe-*
bruarii 1699. §. *Fundamentum cor. bo. me.*
Pio. Non refragante quod Bernardus ma-
ternam hæreditatem non adjuverit; Nam
cum intra annum, & ipſe deceſſerit, ſaltem
12 jus illam adeundi tranſmiſit, & cum hære-
13 ditas non doceatur damnoſa, imò potiùs
opulenta, non eſt ſupponendus in eo animus
non adeundi. *ad Text. in l.*1. *ff. ſi Mulier*
vero Gloſ. in leg. 1. *in fine C. de teſtam.*
*milit. Con. conſ.*310. *num.*5. *lib.*3. *Capon.*
*diſcep. forenſ.*1148. *n.*9. *de Franc. deciſ.*60.
*num.*9., *&* 22.
Ultra quod etiam præſcindendo ab hac
circumſtantia, adhuc dictum Creditum Do-
tis eſſet calculandum in hæreditate Bernar-
di, attenta ampliſſima renunciatione ei facta
à Pantaſilea Sorore in renunciationem Do-
tis ſibi elargitæ, itaut ſi vellet hodie dicta
Pantaſilea, & pro ipſa Joſeph Ceva ejus
hæres ſupradictam maternam hæreditatem
adire in præjudicium renunciationis, tene-
tur Bernardo, ejuſque Creditoribus illam
14 reſtituere; cum jus ex tali renunciatione
proveniens, uti dependens ab actu inter vi-
vos elicito ſit tranſmiſſibile. *Card de Luca*
*de donat. diſc.*8. *num.*11., *& diſc.*36. *num.*15.
Abſque eo quod replicare juvet, quod di-
cta renunciatio ſit conditionalis, & tantu-
modò ad vitam Bernardi reſtricta, non verò
tranſitoria ad quoſcumque, non ſolum quia
15 talis reſtrictio facta fuit dumtaxat de bonis
fideicommiſſariis, non autem de Paternis,
& Maternis, de quibus diſpoſitum legitur
ibi -- *Quæ eadem Mulier dicto Bernardo ſuo*
Patri præſenti pro ſe, ſuiſque ſucceſſoribus
quibuſcumque renunciavit, & refutavit,
& quatenus opus ſit donavit irrevocabili &c.
donavit, & elargita fuit -- Tum & fortius
ſi renunciatio aliquam pateretur difficulta-
tem, ſemper tamen Creditores Bernardi
16 actionem intentare poterunt pro Dote cor-
reſpective ad renunciationẽ ſibi factam ab il-
lo Sorori conſtituta, quæ fuit ſc.2000., *Surd.*
*conſil.*22. *nu.*16. *Rot. in Rom. Pecuniaria*
27. *Aprilis* 1695. *cor. bo. me. Emerix*, *&*
in Romana Reſtitutionis Dotis 16. *Janua-*
rii 1696. §. *Deſolutione cor. R. P. D. meo*
Scot-

Scotto. Et sic pro hac summa hæreditatem illius augere.

Quæ omnes partitæ per Peritum occasione formandi as hæreditarium Betoardi omissæ, cum notabilitèr hæreditatem augeant, ideo DD. superfluum visum fuit immorari in examine aliarum partitarum, quæ per Creditores allegabantur consisteotes in Dote Pantasileæ, ejusque fructibus,& in melioramentis factis super Domo fideicommissaria, ac in Dote Alexandrinæ Uxoris fideicommittentis, aliisque per informantes de-
17 ductis, duni supra enunciatæ satis superque sunt ad intentum probandi opulentiam hæreditatis Bernardi pro sustinendo onere controversi Census, & quod non fuerit benè reddita ratio.

Et ita utraque &c.

FOROLIVIEN. FIDEICOMMISSI DE TORELLIS QUOAD BONA SUPER ADDITA.

Lunæ 19. *Aprilis* 1706.

ARGUMENTUM.

Traditur in hac brevi decisione temperamentum providendi indemnitati fideicommissi, & hæredis gravati, in casu quo portio libera domus erat major portione fideicommissaria.

In hac Causa est superior decis.406.

SUMMARIUM.

1 *Cur à Sacra Rota in expeditione causæ aliquando demandetur extensio brevis decisionis?*

2 *Quando portio libera est major fideicommissaria; tunc fideicommissario restituitur quantitas soluta ex bonis fideicommissariis loco concedendi immissionem pro indiviso.*

3 *Augumentum bonorum pro rata, pro qua fideicommisso sunt subjecta, fideicommisso cedit, nec pro ea vocato denegari potest immissio.*

4 *Sed quando portio libera est major fideicommissaria; si valor rei fideicommissariæ beneficio temporis excrevit; debet restitui quantitas proportionata una cum augumento, ut fiat investimentum favore fideicommissi.*

DECISIO CCCCX.

Immissionem ad Domum positam in Civitate Forolivii in Burgo Sclavoniæ, quam Hieronymus cor. A.C. non habuerat, obtinuit sibi decerni in nostro Auditorio coram R. P. D. meo Muto juxta particulares decisiones æditas sub diebus 20. Martii 1705., & 20. Januarii proximè præteriti. Cum autem hodie coram Me subrogato, idem Hieronymus institerit pro expeditione Causæ, tàm super articulo fideicommissi, quàm etiam super altero immissionis obtentæ ad bona contenta in decisionibus; placuit DD.
1 demandare mihi, ut ad omnium expeditionem devenirem, quodque respectu supradictæ Domus novam, & brevem extenderem decisionem pro reformatione præcedentium.

Advertèrunt enim DD., quod dicta Domus erat valoris librarum 1932., & tamen fuerat permutata cum altera pretio sc.900. acquisita, ad quam concessa fuit imissio, sed pro adæquatione valoris illius fuerunt exbursata a Lelio sc.612. auri in auro: Et ideo
2 quia portio libera est major portione fideicommissaria, amplexi fuerunt æquitatem, ut loco immissionis pro indiviso restituatur fideicommissario agenti tanta quantitas pretii, quæ correspondeat summæ solutæ ex bonis fideicommissi, ut alias per nostrum Tribunal practicatum fuit in *dec.74. num.15. cor. Ubago, & in Asculana Fideicommissi, seu Domus super Melioramentis* 11. *Decembris* 1699. *coram R. P. D. meo Ansaldo* cum aliis relatis *in ultima decisione, quæ prodiit* 20. *Januarii præteriti*.

Et quoniam in d. posteriori decisione replicabatur, quod cum valor Domus Beneficio temporis acutus fuerit, omnis æquitas
3 suadebat, quod pro rata dicti augumenti acquireretur fideicommisso, ad quod spectabat proprietas, & propterea pro illa denegari non possit immissio, ad tradita *per Tor. de majorat. Ital. par.2. quæst.65. n.14., & seqq. Costa de rata quæst.*188. *n.*4. cum aliis cumulatis *in d. dec. §. Et licet.* DD. censuerunt, quod Bedollini restituere teneantur eam ratam pretii, quæ correspondeat quantitati solutæ ex bonis fideicommissi cum augumento proportionato, juxta valorem præsentem, ut illa postea investiri debeat ad commodum fideicommissi.

Et ita utraque &c.

MONASTERIEN. CANONICATUS.

Veneris 23. *Aprilis* 1706.

ARGUMENTUM.

Quando vacatio per permutationem fit, non obstante, quod cum effectu secuta non fuerit, cum fuit eidem consensum, & litteræ desuper expeditæ, in quo casu Lapi,& aliorum ante Bullam Gregorii XIII. auctoritates rejiciuntur; defectus publicationis ad tramites dictæ Bullæ quomodo probetur. Et aliqua recensetur de residentia quando sit causativa, vel præcisa.

Sunt in hac causa dec. sequens, & dec. 446., & duæ seq.

SUMMARIUM.

1 *In alternative narratis alterum satis est verificari in litteris Apostolicis.*

2 *Vocatio non per obitum, sed propter non factam publicationem, evenit: Si duo Canonici litteras Apostolicas expediverint, ad effectum invicem permutandi, & publi-*

blicationem postea non fecerint.

3 Lapi alleg. 89., & Rota *coram* Caputaquen. dec. 26. par. 1. *asserentes vocationem per obitum fieri, cum alter ex iis, qui litteras permutationis expedivit, usque ad obitum in possessione continuavit, locum non habent post editam Gregorianam constitutionem.*

4 *Permutatio mutua per Papam admissa, praevia extensione formalis consensus utriusque partis, & expeditis desuper litteris, vacationem inducit, quin sit amplius poenitentiae locus.*

5 *Permutans, si permutatio effectum non habuit permutantium culpa, non potest ad libitum, & propria auctoritate ad beneficium regredi: sed opus habet nova collatione superioris.*

6 *Beneficium affectum remanet per appositionem manus Papae, qui permutationem, et resignationem respective admisit.*

7 *Beneficium ob non factam publicationem, ob illam dicitur vacare, & non per obitum.*

8 *Beneficium residentiale dicitur, si praeter obligationem interveniendi in choro appositam in fundatione, adsunt statuta, & resolutiones capitulares id demandantes.*

9 *Impetrationi locus est, dum litterae provisionis sunt subrepetitiae.*

10 *Residentia causativa, & non praecisa est; cum adiecta est poena amissionis fructuum non interessentibus.*

11 *Residentia causativa non producit incompatibilitatem necessario exprimendam.*

12 *Defectus publicationis per allegantem est probandus.*

13 *Annus juxta stylum Datariae computatur ab incarnatione.*

14 *Simplices fides testium non coarctantes negativam publicationis eam non probant.*

15 *Publicationis negativa non aliter regulariter probari solet, nisi per confessionem partis, quae litteras publicare debebat, vel per expeditionem litterarum post tempus à constitutione Gregoriana praefixum.*

16 *Clausula* -- seu alio veriori modo -- *vacationi expressus facit valere litteras, & si modi expressi non verificentur dum collatio spectet ad Sanctam Sedem conferentem.*

DECISIO CCCCXI.

CUm Jodocus Vernerus de Mense Martii anni 1695. permutasset Canonicatum cum altero, quem Joannes Blume habebat in Ecclesia Collegiata S. Pauli, & nihilominus iste in sui Canonicatus possessione perstitisset usque ad annum 1702., in quo defecit: nonnulli ex Canonicis per illius obitum nominarunt Joannem Storp, alii Bernardum Rissen, caeteri vero Ernestum Balcke. Ex istis ità nominatis, Joannes Storp supponens Canonicatum non vacasse per obitum Blume, sed longe prius ob non factam publicationem permutationis praedictae, litteras Apostolicas impetravit sub die 14. Aprilis 1702. ex defectu d. publicationis, & successive cum decessisset Bernardus alter ex nominatis alias litteras Apostolicas subrogationis in ejusdem Juribus obtinuit, quarum vigore Canonicatus possessionem adeptus fuit.

Verum quia Ernestus Balcke unus pariter ex supra nominatis exprimendo Summo Pontifici triplicem modum vacationis scilicet, vel per obitum Jo. Blume, vel per obitum Bernardi Rissen, vel quia utraque provisio obtenta à Joanne Storp esset subreptitia, dictum Canonicatum impetravit. Hinc adita Signatura, & comissa causa R. P. D. meo Ansaldo cum clausula -- *ex integro apposito sequestro*, cum Joannes Storp jura sua renunciasset Paulo Josepho Wintagens, Ernestus dato dubio An, & quae litterae forent exequendae, decisionem, & subinde sententiam favorabilem reportavit per quam declaratum fuit, ejus litteras fore exequendas, sed commissa mihi appellationis causa cum clausula *Parito litteris arbitrio*, propter collitigantium discordiam fuerunt divisa dubia, ex quibus omisso altero, hodie contemporaneè proposito, quaesivi à DD. *An intret arbitrium pro retardatione litterarum Ernesti, & negatiuum* prodiit responsum.

Licet enim narrata per Ernestum Summo Pontifici non omnia de jure verificentur in praesenti, quia tamen ea fuerunt alternative exposita pro executione Gratiae, sufficit,
1 quod alterum ex eis verificetur, juxta communem Theoricam de qua *Garz. de Benefic. par.11. cap.1. num.6., Ros. de execut. litterar. Apostolicarum cap.6. num.3., Rota coram Dunoz. Jun. dec.337. num.7., coram Cerro dec.71. num.3., & in Cracovien. Archidiaconatus 19. Aprilis 1697. coram Rmo D. meo Decano.*

Et sane non verificatur primus modus vacationis expressus per obitum Joannis Blume: cum enim tam ipse, quam Jodocus Vernerus resignationi Canonicatum consensum praestiterint ad effectum eos invicem permutandi, & admissa per Sanctissimum resignatione, singuli litteras Apostolicas provisionis
2 expediverint, dum postea neuter ex eis permutationem publicavit ad formam Constitutionis 85. fa. me. Gregorii XIII. Canonicatus proinde d. Joannis Blume vacavit non per obitum, sed propter non factam publicationem, ad tradita, *per Garz. de Benefic. par.11. cap.3. num.305. Lotter. de re Benefic. lib.3. quaest.21. num.26. Rota dec.283. num.7. coram Carill. dec.358. nu.19., & seq. coram Bichio dec.400. num.50. coram Cerro in rec. dec.533. n.15 par.4., to.3. & dec.357. num.5. & 6. par.12.*

Non obstat, quod locus non sit publicationi, quoties permutatio suum materialem effectum sortita non fuit, ideoque cum Joanne Blume post factam permutationem continuò steterit in possessione sui Canonicatus usque ad obitum, vacatio non dicatur inducta

ducta per actum permutationis, & non secutæ illius publicationis, sed per obitum possidentis, cum attenta d. longæva, & pacifica possessione intret legalis præsumptio, quod Joannes Blume literas novæ provisio-
3 nis obtinuerit juxta *allegat.*89. *lapi* quem sequitur *Rota cor. Caputaquen. decis.* 26. *par.*1. Etenim quid iuid dici posset, antequam emanaret d Gregoriana Constitutio, quo tempore scripserat Lapus, & prodiit d. decisio. Hoc unum certum est, quod post illam æditam, utpotè continentem derogationem cuicumque etiam longævæ possessioni, eo ipso quo permutatio per Papam
4 admissa fuit vigore mutuæ resignationis prævia extensione consensus formalis utriusque Partis, & expeditis desuper literis, Canonicatus vacare censetur, nec eis amplius locus pænitentiæ, ex traditis per *Kokier de permut. par.*17. *n* 1. *Paris. de resignat. lib.*1. *quæst.*12. *n.*22. *Rot. decis.*446. *nn.*2, *& decis.*471. *num.*1. *par.*1. *diversorum*, Itaut si permutatio effectum sortita non fuerit ex
5 culpa permutantium, ob non factam publicationem, vel ex alio defectu, non liceat eis ad eorum libitum, & propria auctoritate ad Beneficium regredi, sed opus habent nova collatione Superioris Ecclesiastici, ut ex professo tenent. *Rebuff. de pacif. possess. n.* 165. *Garz. de Benefic. par.*11. *cap.*2. *n.*19., *Barbos. de jure Ecclesiast. univers. lib.*3. *cap.*15. *n.*169., *Rota cor. Merlin. dec.*68. *num.*20. *par.*10.

Neque pariter justificari visum fuit secundum modum vacationis per obitum Bernardi Rissen; dum ille nullum jus validum habebat supra d. Canonicatu ex collatione eidem per Capitulum facta, tum quia per ap-
6 positionem manus Papæ, qui resignationem, & permutationem respectivè admisit, Canonicatus affectus remanserat. *Rota coram Cerro dec.*227. *n.*2., *& dec.*616. *n.*3. *par.*4. *divers., & in rec. dec.*114. *per tot. par.*16. Tum quia propter non factam publicatio-
7 nem, adhuc Canonicatus vacare dicebatur per prius, ob resignationem, non autem per obitum Joannis Blume, prout ipse narraverat. *Rota cor. Bich. dec.*358. *à num.*14. *ad finem*.

Tota igitur difficultas reducebatur ad tertium modum expressum in litteris, quod scilicet utraque provisio obtenta per Joannem Storp esset subreptitia, cum ille supposuerit Vicariam S. Thomæ, quam retinebat non esse residentialem, nec incompatibilem cum supradicto Canonicatu quod è Converso opponebatur, contrarium resultare visum fuit ex pluribus ad id ponderatis, si quidem prærer obligationem interveniendi in Cho-
8 ro appositam in fundatione, concurrebat pro suadenda qualitate residentiali specialis dispositio Statuti dictæ Ecclesiæ, necnon plures resolutiones Capitulares, & signanter illa edita contra Joannem, in qua Capitulum declaravit Vicariam continuam residentiam requirere, & ad hujusmodi declarationis limites Joannes Storp institit ad residentiam in Choro, & observantiam omnium consue-
9 tudinum ipsius Ecclesiæ, idcircò dum literæ provisionis d. Joanuis subreptionis vitio laborant, locus fuit impetrationi per Ernestum obtentæ; *Lotter. de re Benefic. lib.*3. *qu.*11. *n.*59. *Rota dec.*83. *n.*1., *& seqq. par.*14., *& dec.*379. *n.*10. *par.*18. *rec.*

Quoniam verò replicabatur in contrarium, quod residentia demandata in funda-
10 tione, & Statuto non sit præcisa, sed causativa, cum adjecta fuerit pœna amissionis fructuum non interessentibus, quo Casu non
11 produceret incompatibilitatem necessariò exprimendam, juxtà *dec.*239. *n.*7. *cor. Rembold.*, *& dec.*551. *n.*6. *coram Cavalerio*.

Hinc DD. in hac quæstionum ambage, omisso strictiori examine super qualitate residentiali, censuerunt, non intrare arbitrium pro retardatione literarum Ernesti, quia etsi primus modus vacationis per obitum Blume non verificetur de jure ex supra firmatis, verificatur tamen de facto, ex quo non probatur per Cessionarium Jo: Storp defectus publicationis litterarum permutatio-
12 nis, prout perallegantem justificari debuisset ut præter cumulatos *in dec. R. P.D. mei Ansaldi §. Neque huic fundamento* probat *Card. de Luc. de Benefic. disc* 94. *n.*11. Et licet supponatur eas fuisse exhibitas coram Executore post lapsum novem mensium, tamen contrarium evincitur, quia compu-
13 tando annum ab Incarnatione juxta stylum Datariæ, exhibitio facta fuisset post tres menses, & nonnullos dies, & sic intra terminum novem mensium præfixum Beneficiis ultrà Montes ad faciendam publicationem. Fides verò Testium, quæ ad d. effectum datæ fuerunt, nullam meruerunt animad-
14 versionem, quia sunt simplices, & pendente lite extortæ, nec concludunt negativam non factæ publicationis, quæ regularitèr
15 probari non solent, nisi per Confessionem Partis, quæ literas publicare debebat, vel per expeditionem literarum post tempus à Constitutione præfixum, ut firmavit. *Rota cor. Gregor. dec.*210. *n.*4., *& dec.*948. *n.*6. *cor Dunoz.*

Tanto magis quia, ultra prædictos modos per Ernestrum expressos, illius literæ ha-
16 bent clausulas - seù alio veriori modo - per quas etiam, si nullus ex eis de jure verificaretur, cum tamen Canonicatus, spectaret ab initio ad S. Sedem ob resignationem factam in manibus SSmi, & defectus publicationis Gratiæ de facto non justificetur, propterea DD. faciliùs inclinarunt pro executione literarum Ernesti.

Et ita utraque &c.

MONA-

MONASTERIEN. CANONICATUS.

Veneris 23. Aprilis 1706.

ARGUMENTUM.

Negativa non factæ publicationis iovim Bullæ Gregorianæ quomodo probanda impetranti sub ejus narrativa? Quænam sit intrusio in Beneficio, & ejus pœnæ ex constitutione 34. Julii III.

In hac causa sunt dec. in proximè superiori notatæ.

SUMMARIUM.

1 *Litteræ non justificatæ executionem non merentur.*

2 *Negativa non factæ publicationis, juxta Gregorianam constitutionem, probari debet per univoca, & perfecta documenta ab impetrante sub ejus narrativa.*

3 *Neque ad hunc effectum leves præsumptiones admittuntur.*

3 *Et contraria possibilitas hujus negativæ probationem destruit.*

5 *Potissime si post præsentationem litterarum permutationis, tempus remansit habile, ut fieri valuerit publicatio.*

6 *Et impetrans sub narrativa non factæ publicationis eam fuerit confessus.*

7 *Cessionario venire non licet contra confessionem antecedentem cedentis.*

8 *Intrusus est ille, qui ante expeditionem litterarum de facto, sine auctoritate exequutoris, non citatis interesse habentibus possessionem beneficii propria auctoritate est nactus.*

9 *Intruso gratia non suffragatur, & cadit in pœnas comminatas in Constitut. 34. Julii III.: & quæ sint pœnæ istæ?*

DECISIO CCCCXII.

Provisionem Canonicatus Ecclesiæ Collegiatæ S. Pauli Monasterien. ad sui favorem impetravit Joannes Storp expedivitque ad hunc effectum ex duplici titulo diversas litteras Apostolicas, alias scilicet ob non secutam publicationem permutationis d. Canonicatus cum illo retento per Jodocum. Verum alias subrogationis gratiosæ in juribus Bernardi Rillen, qui d. Canonicatum obtinuerat tanquam vacantem per obitum d. Blume. At quia Ernestus Balcke etiam ipse litteras Apostolicas impetravit sub variis narrativis, & in hac eadem audientia resolutum fuit, non iotrare arbitrium pro ipsarum retardatione. Hinc DD. in necessariam consequentiam responderunt, litteras Joannis Storp non esse exequendas. Quia cum neutra ex eis sit justificata, nullam proptere-
1 rea executionem mereri valuerunt *Rota coram Merlin. dec.563., & dec.591. nu.5. in rec. dec.251. sub n.2. par. 2. dec.295. nu.t. 2. par.6., & dec. 413. num.19. par.18.*

Et quidem non sunt exequendæ litteræ primo loco obtentæ per Joannem Storp sub narrativa, quod non fuerint publicatæ litteræ permutationis factæ per Joanoem Blume cum altero Canonicatu retento per Jodocum, juxta dispositionem Constitutionis
2 san. me. Gregorii XIII. Quoniam hujusmodi negativa non factæ publicationis per univoca, & perfecta documenta ab impetrante probanda, solum inductive arguitur ex nonnullis levibus præsumptionibus examinatis in altera contemporanea decisione, quæ ta-
3 men ad hunc effectum non merentur attendi cum ad destruendam hujusmodi negativam satis sit, quod potuerit supervenire altera
4 collatio, & provisio, *Novar. in sum. Bullar. par.1. Commentar. 31. num.29. §. Jus autem Rota coram Gregor. dec.210. nu.2. 3., & ibi Adden. num.5., & coram Buratt. decis.948. num.4. 5.*

Fortius quia computato tempore elapso à die expeditionis litterarum permutationis usque ad diem illarum præsentationis factæ coram Executore, tres tantum menses lapsi
5 fuerunt, & sic remanserat tempus habile, in quo expleri potuit publicatio. Imò ipsemet Joannes Storp postquam Canonicatum impetraverat sub narrativa quod non fuidet facta publicatio, recognoscendo, quod narrata non subsistebant in facto, eundem Ca-
6 nonicatum ab ordinario collatore obtinuit, & in Judicio fassus fuit revera illum vacasse per obitum Joannis Blume, contra cujus confessionem hodie venire non licet Paulo Josepho Wintgens illius cessionario, &
7 colitiganti, *Olea de cession. Jur. tit.8. q.2. num. 40., & seqq. Angel de Confess. lib. 2. quæst. 10. num.4. & 5. Rota dec.322. nu.4. 5. par.9. tom.2. rec.*

Minusque executionem mereri valuerunt aliæ litteræ subrogationis gratiosæ in iuribus Bernardi Rillen, cum nullum Jus haberet ad Canonicatum controversum, ex rationibus deductis in altera decisione. Addito etiam quod in litteris subrogationis adiecta legitur
8 Conditio - *Dummodo non sit intrusus* -, Et tamen de intrusione dubitari non potest, quia Storp illico post obitum Bernardi antequam hujusmodi litteræ expedirentur, de facto, sine auctoritate executoris, nec citatis Interesse habentibus fese intrusit in possessionem controversi Canonicatus. Quamobrem non solum ei gratia non suffragatur, verum etiam cecidit in pœnas Comminatas in Con-
9 stitutione 34. san. me. Julii III., qui talem possessionem annullat, & intrusos perpetuo inhabiles declarat, prout in terminis dictæ Constitutionis firmavit *Rota dec.287. num. 1. & seq. par.6. rec., & dec. 191. num.9. & 10. coram. Cerro.*

Et ita utraque &c.

TUDEN. BENEFICII.

Ven. 7. Maii 1706.

ARGUMENTUM.

Provisus à Nuncio Hispaniarum, nisi concludenter probet non excessum valoris benefi-

cii

cii in ducatis 24. auri de Camera, negativam que arctet, præfertur provisus Apostolicus, etiam in conflictu probationum, quamvis testes ab isto inducti ad probandum excessum rationem nnn haberent de oneribus.

Revocatur *decis.*438., ubi rationem de oneribus pro constituendo valore habendam firmatur.

SUMMARIUM.

1 *Litterarum Apostolicarum justificatarum executio non est retardanda.*

2 *Nuncius Hispaniarum conferre potest benefica valorem 24. ducatorum auri non excedentia; qui valor, cum agitur de repellendo proviso Apostolica, ab altero proviso à Nuncio concludenter est prabandus*; & num. 12., & 15.

3 *Et quidem per testes negativam non excessus coarctantes.*

4 *Testes probantes dictam negativam non excessus debent deponere facta fructuum enumeratione speciali, & non in confuso.*

5 *Villici, & adjutores in recollectione fructuum, integrum beneficii redditum scire non possunt.*

6 *Testes negativam non excessus benè non coarctantes, eam non probant.*

7 *Inexactio fructuum, quæ non est perpetua, ut causa bellorum, beneficii valoris expressionem non minuit.*

8 *Probatio non excessus cadit, si constet bona beneficii solita fuisse locari in longe majori summa.*

9 *Testis deponens contra proprium commodum & informatus, maximam fidem meretur.*

10 *Testes melius informati, non plene informatis, præferuntur.*

11 *Probationes factæ ab uno proviso Apostolico, qui cessit liti ab comparitionem anterioris provisi, cæteris suffragantur.*

12 *Provisio Nuncii Hispaniarum annullatur per Testes deponentes de valore per excessum in 24. ducatis auri de Camera, non deductis oneribus, imò eis comprehensis.*

13 *De valore beneficii probatio simpliciter facta, intelligitur deductis oneribus.*

14 *In dubio stante probationum conflictu, an valor 24. ducata auri de Camera excedat; favore provisi Apostolici contra provisum ab Hispaniarum Nuncio respondetur.*

DECISIO CCCCXIII.

Simplex Beneficium in Parochiali Ecclesia S. Bartholomæi de las Eiras, quod priùs per S. Sedem de anno 1693., uti in mense reservato vacatum Dominico Fernandez collatum fuerat, obtinuit quoque Didacus Gomez Ortigno sibi à Rmo Hyspaniarum Nunzio conferri, illudque, non obstante citatione vigore commissionis Rotalis eidem per D. Fernandez præsentata, cum Josepho Guttierez permutavit, quo è vivis erepto de eodem Beneficio à Sede Apostolica Thomas Gil, & pariter à Nuncio Alexander de Castro provisionem reportarunt, quibus Fernandez duplicatum dictæ citationis præsentari fecit, & Gil à Judico recessit; secus vero Alexander de Castro, contra quem instructo judicio per duplicem sententiam, priùs coram R.P.D. meo Caprara, & deindè cor. R. P. D. meo Caffarello, pro exequutione litterarum Apostolicarum Fernandez responsum fuit, devolutaque postmodum controversia ad R. P. D. meum Scottum, tam super exequutione litterarum, quam super prætensis attentatis ab Alexandro commissis, pluriès proposita fuit, nec unquam licet ad scitis quinto, & sexto, ob suffragiorum scissuram, resoluta; tandem requisitio omnium Dominorum suffragio demandatum fuit, ut coadjuvarentur probationes, & pro exclusione attentatorum emanavit responsum, in cujus executionem Alexander sententiam absolutoriam reportavit, à qua appellante Dominico Fernandez proviso Apostolico, tota Causa ad me devoluta remansit, idcircò proposui dubium -- *An sit procedendum ad ulteriorem legitimam exequutionem* -- & DD. *affirmativè* responderunt.

Narrativa namq; litterarum Dominici, cum
1 undique appareat justificata, illarum exequu-
tio retardari non potest, *ad Text. in cap. cum
litteris de rescriptis, & in cap. si de Capitulo
ubi Glos. verb. exequatur de concess. præbend.
Rot. dec. 1176. n. 1. cor. bo. me. Emerix, & in
postrema hujus causæ decisione sub die 21.
Novembris 1703. §. Fundamentum cum duobus
sequentibus coram R. P. D. meo Caffarella.*

Nec ad dictam exequutionem retardandam quidquam suffragari potest nova provisio controversi Beneficii facta à Nuncio Hypaniarum favore Alexandri de Castro. Quoniam facultas eidem Nuncio concessa
restringitur dumtaxat ad Beneficia valorem
2 ducatorum 24 auri de Camera non exeden-
tia, qui valor ad effectum repellendi eum,
qui gratiam apostolicam impetravit plenè,
& concludentèr ab altero proviso à Nuncio
probari debet, ut plenè firmatum *fuit in
prima hujus Causæ decis. sub die 20. Apri-
lis* 1703. §. *Minus obstare cor. R. P. D. meo
Caprara*. Et quidem per Testes negativam
3 non excessus coarctantes, *Rot. cor. Ubaldo
dec. 787. n. 2. par. 2., & in rec. dec. 296. n. 13.
par. 16., & in Pampilonen. Beneficis 28.
Junii* 1700. §. *final. coram R. P. D. meo
Muto.*

Talis autem probatio ex Testibus per
eum inductis deduci nnn potest, tum quia
4 illi deponunt, ut plurimum de non excessu
in confuso non facta fructuum enumeratione
speciali, prout omninò requiritur ad proba-
tionem valoris, *Alexand. cons. 150. n. 17.
lib. 5. Aym. cons. 94. n. 3. Rot. coram Bichio
dec. 86. n. 10.*

Tum quia sunt simplices Villici, & adjutores in recollectione, qui in integrum Benefi-

nonnulli redditum scire non possunt, nec be-
6 ne negativam coarctant, immo quam plu-
ries nescire profitentur, an adsint alii fru-
ctus controversi Beneficii, *Garz. de Benef. par.5. cap.3. n.163. Rot. dec.7. n.6.par.12. & dec.296. n.4. par.16. rec.*

Tum etiam, quia deponunt, quod decima Piscium, & cujusdam Prædii propè flumen
7 non exigitur ex causa bellorum, quæ tamen ubi verificaretur, adhuc non sufficeret, cum non adesset de anno 1693., & sic de tempore factæ primæ provisionis, & in omnem casum non esset perpetua, *Lotter. de re benefic. lib.1. qu.38. n.69. Rota coram Emer. dec.1085. n.22.* Tum, & fortiùs quia duo ex eis ingenue deponunt bona controversi Beneficii fuisse aliàs locata diversis vicibus pro
8 ann.duc.70. etiam 80.respectivè cumque ad adæquandum valorem 24. ducator. auri de Camera sufficiant ducati illarum partium 69. & realia 6. ut probant attestationes Mercatorum hinc indè datæ, undè patet cessare quamlibet probationem non excessus.

At non solùm deficit in probatione Alexander, sed è converso Dominicus excessum probavit ex aliis Testibus olim ad hunc effectum examinatis ad instantiam Gil, qui fuerat postmodum provisus à Sede Apostolica; illi enim deponunt de tanta fructuum quantitate, quæ redacta ad monetam excedunt valorem 24. ducator. quodque valdè notabile est, unus ex eis Didacus Patigno est idemet, qui tanquam provisus à Nuncio per quinque annos possedit Beneficium controversum, quod deindè cum Josepho Gutierrez permutavit, undè tanquam
9 deponens contra propriam provisionem, & tanquam informatus maximam fidem meretur. *Rota cor. Gregor. dec.172. num.1., & in rec. dec.69. n.2., & 3. par.16., & in Sypontina aggregationis 16. Junii 1695. §. Quidquid cor.cla me. Thaurusio.* Alii verò fuerunt, vel Administratores, vel Conductores bonorum Beneficii, itaut etiam ra-
10 tione melioris informationis sint cæteris præferendi, ex mox allegatis.

Nec refert, quod isti Testes sint illimet, qui fuerunt aliàs producti per Thomam Gil alterum provisum Apostol. de anno 1703. qui à lite recessit. Hoc enim evenit non ex defectu probationum, sed quia comparuit Dominicus primo loco provisus à Dataria, ideoque ultrò se substulit è medio, ac per
11 consequens illius probationes suffragari possunt alteri proviso Apostolico, *Achill. dec.5. alias 217. in fine de Sententia, & re jud. Gratian. discep.869. n.16.* cum aliis ibi cumulatis.

Pariterque non obstat, quod Testes per Provisum Apostolicum examinati deponant de excessu ducaror. 24. nulla facta mentione, seù deductione onerum eidem Beneficio infixorum. Ultra quod enim pro an-
12 nullanda provisione Nuncii, qui habet limitatas facultates, & restrictas ad certas quantitates fructuum, satis esset Testes deponere de valore per excessum in 24. ducatis auri de Camera non deductis oneribus, immò eis comprehensis, ut testatur. *Garz. de Benef. part. 5. cap. 3. num.163., & melius* 165. & firmavit. *Rota d. dec.296. n.15. usque ad 19. par.16. rec..* Cessat in præsenti quælibet difficultas, tum quia plures ex dictis Testibus deponunt de valore etiam deductis oneribus, & signantèr tertius Testis, qui asserit fuisse locata bona *liberi da ogni spesa* pro annuis ducatis 70. ÷
13 & regulariter probatio simpliciter facta de valore Beneficii intelligitur deductis oneribus. *Rot. cor. Gregor. dec.277. n.7., & in rec. dec.62. n.11. par.10. rec.* Tum quia in omnem casum sufficeret, quod res esset dubia, ut stante hoc probationum conflictu favore Provisi Apostolici respondendum veniat, cum sit onus illius, qui à Nuncio gra-
15 tiam reportavit, plenè, & concludenter excludere excessum, ex supra firmatis, & Zarate *dec.116. n.6.* cum ibi citatis.

Et ita suffragantibus omnibus Dominis utraque &c.

ROMANA STATUS ZAGAROLI.

Lunæ 10. Maii 1706.

ARGUMENTUM.

Mandatum pro relevatione, quamvis relaxetur per citationem ad solvendum, non est nullum: cum declaretur ab actis, & pariat eundem effectum, nec erunt pecuniæ deponendæ, sed soli citando consignandæ. Locus gratiæ non fit, nisi eadem cum effectu sit verificata. Citatus molestias assumere debet, à quibus liberare tenetur; nec sufficit si litem quoad se solum, non vero quoad molestatum ad alium judicem remitti curaverit; nec ad id expectandus est judicii ab eodem assumpti finis. Admissio ad causam ad retardandum satisfactionem favore creditoris liquidi denegata reperitur alteri creditori illiquido; præsertim cum pecuniæ exigendæ sunt cum obligatione de restituendo prioribus, & potioribus.

Est in eadem causa decis. proximè sequens. & super eodem credito dec.613.

SUMMARIUM.

1 *Obligatus ad relevandus non potest condemnari ad plus, quam ille, qui erat relevandus.*
2 *Deponere non tam grave est, quam solvere.*
3 *Deponens super pecunia deposita, potest concurrere, & alios excludere.*
4 *Petitio in citatione ab actis, & commissione declaratur, & juxta illam mandatum relaxatum intelligitur.*
5 *Obligatus deponere pecuniam favore creditorum potiorum, & anteriorum super aliquo fundo, figuram debitoris gerit, & solùm exigere potest cautionem de restituendo prioribus &c. & ideò idem est, et si contra illam relaxetur mandatum ad solvendum,*

dum; ac ad deponendum.

6 *Mandatum ritè relaxatur ad solvendum contra obligetum deponere favore creditorum; cum ille, qui ob eandem causam ab isto erat relevandus, condemnatus fuit, non solùm deponere, sed etiam consignare creditori.*

7 *Obligatus ex pretio fundi creditores dimittere anteriores, si aliis solvat, tamen dicti creditores comparentes tenetur satisfacere, & ob id mandatum relaxatur.*

8 *Gratiæ sub conditione concessę locus non sit, conditione non verificata.*

9 *Satisfactio in chirographo demandata intelligitur de ea, quę est permanens, & perpetua.*

10 *Satisfactio obtenta cum obligatione restituendi prioribus, & potioribus, est revocabilis.*

11 *Nec attenditur si pecuniæ sint avocatæ.*

12 *Relevator citatus tenetur defensiones assumere: nec potest, ad retardandam relevationem, de injustitia evictionis contra relevandum opponere,* & num. 14.

13 *Amplia etiam si relevator citatus quoad se causam ad aliud Tribunal remitti curaverit, & tamen nihil egit quoad relevandum.*

15 *Relevatio debetur etiamsi molestiæ relevatori non sint intimatæ: cum constat de justitia avocationis.*

16 *Judicium avocationis retardari non debet sub prætextu relevationis incertæ, & fortius rejectæ.*

13 *Pro admissione ad causam novum separatum dubium in Rota est proponendum.*

17 *Mandati executio pro credito claro, & liquido non potest retardari ab aliis illiquidis, & in judicio rejectis; licèt ab istis pendeat appellatio in devolutivo.*

19 *Præsertim cum consignatis creditori liquido est facienda cum obligatione de restituendo prioribus, & potioribus, & cur?*

20 *Obligatio de restituendo prioribus, & potioribus &c. operatur, ut pecuniæ dicantur extare.*

DECISIO CCCCXIV.

PRæviis duabus decisionibus cor. R.P.D. meo Caffarelio relaxatum fuit mandatum pro scut. 25065. contra D. Ducem Rospigliosum favore D. Principis Burghesii pro relevatione similis summæ, quam iste coactus fuerat restituere D. Duci ab Altemps creditori anteriori, & in gradu appellationis illud esse exequendum responsum fuit cor. R. P. D. meo Muto sub die 27. Martii 1705. Et quoniam interim obtinuerunt commissionem admissionis ad causam Sorores de Nisiis, prætendentes esse creditrices bo. me. Principis Ludovisii communis debitoris, ex causa duorum censuum per Constantinum eorum auctorem acquisitorum, & sub hoc prætextu excludere Principem Burghesium tanquam creditorem posteriorem ab executione mandati, ideo hodie cor. me

in locum R. P. D. mei Muti suffecto iterum proposita causa, agnitaque insubsistentia hujus novæ instantiæ tactæ per dictas sorores, DD. *steterunt in decisis* etiam quoad illas.

Validitas enim præfati mandati, non obstante, quod fuerit processum via executiva, quamvis deficeret obligatio in forma Cameræ, vel alia similis, & æquipollens, sicut plenè fuit firmatum in dd præcedentibus decisionibus, & in præsenti ampliùs sub hoc prætextu non impugnabatur, ita vindicata remansit ab altera exceptione, quod non poterat, citra vitium nullitatis, relaxari mandatum executivum pro solutione certæ summæ, quando à principio in commissione fuit solum petita liberatio à molestiis; præsertim quia actio promota ad solvendum, nec competebat vigore decreti R. P. D. Thesaurarii, qui relaxaverat mandatum contra Dom. Principem ad effectum deponendi, nec vigore Chirographi S. me. Clementis IX cum in utroque simpliciter legatur condemnatio,
& respectivè obligatio ad deponendum: un-
1 de inferebatur, quod non poterat Dux Ros-
pigliosus, quamvis necessarius defensor con-
demnari ad solvendum, & sic ad plusquam
fuerit condemnatus Princeps, qui erat rele-
2 vandus, cum tritæ sint regulæ, quod depo-
nere, non est solvere, & ipsemet deponens
3 super pecunia deposita potest concurrere, &
excludere alios, *Rot. cor. S Me. Alex. VIII.
dec. 249. num. 2. & 3. & cor. Gregor. dec. 511.
num. 15.*

Quoniam hæc omnia corruere visa fuerunt, ex quo mandatum de cujus executione agitur, quamvis relaxatum per citationem ad solvendum, seu restituendum pecunias, tamen semper intelligitur relaxatum ex causa liberationis à molestiis contenta in commissione, attenta expressa, & specifica relatione ad illam ibi: *ad restituendum, seu solvendam scut. 25. m. debita ad formam jurium, de quibus in actis, & decisionum rotalium* -- Quamobrem nihil refert, quod in citatione non fuerit repetita instantia mandati pro liberatione à molestiis, sed directè
legatur concepta pro relaxatione mandati
4 executivi, quia per ilio prædicta ab actis, &
commissionis declaratione, & juxta illam
mandatum relaxatum intelligitur; *Rot. cor.
Seraph. decis. 640. num. 1. cor. Gregor. 470.
n 6., & in rec. dec. 64. n. 14. par. 9 tom. 1. &
in Ariminen. deliberationis 14 Decembris
1705. §. Minusque cor. R. P. D. meo Omaña.*

Attenta præsertim duplici circumstantia;
altera quod Dux Rospigliosus vigore Chi-
rographi S. me. Clem. IX. tenebatur pretium
5 Status Zagaroli deponere favore Credito-
rum anteriorum, & potiorum Principis Lu-
dovisii, adeout super tali pretio nihil posset
dictus Dux aliud prætendere, quàm præsta-
tionem cautionis de restituendo prioribus,
& potioribus cr. . itoribus: ac proindè eun-
dem effectum p.. at directa relaxatio
mandati ad solvendum, dum ille solùm figu-
ram debitoris gerebat ex deductis *in decis.*

R. P. D.

R. P. D. mei Muti §. Haud refragante; Al-
tera, quod mandatum primo loco relaxatum
ab R. P. D. Thesaurario non legitur ad so-
lum, & simplicem effectum deponendi, sed
in eo fuit etiam demandata consignatio Du-
ci ab Altemps creditori anteriori, cumque
in præsenti pecuniæ avocandæ per Princi-
pem Burghesium non debeant alteri credi-
tori consignari, sed sint eidem Principi re-
stituendæ pro relevatione totidem soluto-
6 rum præfato creditori, hinc jure meritò fuit
relaxatum mandatum, ut directè præfato
Principi pecuniæ solverentur, ut in proposi-
to egregiè respondit *Rota in dict. Arimi-
nen. deliberationis* 14. *Decembris dict. §. Mi-
nusque cor. R. P. D. meo Omanna, confirma-
ta sub die* 23. *Aprilis proximè præteriti cor.
eodem*.

Firmata ex prædictis validitate mandati,
æque clara visa fuit illius justitia, ut enim
nimx dictum fuit Dux Rospigliosus emptio-
nem Status Zagaroli perfecit in vim Chiro-
graphi sa. me. Clementis IX. habita in om-
nibus ad illum specifica, & expressa relatio-
ne: Unde cum in illo præcisè demandatum
fuisset, quod, satisfactis Montistis, pretium
residuale erogaretur in extinctionem credi-
7 torum anteriorum venditoris, eo ipso quod
Princeps est illi anterior, pro summa, quam
liberè solverat contra formam dicti Chiro-
graphi, Dux Rospigliosus, utique potuit
mandatum pro sua satisfactione reportare,
ut plenè firmatum fuit in *decisione edita sub
die* 10. *Decembris* 1703. *cor. R. P. D. meo
Caffarello*, & subinde in subsequentibus de-
cisionibus comprobatur.

Non obstante, quod idem Dux Rospi-
gliosus obtinuisset aliam gratiam à sa. mem.
Clemente X mediante novo Chirographo,
in quo fuit illi concessa retentio scut. 63 m.,
quorum ratam penes se retinuerat, & aliam
ratam liberè venditori persolverat, quoniam
fuit ibidem adjecta litteralis conditio, quod
scilicet gratia haberet effectum -- *In caso che
col restante prezzo di detta vendita possano
esser sodisfatti tutti e singoli creditori, che
hanno hipotecato, & obligato per li loro cre-
diti col beneplacito Apostolico il detto Stato
di Zagarola* -- Ideoque eo ipso quod Prin-
ceps Burghesius ostendit, quod est creditor
cum assensu, & beneplacito Apostolico, di-
8 ci non potest factum fuisse locum gratiæ, cum
conditio sub qua concessa legitur, verifica-
ta non fuerit, *argum. Text. in l. Civibus, &
l. 2. in fin. ff. de condit., & demonstrat.*, *Rot.
Lucen. inter recollect. per Psalm dec.* 140.
num. 13. *tom.* 2., & firmatum fuit in *decisioni-
bus editis* 10. *Decembris* 1703. *§. pro imple-
mento, &* 13. *Junii* 1704. *§. quià cor. R. P. D.
meo Caffarello*.

Replicatio autem, quod jam ille fuerat
de suo credito satisfactus: & licet successivè
fuerit spoliatus per Ducem ab Altemps, ta-
men hoc nec ritè, nec rectè factum fuerit,
cessare visa est; quoniam præmisso, quod sa-
tisfactio demandata in Chirographo sa. me.
9 Clementis X intelligi debet de ea quæ sit
permanens, & perpetua, secus autem, si non
solum fuerit revocabilia, ut hic attenta ob-
10 ligatione restituendi prioribus, & potiori-
bus, *Castren. consil.* 158. *num.* 1. *lib.* 1., *Fon-
tanell. de pactis nuptial. claus.* 5. *glos.* 8. *par.* 6.
num 43., *Rota dec.* 514. *num.* 4. *cor. Merlin.*
cum aliis latè adductis in omnibus decisioni-
bus præcedentis instantiæ. Verum etiam, &
fortiùs, si pecuniæ fuerunt de facto avoca-
tæ, ut pariter advertitur in præfatis deci-
sionibus.

Inde sequitur, quod non possit in præsen-
ti allegari prætensa injustitia dictæ avoca-
tionis ad retardandam satisfactionem credi-
11 ti, clari, & liquidi Principis Burghesii; ma-
ximè quia in illo judicio, in quo pecuniæ
fuerunt ab eo avocatæ coram R. P. D. The-
sarario fuit citatus ipse Dux Rospigliosus,
qui proindè cum notitiam habuerit molestia-
rum, quæ inferebantur eidem Principi Bur-
ghesio, tenebatur defensionem assumere
12 tanquam necessarius relevator, ut fuit la-
tissimè firmatum *in ultima decisione hujus
causæ, quæ prodiit die* 27. *Martii* 1705. *§.
Haud refragante cor. R. P. D. meo Muto*.

Non attenta excusatione, quod Dux Ros-
pigliosus statim ac fuit citatus, curavit decli-
nare forum Thesaurarii, & causam quoad se
13 ad nostrum Tribunal remitti, quoniam
ultra quod debuisset obtinere etiam eandem
remissionem causæ, quoad D. Principem, ne
indefensus vexaretur, vis stat in eo, quod
semper Dux Rospigliosus, dum fuerat de
14 molestiis certioratus, debuisset illas quo-
cumque modo in se assumere; quo non facto
tenetur absque dubio ad relevationem,
non attento, an molestiæ essent justæ, vel
injustæ, *Bartol. in l. Lucius §. tres hære-
des num.* 1. *ff. ad Senat. Consult. Trebell.*,
Rot. cor. Bich. dec. 266. *num.* 5., *& in recent.
dec.* 572 *num.* 4. *par* 18.

Cessatque omnis difficultas, quia hodiè
constitit DD. de injustitia avocationis pecu-
niarum, juxta ea, quæ plenè firmata fue-
runt in alia decisione cor. me edita, quo ca-
su relevatio debetur, etiamsi illæ intimatæ
15 non fuerint, *Barz. dec. Bonon.* 85. *num.* 13.,
& latè firmatum fuit in *Romana, seù Nea-
politana liberationis à molestiis* 15. *Junii*
1685. *§. quo verò cor. bo. me. Albergata*.

Atque ex his perperam opponebatur, quod
cum in præsenti Dux Rospigliosus assumat
defensionem Principis, debeat saltem in
hac causa supersederi, donec, & quousque
terminetur judicium ad instantiam dicti Du-
cis Rospigliosi introductum contra Ducem
ab Altemps pro restitutione pecuniarum, ut
reintegrari valeat Princeps Burghesius. Da-
ta enim justitia avocationis, de qua ut præ-
misimus latè agitur in alia decisione, super-
fluum est aliud expectare: Tanto magis,
quia clarum est jus Principis per plures de-
cisiones ab omnibus exceptionibus vendica-
tum; unde retardari non debet sub prætextu
16 relevationis incertæ, immo jam exclusæ, &
re-

rejectæ, *Rota cor. Greg. dec.220. num.7.cor. Buratt. dec.* 805. *num .9. in rec. dec.* 679. *sub num.*1. *part.*1. *dec.*227. *num.*30. *par.*19.

Et hæc quoad Ducem Rospigliosum, quo
verò ad Sorores de Nisiis, facilior visa fuit
resolutio . tum quia necesse fuisset quoad eas
disputare particulare dubium ad partes ju-
xtà notorium stylum nostri Tribunalis, tàm
17 super admisione ad causam, quàm super
canonizatione crediti, & relaxatione man-
dati ad illarum favorem, quod usque nunc
factum non fuit; tum, & fortiùs quia illarum
creditum non est clarum, dum licet dedu-
ctum in Congregatione Baronum, tamen
nullam potuerunt pro eo obtinere executio-
nem: immo quoad alterum ex censibus Si-
gnatura causam in suspensivo commisit: quam-
ombrem non possunt dictæ Sorores retarda-
re executionem mandati favore Principis re-
18 laxati pro credito undique claro, & liqui-
do: multoque minus cum eo concurrere, ut
firmavit *Rot. cor. Bich. dec.*596. *num.*20. *in
rec. dec.*217. *num.*8., *& seq. part.*19., *& in
Bononien. Primogeniture de Ralcettis* 11.
Januarii 1700 §. *nec illiquiditas cor. R. P. D.
meo Scotto*. Præsertim quia consignatio pe-
19 cuniarum facienda Principi, vigore istius
mandati, erit eum obligatione restituendi
prioribus, & potioribus creditoribus, quæ
operatur, ut pecuniæ dicantur extare etiam
20 favore ipsarum Sororum, quoties justifica-
bunt eorum credita anteriora, *Salgad. in la-
byr. credit. part.*2. *cap.*6. *num.*5. *Rot. coram
Coccin. dec.*2348. *nu.*1. & fuit dictum in *pri-
ma decisione hujus causę* 10. *Decembr.*1703.
§. *Quia pr*ę*dicta cor. R. P. D. meo Caffa-
rello*.

Et ita utraque &c.

ROMANA STATUS ZAGAROLI SPER MANDATO DE RESTITUENDO

Lunæ 10. *Maii* 1706.

ARGUMENTUM.

Creditores cum assensu Domini directi in pretio rerum feudalium non amplius præferuntur illis sine consensu, juxtà opinionem olim vigentem: & si de tali tempore Princeps alicui gratiam fecerit parificationis, & prælationis creditoribus cum assensu; hæc immutata illa opinione, creditoribus sine assensu non obstet oris aperitio non conceditur, cum agitur de non comprahensione, & quando detur? cætera in Sommario.

In hac causa est proximè superior Decisio.

SUMMARIUM.

1 *Creditori posteriori pecunias ab anteriori avocare non licet.*

2 *Creditor super feudis cum assensu Apostolico, cæteris sine tali assensu præfertur.*

*Contrarium verius: quia nullum inter eos est discrimen, sed sola anterioritas attenditur, & num.*10.

4 *Præsertim si creditores anteriores etiamsi exteri illum habeant.*

5 *Et si habeant hypothecata bona allodialia.*

6 *Bona præsumuntur allodialia.*

7 *Feudalitas non infertur à jurisdictione territoriali, quæ omninè ab illa distat.*

8 *Auctoris factum nequit impugnari.*

9 *Verba* -- nel modo, forma, -- *&* -- in conformità -- *æquiparationem, & omnimodam similitudinem denotant.*

11 *Breve demandans, quod super pretio bonorum feudalium præferantur creditores cum assensu Domini directi, quia tunc talis opinio vigebat; Si postea contraria invaluerit, nullum discrimen constituens inter creditores cum assensu, vel sine; secundis non obstet, & quare?*

12 *In similibus, vel paribus per judicium esse debet.*

13 *Breve de vento non esse dicitur cum aliquid operetur.*

14 *Breve non dicitur nihil operari, quando declarat emptorum benè creditoribus solvisse, cum aliàs deponere tenetur, juncto num.*16., *&* 17.

15 *Emptor qui se obligavit pretium deponere ad commodum creditorum, si aliquibus libere solvit, & reliquum non deposuit; ad id etiam à creditoribus chirographariis cogi valet.*

18. *Utile dicitur Breve, quod creditori tribuit in bonis feudalibus parificationem illis qui sunt cum assensu, cum tunc opinio illorum prælationis vigeret; quamvis postea tamen fuerit immutata.*

19 *Retilitatem metimur à consilio, non ab eventu.*

20 *Gratia præjudicialis tertio sine derogatione regulæ de jure quæsita &c. non sustinetur.*

21 *Princeps derogare non censetur juri ab ipso ignorato, vel opinioni, quæ postea invaluit; non obstantibus clausulis quibuscunque etiam prægnantissimis, sed hoc dicitur non comprehensum, juncto numer.*26.

22 *Emptionis causam*, sine qua non, *dedisse dicitur illud, sine quo jam instrumentum fuit stipulatum.*

23 *Emptionis causa* sine qua non *ea dicitur cui adiicitur hæc declaratio.*

24 *Gratia concessa sub supposito unius opinionis, in tribunalibus, ea variata, corruit.*

25 *Oris aperitio rectè denegatur cum non est necessaria, quia nihil contra ejus tenorem petitur, & num.*28.

27 *Et solum procedit cum agitur de subreptione, & obretione, non verò cum res est de non comprehensione.*

29 *Gratia ad ea non extendi præsumitur, pro quibus nec supplicatum fuit.*

DECI-

DECISIO CCCCXV.

Juxta Facti seriem relatam in Decisione edita die 27. Martii superioris anni coram R.P.D. meo Muto, & in altera quæ prodiit hodie coram me tanquam in illius locum subrogato, habetur, quod Princeps Joannes Baptista Ludovisius postquam obtinuerat à Sa.Me. Clemente IX. licentiam vendendi Statum Zagaroli favore d. Ducis Joannis Baptistæ Rospigliosi sub ea lege, quod pretium partim erogaretur in extinctionem Montis Zagaroli, aliorumque Montium Cameralium, partim verò in extinctionem Censuum, aliorumque debitorum anteriorum, & potiorum, cum præstatione solitæ cautionis de restituendo prioribus, & potioribus. Ad actum effectivè venditionis dicti Status devenit favore præfati d. Ducis pro scut.885000. sed ex dicto pretio alterando conventionem, ut supra initam penès se scut.63920. retinuit ratam scilicet scut 40000. pro prætio Villæ Pincianæ, quam cla. me. Cardinalis Jacobus Rospigliosus ejus Actor emerat ab eodem Principe Ludovisio, sub pacto redimendi, & alia scut.23929. quæ dicto Principi venditori liberè persolvebat, de quibus summis, ut se ratum redderet, supplicavit Sa.Mem. Clementem X., ut approbaret venditionem & solutionem prædictam, quod obtinuit sub ea conditione -- *In caso, che col restante del prezzo di detta vendita possano essere sodisfatti tutti, e singoli Creditori, che hanno obligato, & hipotecato per li loro crediti col beneplacito Apostolico il detto Stato di Zagarola.*

Cum autem Dux Maria ab Altemps Creditor bo.mem. Principis Nicolai Ludovisii consequutus fuerit scut.13000. -- ex prætio Castri Fiani, & subindè per tres Sententias hujus nostri Tribunalis condemnatus fuerit ad restituendum ex illis D. Marchioni Fulco, & aliis de Rinuccinis Creditoribus anterioribus summam scut. 29757. 67. Judicium intentavit contra dict. Principem Joannem Baptistam Burghesium Creditorem posteriorem d. Principis Ludovisii cor. R.P D. Thesaurario tamquam Præfecto illustrissimæ Congregationis Baronum prò restitutione scut. 25065., quæ ipsi solutæ fuerant ex causa Census posterioris ejusque fructuum, & mandatum reportavit. Propterea idem d. Princeps Burghesius institit coram eodem Thesaurario pro consequenda recuperatione prædictæ summæ per eum restitutæ contra d. Ducem Rospigliosum retinentem d. summam sc.63930. -- Et quamvis succumbuerit, nihilominus obtinuit comitti causam ex integro R.P.D meo Caffarello, qui procedendo cum facultatibus A.C præviis geminis Decisionibus editis die 10. Decembris 1703., & 12. Junii 1704. relaxavit mandatum pro dict. scut. 25065. contra eumdem d. Ducem Rospigliosum, ad cujus provocationem citatis tam d. Duce ab Altemps quam d. Marchione Rinuccino, aliisque Creditoribus directa fuit commissio R.P.D. meo Muto cum clausula -- *Si quid exequendum quoad omnes, subscriptoque duplici Dubio*; Primo scilicet -- *An mandatum Rotale sit exequendum* -- Et secundò -- *An, & pro qua summa, & contra quos sit relaxandum mandatum de restituendo* -- Sub die 27. Martii superioris anni, respectu primi fuit responsum - *pro executione mandati Rotalis* & dilata resolutione quoad secundum. Curarunt partes obtinere aperitionem Oris adversus dict. Breve à Sa Me. Clemente X. favore Ducis Rospigliosi concessum, adeundo ad hunc effectum Signaturam Gratiæ, & quamvis eam consequi non potuerint, quia prodiit rescriptum -- *nihil de aperitione oris* - Nihilominus curarunt per me in locum R.P.D. mei Muti suffectum iterum proponi causam, unde consuluit DD. nedum super Dubio aliàs resoluto, sed etiam super altero, cujus Decisio dilata fuerat, & DD. quoad primum *perstiterunt in Decisis*, ut in alia contemporanea Decisione, & quoad aliud responderunt, *nullum esse relaxandum mandatum, neque contra Rinuccinos, neque contra Ducem ab Altemps*.

Cum enim d. Dux Rospigliosus ex Prætio Status Zagaroli retineat sc.63930. pro creditis supra recensitis longe posterioribus, illi concedi non potuit mandatum de restituendo dictam summam sc.25065. pro quorum solutione condemnatus fuit favore d. Principis Burghesii, quia tanquam posteriori eidem permissum non est pecunias ab anterio-
1 ribus avocare. *Card. de Luc. de credit. disc.62. num.6. Rota dec 514. num.1., & seq. coram Merlin dec.834 num 1. coram. Emerix, & in Romana Census 17. Junii 1692. §. clarè coram bo. me. Ursino.*

Non obstat, quod admissa anterioritate, cum nulla sit quæstio circa eam inter Partes, d. Dux Rospigliosus ex dicto Chirographo sa. me. Clementis X. æquiparatus fuerit cæteris creditoribus anterioribus, & potioribus ibi -- *Volendo che per le sudette somme il medesimo Gio. Battista Compratore restituto, e sicuro nel modo, e forma appunto, & ad instar del restante del prezzo da pagarsi à creditori anteriori, e potiori* -, & proprereà ipse tanquam privilegiatus à Papa, ut
2 habeatur ad instar creditoris cum assensu, potior censeri debeat dd. aliis creditoribus collitigantibus Apostolico assensu destitutis.

Etenim hujusmodi Breve, quod in substantia solum continet approbationem retentionis summæ liberè solutæ, nihil prodesse po-
3 tuit, dum hodie inconcussa viget opinio, quod nullum sit discrimen inter creditores cum assensu, & alios, qui illo carent, juxtà plenas decisiones 970 §. *finali*, & 964. *fere per totam coram Emerix, cum quibus processum fuit in Romana Pecuniaria 11. Januarii §. penultimo, & 17. Maii 1700. §. rejecto coram Rmo D. meo Decano, ac 27. Junii 1701. §. Præsentiebant coram R. P. D. meo Muto*, itaut proindè veniat dum-

taxat

taxat attendenda anterioritas, juxtà quam creditores sunt præferendi

Quæ opinio eo certius viget in præsenti hypothesi, ex quo respectu illorum de Ri-
4 nuccinis concurrunt speciales facti circumstantiæ, quod scilicet ipsis non deficiat assensus Apostolicus, dum à fan. me. Urbano VIII. habilitati fuerunt ad acquirendas quascumque obligationes, & hypothecas super bonis stabilibus Status Ecclesiastici, non secus, ac si essent Subditi. Addito etiam
5 quod cum ipsi haberent hypothecata bona allodialia, & signanter nonnullas Tenutas, & palatium in platea Columnæ, eo ipso, quod hæc omnia fuerunt compræhensa in deliberatione una cum Castro Fiani, ad quod ex speciali gratia fan. me. Clementis IX. fuerant translatæ omnes hypothecæ, quibus palatium erat affectum, cessabat quoad eos necessitas obtinendi assensum Apostolicum, ut in specie fuit firmatum eorum favore *in dictis decisionibus editis in Romana Pecuniariâ coram Rmo D. meo Decano, & R.P.D. Muto supra allegatis*.

Respectu verò ducis ab Altemps, ultra quod cessat quoad eum objectum forensitatis, animadversum fuit, quod illius census fuit impositus super Tenuta delle Marmorel-
6 le, quæ erat allodialis, ut de jure præsumitur; *ad Text. in cap.1. §. Primo. Si de feudo fuerint controversia inte Dominum, & Agnatum Rossental. de Fend. cap. 12. conclus. 14. num. 10., & seq., Concer. var. resol. lib.1. cap.11. num.31. Rota coram Buratt. dec.426. num.3., & coram Duran. decis.28. nu.23., & seq.* Non obstante, quod alias fuerit admissa qualitas Feudalis ejusdem Tenutæ, quoniam id fuit enunciatum respectu Jurisdictionis Territorialis, ut ple-
7 nè resultat ex laudo prolato à Cardinali Magalotto Judice compromissario. Unde ab ea inferri non valet ad Fœudalitatem toto cælo diversam, *Rip. in l. 1. num.16. ff. de acquiren. possess. adden. ad Buratt. dec.29. nu.22. cum. seq.*

Accedit ulterius quod, & ipse Dominus Dux habebat obligatam Tenutam Paliarani, quæ tanquam libera fuit recepta à Principe Joanne Baptista Ludovisio, & cum ab eo causam habeat Dux Rospigliosus, nequit
8 ille hujusmodi libertatem impugnare, ex deductis *per Surd. cons.135. num.32., & seq. Rocc. discept. Jur. cap.58. num.7. Rota in Cavallicen. Homaggi 30. Martii 1699. §. Tertio in eisdem coram Rmo D. meo Conchen.*

Ex quibus cum rectè pateat, quod non solum nulla intercedit differentia inter creditores cum assensu, vel sine eo contrahentes, sed etiam quod ex abundanti, vel assensum Apostolicum habent, vel eo non indigerunt dicti fratres de Rinuccinis contra quos nihil prætendere scribentes pro Duce Rospigliosо profitebantur), & dictus D. Dux ab Altemps, consequens est, quod nihil possit suffragari D. Duci Rospigliosо potioritas desumpta ex Chirographo fa. me. Clementis X., in quo concessa legitur gratia retinendi scut.63930., ac si essent soluta creditoribus anterioribus, & potioribus, cum in eo additum fuerit, quod dictis Dominus Dux remaneret -- *Tuto, e sicuro nel modo, e forma appunto, & ad instar del restante prezzo da pagarsi à creditori anteriori e potiori in conformità delli Chirografi di Clemente IX.* -- quæ verba sicut æquipara-
9 tionem, & omnimodam similitudinem denotant, ex relatis *per Martam de claus. p.1. claus.296. n.1. Borbos. eodem tractat. claus.5. num 3., & 4.*, ita secum ferunt, quod ex tenore Chirographi prædicti semper preferri debent omnes creditores anteriores etiam sine assensu, adeout sicut ex Brevi fan. mem. Clementis IX. potuissent isti spoliare creditores cum assensu quatenus essent posteriores;
10 quoniam juxtà ultimam nostri Tribunalis opinionem, nullum jus potioritatis habent creditores cum assensu, ita, & dici debet attento posteriori Brevi fan. mem. Clementis X., & in quo fuit D. Dux Rospigliosus parificatus aliis creditoribus, atque ideo debet, & ipse pati spolium ab anterioribus sicut alii creditores cum assensu passi fuerunt.

Quamvis autem in hoc ultimo Brevi legatur facta distinctio inter Creditores cum assensu, quorum favore demandata fuit solutio pretii Zagaroli, & alios sine assensu, quibus Consultum remansit mediante extinctione 800. Locorum Montium Fiani, à Summo Pontifice ordinata, ut per eam bona eisdem obligata liberа redderentur ad commodum aliorum Creditorum, qui non habebant assensum, tamen nihil inde inferri potest ad determinationem præsentis con-
11 troversæ, cum solum ex eo deducantur, quod voluerit pretium distribui juxtà opinionem tunc vigentem, quod Creditores cum assensu præferendi essent illis, qui assensum non reportassent, verum quia hodie procedit contraria opinio, ideo retorquendo objectum sicuti, hic, & nunc Creditores cum assensu pati debent, & de facto passi sunt avocationem pecuniarum à Creditoribus anterioribus, quamvis non essent assensu muniti, ita, & pati debet D. Dux Rospigliosus, non obstante dicto Brevi, quod non constituit jus novum, & independens servandum dumtaxat super pretio status Zagaroli, sed tantùm præsuponit opinionem tunc vigentem, & ad illius formam mandat distributionem pretii. Et sanè nulla potest considerari ratio, per quam Creditores, qui verè, & cum effectu assensum impetrarunt, teneantur, hodie restituere pecunias Creditoribus anterioribus etiam sine assensu, & non teneatur D. Dux, qui illum non habet, nisi per fictionem, & æquiparationem dumtaxat cum Creditoribus habentibus assensum ex sola gratia. & per similitudinem, ac parificationem, cum tamen in similibus, vel paribus, impar, & dissimile

12 Ju-

12 Judicium proferendum non fit *ex Gloss. in cap. inter incorporalia §. Sicut enim verbo similitudinem de translatione Episcopi, Rota dec.327. n.7. par.1., & dec.632. num.2. par.19. recent.*

Replicatio autem quod si res ita se haberet Breve fa. me. Clementis X. redderetur de vento, & gratia inutilis remaneret, nui-
13 latenus verificatur in facto; quoniam præceteris adverterunt Domini, quod Dux, ex forma primi Brevis, tenebatur totum, & integrum pretium deponere ad commodum Creditorum, ut convincitur ex ejus lectura, & advertitur in *Romana Status Zagaroli in decisione hujus Causæ edita 27. Martii 1705. §. Quoniam cor. R. P. D. meo Muto*. ipse verò in actu emptionis contra dictam
14 legem convenit, quod pro rata scut.23930. libera solveretur in manibus Venditoris, & pro rata scutor.40000. penes se retineretur, quamobrem potuissent quicumque Creditores etiam Chirographarii D. Ducem Emp-
15 torem cogere ad iterum solvendum dictas ratas, easque deponendum ad commodum omnium Creditorum, prout in dicto Brevi demandatum fuerat, & tamen hoc damnum evitavit ex gratia Clementis X. qui præfatas solutiones approbando, indulsit, ut ille tutus, & securus foret, ac si solutio suisset facta anterioribus, itaut proindè liber exi-
16 steret à molestiis, quas recipere potuisset ab aliis Creditoribus pro deponendo summam alias contra formam primi Brevis persolutam, quæ circumstantia benè ostendit, quam utilis fuerit gratia in secundo Brevi reportata.

Ulterius non modica utilitas resultat ex eo, quod pro hujusmodi solutione, & respectivè retentione nullum potuisset jus allega-
17 ri adversus Creditores Hypothecarios, qui adhuc easdem summas repetere valuissent, & tamen hodie D. Dux remanet ab hoc periculo vigore secundi Brevis immunis, quia fuit æquiparatus cæteris Creditoribus anterioribus, quibus ex vi primi Brevis jus competiisset, ac tandem crescit utilitas ex pa-
18 rificatione Creditorum cum assensu ei concessa in hoc secundo Brevi, & quam vis hodie ob immutatam opinionem parificatio non suffragetur, tamen id contigit ex accidenti, & utilitas metienda est à consilio,
19 non ab eventu, *Rota cor. Priolo dec.382. num.22. & seq., & in rec. dec.191. num.16. par.17.*

Et ex his promanat responsio ad cætera objecta, quod scilicet hic concurrat derogatio regulæ de jure quæsito non tollendo, & quod alias nisi competiisset retentio prædictæ summæ sc.63930. D. Dux non contraxisset. Etenim respectu primi animadversum fuit, quod derogatio dictæ regulæ respicit dumtaxat æquiparationem factam Creditoribus anterioribus pro summa inde-
20 bitè soluta, quod utique erat valde illis præjudiciale, & gratia sine tali derogatione, neque in hac parte suffragari valuisset, sed hoc nihil commune habet cum præsenti quæstione, in qua agitur de restitutione facienda Creditoribus anterioribus supervenientibus, juxta novam opinionem, ex post firmatam, & de qua nec verbum factum fuit in ullo ex Brevibus reportatis, imò
21 nec fieri poterat, quia provideri nequibat, & sic tanquam jus à Supremo Pontifice ignoratum nunquam censeri potest in derogatione comprehensum, non obstantibus quibuscumque clausulis, quantumvis prægnantissimis, *Terret. cons.32.n.49. Paris. cons.11. n.120. Decian. cons.40. n.88. lib.3. Barbos. clausf.42. n.11 Rota cor. Dunoz., & Jun. dec.131. n.4., & in recent. dec.147. num.23. par.11.*

Quò verò ad secundum, responsio habetur ex ipso facto D. Ducis, quomodò enim dici poteit, quod alias non emisset, si longe
22 antequam Breve cum dicta gratia retentionis reportasset, jam stipulatum fuerat Instrumentum emptionis, & quod plus est possessionem Status Zagaroli apprahenderat, adeoni solum ad majorem Cauteiam iterum illam post dictum Breve acceperit. Ultrà quod si bene advertatur talis expressio, quod aliàs non emisset, refertur dum-
23 taxat ad cautelas, & securitates, sine quibus contractum inire potuisset, ut clarè convincitur ex lectura Instrumenti ibi -- *Servata in omnibus, & per omnia forma præscripta in Chirographo Clementis IX. signanter quoad Cautelas, & securitates D. Joannis Baptistæ Rospigliosi emptoris, qui alias non emisset -- & benè fuit firmatum in decisione R. P. D. mei Muti §. Vigore*. Et in omnem casum satisfacit animadversio, quod jam gratia in omnibus, & per omnia suum sortita fuit effectum, quousque firma remansit opinio super prælatione Creditorum cum assensu. Variata autem opinione necesse quoque fuit, quod corrueret gratia concessa sub dictæ opinionis præsupposito.

Quibus ita positis, mirum non est, quod petita aperitio oris adversus dictum Breve Clementis X. concessa non fuerit per signa-
25 turam Gratiæ. Quoniam constiti, quod ea non erat necessaria in isto casu, quo nihil contra illius tenorem petitur, imo omnia ad ejus executionem, & perfectionem con-
26 ducunt. Etenim si ipsi Summo Pontifici non poterat innotescere opinio, quæ ex post supervenit circà pacificationem Creditorum cum assensu, vel sine, & per consequens hoc non erat comprehensum in Brevi, nullatenùs opus erat aperitione oris, quæ solùm procedere debet ubi opponitur de subreptio-
27 ne, vel obreptione, secus autem ubi solum agatur de non comprehensione. *Gonzal. ad regul.8. Cancell. gloss.32. num.51. Boer. decis.286. circa finem, Rota dec.119. num.4. par.5. recent. Merlin. dec.827. n.3.*

Rursus si ad limites ipsius met Brevis, ejusque sensu rigorosè retento, adhuc Dominus Dux non potest habere meliorem
28 conditionem, quam haberent Creditores, qui

qui cum assensu contraxissent, dum illis fuit parificatus, & in qua parificatione consistit tota substantia gratiæ, necesse non erat ulla aperitio oris adversùs illud, quia sicuti Creditores, qui verè habent assensum, tenerentur restituere anterioribus, ita etiam admisso quod D. Dux habeat eadem privilegia, adhuc & ipse teneretur restituere anterioribus, ut supra firmatum fuit.

Imò hæc ipsa denegatio aperitionis oris ostendit, quod in dicto Brevi nihil statutum fuerit in tertii præjudicium, dum non potuit esse de intentione Pontificis concedentis, quod gratia adeò singularis, & exorbitans elargiretur, ut per eam D. Dux remaneret immunis, & securus ab hypothecis Creditorum anteriorum, quando nec pro ea supplicatum fuerat.

Et ita omnibus hinc Indè informantibus resolutum fuit.

EUGUBINA CAUTELÆ ANGELI.

Veneris 14. Maii 1706.

ARGUMENTUM.

Detractiones non impedit filio defectus Inventarii, nec alienationes modicæ, vel factæ pro testatoris debitis (etiam contractis nomine filii: cum ejus mandatum non adest, & commodum tantum Patris respiciunt) vel nisi probentur factæ ex causa voluntaria, & cur? Cautelam Angeli allegans eamdem probare tenetur. Hypotheca à testatore contracta cum obligatione etiam bonorum hæredis, à die aditionis eadem afficit, etiam si hæreditas cum beneficio Legis, & Inventarii sit adita: cum tamen ratio non redditur. Fructus dotis constitutæ in bonis fructiferis debentur etiam filiis soluto matrimonio: secus vero si eadem bona dotalia consentiente muliere à Viro fuerint alienata, & cur? Augumentum bonorum quando dos consistit in pecunia ad cujus commodum vergat?

SUMMARIUM.

1 *Debitoris hæres mandati executionem super bonis liberis impedire nequit sub prætextu fideicommissi in modica parte bonorum.*
2 *Detractionibus sibi debitis filius non privatur ex solo inventarii defectu.*
3 *Amplia etiam si concurrant detractiones, quæ respectivè ad fideicommissum sunt modicæ, & num 22.*
4 *Alienationes factæ pro dimittendis fideicommittentis debitis, non sunt fideicommissario imputandæ.*
5 *Debitum alieno nomine contractum, nisi constet de mandato procuræ, contrahentis damno imputatur.*
6 *Contractus præsumitur factus proprio nomine; cum super propriis bonis cadit.*
7 *Bono alienata pro Patris debitis, in filii legitimam imputari nequeunt.*
8 *Alienationes, nisi probentur voluntariæ, nunquam detractiones in fideicommisso consumunt.*
9 *Cautelam Angeli allegans concludenter probare tenetur, quod titulo fideicommissi, vel alio, bona retenta possidet.*
10 *Mulieris patrimonium in sola dote consistens præsumitur.*
11 *Filius detrahere debet ex maternis bonis legitimam.*
12 *Fructus post scientiam, & urgentiam creditorum, hæres non lucratur.*
13 *Hæredum bona obligari rectè possunt.*
14 *Hæres à die aditionis contrahit hypothecas pro debitis, in quibus ineundis auctor hæredum bona obligavit.*
15 *Hæres licèt hæreditatem adeat cum beneficio legis, & inventarii, cum rationem non reddiderit; habetur pro hærede simplici.*
16 *Et tunc ab initio contrahit hypothecas, quæ ab auctore fuerunt ordinatæ.*
17 *Mulieris hæres exigere potest ex æquitate, seu justitia commutativa, fructus dotis datæ in re fructifera, & num. 19.*
18 *Secùs si constante matrimonio eum Uxoris consensu bona in dotem data fuerint alienata: ideoque infructifera remanserint.*
20 *Dotis consistentis in pecunia, pro qua bona in solutum data fuerunt, augumentum cedere debet in commodum viri illorum domini, non verò Uxoris.*
21 *Mulier habens dotem constitutam in pecunia, pro qua bona in solutum recepit, est creditrix pecunioria, non autem bonorum.*

DECISIO CCCCXVI.

Fratres de Conventnis uti creditores Comitis Mutii Senioris, & Annibalis de Benis vigere census in sorte scut. 1000. ab istis impositi usque ab anno 1618. obtinuerunt ab A. C. mandatum pro fructibus decursis, & non solutis contra bona hæreditaria nedum impositorum, sed etiam Co: Francisci eorum hæredis modò per Co. Mutium juniorem dicti Comitis Francisci filium retenta, non obstante cautela Angeli in *L. à Diva Pio §. si res ff. de rei vindic.* per eundem Mutium juniorem opposita, cumque pro ejusdem mandati executione, rejecta præfata cautela, responsum fuerit coram R. P. D. meo Omaña, hodie causa in gradu appellationis mihi denuò commissa cum clausula -- *Alteri qui ad legitimam* -- Domini proposito de more dubio, & agnita mandati justitia, *ad illius legitimam executionem procedendum* esse censuerunt.

De credito enim nulla fuit inter Partes dubitatio, solumque difficultas restricta extitit ad exceptionem deductam ex dict. cautela Angeli, quæ duplicis fideicommissi titulo innixa dicebatur, unius scilicet à Com: Ubaldo, & alterius à Julia Mazzia ordinato: Verum ex iisdem rationibus latè deductis in *decis. R. P. D. mei Omaña*, neutrum ex dictis fideicommissis obstare visum est; quoniam

niam respectu illius instituti per Co. Ubaldum, quidquid sit de identitate bonorum super qua Partes modo non insistebant, adverterunt DD. quo ille medietatem bonorum dumtaxat fideicommisso supposuit, aliam enim medietatem liberè reliquit Patribus S. Dominici, quæ deinde acquisita fuit à Co. Mutio seniore debitore illorum de Conventinis; quamobrem cum ista quantitas remaneat libera, & ab alia medietate, quæ fuit fideicommisso supposita detrahenda sit legitima eidem Co: Mutio debita; jam indè patet, quod sub prætextu fideicommissi
1 in modica parte bonorum debitor impedire
nequit executionem mandati super bonis liberis à se possessis.

Et licet replicetur, quod tam rata competens pro ligitima super medietate bonorum, quam etiam alia integra medietas libera, fuerit consumpta attento defectu Inventarii, & pluribus alienationibus per Com.
2 Mutium juniorem expletis, cessavit ex facto difficultas. Præmisso enim, quod solus defectus Inventarii filium suis detractionibus privare non potest, *ut præter authoritates adductas in præterita hujus causæ decis. sub die 23. Martii 1703. §. Non attento coram R. P. D. meo Omanna* firmavit *Rota coram Emerix jun dec.135. num.2. in rec. dec.541. num.22. par.5., & dec.312. num.31. par. 17.*

Nullum potest constitui fundamentum in alienationibus, cum istæ non verificentur nisi respectu prædii nuncupati *de Valbina*, quod prò rata pertinente ad fideicommissum est in modica summa scut.400., itaut habita
3 ratione opulentæ hæreditatis, dicatur modica, ideoque inepta ad inducendam præsumptam satisfactionem legitimæ. *Rota coram Emerix jun. dec. 1223. num. 19., & plenè in dicta. dec. hujus Causæ d.§.Non attento.*

Reliquæ verò alienationes florenorum 3900. novitèr deductæ, nullam ad istum effectum meruerunt animadversionem, cum
4 fuerint factæ per Ubaldum fideicommittentem pro dissolvendis debitis per ipsum contractis. Non obstante responsione, quod ille
5 contraxerit etiam nomine filii; id enim nihil operatur, tum quia nullibi constat de mandato filii dato Patri ad stipulandum proprio nomine, tum etiam, quia agitur de bonis ad dictum Ubaldum spectantibus; Id-
6 circò contractus, non nisi ejusdem commodum respicere dicendum est, ac per consequens in legittima Mutii imputari summa prædicta minimè potest.

Super extantia autem bona descripta in Inventariis Ubaldi, & Mutii Senioris, quæ
7 deficere supponuntur, non probantur alienata à Mutio juniore, nec in quam causam, & sufficit quod alienari potuerint ex causis necessariis, vel debitorum fideicommittentis, vel dotium, vel aliis de causis contra
8 fideicommissum urgentibus, itaut nisi probetur alienationes voluntariè fuisse factas, nunquam præsumi valeat detractionum consumptio, *Rota dec.1146. num.6. coram bo. me. Emerix, & in Romana detractionum 22. Martii 1685. §. Quoniam cor. bon.mem. Benincasa* fuitque plenè firmatum *in decis. præcedentis instantiæ coram R.P.D. meo Omanna §. Absque eo quod*. Prout de facto docetur de prædiis *del Musino, e di Castiglione*, quæ per Comitem Mutium juniorem prò dotanda communi sorore distracta fuerunt.

Atque ex hiis opus non est respondere objecto, quod bona posita in Villa, quæ dicitur *della Colunnata*, aliaque in Territorio *Podii Manentis*, & Castri *Pascelupi*, non probantur provenire à debitoribus census. Quoniam ultrà quod ex juribus novitèr productis, constat verè fuisse à præfatis debitoribus acquisita, satis est advertere,
9 quod tenebatur is, qui allegavit cautelam Angeli probare, quod titulo fideicommissi, vel alio bona retenta possidebat, & quidem per claras, & indubitatas probationes, *Rot. dec.464. num 1. coram Priol., & dec.514. num.10. p.19. rec.*

Minusque obesse potest cautela Angeli allegata prò altero fideicommisso Juliæ Martæ; filius enim dos in qua totum suum Pa-
10 trimonium, & fideicommissum consistere præsumendum est, non excedit scut. 4000. monetæ Urbini, ex quibus detrahenda ve-
11 nit legittima debita Francisco ejus filio, quæ cum absorbebat tertiam partem dotis, remanet Patrimonium in scut.266.66, à quibus demenda sunt scut.1567. per d. Juliam de proprio in dotem tradita Catharinæ filiæ; residualis verò summa consumpta remansit ex fructibus per Mutium juniorem perceptis usque ab anno 1663., quando præsens lis
12 contestata fuit, & sic postquam in mala fide constitutus fuerat per scientiam, & urgentiam creditorum: Unde evanuit de sui natura totum creditum dotale Juliæ, & prætensum fideicommissum ejusdem, ut latè probat *Decisio R.P.D. mei Omanna §. Quo verò.*

Nec juvat, quod legittima Francisci ut obligata prò dote Elisabetthæ Uxoris, & respectivè Matris Co: Mutii junioris. Quia cum in impositione controversi census Mutius Senior obligaverit favore illorum
13 de Conventinis etiam bona suorum Hæredum, prout rectè illa obligare potuerat, *ad Text. in l. unum ex familia §. Si rem ff. de legat. 2.; & in l. filius familias ff. de legat. 1.* firmavit *Rota coram Duran. dec.93., & coram Coccin. decis. 1807. utrobique n.2.* Et Franciscus illius hæreditatem adive-
14 rit, in compertum venit, quod a die aditionis, hipotheca pro d. censu incepit, & sic anterior remansit hypothecæ dotali Elisabetthæ. Non attento, quod Franciscus hæreditatem adiverit cum beneficio legis, & Inventarii. Quià cum ob non redditam rationem condemnatus fuerit in bonis propriis
15 habetur, acsi esset hæres simplex, cum idem sit Inventarium non conficere, ac post illud

illud confectum non reddere rationem de bonis in Inventario descriptis, *Rot. dec.*469. *num.*6. *coram Bich.*, *&* *dec.*535. *num.*1.*p.*5. *&* *dec.*39. *num.*7., *&* 9. *p.*6. *rec.* Ideoque
16 usque ab initio dicitur præstitus consensus hypothecę expressè à Testatore ordinatæ, & ab herede ratihabitæ per immissionem sine legitimo titulo, qui pro redditione rationum deservire valeat, *Rot. disput. jur. capit.*50. *num.*43., *&* *seqq. Rota in Eugubina Salviani* 15. *Febr.* 1686. *cor. bo. me. Ursino*:

Pariterque non afficit, quod Dos Juliæ esset fructifera, tanquam soluta cum bonis
17 fructiferis, exindè inferendo, quod ex quadam æquitate, seu justitia commutativa, Mutius fructus prędictos in proprium commodum, & respectivè in præjudicium creditorum exigere potuerit. Etenim bona fructifera, quæ in solutum ratione Dotis assignata fuerunt constante matrimonio, & de
18 consensu ejusdem Juliæ alienata quoque apparent. Unde Creditum dotale remansit infructiferum, quia sicuti post alienationem Vir, & ejus heredes non perceperunt fructus dd. Bonorum, ità nec ad solutionem eorumdem, dissoluto matrimonio tenentur. Quapropter cessabit ratio illa æquitatis, quæ in his terminis considerari solet, quia
19 Dos non peperit fructus favore hæredum viri, qui proindè è converso ad nullos fructus sunt obligati, cum illi debeantur eo tantum casu, quo ex re Dotali tantundem ab eisdem perceptum fuerit. *Rota in Pisauren. Dotis* 16. *Maii* 1692. §.*Considerando*, *&* *seqq. cor. R. P. D. meo Priolo*, *confirmata* 27. *Aprilis* 1683. *per tot. pariter cor. eodem*.

Minimè refragante, quod Dos Juliæ non esset sc.4000. sed sc.5125. pro quo pretio fuerunt alienata bona dotalia. Quoniam, ultrà quod, id plus valoris procedere potuit, vel ex novis acquisitionibus in iisdem confinibus, per Virum factis, vel ex melioramentis. Attamen cum dos consisteret in
20 pecunia, & bona fuerint data in solutum, illorum augumentum cedere debet in commodum viri ipsorum Domini, non autem Uxoris, qui dicitur Creditrix tantum peceniæ, non autem bonorum, *ad Text. in l. quoties* 5. *&* *l. si inter* 21. *ubi gloss. &* *Doctores C. de jur. Dot.* firmavit *Rot. cor. Dunozet. jun. decis.* tat. *n.*2., *&* *cor. bo. mem. Emerix dec.*199. *num.*2.

Hæc omnia Dominis superabundare visa fuerunt ad repellendam cautelam Angeli per Co: Mutium allegatam, & ad declaran-
21 dum, non esse locum præservationi fideicommissi, saltem in ea parte, quæ remanet post dd. detractiones, quia tot, tantaque sunt bona libera, & signantèr ex illis, quæ descripta sunt in Cautela, ut longè superexcedant Creditum, pro quo agunt Fratres de Conventinis, itaut possit Co: Mutius commodè satisfacere hujusmodi debito, salvis etiam bonis fideicommissariis.

Et ita utraque &c.

ROMANA, SEU CABILONEN: ORDINIS CISTERCIEN. CONTRIBUTIONUM.

Veneris 14. *Maii* 1706.

ARGUMENTUM.

Agitur, an Procurator generalis Cisterciensium teneatur à singulis Monasteriis contributiones debitas exigere, vel potius alii procuratores ejusdem ad eum transmittere, & resolvitur favore Procuratoris generalis, & datur eidem in hoc jure manutentio ex rationibus, de quibus in decisione. Confirmatur dec.456., & declaratoria relaxatur dec.....

SUMMARIUM.

1 *Mandatum merito relaxatur contra eos, qui ratione proprii officii sunt obligati.*
2 *Solitum, ab unico etiam actu desumitur.*
3 *Et a diuturna observantia desumpta etiam ab Epistolis.*
4 *Manutenibiles non sunt actus mere voluntarii, & facultativi, nisi probata coactione.*
5 *Consuetudo restrictiva libertatis sine coactiva nequit induci.*
6 *Procuratores Ordinis Cisterciensis ad tale officium assumuntur sub tenore litterarum, in quibus injungitur obligatio sollicite exigendi, & procurandi receptionem pecuniariam in suis particularibus Monasteriis, illasque exactas solvendi cui de jure, vel ex consuetudine inveterata solvi contingerit.*
7 *Obligatus pro exactione diligentias facere ex sua confessione, ab illa sub prætextu facultatis, vel urbanitatis resilere non valet.*
8 *Manutentio non retardatur ab unico actu contrario, cum de præcedentis obligatione pluribus, & iteratis actibus constat.*
9 *Procuratori generali Cisterciensium non congruit a singulis Monasteriis cum gravissimo incommodo, & expensis exigere summas levissimas debitas pro indigentiis totius Ordinis, & in recogtionem supremæ jurisdictionis Abbatis, & Capituli generalis.*

DECISIO CCCCXVII.

IN vim transactionis celebratæ usque de anno 1513., & successive confirmatæ à san. me. Pio IV. sub anno 1565. super contributionibus debitis à Congregatione Cistercien. Italiæ composita ex provinciis Lombardiæ, & Tusciæ Romanæ unitis pro indigentiis totius ordinis in recognitionem supremæ Jurisdictionis Abbatis, & capituli Generalis. Institit Prior Generalis totius Ordinis Cistercien. pro exactione earumdem occasione indictionis capituli Generalis factæ per d. Abbatem; sed renuentibus Procuratoribus Provinciarum congregationis Italiæ consuetas contributiones solvere, habitus fuit

fuit recursus ad Sac. Congregationem Episcoporum, & regularium, pro observatione, & quatenus opus sit confirmatione d. antiquæ transactionis anni 1513., cui placuit quoad confirmationem concordiæ exquirere votum hujus sac. Tribunalis; quo vero ad solutionem contributionum mandare, quod servaretur solitum.

Quapropter egit Prior Generalis cor. A.C. Petra pro manutentione in exactione illarum, mandatumque de manutenendo reportavit, quod deinde in hoc sac. Auditorio cor. Rm̃o D. meo Decano executioni demandandum esse responsum fuit. Appellantibus vero Procuratoribus provinciarum Italiæ, ac devoluta in suspensivo causa ad me, proposui dubium -- *An sit procedendum ad legitimam executionem*, & ad illam DD. procedendum esse responderunt.

Quoniam cum Sac. Congregatio præscripserit, quod circà controversas contributiones serveretur solitum, & recognitum fuerit solitum esse, quod Procuratores provinciarum habeant onus eorum officio annexum hujusmodi contributiones exigendi, illasque Priori Generali totius Ordinis persolvendi, ideo contra eosdem tanquam ratio-
1 ne Officii obligatos merito mandatum de manutenendo favore Procuratoris Generalis relaxatum fuit, *ad Text. in cap. veniens de transact*., *& cap. cum contingat. de jur*., firmavit *Rota in Vrgellen. Servitutum* 23. *Junii* 1699. §. *Minusque coram me*, *& decisio* quæ revidetur *coram Rm̃o Decano super Jurisdictione* §. *Si itaque*.

Solitum autem, quod etiam ex unico actu
2 diffinitur, *Barthol. in l. Mela ait* §. *Sed si alimenta num*.1. *ff. de alim*., *& lib. legat. Rota in rec. dec*.536. *num*.2. *par*.19., satis superque resultare visum fuit ex diuturna
3 observantia desumpta à quam pluribus epistolis, ex quibus patet, Priores Tusciæ, & Lombardiæ semper recognovisse tanquam proprium onus solutionem contributionum à Monasteriis provinciæ factam, & signanter ex epistola præsidis congregationis S. Bernardi Italiæ, in qua habetur -- *Per quel poco, che ella m'accenna intorno alle Tasse dovuteli sono certo, che i Priori Generali delle provincie Toscana, e Lombardia, non haveranno di bisogno di sperone per corrispondere à loro consueti pesi*, *ut in sum. præterito*, *Procuratoris Generalis super contributionibus num*.3., *&* ex alia consimili *d. summ. num*.15. *litt. B. In risposta della quale, le dico che dal mio ingresso alla Religione sempre hò inteso, e veduto, che le contributioni sono state pagate al P. Abbate Procuratore Generale di Toscana*, *& io similmente hò sempre fatto nel mio Governo*, *e se ne servano ricevute*. Et magis præcisè in altera scripta ad Procuratorem Generalem Ordinis per Procuratorem Lombardiæ, de qua *in d. summ. num*.10., ibi -- *deprecor eximiam charitatem P. V. Rm̃æ*, *quod non gravabit*, *nec provinciam meam ad solutionem omnium præteritarum contributionum* & ex aliis quam pluribus datis *in sum. Procuratoris Generalis*.

Non obstat, quod ex prædictis actibus oriatur tantumodo approbatio debiti contributionum, quod in substantia non impugnatur, licet ex illis non evincatur, quod prædicti Procuratores Italiæ teneantur adhibere diligentias, ut in eorum manibus conventus Provinciarum transmittant solutiones contributionum, quas si aliquando exegerunt, actus mere voluntarios, & facultativos fecerunt, ac proinde non manuteni-
4 biles, nisi probata coarctatione sinequa consuetudo restrictiva libertatis nequit induci.
5 *Postb de manut. observ*. 53. *num*.28. *Rota coram Coccin. dec*. 1048. *num*.8., *& in rec. dec* 2.4. *num*.25. *par*.19.

Contrarium enim convincitur, non solum ex lectura epistolarum, quæ mox recensitæ fuerunt, cum ex illis resultet positiva con-
6 fessio oneris solicitè exigendi, & procurandi receptionem pecuniarum in suis particularibus Monasteriis, illasque exactas solvendi, cui de jure, vel ex consuetudine inveterata solvi contigerit, ut habetur ex formulario litterarum, sub quarum tenore ad Procuratoris munus assumuntur, & de quo in similibus Congregationibus mentionem facit. *Tamburin. de Jur. Abb. in formul. impress. post Tract. tom*.1. *formul*.10 *fol*.479. *circa medium*. Verum etiam ex reiteratis confessionibus in aliis epistolis datis *in sum. Procuratoris Generalis* ibi -- *Sarò quanto prima da lei per sodisfare al mio debito, si diriverirla, come di pagare quanto potrò per le contributioni*. *Perdoni la tardanza*. num.5. *litt. B*, & in alia - *Mi sicuro sarà servita avanti la mia partenza della somma*, *che resta*, *& à me tocca &c*. -- *dicto summ num*.5. *litt. C*. ex quibus verbis clara resultare visa fuit confessio obligationis præcise exercendi
7 hujusmodi diligentias, itaut ab illa sub prætextu facultatis, & urbanitatis resilire non valeant *ad text. in cap. cum contingat de jur*. firmavit *Rota coram Mantic. dec*.267. *n*., *& in rec. dec*.159. *num*.3. *par*.17., *& in Vrgellen. Servitutum* 15. *Martii* 1697., *&* 13. *Junii* 1698. *utrobique* § *fin. coram bon. me. Vrsino confirmata* 22. *Junii* 1699. §. *Præsuppesita coram. Me*.

Nec relevat, quod Procurator Generalis alias recognoverit singula Monasteria Provinciæ Lombardiæ pro debitoribus, cum ab eisdem de facto dictas contributiones exegit. Etenim, ut bene advertitur in dicta decisione edita coram Rm̃o D. meo Decano, posita præcedenti obligatione, succes-
8 sivis, ac reiteratis actibus, unicus actus in contrarium gestus, vel ex urbanitate, vel ex altera causa in decisione prædicta relata, non est aptus manutentionem retardare, *Rota in dicta Vrgelen. Servitutum* 22. *Junii* 1699. §. *Minusque cor. Me*.

Maximè quia in dicta decisione Rm̃i D. mei Decani §. fin. firmatum fuit, quod Procura-

curatores Provinciarum Italiæ essent compellendi ad faciendum omnes possibiles diligentias pro exactione, cum alias nulla æquitas, aut congruentia patiatur, quod
9 Procurator Generalis totius Ordinis teneatur à singulis Monasteriis cum gravissimo incommodo levissimas summas exigere, quarum major pars consumetetur in expensis epistolarum, & Cambii.

Et ita utraque &c.

ARIMINEN. LEGITIMÆ.

Mercurii 2. Junii 1706.

ARGUMENTUM.

Periti judicium semel approbatum amplius impugnari nequit. De quo tempore existimandus sit bonorum valor ad effectum detrahendi legitimam, & an ex catastro firmiter, & cujus damno cedat posterior eorum diminutio: cætera in decisione.

Confirmatur juxta modum tom. sequenti die 8. Junii 1714.

SUMMARIUM.

1 *Periti judicium cui partes acquieverunt, non potest amplius impugnari: & unde acquiescentia ista desumatur.*
2 *Ampliæ etiam si peritus reservaverit aliquid justificandum, cum hoc non fuerit effectum.*
3 *Illatio fieri nequit de uno diverso ad aliud.*
4 *Valor bonorum ad effectum detrahendi legitimam valutatur juxta statum, in quo reperiebantur de tempore obitus patris.*
5 *Et bonorum diminutio posterior in hæredis non legitimarii damnum cadit.*
6 *Damnum ex casu fortuito domino cedit.*
7 *Valor bonorum temporis lapsu censetur mutatum.*
8 *In catastro bonorum æstimatio facta non est apta liquidare verum bonorum valorem: nam dumtaxat fit ad regulandum æstimum pro æquilibrandis repartimentis onerum cameralium.*
9 *Æstimationi factæ à Peritis standum est, dum non justificatur excessus, & cur?*

DECISIO CCCCXVIII.

In Judicio per Franciscum, & alios de Bonadies pro consecutione legitimæ detrahendæ ex bonis hæreditariis quondam Elisabettæ Aviæ in partibus introducto, fuerunt ab Actoribus, & respectivè à Judice ex officio pro Patribus Theatinis reis Conventis, & hæredibus d. qu. Elisabettæ electi periti pro valutandis bonis hæreditariis, qui citatis semper prædictis Patribus suas ædiderunt peritias constituentes hæreditatem d. q. Elisabettæ in summ. sc. 9942. ÷ quibus à nullo ex colitigantibus impugnatis. Judex mãdavit procedi ad ulteriora in expeditione mandati pro tertia illorum parte titulo legitimę debitæ præfatis fratribus de Bonadies, & in gradu appellationis cum fuisset coram Judice ab A.C. deputato electus peritus Curialis, ad effectum firmandi prædictum statum hæreditarium deductis expensis, & oneribus, pariter in eadem summa sc. 9942. liquidavit, & ad istius tenorem lata fuit sententia declarans super d. summa competere detractionem legitimæ pro tertia parte, quæ deinde in alia instantia confirmata fuit per aliam sententiam Rotalem Rmi D. mei Decani, à quâ comissa mihi appellationis Causa propositoque dubio sub die 19. Aprilis præteriti -- *An sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda*, quia Patres Theatini excitarunt prætensionem, quod bona hæreditaria fuissent à Peritis excessivè valutata, dilata fuit resolutio, & injunctum ut strictè scriberetur super valore bonorum d. qu. Elisabettæ; quapropter cum iterum in præsenti præfatum dubium proposuerim, & posthabitis aliis articulis, totum Causæ momentum unicè restrictum fuerit ad examen d. valoris, DD. agnoscentes præfatam exceptionem esse prorsus irrelevantem *pro confirmatione* sententiæ Rotalis respondere non dubitarunt.

Etenim cum valor bonorum liquidatus fuerit per Peritos judicialiter electos, & respectivè ex officio à Judice deputatos propter contumaciam Patrum suos eligere recusantium, & ab illorum relatione nulla fuerit interposita appellatio, quinimmo Patres passi fuerunt decretum procedi ad ulteriora in Causa, utique ipsi censentur petitorum judicio aquievisse, ideoque non possunt amplius illud impugnare; *ad Text. in l. arbi-*
1 *tric ubi gloss. ff. qui satisd. cog. Rot. coram Dunozet. jun. dec.* 639. *n* 9. *decis.* 669. *n.* 3. *cor. Bich. dec.* 564. *n.* 8. *cor. Priolo dec.* 234. *n.* 3., *& in rec. dec.* 98. *n.* 2. *par.* 14. Non attento quod Peritus Curialis reservaverit jura Patribus contrarium justificandi circa valorem bonorum ibi -- *Senza pregiudizio delle raggioni, che li Padri pretendono di poter giustificare, che la stima di d. podere, e dell'altri &c.* Quoniam usque adhuc nihil
2 fuit adductum, quod relevet ad justificandum majorem valorem bonorum, ut constitit singula corpora examinando.

Quò enim ad Prædium S. Christinæ excessus non probatur, ex quo medietas illius fuerat per Casimiram de Bonadies data in solutum Elenæ Janottæ incomputum suæ dotis pro scut. 1292. ÷ itaut proindè altera medietas spectans ad hæreditatem Elisabettæ, ex qua detrahenda est legitima, non potuerit in peritia calculari in sc. 2063. nam Prædium Helenæ assignatum, est omnino diversum, & separatum ab illo super quo reruerunt periti, quia primum est situm in Villa S. Christinæ in loco nuncupato *Ceriano*, & continet tornatotias 61. alterum verò est in eadem Villa, sed in contrata, quæ dicitur *Tars*, & est tornaturi arum 114., ideoque stante hujusmodi diversitate de uno ad
3 aliud fieri non valet illatio, *Text. in l. Papi-*

pinianus ff. de minor. Rot. dec.98. n.35., *&* *dec.234. num.18. par.17. rec.*, & in omnem casum satisfecit responsio, quod in præfata datione insolutum fuerunt dumtaxat comprehensæ tornatoriæ 62. circiter, unde cum Prædium de quo agitur, contineat tornatorias 114., exinde convincitur ratam Helenæ assignatam fuisse infrà medietatem, & sic longè minoris valoris.

Quò verò ad alterum Prædium S. Martini in Monte Abbatis, cujus respectu opponebatur non potuisse à Peritis connumerari inter effectus hæreditarios, utpotè quia emphyteuticum est, & subjectum fideicommisso ordinato à q. JulioCæsare Bortuluccio, quodque hujusmodi titulo fratres de Bonadies tam in investitura comprehensi, quàm ad fideicommissum vocati dictum Prædium avocaverunt è manibus Antonii Nerii Elisabeth renunciatarii, animadverterunt DD. quod ex d. Prædio rata solum erat emphyteutica, & obnoxia prænarrato fideicommisso, & ad eam duntaxat cum certa portione domus fuisse à fratribus de Bonadies restitutam immissionem utroque jure petitam; cumque hujusmodi portiones fuerint jam à peritis ex toto valore d. Prædii detractæ in summa sc.557. nulla ratio postulat, quod iterum in diminutionem d. assis veniant detrahendæ.

Minorisque relevantiæ visa fuit exceptio excessivitatis valoris promota circa domum positam in Parocchia S. Simeonis à peritis æstimatam in sc.1545. ex quo in commutatione anno 1615. inita, prædicta domus cum altera existente in Parocchia S. Cataldi facta priùs descriptione illius malę qualitatis, quod que esset obscura, antiquæ structuræ, & incapax ad habitandum, fuit appretiata in sc.787. 50. unde inferebatur, quod si postea de tempore factæ æstimationis occasione terremotus fuerat dicta domus notabiliter quassata, multo minus debuisset valutari. Quoniam duplici responsione objectum sublatum remansit, altera quod Elisabeth, ex cujus hæreditate legitima detrahenda erat, decesserat longè ante d. Terremotus infortunium, atque ideo cum valor bonorum ad
4 effectum constituendi quantitatem legitimæ liquidari debeat habito respectu ad tempus obitus, & juxta statum in quo bona tunc reperiebantur, profectò damnum quod succes-
5 sivè contigit, bonorumque diminutio cedere debet ad præjudicium hæredum, non autem legitimarii, ex regula quod damnum
6 quodcumque casu fortuito proveniens cedit Domino. *Leg. pignus C. de pign. Gabr. com. concl. tit. de reb. cred. concl.2. num.9. Hond. cons.43. n.24. lib.2. Rota cor. Manzanedo dec.178. n.2.*, *&* *cor. Dunozet. jun. dec.478. n.4.*

Altera quod à valore liquidato in permutatione facta an.1615. illatio fieri non valet ad illum anni 1670. quia per lapsum 60. cir-
7 circiter annorum, valor bonorum de jure censetur mutatus, *juxta celebrem Text. in l. prætia rerum §. fin. ff. ad leg. falc.*, & de consimili temporis lapsu dixit. *Rota decis.343. n.10. par.17.*, *&* *dec.442. num.10. par.19. rec.*

Justissimè quoque censuerunt DD. fuisse calculatum Prædium Orsoleti in scutis 1071. quia, licet in instrumento transactionis celebrato inter Bonadies, & Janottum asseratur valoris 870., & pro tanto pretio valutetur, tamen respectu transactionis non fuit in ea habita ratio de integro Prædio, sed dumtaxat de tornatoriis 34., undè cum in æstimatione judiciali fuerint appretiatæ tornatoriæ 53. totum Prædium constituentes, mirum non est, si valor excesserit ultrà illum in transactione Conventum. Re-
8 spectu verò catastri illud nullatenus meretur attendi, quia bonorum æstimatio facta per communitatem, & in eodem descripta non est apta liquidare verum valorem, cum dumtaxat fieri soleat ad effectum regulandi æstimum pro æquilibrandis repartimentis onerum Cameralium, *Choel. in bull. bo. reg. cap.35. n.23. Rot. dec.390. n.12. par.17.* *&* *dec.402. n.6. par.16. rec.*

Cum igitur ex prædictis non justificetur excessus oppositus, utique visum fuit DD., quod esset standum æstimationi legitimè factæ à Peritis, cum præsumptio sit, quod omnia benè gesserint, quodque ad omnes circumstantias valorem diminuentes respexerint, *Cyriac. contr.162. n.18.*, *&* *seq. Rot. cor. Dunoz. jun. dec.660. num.6.*, *&* *7. fuit confirmata 8. Junii 1714. cor. me.*

Et ita utraque &c.

MEDIOLANEN. JURISPATRONATUS.

Mercurii 2. Junii 1706.

ARGUMENTUM.

Juspatronatus reservatum favore successorum adoptivos quoque comprehendit. Substitutio in Jurepatronatu, vel legatum ordinatum favore Præpositi quando contemplatione Ecclesiæ factum dicatur; adeout ejusdem erectione ab ea in aliam Ecclesiam mutata à testatore in Codicillis, substitutio, vel legatum dicantur adempta. Et vocatio ad juspatronatum facta favore omnium masculorum cum dictione *tantum*, eis extinctis, non impedit quin fiat hæreditarium, & quomodo?

SUMMARIUM.

1 *Successorum nomine veniunt etiam adoptivi, & extranei.*

2 *Juspatronatus reservatum successoribus comprehendit etiam adoptivos.*

3 *Pertinentia jurispatronatus unicè decernitur inspecta lege fundationis auctoritate ordinarii munita.*

4 *Ordinarius in fundatione jurispatronatus, ad formam legis à Testatore præscriptæ dicitur processisse, vel si aliter faciat, eam immutare non valet.*

5 Sub-

5 *Substitutio in jurepatronatu, vel legatum factum favore Præpositi Ecclesiæ, in qua Canonicatum erigi mandaverat Testator, si erectionem postea in eadem Ecclesia mutet, & in alia demandet; dicitur ademptum.*

6 *Limita cum dd. substitutio, & legatum fuerint facta personæ, & dignitati, non contemplatione Ecclesiæ.*

7 *Legatum factum Canonicis, vel Præposito Ecclesiæ indefinitè, de jure contemplatione Ecclesiæ censetur relictum.*

8 *Jurispatronatus expressa abdicatio à Præposito Ecclesiæ facta, postquam cognovit illud fuisse in Codicillis à fundatore ademptum, est attendenda.*

9 *Ordinarii, & eorum Ministri faciles esse non solent ad approbandum juspatronatum: ideoque si illud approbent, justè fecisse comprobatur.*

10 *Ecclesia in erectione jurispatronatus contemplata non dicitur, si testator nullam ejusdem implicitam, sive explicitam fecerit declarationem: sed quod hæredum arbitrio reliquerit.*

11 *Confirmatio testamenti in codicillis intelligitur à testatore facta quoad ea, quæ ibi non revocavit.*

12 *Relatio ad testamentum, & codicillis facta intelligitur, singula singulis congruè referendo.*

13 *Taxativa vocationis ad juspatronatum restricta ad masculos correspectivè ad substitutionem ordinatam favore alterius, cessat si substitutio revocetur.*

14 *Correlativorum uno deficiente corruit, & aliud.*

15 *Juspatronatus pro solis masculis relictum, illis deficientibus, nulloque existente substituto, fit hæreditarium.*

16 *Et transit cum universitate bonorum ad hæredem ultimi masculi.*

17 *Juspatronatus pro masculis relictum, illis cessantibus, devenit ad fœminas, quæ eorum causa erant exclusæ.*

18 *Amplia conclusionem etiamsi linea masculina sit vocata cum dictione* -- tantum.

19 *Dictio taxativa* -- tantum -- *masculis adjecta in vocatione ad juspatronatum stat demonstrativè, non ad finem limitandi juspatronatum, & inducendi libertatem beneficii in præjudicium fœminarum à masculis descendentium.*

DECISIO CCCCXIX.

IN suo cum quo decessit testamento Franciscus Rosatus scripto sibi hærede Principe Theodoro Trivultio, jussit quòd cum libris 8000. ille Canonicatum erigeret in Ecclesia majori Burgii Meltii, reservato jure eligendi Canonicum prò tempore d. Principi, ejusque filiis masculis, & descendentibus ab eis in infinitum de linea Masculina tantùm; qua deficiente voluit, quod electio Canonici spectaret ad præpositum Burgii Meltii: sed deinde hujusmodi dispositionem immutando in Codicillis, præfato hæredi suo liberam facultatem concessit erigendi Canonicatum in Ecclesia Collegiata S. Stephani in Brolio, vel alibi, uti voluerit; & in reliquis suum Testamentum confirmavit.

In exequtionem prænarratæ dispositionis per Principem Antonium Theodorum, filium, & hæredem præfati Principis Theodori erectus fuit Canonicus in Ecclesia Collegiata S. Laurentii Majoris Mediolani; & præter dotem librarum 8000. ut supra præscriptam addidit libras 2300 præter alias libras 5800. relictas ab Aurelia Carminata, reservato sibi, suisque successoribus jure ad illum præsentandi, prout vigore dictæ reservationis nominavit Jo: Baptistam Carminatum, ob cujus obitum cum Promotor Fiscalis Curiæ Archiepiscopalis Mediolanen. prætenderet, per deficientiam Principis Antonii Theodori sine filiis, ejusque lineæ masculinæ defectum, vel factum fuisse locum substitutioni ad favorem Præpositi Burgi Meltii, vel Juspatronatus libertatem acquisivisse: Et è converso D. Princeps Antonius Cajetanus defuncti hæres in familiam Trivultiam adoptatus, sustineret ad ipsum tanquam hæredem, spectare jus præsentandi ad dictum Canonicatum, ex quo illud fuerit effectum hæreditarium in ultimo de familia, hinc controversia delata ad nostrum Tribunal, licèt per tres vices suffragantibus etiam in ultima propositione quinto, & sexto ad relationem R.P.D. mei Muti nulla capta fuerit resolutio; hodie tamen suffectus ego in dicti Collegæ locum quæsivi à DD. *An, & ad cujus favorem constet de jure patronatus* – & favore, Principis responderunt.

Ex tenore siquidem fundationis controversi Jurispatronatus remanet in comperto,
quod illud fuit reservatum favore Principis
Antonii Theodori Trivultii, ejusque successorum, quorum appellatione, sicuti veniunt
1 etiam adoptivi, & extranei, ita consequens
est, quod Juspatronatus spectare debeat ad
2 modernum D. Principem Antonium Cajetanum in Familiam adoptatum, *Abb. in cap.
tanta num. 9. qui fil. sint legit. Vivian. de jure patr. part. 1. lib. 4. cap. 2. num* 6.: cum ad
decernendam pertinentiam Jurispatronatus
3 unicè inspicienda sit lex fundationis Ordinarii auctoritate munita, *Cap. nobis de jure
patr. Rota dec. 523. num. 1. & 3. part. 4. divers. cor. Bich. dec. 206. n. 4. in rec. dec. 381.
num. 2. part. 1. dec. 87. num. 3. part. 7. dec. 46.
num. 1. part. 9., & dec. 323. num. 15. par. 16.*

Non obstat, quod in testamento condito
à Francisco Rosato Juspatronatus reservatum fuerit Principi Theodoro, ejusque filiis
masculis, & descendentibus per lineam masculinam tantùm, istaque defecta substituerit Præpositum Meltii, ex quibus inferebatur, quod cessata linea masculina dicti Principis, cum purificata fuerit substitutio favore Præpositi dicendum sit, quod Ordina-
4 rius, vel erectionem expleverit ad formam
testa-

testamenti, vel quod aliter non valuerit le-
gem à testatore præscriptam immutare.

Quoniam cum ipse Testator in subsequen-
tibus Codicillis erectionem Canonicatus jus-
serit perfici in alia Ecclesia, vel alibi ad li-
bitum prædicti Principis, qui hac facultate
sibi concessa usus fuit illum erigendo in alte-
ra Ecclesia S. Laurentii Majoris, quemad-
5 modum per hujusmodi dispositionis muta-
tionem cessavit contemplatio Ecclesiæ Bur-
gii Meltii, ita quoque legatum, & substitu-
tio ordinata favore illius Præpositi censeri
debet ademptum, *ad Text. in l. libertis ff.
de alim.*, *& cib. legat. Barus de success. lib. 9.
tit. 32. num. 1.*, *& 2. Menoch. de præsumpt.
lib. 4. præsumpt. 169. num. 3.*, *& 4.*, *Gabr.
cons. 118. num. 15. lib. 2.*, *Camarel. de legat.
tit. de singul. reb. per fideicom. relict. lib. 4.
quæst. 5. nu. 2. Castill. controv. lib. 4. cap. 56.
num. 18.*, *Rota dec. 10. part. 10. recent.*

Parum relevante, quod substitutio favore
Præpositi ob mutationem Ecclesiæ non eva-
6 nuerit, ex quo fuerit facta personæ, & di-
gnitati, non autem Ecclesiæ, ejusque con-
templatione. Nam quamvis legatum fuerit
factum Præposito Ecclesiæ, non benè infer-
tur, illud fuisse relictum ipsius personæ, re-
sistente dispositione juris, per quam regula-
7 riter legatum factum Canonicis, vel Præpo-
sito Ecclesiæ indefinitè censetur relictum
contemplatione ejusdem Ecclesiæ, ad lite-
ram *Text. in cap. requisivisti §. sed conside-
randum de testam.*, *Franch. in cap. per ex-
emptionem num. 5. de privileg. in 6. Menoch.
de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 113. n. 5.*, *An-
tonell. de loc. legal. lib. 2. cap. 9. quæst. 9. nu.
107. Rota cor. Pamphil. decis. 242. num. 11.*
Et idipsum agnovit curia Archiepiscopalis,
quæ per Organum Advocati fiscalis cum
istius particulari voto declaravit, quod ex
mutatione loci Canonicatus erigendi adem-
pta remansit substitutio in Jurepatronatus
facta favore Præpositi Meltii, qui prædicto
voto inhærens, cum renunciaverit liti, &
quibuscumque juribus per eum prætensis in
8 controverso jure patronato, hujusmodi actus
tanquam præseferens expressam ejus abdi-
cationem, venit omninò attendendus, ex
animadversis per *Lambertin. de jure patron.
lib. 3. art. 16. qu. princip. 3. num. 1.*, *& 2.*, &
recensita declaratio facta per Advocatum
fiscalem nimis comprobat Juspatronatus pri-
9 vativè quoad alios spectare ad modernum
Principem, cum Ordinarii, eorumque Mini-
stri non soleant esse faciles ad approban-
dum Juspatronatus, *Rota cor. Durand. de-
cis. 413. num. 3. cor. Peutinger. dec. 471. n. 7.
cor. Zarat. dec. 50. num. 8. & 9. & in recen.
dec. 148. num. 11. par. 15.*

Minusque suffragante, quod Curia Ar-
chiepiscopalis supradictum votum emiserit
non ad finem canonizandi Juspatronatus fa-
vore Principis, sed, vel ad probandum, quod
illud reservatum remanserit Præposito al-
terius Ecclesiæ S. Laurentii, tanquam sub-
rogatæ cum omnibus oneribus, & honori-
bus, vel ad effectum probandi libertatem
beneficii, quæsitam Archiepiscopo propter
extinctam lineam masculinam Principis Tri-
vultii vocatum cum taxativa *tantùm* hujus-
modi enim intelligentia nequit dicto voto
adaptari; nam posita revocatione substitu-
tionis ordinata favore præpositi Meltii, dum
postea Testator nullam fecit explicitam, aut
10 implicitam designationem alterius Ecclesiæ
dici nequit, quod illam fuerit contempla-
tus, & loco alterius Burgi Meltii, illam
S. Laurentii subrogare voluerit. Non atten-
ta replicatione, quod post factam mutatio-
nem Ecclesiæ Testator in reliquis confirma-
verit Testamentum, quodque ulterius in fun-
datione Ordinarius relative se ad ipsum Te-
stamentum habuerit. Quoniam confirmatio
Testamenti intelligenda est quoad ea, quæ
11 Ecclesiæ mutationem non concernebant,
non autem quoad ea, quæ cum eadem mu-
tatione ad idem Testamentum nihil ponit in
esse, cum æque etiam in dicto actu facta fuerit
relatio ad codicillos, proptereaque singula
12 singulis congruè referendo relatio ad Testa-
mentum censetur facta in ea parte, quæ re-
spicit dotem libr. 8000. ad codicillos vero in
parte continente ademptionem substitutio-
nis factam favore Præpositi.

Accedente præsertim, quod vocatio li-
13 neæ masculinæ sub taxativa *tantum*, ema-
navit correspectivè ad substitutionem ordi-
natam favore Præpositi, qua ex præmissis
sublata, cessare quoque debet vocatio de-
scendentium ex linea masculina cum dicta
dictione restrictiva, juxta naturam correla-
14 tivorum, quorum uno deficiente, aliud
etiam corruere debet, *Text. in l. Alumnæ
§. Seja ff. de adimen. legat. Rot. cor. Buratt.
dec. 469. num. 6.*, *& seq.*, *& cor. Cels. dec. 29.
num. 4.*

Tanto magis, quia modernus dictus Prin-
ceps Antonius Cajetanus licet adoptatus,
descendit ab ultima fœmina de Domo Tri-
vultia: & propterea extincta descendentia
masculina Principis Theodori, nulloque exi-
15 stente substituto, Juspatronatus evasit hæ-
reditarium; & duplici jure transivit in mo-
dernum D. Principem, nedum, quia est hæ-
res universalis Principis ultimo loco defun-
16 cti: & per consequens cum universitate bo-
norum ad ejus manus pervenit, juxta *Text.
in cap. piæ mentis 16. quæst. 7 circa fin.
& in cap. cum sæculum de jure patr.*, *Covar.
var. resol. lib. 2. cap. 18. num. 6. & 7. Rota
dec. 47. nu. 19. part. 4. dec. 185. num. 1. par 9.*
Verum etiam ex eo, quod ipse extincta de-
scendentia masculina, in ejus defectu tan-
quam proveniens ab ultima fœmina de Do-
mo Trivultia admittitur ad successionem in
17 dicto Jurepatronatus, in quo cessante cau-
sa exclusionis, succedunt etiam descenden-
tes ex fœminis, *ad Text. in l. voluntas Pa-
tris C. de fideicom. Surd. cons. 308. sub nu. 9.
Rota coram Duran. dec. 185. num. 20. coram
Pamphil. dec. 13. num. 5. in rec. dec. 307. n. 9.
& 10. par. 7.*, *& dec. 133. par. 9.*. Etiamsi li-

18 nea

18 nea masculina fuerit vocata cum dictione taxativa *tantum*, quia illa censetur demonstrativè adiecta favore masculorum, ut scilicet illis extantibus fœminæ non succedant, non autem ad finem limitandi Juspatronatus, & inducendi libertatem Beneficii in præjudicium masculorum descendentium a fœminis, *Panimoll. dec.10. adnot. 3. nu.98. Rota apud Vivian. de jurepatr. dec. 126. num.20. coram Sesaphin. dec.364. nu.8. dec.378. n.9. coram Bich. dec.581. num.4., & in rec. decis.221. nu.22. par.8. dec.220. nu.16., & 32. par.11.* Potissimè, quando dictio taxativa *tantum* non legitur apposita in Instrumento fundationis celebrato coram Ordinario, ut in præsenti, & advertit *Card. de Luca de Jurepatr. in supplem. disc.92. sub nu.4. vers. ideoque*.

Atque ità cæteris omissis, & videntibus Quinto, & Sexto resolutum fuit utraque &c.

PISAUREN, SEU BONONIEN. PECUNIARIA.

Lunæ 7. Junii 1706.

ARGUMENTUM.

Pactum quod certis conditionibus non adimpletis post certum tempus, liceret debitori retinere in depositum capitale fructiferum, elapso tali tempore, ut cursum fructuum impediat quid requiratur? vel num ex continuata eorumdem fructuum solutione eidem renunciatum censeatur? Fructus in majori summa, quam quæ debita erat, soluti capitale imminuunt, ut vulgo dicitur *à scaletta*. Reliqua in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Emptor rem, & pretium retinere non potest.*

2 *Fructus pro pecunia infructifera soluti imputantur in sortem.*

3 *Obligatio fructus recompensativos solvendi non cessat, licèt debitor pactus fuerit se posse capitale in depositum retinere, nisi intra certam tempus investimentum fuerit factum, & hoc non sit sequutum, quando non declaraverit se dictum capitale loco depositi retinere, & creditorem interpellavit.*

4 *Solutio continuata in causam fructuum crediti de sui natura fructiferi facit præsumere recessum à pacto, quamvis claro, quod statim elapso præfinito termino, usuræ cessarent.*

5 *Usuræ solutæ in summa excessiva proportionabiliter, ut vulgò dicitur* à scaletta, *extingunt capitale.*

6 *Usurarum debitor cum expressè pro illis solvit, & semestria in receptis sæpiùs expresserit, ultra summas debitas solvisse non præsumitur.*

7 *Et usurarum debitor, si plus solvisse prætendit, concludentissimè probare debet.*

8 *Præcipuè si in ultima recepta facta sit confessio solidationis usque ad certum tempus, & confessatum debitum pro subsequenti reliquo temporis.*

9 *Error contra propriam confessionem concludentissimè est probandus.*

10 *Cessio facta cum aliqua conditione, ista non adimpleta, habetur ac si facta non fuisset.*

11 *Exceptio in ultima instantia de novo data censetur ad protrahendam causæ expeditionem.*

12 *Præsertim si sit de re quam excipientes ante approbarunt.*

DECISIO CCCCXX.

VEndidit Comitissa Violantes Mammiana prædium Jo: Baptistæ Zanchettæ pro pretio lib.20. m., de quibus lib.10. m. duntaxat ad computum solvit, reliquas verò promisit illinc ad tres annos exbursare, & interim respondere de fructibus ad rationem libr.4. pro centenario, conventione etiam apposita, quod ipsa venditrix deberet, vel illa reinvestire in bonis stabilibus Bononiæ, quæ starent pro evictione prædii venditi, vel fidejussorem Bononiensem, & Bononiæ facultatibus idoneum præstare qui pariter se de evictione obligaret. Cum autem Co: Federicus, & Vincentius de Mammianis actores, & dictæ Violantis Nepotes, & hæredes facultatem obtinuerint ab Auditore SSmi fidejussorem præstandi non Bononiæ, sed in Civitate Pisauri, pulsare cæperunt cor. A.C. Josephum Mariam, aliosque de Zanchettis filios, & hæredes Joannis Baptistæ pro solutione residuarium lib. 10. m. una cum fructibus decursis, sed impugnantibus istis idoneitatem fidejussoris Pisauri, emanavit sententia super idoneitate, & mandatum contra eosdem relaxatum fuit, causaque appellationis mihi directa cum clausula *si quid exequendum*, proposui dubium, *an mandatum A.C sit exequendum* & D. *affirmativè* responderunt.

Creditum enim illorum de Mammianis, pro quo relaxatum fuit mandatum, resultare visum fuit ex publico Instrumento, ex quo patet, Zanchettos debitores remansisse tàm pro residuo Capitalis prædii eisdem venditi in libr. 10. m., quàm pro fructibus illius in d. Instrumento Conventis; undè emergit clara justitia mandati, executioni propterea demandandi, cum emptori rem,
1 & pretium retinere prohibitum sit, per *Tex. in l. curabit C. de act. empt. Covar. var. resolut. lib.3. cap.4. n.6 Mangil. de evict. qu. 87. n.12. Rota cor. Coccin. dec.320. n.4.*

Nec obstat, quod Capitale prædictum lib.10. m. post lapsum triennii remanserit infructiferum in manibus Emptoris, ex quo in memorato Instrumento emptionis Conventum fuerit -- *quod lapsis tribus annis, & quandò illinc ad sex menses immediatè decurrendos non fuerit facta dicta investitura, vel data fidejussio, liceat d. D. Zanchetto,*

vel ejus hæredibus retinere indepoſito formali dd. lib. 10. *m.* ſunt verba præciſa Inſtrumenti. Et fidejuſſor nonniſi de anno 1704. præſtitus fuerit (quando contractus initus apparet de anno 1678.) unde inſerebatur, quod elapſo dicto termino in Inſtrumento præſcripto omnes ſolutiones tàm per emptorem, quàm per Reos illius filios, & hæ-
2 redes peractæ, cedere debant in diminutionem præfatarum lib 10. m. adeout hujuſmodi Capitale ex ſolutionibus exhibitis pluſquam abundè ſatisfactum remaneat.

Quoniam cum pactum; quod uſuræ ceſſarent poſt lapſum triennii, ſit correſpectivum, ex quo tunc Emptor voluit ſibi licere retinere pecunias in depoſito formali, & otioſas, quapropter ut ſit locus ceſſationi uſurarum, alioquin omni jure debitarum,
3 neceſſe erat quod tàm emptor, quàm moderni Rei Conventi illius hæredes declararent ſe retinere præfatas lib. 10 m in depoſito formali, & interpellare debebant Venditricem, ejuſque hæredes ad faciendum Inveſtimentum, vel præſtandam fidejuſſionem idoneam, quod cum non expleverint, cenſendum eſt uſos non fuiſſe facultate prædicta in Inſtrumento favore Emptoris reſervata ac propterea nunquam ceſſavit obligitio fructus recompenſativos per ſolvendi; *Card de Luc. de uſur. diſcurſ.* 22. *à n.* 16. *uſque ad fin. Rota dec.* 369 *n.* 7. *p.* 17. *recent.*

Tantoque magis, quia Emptor ſpatio annorum 20., & ultra continuavit in ſolutionem fructuum recompenſativorum, reportavitque quietantias litteraliter cantan-
4 tes in dictam Cauſam, unde quatenus etiam pactum eſſet clarum, quod ſtatim elapſo præfinito termino uſuræ ceſſarent, adhuc cenſeretur ab illo receſſum, quod licitum erat partibus, cum ageretur de credito de ſui natura fructifero, ut egregiè diſtinguendo caſus probat; *Card. de Luca de uſur. diſc.* 12. *n.* 6. *Rota dec.* 338. *n* 20. *par.* 15. *rec.*

Minuſque relevat, quod etiam ſi uſuræ eſſent debitæ, nihilominus ſolutæ fuerint
5 in ſumma exceſſiva, undè proportionabiliter, & ut dicitur *à ſcaletta* extinctum remanſerit Capitale, quod hodiè remaneat in ſolis ſc. 1451. & ſic mandatum pro libr. 10. m. remaneat exceſſivum. Etenim licet ſcripturæ exhibitæ ad probandas ſolutiones prædictas majorem ſummam præſeferre videantur, quàm importent fructus hactenus decurſi. Attamen animadverterunt DD. quodaliquæ ex illis ſunt duplicatæ, aliæ continent ordines ſimplices non effectum ſortitos, aliæ demum ſe referunt ad litteras d'avviſo, quæ non exhibentur, cumque ex continuata ſerie receputarum appareat ſolutiones factas fuiſſe pro fructibus, & ſæpiùs exprimendo ſemeſtria, prò quibus ſolvebantur, præſumptio ſtat quod Emptor, qui erat etiam negotiator ultra ſummam debi-
6 tam ſolvere aliquid voluerit, itaut dum nunc per modernos reos contrarium prætenditur,
7 concludentiſſimè de errore ab illis docendū ſit. *Rota cor. Seraph. dec.* 976. *n.* 3., & *cor. Bicch. dec.* 390., & *cor. bo. me. Emer. jun. dec.* 1214. *num.* 12.

Fortiùs, quia poſtrema ex illis præſefert
8 ſolidationem per totam diem 14. Februarii 1701., & expreſſionem reſidualis debiti in duplici ſemeſtri; cumque Zanchetti illam acceptaverint cum dicta qualitate, indè ſequitur confeſſio, & approbatio omnium in ea contentorum, unde eo magis rigoroſa indigent probatione erroris adversùs pro-
9 priam Co feſſionem, & acceptationem; *Rota cor. ſa. me. Alex. VIII. deciſ.* 64. *n* 2. *Pamphil. dec.* 670. *n.* 3., & *in rec. dec.* 194. *n.* 11. *par.* 18.

Quibus ita firmatis, fruſtrà recurrebatur ad aliam exceptionem circa defectum legitimationis perſonæ Actorum; illi enim probant ſe hæredes Co: Violantis, & quamvis opponeretur quod ipſa creditum controverſum ceſſerit in partem Dotis Co: Lucretiæ Abbatis, attamen hujuſmodi exceptio viſa fuit corruere ex facto, cum d. ceſſio habeat pactum reſolutivum cum explicita conventione regreſſus ad primæva jura in caſu, quo Capitale non liberaretur à vinculo Inveſtimenti intrà tempus octo annorum; *Summario actorum num.* 2. Cumque dicta li-
10 beratio facta non fuerit intra tempus Conventum, evanuit effectus ceſſionis, quæ haberi debet, ac ſi facta non fuiſſet. *Gratian. cap.* 755. *n.* 3. *Rota dec.* 32. *n.* 10. *par.* 9. & *dec.* 21. *n.* 13. *par.* 17. *recent.* Ideo que non mirum, ſi dumtaxat in hac ultima inſtantia fuit appoſita præfata exceptio, quæ benè ap-
11 paret deducta ad ſolum finem protrahendi reſolutionem Cauſæ. & propterea non attendenda, *Rota dec* 59. *n.* 9. *par.* 13. & *dec.* 282. *n.* 7. *par.* 16. *rec.* maximè cum in reliquis ex ſupra præmiſſis certum ſit, quod Zanchettæ rei ſunt debitores tàm pro præfatis lib. 10. m.,
12 quàm pro fructibus, & judicium uſque nunc ſubſtinuerunt cum Actoribus illos recognoſcendo uti hæredes, & cauſam habentes à Co: venditrice, quod ſufficit ad hunc effectum.

Et ita utraque &c.

ROMANA SALVIANI.

Lunæ 7. Junii 1706.

ARGUMENTUM.

Extrema utilis Salviani enunciantur. Anterioritas crediti, licet poſterioris, deſumitur ab alio credito anteriori, quod cum ejus pecuniis fuit extinctum; etiam quoad fructus; dummodo tamen illud fuiſſet fructiferum. Nec pro eo hypotecæ exercitium ſuper certo fundo debitoris impeditur ex ſubrogatione alterius corporis in ejuſdem locum inter alios geſta: nam ſolus Princeps hypotechas poteſt transferre.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Requisita pro immissione in vim utilis Salviani, quæ hic enumerantur; cum concurrant eadem retardari nequit.*

2 *Creditum proveniens ex traditione pecuniarum pro dimittendis creditis anterioribus, & reportando subingressu in eorum juribus, ab istis anterioritatem desumit.*

3 *Creditum posterius fructiferum creatum pro dimittendis creditis anterioribus fructiferis, & pro subingrediendo in eorum juribus, ab istis, et quoad sortem, & quoad fructus anterioritatem desumit; si vero pro dimittendo credito infructifero, quoad sortem tantum.*

4 *Hypotheca triginta annis præscribitur: cum hypotechariùs, plenam, & perfectam notitiam habuerit, rem sibi hypothecatam distractam fuisse, & penes tertios reperiri.*

5 *Hypothecæ exercitium super fundo hypotecato impediri nequit: si illius venditi pretium de mandato Judicis investitam fuerit in aliis bonis pro securitate emptoris in casu evictionis.*

6 *Subrogatio facta inter alios, creditoribus anteriores hypothecas habentibus super fundo, cui fuit facta subrogatio, exercitium suæ hypotecæ impedire nequit.*

7 *Hypotheca tolli non potest ex facto tertii: sed solus Princeps illas a stabilibus in pretium, sive in vestimentum potest transferre.*

DECISIO CCCCXXI.

DOmus sita in urbe in ioco nůncupato Briango, olim à Principe Julio Sabello vendita fuit prò prætio scut. 3600., quòd prò rata scut. 3000: erogatum extitit in extintionem debitorum anteriorum, reliqua verò scut. 600. investita fuerunt in quodam censu ut ex illius fructibus constitueretur multiplicum usque ad summam dictorum scutorum 3600., quod stare deberet prò evictione ejusdem: cum autem d. Domus post transitum ad diversas manus pervenerit ad Nicolaum Raiimundum Loviis modernum possessorem; Marchio Franciscus Maria Ruspolius & fratres uti Creditores anteriores d. Principis Julii per sententiam A.C. Aidrovandi immissionem vigore Salviani interdicti ad illam obtinuerunt; sed appellantibus tam dicto possessore, quam eius auctoribus laudatis, causa mihi commitli, curarunt: proposito que dubio -- An, & prò quâ summa sit danda Immissio: DD. *illam prò summa scut.* 600. *concedendam esse*, responderunt.

Constitit enim de credito, ejusque anterioritate ex pubblicis instrumentis, & peritia graduatoria Domus Sabellæ, sicut etiam de antiqua possessione controversi Palatii penes comunem debitorem, & de moderna Nicolai rei Conventi nulla fuit hæsitatio.

1 Quibus omnibus concurrentibus, Immissio in vim utilis Salviani favore Marchionis Ruspoli creditoris denegari non potest. *Bartol. in l.* 1. *n.* 3. *ff. de Salvian. interd. Rota in Spoletana Salviani* 22. *Junii* 1693. *cor. Rev. Turenen. & in Rom. Salviani seu Canonum* 20. *Februarii* 1699. §. 6. *in fin. cor. Em. de la Tremoille.*

Nec obstat, quod credita, pro quibus actum fuit, sint posteriora venditioni Controversæ Domus secutæ de anno 1699., Quoniam eo ipso, quod pecuniæ ab iisdem traditæ cesserunt in dimissionem Creditorum anteriorum domus Sabellæ, prout ex Peritia prædicta recognitum fuit; illorum anterioritas desumenda est à creditis ex pecunia eorumdem satisiactis; itaut proindè remaneant

2 anteriores venditioni domus, eo modo, quo erant creditores, qui fuerunt dimissi; *ad Text. in l. Arist. ff. quæ res pignor. oblig. non pos. ibiq; glos. Gratian discept.* 363. *n.* 19. *Rot. post Cenc. de Cens. dec.* 202. *& dec.* 318. *n.* 2. *p.* 4. *diversf. & dec.* 26. *n.* 3. *p.* 1. *rec.*

Minimè relevante, quod licet pecuniæ traditæ ab actoribus erogatæ fuerint in extinctionem debitorum anteriorum; nihilominus subingressus Creditorum dimissorum suffragetur tantùm quoad sortem, non verò quoad fructus. Etenim vulgata est distinctio cum qua hoc nostrum Tribunal procedere solet, & signanter *cor. Priol. dec.* 350. *n.* 5. *&*

3 *per tot.*; ubi quod vel pecunia datur ad effectum extinguendi debitum fructiferum, & reportandi sub ingressum in Juribus Creditoris dimissi & tunc anterioritas operatur tam pro sorte, quàm prò fructibus, aut verò creatur debitum fructiferum prò extinguendo in fructifero, & in hoc casu utique subingressus in iuribus Creditoris dimissi non suffragat. quoad fructus, sed quoad sortem dumtaxat: cumque præsens controversia in primo casu adductæ distinctionis versetur. Ideò anterioritas crediti Marchionis etiam prò fructibus locum habere debet; ut præter adductas *in d. dec. bo. me. Priol. Card. de Luc. de Credit. disc.* 5. *n.* 8. *&* 12. *Rot. in Rom. Salviani* 3. *Junii* 1689. *cor. Em. Caprar. & in Rom. Pecuniar.* 26. *April.* 1690. §. *Non enim in fine cor. bo. me. Emerix.*

Exceptio autem, quod hypotheca præscripta fueris, eo, quia à die venditionis domus effluxerint anni 30., nullam apud DD. meruit animadversionem, quia ut quis ab exercitio

4 hypothecæ repellatur, requiritur, quod plenam, & perfectam notitiam habuerit rem sibi hypothecatam distractam fuisse; & penes tertios reperiri; quod hic justificatum non fuit; *Thomat. dec.* 44. *n.* 26. *Rota in rec. dec.* 125. *n.* 4. *p.* 18. *& dec.* 23. *n.* 7. *p.* 19.

Tandem nulla fuit habita ratio de altero

5 objecto, quòd actores eorū hypothecam super controversa Domo experiri nequeant, ex quo dicta residualis, summa scur. 600. de mandato Judicis investita fuerit in censu similis summæ imposito ab Ugone Maffeo favore dicti Principis Julii venditoris; ideoque superdicto Investimento, non autem super domo dirigi debeant actiones. Etenim quid-

quid sit de realitate census; hoc unum certum est, quod hujusmodi Investimentum conventum fuit inter partes, non ut illud succederet loco dictæ domus, & ejus vice subrogatum diceretur; sed prò mera securitate emptoris in casu molestiarum, seù evictionis, quod non suffragatur ad effectum de quo agitur: Et quatenus etiam partes id expressè pepigissent illud subrogando loco
6 domus venditæ, adhuc tale pactum præjudicate non posset creditoribus habentibus hy-
7 pothecam super domo vendita: cum hypotheca sublata dici nequeat ex facto tertii; sed solus Princeps possit illam à stabilibus transfundere in pretium, sive Investimentum; *Cyriac. controv.*303. *n.* 35. *Molin. de primogenit. Hispan. l.*4 *cap.*4 *per tot. Card. de Luc. de judic. disc.*40. *n* 77. *Vinc. de Franch. dec.* 356. *n.*6. *Rot. dec.*446. *&* 676. *cor. bo me. Emerix*.

Et ità utraque &c.

FERRARIEN. BONORUM SUPER DATIONE IN SOLUTUM.

Ven. 11. *Junii* 1706.

ARGUMENTUM.

Dat superior decis.362., quæ hic confirmatur. Adest hujus confirmatoria decis.442. Et sunt in hac causa decisiones in. 361., & dec. 362. indicatæ.

SUMMARIUM.

1 *Præsumptio stat pro validitate instrumenti pluries approbati.*
2 *Sequestra facta super bonis pro crediti satisfactione, excludunt eadem prius pro illo assignata fuisse.*
3 *Illiquiditas crediti ex sequestris non probatur; dum non constat eorum vigore fructus fuisse perceptos.*
4 *Curator fidejussionem dare debet.*
5 *Datio in solutum favore tutoris facta cum intervento Curatoris deputati, & informati, qui nullam inde utilitatem percepit, sustinetur, & confert ad actus validitatem.*
6 *Error à procuratore, vel ministro factus inserendo in instrumento partitas administrationis durante tutela, contra contenta in mandato procuræ, in quo receptio in solutum demandatur pro alio credito ab illa independenti; non infirmat receptionem rectè factam non excedentem summam aliunde ab administratione debitam, juncto num 7.*
8 *Præsertim si de administratione separatè ratio reddita subindè fuerit approbantibus, & ratificantibus pupillis effectis majoribus.*
9 *Redditio rationis à tutore facta, & à pupillis factis majoribus approbata, & ratificata impugnari, præsertim incidenter, nequit,*
10 *Tutor rationem reddere tenetur tàm pro se, quàm pro ministro ab ipso deputato.*
11 *Limita si pupilli effecti majores approbaverint, & longo tempore observaverint redditionem rationis à tutore factam, in qua liberatus fuit Tutor, & reservatæ sunt pupillis actiones contra administrum ab illo deputatum.*
12 *Præsertim cum de dicta redditione rationis incidenter agitur.*
13 *Et cum dictus minister independenter à tutore fuerit deputatus, & administraverit: quo casu necessaria est reservatio jurium à tutore favore Pupillorum facta.*

DECISIO CCCCXXII.

NON constare de nullitate dationis in solutum bonorum di *Quinto*, quæ anno 1668 per Marchionem Octavium, aliosque fratres de Macchiavellis facta fuerunt favore cla. me. Cardinalis Francisci Barberini responsum fuit die 11. Maii 1705. ex fundamentis deductis in decisione, quæ tunc prodiit cor me, & hodie, quia illa etiam subsistore visa sunt, DD. *in Decisis standum esse*, censuerunt.

Cum enim Cardinalis Franciscus habeat intentionem fundatam in publico instrumento dationis in solutum numeris omnibus absoluto pluries, atque pluries per fratres de Macchiavellis ratificato; & spatio 30. circiter annorum observato, cum solum impugnari cæperit, quando actum fuit pro liberatione à molestiis, ex quibus bona data in solutum remanserunt evicta, utique sine dubio quæcumque præsumptio stat pro illius validitate. Et quamvis ad eam infringendam, quamplura cumulata fuerint objecta, tàm circa defectum solemnitatum, quàm circa illius injustitiam in antedicta propositione, & iterum in præsenti repetita additis etiam de novo aliis pluribus exceptionibus, nihilominus, eum DD. aliquas penitùs irrelevantes, aliasque plures in præterita rejectas agnoverint, ideo nonnullis levioribus, aliis nihil aliud ad causam facientibus omissis, ad illorum examen devenerunt.

Fuerunt in sensu non obstare primam exceptionem respicientem insubsistentiam crediti Liveliorum Senatoris de Lezze, quod fratres de Macchiavellis vigere asserebant in solis ducatis vigintiuno miliibus Capitalis, non autem in summa ducatorum triginta millium, pro quorum dimissione fuerunt à Cardinali Francisco mutuatæ pecuniæ, & deinde in illarum satisfactione recepta bona insolutum: deducentes hujusmodi excessum, ex quo sicut Senator de Lezze anno 1623. in Tribunalibus Venetis immissionem petiisset pro integro credito, tamen illam pro solis ducatis vigintiuno millium obtinuerit, & de anno 1637. assignationem fecerit occasione injunctæ contributionis pro oneribus publicis in consimili summa ducat. vigintiuno millium, sed facilis fuit responsio, quoniam in tantum sententia pro intromis-

sione

sione fuit restricta ad solos ducatos viginti uno millibus, in quantum pro reliquis Livellis non fuerat facta disdicta, quæ juxta conventionem initam inter partes per sex menses anticipatè præcedere debeat ipsam crediti repetitionem; Assignatio verò, & contributio facta juxta dictam ratam potuit limitari, ex quo non omnia Livella erant subjecta contributioni prædictæ, sed plura erant immunia ab illa: undè credendum venit, quod summa deficiens esset de Livellis in dicta contributione non comprahensis.

Præterquamquod veritas totius crediti plenè resultat, tùm ex confessione Parentum ipsorum fratrum de Macchiavellis emissa in transactione anni 1650. cum Senatore de Lezze. Tum, & clariùs, ex quo idem creditor mandatum obtinuit pro tota summa ducator. triginta millia capitalis, & 4000. fructuum, seu Livellorum decursorum, quod non solum executioni demandavit super bonis tenutæ *Quinti*, verum etiam robur assumpsit mediante favorabili sententia, quam reportavit anno 1660., in qua illius exequutio confirmata remansit.

Ex quibus alia promanat responsio, & quæ
1 solum pro totali remotione hujus objecti sufficere visa fuit, quod nempè dum Cardinalis fuerat requisitus à Marchione Laurentio eorundem fratrum de Macchiavellis Patre, ut dimitteret Senatorem de Lezze, ne sequeretur dicta imminens bonorum subhastatio; & ille ad faciendam eis rem gratam inherendo ipsius instantiæ persolvit summam, pro qua mandata fuerant relaxata, frustra hodie ad inducendam nullitatem dationis in solutum successivè factæ in reintegrationem Cardinalis pro summa soluta opponitur insubsistentia dicti crediti, quodque Cardinalis omiserit relevatores perquirere, & contra eos agere, quia Cardinalis non tenebatur de his esse sollicitus, cum istud onus spectaret ad ipsos fratres de Macchiavellis debitores, eorumque Patrem, contra quos judicium agebatur, adeout si quæ oscitantia, aut negligentia intercessit, eorum culpæ adscribenda veniat, sibique debent imputare, non illi, qui ad reparandum eorum præjudicium proprias pecunias subministravit.

Minoris relevantiæ visa fuit altera repetita exceptio, quod Cardinalis Franciscus teneretur ex conventione inita cum d. Marchione Laurentio in proprii crediti satisfactionem convertere fructus bonorum *Quinti*. Nam ex responsionibus adductis in mea præterita decisione, jam fuit ostensum, quod in apoca, ex qua desumitur dicta conventio tale quid non legitur, cum contineat simplicem pollicitationem, & oblationem factam à Marchione Laurentio, nunquam tamen acceptatam à Cardinali. Et quoniam in præsenti addebatur, quod idem Cardinalis fructus prædictorum bonorum perceperit, dum Marchio Laurentius coactus fuit discedere à Bonis *Quinti*, juxtà adductas depositiones nonnullorum testium, quodque Cardinalis ad se confovendum in eorum bonorum possessionem, judicialiter obtinuerit præcepta, & inhibitionem contra livellarios, ne in posterum quidquam solverent Marchioni Laurentio, sed eundem Cardinalem Franciscum recognoscerent, attamen animadversum fuit, nullatenus remanere probatam ex informi depositione adductorum testiū etiam in dicto, & personis relevantibus, exceptionibus subjectorum prætensam perceptionem fructuum, & possessionem bonorum Cardinalis, sed imò è converso constitit, quod Marchio Laurentius fuit ejectus à possessione ad instantiam creditorum, qui anno 1528. obtinuerunt, quod illi interdiceretur bonorum administratio, mediante speciali decreto Eminentiss. Cardinalis Legati Ferrariæ, eique deputaretur certus administrator: quod, & fuit approbatum in Tribunalibus Venetis. Sequestra verò, & inhibitio
2 quæ postea ad instantiam Cardinalis Francisci prodierunt potiùs ad evidentiam excludunt assignationem, quæ prætenditur facta à Marchione Laurentio, dum petita fuerunt pro consequenda dumtaxat proprii crediti satisfactione, quod certè Cardinalis non fecisset, si mediante dicta assignatione hoc consequi valuisset, & ex eis nulla illiquiditas crediti oriri potest, dum non doce-
3 tur, quod successivè illorum vigore ullos fructus perceperit, prout sine ulla prorsus justificatione opponebatur.

Eadem facilitate corruit quoque alterum objectum ductum ex eo, quod datio in solutum facta favore Cardinalis, tempore quo ad tutelæ munus fuerat deputatus Scannarola, qui in dicto contractu particulare habebat, interesse resultans, tum ex eo quod administraverat bona pupillorum, tum quia non intercesserit fidejussor per eun-
4 dem Curatorem, prout de jure requiritur. Quoniam fidejussorem hujusmodi, prout omnes alias solemnitates de Jure, & à Statuto requisitas intervenisse constitit ex lectura instrumenti: minusque proindè opportunè de illarum defectu opponi agnitum fuit. Respectu verò deputationis Scannarolæ in Curatorem, ex facto apparuit, quod in hac datione in solutum ad favorem Scannarolæ: nec quidquam bonificatum, nec gestum fuit, undè cum illa solummodo, restri-
5 cta fuerit ad purum interesse Cardinalis interventus Scannarolæ nullum commodum ex ea recipientis, contractum non inficit: imò ad actus validitatem non modicè confert, utpotè, quia erat informatus de omnibus, quæ gesta fuerant, ejusque persona jam approbata remanserat usque de anno 1658. à Cardinali Legato, de quo tempore adhuc vivente Marchione Laurentio Patre dictor. fratrum de Macchiavellis fuerat deputatus administrator nomine Creditorum.

Nec majoris relevantiæ visa fuit exceptio, quod sub eadem datione in solutum, non solùm fuerit comprehensa satisfactio Cardinalis

lis pro pecuniis subministratis In dimissionem Senatoris de Lezze, sed etiam pro pluribus aliis diversis partitis complicatis concernentibus solutiones factas præfato Scannarolæ pro servitio Fratrum de Macchiavellis pupillorum occasione administrationis tutelæ, ut deduci prætendebatur, ex quo in calce instrumenti dationis in solutum fuerit insertus calculus continens duodecim partitas respicientes administrationem, & constantes summam scut.4711. cum enim in mandato Procuræ D. Cardinalis nulla facta specificatione dictarum partitarum, solùm *concessa fuerit facultas recipiendi bona in solutum pro satisfactione dicti sui crediti* (sunt verba præcisa) *seu creditorum*, *scilicet pro rata, seu ratis, quæ inservierunt pro extinctione eorum debitorum, sine tamen præjudicio aliarum summarum per E. S. solutarum, & non alias &c.* sequitur quod dum ex calculo aliàs dato., & recensito in *mea præterita decisione* §.13. constat, quod tunc temporis summæ solutæ independenter ab administratione excedebant summ. scu. viginti octo millia, pro quibus fuit stipulata datio in so-
6 lutum, nihil refert quod Procurator, vel alius Minister Cardinalis erroneas in calculo inseruerit,& complicaverit aliquas alias partitas respicientes administrationem, super quibus non cadebat facultas ineundi contractum.

Quodque revera ita res se haberet, convincitur ex eo, quod pecuniæ acceptatæ ad cambium pro dimittendo Senatore de Lezze una cum illorum fructibus, & expensis pro transmissione ascendunt ad sc.27315.

Pecuniæ verò subministratæ Scannarolæ ante susceptam tutelam vivente Marchione Laurentio,& de tempore præciso,quo Scannarola fuerat deputatus administrator à Cardinali Legato, ascendunt ad alia scut.1900. itaut omnes partitæ simul junctæ constituant in totum summam sc. 29215. præter alteram sc.700. scut. Torregiano pro canonibus, circa quam nulla fuit controversia,utpotè in peritia judiciali jam admissa.

Cum itaque certum sit, quod Cardinalis demptis etiam partitis respicientibus administrationem remanebat Creditor in quantitate quæ correspondebat Dationi in solutum, cessant quæcumque objecta, quæ pro nullitate actus in contrarium repetebantur & signanter, quod Judici non fuerit expositum, quod Datio erat facienda pro partitis respicientibus Tutelam, quodque imperceptibile sit Cardinalem tunc temporis remansisse Creditorem occasione Tutelæ, quando ille administraverat mediantibus ejus ministris bona Pupillorum sita Venetiis,
7 Florentiæ, & Ferrariæ, cum semper recurrat responsio, quod Datio insolutum fuit facta, & substinetur pro aliis debitis independentibus ab administratione.

Comprobantur hæc omnia ex quo de partitis concernentibus administrationem fuit se-
8 paratè habita ratio, cum de illis actum fuerit in Instrumento redditionis rationis, in quo non in folle, & confusè, uti repetebant informantes pro Macchiavellis, sed cum maxima distinctione,& animadversione, & cum revisione librorum, & dispunctione partitarum recognitum fuit, D.Card. bonificatis bonificandis, remansisse Creditorem in summa sc.4066., quæ unico contextu donavit primogenituræ familiæ ipsorum de Macchiavellis, cumque hæc redditio rationis fuerit facta cum Octavio in majori ætate constituto, & deindè ratificata appareat ab aliis fratribus, qui effecti majores non solùm nunquam impugnarunt, sed positivis actibus ap-
9 probarunt, hodie non videtur posse ampliùs potissimè incidenter in hoc judicio impugnari, *Rot. dec.128.n.8.,& 9 par.10. rec.cum aliis deductis in dec. quæ revidetur* §. *Cessat quælibet difficultas*.

Nec ullam meruit animadversionem repetita exceptio, quod in præfato Instrumento redditionis rationis fuerit liberatus Cardinalis, reservatis tamen favore Pupillorum juribus contra scannarolam Ministrum deputatum ab eodem Cardinali, quan-
10 do iste tenebatur rationes reddere de administratis, tàm per se, quam per dictum Ministrum. Recurrit enim responsio, quod
11 cum hoc sit pars redditionis rationis legitimæ, & rè discussa expletæ ab Octavio in ætate majori,atque ab aliis fratribus de Macchiavellis ratificatæ, & approbatæ, ut supra longoque temporis decursu comprobatæ, exindè amplius sub hujusmodi prætextu adversus eandem redditionem rationis semel redditam non licet reclamare, minusque in
12 præsenti Judicio eadem exceptio attendi. Præsertim cum scannarola administraverit independentèr à Cardinali usque de anno 1658. tanquam deputatus ad instantiam Cre-
13 ditorum, & ipsorum Fratrum, de Macchiavellis, & sic quadriennio ante susceptam tutelam à Cardinali; ita reservatio prædicta contra eundem fuerit etiam congrua, & necessaria pro securitate Pupillorum, ad effectum exigendi rationes administrationis pro dicto tempore, pro quo Cardinalis ad nihil tenebatur, itaut quocumque respectu ex ea nullatenus inferri valet ad nullitatem actus.

Ex quibus omnibus remanet ad hominem exclusa quælibet nullitas in contrarium denuo repetita, & magis magisque hujusmodi datio in solutum confirmatur ex observantia pacifica tot annorum, & ex pluribus ratificationibus diversis vicibus factis à Fratribus de Macchiavellis, de quibus latè actum fuit in præterita decisione, in qua distinctè recensentur actus prædicti, & plenè satisfit objecto ducto ex protestationibus clandestinæ æmissis ab eisdem, & vindicatur ab altero scientię militaris, facti cum quibus responsionibus etiam quoad alia objecta inutiliter repetita hodie Domini iterum processerunt.

Et ita omnibus DD. suffragantibus responsum fuit utraque &c.

FER-

FERRARIEN. BONORUM SUPER LIBERATIONI A' MOLESTIIS

Veneris 11. Junii 1706.

ARGUMENTUM.

Habes a Summario, & a decisione 281., a qua receditur dec. 361., quæ hic, & dec. 441. confirmatur.

In hac causa sunt decisiones in proxime antecenedti, & subsequenti indicatæ.

SUMMARIUM.

1 *Mandatum pro restitutione pretii favore molestias passi contra eumdem relevare obligatum relaxari debet, cum possessio bonorum ab eo est avocata.*

2 *Sententia attenta justitia post lapsum fatalium transit in judicatum.*

3 *Bona fidcicommisso subjecta cadere non possunt sub executione mandati, pro quo non sunt obligata.*

4 *Declara conclusionem procedere pro retardatione mandati pro credito claro, & liquido, quoties clare, & liquide constat de fideicommisso, & identitate.*

5 *Exceptio fideicommissi pro retardanda executione mandati pro credito claro, & liquido, sat est, quod sit turbida, ut reijciatur.*

6 *Et opponi nequit ab eis, qui de proprio sunt obligati.*

DECISIO CCCCXXIII.

SIcut per geminas, decisiones, quarum ultima hodiè prodiit coram me, fuit comprobata validitas dationis insolutum factæ à fratribus de Macchiavellis favore cla. mem. Card. Francisci Senioris Barberini, ita, & iterum hodie confirmata extitit alia decisio, qua recedendo ab altera contria, responsum fuerat constare de re judicata quoad mandatum relaxatum favore hæredum d. Cardinalis pro liberatione à molestiis passis super bonis receptis insolutum, & illatis ab aliis creditoribus anterioribus

Clara enim est obligatio per eosdem fratres emissa in ipso instrumento dationis insolutum, ideoque eo ipso, quod bonorum possessio fuit avocata, rite potuit relaxari man-
1 datum pro restitutione pretii, *ad Text. in l. si quis aliam ff. de solution.*, & attenta ju-
2 stitia per lapsum fatalium, causa transivit in judicatum, *Cap. cum sit Romana de appellation.*, & plene firmatur *in mea præcedenti decisione ædita super hoc articulo.*

Non obstat unica exceptio, quod mandatum prædictum non potuerit exequutioni demandari super bonis *di Copparo* in Territorio Ferrariensi existentibus, cum repeniantur supposita fideicommissis Domus Bojardæ, & Thienæ, vel in totum, vel saltem in parte, & per consequens immunia ab omni
3 executione pro debito controverso, ad quod fideicommittentes nullatenus erant obligati. Etenim huic objecto plenè satisfactum fuit in deicisione ædita super nullitate dationis in solutum *prima Maii* 1705. in qua reassumpta origine istorum bonorum fuit exclusa subrogatio fideicommissi familiæ Bojardæ. Et quoad fideicommissum Domus Thienæ comprobata extitit illius extinctio in ipso Octavio, qui sine liberis decessit, & bona libera transierunt in Eleonoram juniorem Matrem illorum de Macchiavellis, cujus hæredes fuerunt, nec adhuc rationem reddidere.

Addentes DD. in præsenti, quod ad effectum, de quo agitur, nec clarè constat de existentia dd. fideicommissorum, eorumque purificatione favore ipsorum de Macchiavellis, imo nec de identitate bonorum cum potuerint illa de quibus agitur, permutari, & subrogari loco aliorum bonorum, quæ non erant fideicommisso subjecta, & ta-
4 men, ad effugiendam executionem pro debito claro, & liquido essent per fratres de Macchiavellis adducendæ probationes equè limpidæ, & subsistentes cum alias pro illo-
5 rum rejectione quæcumque turbiditas sufficiat, *Rota coram Seraphin. dec. 357. num. 1. & 2. & dec. 83. num. 11. post Pacific. de Salvian. cum aliis relatis in decis. 185. n. 5., & seq. par. 5. rec.*

Sed substituit in hac parte quamlibet difficultatem animadversio, quod etiam plenè probata qualitate fideicommissaria, nihil prodesset, quia cum fratres de Macchiavellis sint de proprio obligati liberare hæredes Cardinalis Barberini à molestiis, quas passi fuerunt super bonis datis in solutum, neque-
6 unt ulla exceptione se tueri, eorumque bona sive titulo fideicommissi, sive alio jure per eos possideantur, remanent obligata, & super eis impediri nequit exequutio, ut pluribus adductis firmatum fuit *in Eugubina Cautele Angeli 12. Maii proxime præteriti coram Me.*

Et ita, omnibus DD. suffragium ferentibus, utraque, resolutum fuit.

FERRARIEN. BONORUM SUPER MANUTENTIONE.

Lunæ 14. Martii 1706.

ARGUMENTUM.

Et revocatoria hæc decisio superiorem dec. 282. & 344., & confirmatur in dec. 443. & 575.

Molestias passo geminæ competunt actiones, altera pro liberatione a molestiis, altera pro traditione rei liberæ, & loco illius pro valore bonorum evictorum. Et quamvis primam petierit cum in citatione apponat clausulam -- *& aliud quodcumque decretum* &c. & decretum pro secunda obtinuerit rite fit; & dictæ cautelæ robur, & effectus in citatione explicatur. Continuatio exactionis fructum bonorum evictorum non probatur ex receputis, quæ ad fructus temporum evictionem

nem præcedentium sunt referibiles: & multa desuper perpenduntur.

SUMMARIUM.

1 *Mandatum pro revelatione pro integris bonis non potest obtineri, ubi una eorum pars retinetur.*

2 *Molestias passo geminæ competunt actiones, altera pro liberatione a molestiis, altera pro traditione rei liberetur, & loco istias pro valore bonorum.*

3 *Molestias passo competit actio pro traditione rei liberæ; quamvis principaliter actio restricta sit super liberatione a molestiis, cum in citatione adsunt verba* -- Et aliud quodcumque decretum desuper necessarium, & opportunum fieri, & interponi -- *& judex pro traditione rei liberæ decrevit.*

4 *Verba* & aliud quodcumque decretum &c. *in citationibus apposita, sunt cautela, ut actus possit sustineri, etiam aliàs, ac in citatione fuit appositum.*

5 *Manutentio non datur privato possessione auctore pratore.*

6 *Sed possidenti auctore pratore.*

7 *Possidens auctore pratore, dicitur legitimè possidere.*

8 *Receptæ, & refectio damnorum communi nomine factæ verificari possunt pro rata temporis, quo quisque possedit: nec continuatam possessionem inducunt.*

9 *Et cum alter solam possessionem habeat, alter dominium, non ex illis dominium habens fructus recepisse præsumitur, & quare?*

10 *Solutio effectiva facta ab uno, qui possessionem habuit: cum alter, qui habebat directum dominium; eadem bona in sui faciem in castro descripta haberet, comprobat plenam bonorum possessionem in solvente.*

11 *Manutentio in dubio ad evitandum circuitum datur foventi bonum jus.*

DECISIO CCCCXXIV.

Duplici fundamento moti fuerunt Domini in decisionibus editis cor. Me sub diebus 2. Julii 1703., & 16. Januarii superioris anni ad concedendam manutentionem fratribus de Macchiavellis in possessione nonnullorum Bonorum existentium in Territorio Ferrariæ ad instantiam cla. me. Don Thaddei Barberini executatorum, & successivè eidem adjudicatorum vigore mandati in summa sc.28238. relaxati prò liberatione à molestiis illatis à nonnullis Creditoribus super possessionibus *Tenutæ di Quinto* ab iisdem fratribus datis in solutum cla. me. Card. Franc. Barberino Auctori præfati D. Thaddei, altero quod actum fuerit pro liberatione à molestiis, quæ non excedebant summam sc.10400., & nihilominus mandatum petitum, & à Judice relaxatum extiterit ad metam valoris Bonorum, qui erat sc.28238. ÷ altera, quod D. Card. Franciscus successor, uti Administrator in secundogenitura instituta à cla. me. Card. Franc. Seniore, non obstante immissione obtenta à Juliano, & Querinis commensurativè ad eorum Capitalia sc.10400. non amiserit possessionem omnium bonorum in solutum datorum, sed eorum partem retinuerit, & in possessione continuaverit, & adhuc continuet, ideoque non

1 licuerit mandatum obtinere pro integrò valore Bonorum. Verum quia in præsenti Causæ propositione neutrum ex dd. fundamentis subsistere visum fuit, DD. non dubitarunt respondere *pro recessu à decisis*.

Et sanè non subsistit primum, quia cum cla. me. D. Thaddeo Barberino post passas molestias super dd. possessionibus del *Quin-*

2 *to* geminæ competerent actiones, altera pro liberatione à molestiis altera pro traditione rei liberè, & loco istius pro valore Bonorum, quæ fuerant data in solutum. Quamvis ex toto contextu Judicii introducti cor. A.C. Origo contra dd. fratres de Macchiavellis apparere posset, quando ex parte dicti D. Taddei institutum fuisset principaliter super prima actione restricta ad libera-

3 tionem à molestiis, tamen quia in citationibus apposita leguntur verba -- *& aliud quodcumque decretum desuper necessarium, & opportunum fieri, & interponi* -- eo ipso quod Judex annuendo instantiæ existimavit magis opportunè decretum interponere relaxando mandatum in vim actionis competentis pro traditione rei liberæ, & sic pro summa sc.28238. pretio bonorum *di Quinto*; utique cessat quæcumque opposita nullitas;

4 quia juxtà notoriam praxim cauthela hujusmodi sic adhibita in citationibus facit actum substineri etiam aliàs, quam fuerit expressum in citatione, *Ubert. de citat. cap.9. n.411. vers. hinc servat.* ubi quod ita fuerat decisum in una *Romana Vineæ 26. Februarii 1601. cor. Litta*, & repetit *infra de mod. & ration. citan. par.3. formul.3. fol.58. juxta novissimè impres.*

Potuisque propterea deveniri ad executionem istius mandati, quod deindè fuerat Canonizatum à plena Signatura cum clausula *sine præjudicio*, & illius vigore, præcedentibus etiam decretis hujus nostri Tribunalis, bona sibi adjudicari facere, quibus stantibus hodie sine dubio post consumatam hujusmodi deliberationem, ac pacificam possessionem bonorum deliberatorum, & inductam rem judicatam, nulla competere

5 valet manutentio fratribus de Macchiavellis Judicis auctoritate dd. Bonorum possessione privatis, sed tantùm Emo D. Cardi-

6 nali Francisco, qui tanquam possidens auctore Prætore, & in vim deliberationis Pos-

7 sessor legitimus reputatur, venitque manutenendus, *L. juxtè possidet ff. de acquir. possess.* cum aliis relatis *apud Posth. de manut. observat.12 n.5., & 25. cum seq. Rota post ipsum dec.543. n.1., & seq.*

Minusque subsistit secundum fundamentum, quod tam cla. me. D. Thaddeus, quàm successivè Emus D. Cardinalis post immissionem passam continuaverint in possessione quo-

quorumdam ex dictis bonis, *del Quinto*. Nam ex tenore mandatorum, eorumque subsequuta executione constitit Julianos, & Quirinos creditores suisse in omnib s bonis, de Quinto immissos; nullamque eorum partem immunem reliquisse à dicta immissione.

Agnita hac veritate per scribentes prò Macchiavellis illam evadere conati fuerunt cum exceptione, quòd D. Cardinalis continuaverit in exactione partis affictuum bonorum, de quibus agitur, etiam post passam immissionem; ut resultare supponebant ex receputis per eos exhibitis. Sed facilis fuit responsio, animadvertendo, quod cum in apocis locationum conventa fuerit solutio affictuum per annum posticipatè; inde sequitur, quòd exactiones successivè factæ post passam immissionem referri debeant ad terminos maturatos, antequàm Creditores possessionem avocarent. Et quod res ita se habuerit; probant plures testes adducti per D. Cardinalem: & non negant in substantia alii testes examinati per Macchiavellos; qui licet asserant, D. Cardinalem continuasse in exactione affictuum etiam post annum 1695: attamen benè se declarant, hujusmodi exactiones factas fuisse prò ratis debitis, & maturatis usque tunc temporis, non autem ex post.

Parùm relevante, quod receputæ conceptæ fuerint communi nomine tàm D. Cardinalis Barberini, quàm Juliani, & Querini creditorum: quòdque in eis bonificentur insuper affictuariis expensæ factæ pro fabricis, & damna passa occasione tempestatum; quia ex distinctione temporum, & vicium singulia competentium omnia benè conciliantur; receputæ enim communi nomi-
8 ne fieri potuerunt, ex quò solutiones partim factæ fuerunt in causam affictuum decursorum, qui debebantur ipsi D. Cardinali; partim vero in causam affictus recentèr, & de novo debiti Juliano, & Querino: Bonificatio verò prò fabricis & damnis est referenda ad annos, & ratas, in quibus provenerat damnum: & pro quibus solvebantur affictus. Et in omnem casum cum Querini, & Julianus mediante immissione avocassent
9 dumtaxàt possessionem, non autem dominium; mirum non est si possidentibus ipsis pro domino curarunt omnia prædicta ab ipso bonorum Domino bonificari. Et ex hac cir-
10 cumstantia cessat aliud objectum, quod bona tam in libris collectarum, quàm catastris continuaverint in faciem D. Cardinalia; ita enim debuit observari ratione dominii, quòd penes eum remanserat; cum tamen effectiva solutio facta fuerit ab ipsis creditoribus; ita ut potiùs exinde confirmata remanet plenaria bonorum possessio eorumdem Creditorum; *Rossental. de feud. cap.* 8. *conclus.* 3. *sub litt. B., Negusan. de pignor.* 3.*memb.* 7. *p. sub n.* 9., *Rot. cor. Bich. dec.*496. *n.* 1.

Eoque minus urget, quod Julianus unus ex creditoribus in receputa anni 1701. exarata favore conductorum expresserit se illam facere cessionario nomine Barberini. Nam id recipit intelligentiam, quod fecerit vice, & nomine illius; ut declaravit tàm ipse, quam ejus Minister *sum. responsionis D. Card. n.* 1.

Quæ omnia eo faciliùs procedere visa fuerunt, ex quo jàm per geminas vices responsum fuit: dationem in solutum bonorum *di Quinto* sustineri, & Macchiavellos teneri ad liberationem à molestiis illatis per Julianos, & Querinos. Quamobrem ad evitandos inutiles circuitus, & nè per indirectum
11 tollatur effectus Judicati: Domini etiam in hoc dubio prò manutentione favore D. Cardinalis responderunt; ut passim practicari solet; & signanter fuit servatum *in Toletana Jurium Parochialium, seù manutentionis* 29. *Januarii* 1702. §. *Excrescente*, & §. *Probato coram R. P. D. Ansaldo* [?] *Muto, cum aliis ibi allegatis*.

Et ità, suffragantibus omnibus, responsum fuit, utrsque &c.

ROMANA HÆREDITATIS.

Lunæ 14. Junii 1706.

ARGUMENTUM.

Cæci testamentum etiam absque fraudis suspicione, cum non servata est forma, *L. Hac consultissima C. qui test. fac. poss.* non sustinetur; præsertim cum inobservatum fuit ab ipso hærede ibibi instituto. Cæcitas quomodo in defuncto testatore probetur.

SUMMARIUM.

1 *Testamentum secundum cæci carens requisitis*, L. Hac consultissima Cod. qui testam. fac. poss. *est nullum, neque ab isto infirmatur primum dictis requisitis munitum.*

2 *Cæcitas probatur a diversis expressionibus factis a notariis in diversis actibus.*

3 *Expressiones a Notariis in diversis actibus factæ, non præsumuntur oscitanter appositæ.*

4 *Testis ad perpetuam examinati, si decesserint non revocata depositione, optime probant.*

5 *Probationes in se imperfectæ, simul unitæ concludenter probant, ad regulam singula, quæ non prosunt &c.*

6 *Cæcitas probatur si auctores eamdem denegantium in instrumentis quietantiæ passi sunt tale quid exprimi.*

7 *Actoris confessio nequit ab hærede impugnari.*

8 *Requisita* L. Hac consultissima *in testamento cæci non sunt ad evitandam fraudem simpliciter, sed de forma.*

9 *Et defectus dictorum requisitorum cæci testamenti nullitatem importat, sive fraudis suspicio concurrat, sive non*, & nu. 12.

10 *Fraus consistit in defectus voluntatis.*

11 *Testamenta uti publici juris, ex voluntate, & solemnitatibus integrantur, & altera ex his deficiente corruunt.*

13 *Interventus personæ conspicuæ fraudem* *non*

non excludit in testamento, cum eius suspicio non in ipso actu, sed ante factionem testamenti cadit.

14. *Pro cognoscenda invaliditate testamenti summopere attendenda est subsequuta observantia, in qua hæres in eo scriptus nullam vero hæredi molestiam movit, sed pactus fuit super debitis, quæ ipse cum hæreditate habebat.*

DECISIO CCCCXXV.

Non acquiescentes Joannes Paulus, aliique de Riccis, & litis consortes geminis sentent. is hujus S. Tribunalis coram RR. PP. DD. meis Muto, & Priolo denegantibus eisdem Immissionem ad bona hæreditaria Paulinæ Maffeæ oculorum lumine orbatæ; petitam in vim testamenti absque solemnitatibus *L. hac consultissima C. qui test. facer. poss.* ab eadem confecti. Et e converso illam Augustino Maffeo habenti pro se primum magis validum testamentum concedentibus Hodie in tertia instantia Judicium cor. Me prosecuti fuerunt: propositoq; dubio *An sententiæ rotales sint confirmandæ, vel infirmandæ*; DD. agnita earumdem validitate, & justitia pro confirmatione responderunt.

Ex dictis enim duobus testamentis, primum noscitur omnibus numeris absolutum, & solemnitatibus in testaměto cæci à jure *in l. hac consultissima C. qui test. facer. poss.* fulcito. Hinc cum secundū testamentum primi revocatorium careat subscriptione, & subsignatione testium pro solemnitate in *d. l. hac consultissima* requisita, dubium esse non potest, 1 quia sustineri debeat primum testamentum, & per consequens à secundo nullo, & irrito revocari non potuerat, ut in puncto firmant *decisiones hujus causæ sub die 20. Junii 1701. § Cum enim coram R. P. D. meo Muto, & sub die 22 Junii 1703. §. Immissionem erga finem cor. R. P. D. meo Priolo.*

Quod autem Testatrix cæcitate laboraret convincitur, tum quia Notarius in primo testamento, & codicillo cæcitatem enunciavit: & propterea in illis adhibitæ fuerunt 2 omnes solemnitates à dicta lege requisitæ, Tum etiam quia in postremis codicillis enunciativa cæcitatis repetita legitur ibi -- *E benche priva della luce dell' occhi*, hujusmodi autem expressiones factæ à diversis Notariis in diversis actibus non præsumuntur oscitan- 3 ter appositæ, ut firmavit *Rota in Romana Jurispatronatus 14. Decembris coram Rmo D. meo Decano*. Tum denique ex depositionibus testium, qui licet ad perpetuam tantum examinati, tamen cum decesserint non revocata propria depositione, optimam 4 probationem constituunt, *Rota in Romana Cambii 3. Julii 1702. §. Nec obstat coram Emo Caprarā, & in Sabinen. Testamenti 18. Maii 1705. §. sed neutra cor. R. P. D. meo Scotto*

Et quamvis singulæ prædictæ probationes de per se particulariter examinatæ aliquam pati possent difficultatem; attamen certum est quod simul junctæ, prout fieri debet, per- 5 fectè probant juxta regulam, quod singula quæ non prosunt &c., de qua *gloss. in l. 2. in vers. legitimæ ff. de excusation. tutor. Rot. cor. Gregor. dec. 245. num. 3., & in rec. dec. 238. num 3. par 8.*

Tantoque magis, quia Pulcheria, & Plautilla, à quibus causam habent actores recipiendo ab Achille legata sibi in secundo te- 6 stamento relicta à Testatrice, passæ sunt in Instrumento quietantiæ exprimi, Paulinam caruisse oculorum lumine, & dicta legata acceptarunt expressa declaratione ejusdem Achillis, quod ad solutionem deveniebat, quamvis in testamento nullo essent relicta, & comprehensa, ad faciendam rem gratam Legatariis ex vinculo consanguinitatis, & ad conservandam benevolentiam: sed non intendebat per talem actum aliquod jus acquiri posse alicui personæ ex quavis causa, venientibus propterea dubitari nequit de validitate postremi testamenti ob non servatas solemnitates. Ideoque cum ex præmissis confessio resultet illarum, à quibus causam habent actores, isti in præsenti admittendi non 7 veniunt ad impugnandam cæcitatem Testatricis, quam eorum auctrices admiserunt; ut bene advertit *decisio præsentis Causæ coram R. P. D. meo Priolo §. Neque hoc.*

Firmata itaque cæcitate Paulinæ, non obstat quod solemnitates tanquam requisitæ ad certum effectum evitandi fraudes, istis cessantibus, necessariæ non sint. Etenim 8 cum Lex dictas solemnitates requirat pro forma, ut patet ex lectura dicti Text. in *l. hac consultissima § At cum humana C. qui test. facer. poss.*, & in his terminis tradunt, *Mart. de success. legal. par. 4 quæst. 1. art. 5. n. 51.*, & firmatum fuit *in decisionibus editis in præcedentibus instantiis*, illarum defe- 9 ctus semper nullitatem importat sive fraudis suspicio concurrat, sive non; *Covar. de test. cap. cum esses num 9., Card. de Luca de feud. discept 1. num. 20., & in rec. dec. 337. nu. 29. par. 18.*

Testamenta enim quæ publici Juris sunt, irrita fiunt non minus ex defectu voluntatis, 10 in quo fraus consistit, quam ex defectu solemnitatum: cum omnia simul, & copula- 11 tivè à jure requirantur, ut ex voluntate, ac solemnitatibus integretur testamentum: itaut necesse sit, quod corruat, si altera ex eis deficiat; ut in specie pluribus adductis firmatum fuit *in dec. hujus causæ edita cor. R. P. D. meo Priolo 22. Junii 1703. §. Sed agnoscendum.*

Ideo nihil refert, quod ad excusandam fraudem allegatus fuerit interventus bo. me. R. P. D. Androsillæ; quoniam ex præmissis pro nullitate secundi testamenti satis est, defecisse solemnitates, etiamsi nulla fraus 12 considerari posset: & tamen adverterunt DD., quod suspicio fraudis non erat in ipso actu testandi, sed ante factionem testamenti 13 de quo tempore dictus R. P. D. Androsil-

la in-

la informatus esse non poterat, ex quo cum testatrice antea allocutus non fuerat, neque illam interrogavit, an talis esset ejus deliberata voluntas, qualem postremum testamentum præseferebat; ut pariter dictum fuit *in decisione R. P. D. mei Prioli* §. *Neque hanc suspicionem*.

Accedente præsertim, observantia, quæ erat contra validitatem secundi testamenti dum Achilles hæres scriptus in primo usque
14 ad obitum possedit, & ipsemet Augustinus hæres institutus in secundo testamento permisit, illum pro hærede se gerere, paciscendo cum eodem super reductione census hæreditatis Paulinæ, cujus ipse Augustinus debitor erat, & in futurum se obligavit Achilli persolvere fructus in summa reducta: cum hujusmodi actus ad hunc effectum sint maximè attendendi, *Rota dec.* 105 *num.* 10. *par.* 7., *&* *dec.* 302. *nu.* 2. *par.* 18. *rec.* fuitque aliis pluribus cumulatis firmatum *in prædictis decisionibus coram R.R. PP.DD. meis Muto & Priolo*, in quibus etiam respondebatur contrariis objectis ductis ex unico actu consignationis nonnullarum pecuniarum allusio cum præservativa jurium, quatenus secundum testamentum, subsistat, cum vere id nihil ponat in esse, ut latius in dictis decisionibus, cum quibus DD. iterum hodie transierunt.

Et ita utraque.

MONASTERIEN. DECANATUS.

Veneris 18. *Junii* 1706.

ARGUMENTUM.

Litteras Apostolicas impetrationis beneficii curati subreptitias, nec exequendas reddunt falsæ narrativæ longæ majoris ætatis, & quod cura exerceatur per Vicarios. Electio facienda non ad formam *cap.quia propter de elect.*, etiam si facta noscatur per divisionem in duas æquales partes; ex consensu tamen capituli quocumque modo subsequenti convalidatur. De Triennali possessione disseritur, pro qua necessarium titulum coloratum dat collatio facta ab Episcopo electo, & non confirmato: cum publice jurisdictionem exerceret: verum autem collatio facta a Vicario Apostolico, de cujus jurisdictione sermo est. Pacifica possessio contra dictam regulam de triennali quomodo interrumpenda sit? Subrogationi gratiæ obstant regulæ *de annali*, *&* *triennali*. Impetrari nequit beneficium valde senis, & valetudinarii; juxta regulam *De subrogandis*.

SUMMARIUM.

1 *Litteræ Apostolicæ obreptitiæ seu subreptitiæ non sunt exequendæ.*

2 *Expressio majoris ætatis* 24. *annorum, cum esset* 23. *& exercitii curæ animarum apud Vicarios perpetuos subreptionem facit: cũ agitur de dignitate, quæ tamen apud se*

habet exercitium curæ animarum.

3 *Electio non datur cum eligentium suffragia in æquas partes dividuntur.*

4 *Actus de jure validus præsumitur.*

5 *Electio facienda non est ad formam* cap.quia propter de elect.; *cum non agitur de dignitate per quam Ecclesia suo viduatur pastore.*

6 *Electionem ad formam dicti cap.* Quia propter *non faciendam convalidat consensus eligentium ex post superventus.*

7 *Electionis ad formam dicti* cap. quia propter *non faciendæ nullitas opponi non potest: cum electus post obtentam institutionem pacificè in dignitate est versatus.*

8 *Possessio fulcita regula de triennali impetrantem repellit, & possessorem tuetur ne possit molestari.*

9 *Regula de triennali requirit saltem titulum coloratum.*

10 *Confirmatio electionis facta ab Episcopo Electo non dum confirmato coloratum titulum prò regula de triennali non tribuit instituto.*

11 *Contrarium; cum institutus Episcopum vidit jurisdictionem exercentem: quia non tenebatur inquirere, an esset confirmatus.*

12 *Confirmatio electionis facta a Vicario Apostolico verum titulum tribuit pro regula de triennali.*

13 *Vicarius Apostolicus in jurisdictionalibus omni potitur auctoritate, quam habet Episcopus.*

14 *Regula di triennali ne suffragetur sub motivo, quod non fuerit pacifica, requiritur specifica perturbatio in ipsa possessione, vel fructibus.*

15 *Possessio non perturbata, sed continuata dicitur ex præcepto alicui transmisso, ne electum, & confirmatum in possessione perturbaret; cum in sequelam ejusdem in sua possessione continuaverit.*

16 *Præsertim cum post præceptum plures effluxerunt anni pacificæ possessionis.*

17 *Subrogatio gratiosa non suffragatur, cum eidem obstant regulæ de annali & triennali.*

18 *Subrogatio gratiosa non prodest impetranti beneficium valde senis proximè morituri, juxta regulam* de subrogandis.

19 *Gratia habens clausulam, quod ab ejus tantum data valeat, si de tempore datæ sit alteri jus quæsitum: in illius præjudicium habetur, ac si non esset concessa.*

20 *Rota non examinat, quæ non sunt præsentis inspectionis.*

DECISIO CCCCXXVI.

Possidente adhuc Thoma Kort Decanatum Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ S. Remigii Oppidi Borken; non dubitavit sub erroneis suppositis, & in subsistentibus assertionibus Ferdinandus Adulphus illum uti vacantem à S. Sede Apostolica impetrare, sed fuit in partibus ab Executore in litteris

depu-

deputato rejectus. Quoniam verò interim
obiit Thomas prædictus Capitulum, & Ca-
nonici dictæ Collegiatæ Ecclesiæ ad decana-
tum recensitum Joannem Lugderum Storp
nominarunt, sed hoc non obstante idem
Adulphus iterum habuit recursum ad S. Se-
dem, à qua primo loco subrogationem in lo-
cum dicti Thomæ defuncti, & deinde alias
litteras *Periude valere* reportavit, sed cum
etiam istarum executionem denegaverit
Executor, in Partibus appellavit ille: &
controversia ad me devoluta remansit. Qua-
mobrem proposito dubio -- *An litteræ Apo-
stolicæ Ferdinandi sint exequendæ* -- DD. at-
tento manifesto earumdem subreptionis, &
1 obreptionis vitio *negativè* responderunt.
*Rota coram Bich. dec. 285. n. 1. & in rec.
dec. 25. n. 1., & seq. p. 10. dec. 543. n. 2. p.
18. & dec. 1085. num. 26. cor. bo. me. Eme-
rix.*

Si enim res est de primis litteris, quibus
Adulphus de Decanatu provisus fuit, statim
dignoscitur defectus, ex quo, cæteris omis-
sis, expressit primo loco, quod idem Deca-
natus octo ab annis vacabat, quando apparet,
quòd, quatenus prætensa vacatio subsisteret
illa esset quindecim annorum, cum spatio
tanti temporis Thomas Kort illum pacificè
possederit. Secundò asseruit se vigesimum
quartum annum agere: & tunc temporis in
vigesimo tertio suæ ætatis anno reperieba-
tur. Ac tertio exposuit curam animarum d.
Decanatui annexam exerceri per Vicarios
perpetuos: & nihilominus Vicarii sunt ad
nutum amovibiles: Quæ omnia si Papæ in-
notuissent, utique gratiam difficiliùs concef-
2 sisset, dum non ita de facili dispensasset Ju-
venem 23. annorum ad obtinendum Deca-
natum habens unitam curam animarum cujus
exercitium non apud Vicarios perpetuos,
sed apud ipsum Decanum residebat, *Rota
coram Bich. dec. 189. n. 16. in rec. dec. 731.
n. 7. p. 18.* & passim alibi.

Cæterum nec ipsa vacatio Canonicatus,
quæ fuit fundamentum gratiæ ab Adulpho
reportatæ subsistit, fundatur enim in suppo-
sito, quod fuerit nulliter, & indebitè col-
latus Thomæ Kort, quando ob concursum
alterius suffragia Capitularium eligentium
3 in duas æquales partes divisa fuerunt, quò
casu dicebatur nullum ex eis ob suffragiorum
paritatem legitimè electum remansisse, *ad
Text. in Cap. 1. de his quæ fiunt à mai. parte
cap. Card. de Luc. de benefic. disc. 30. n. 3. Garz.
de benef. p. 5. cap. 4. nu. 28. Rota penes Vi-
vian. de jurepatr. dec. 148. la seconda n. 10.*
Itaut proindè nec subsequens electio de eo
facta per Maximilianum Henricum tunc ele-
ctum Archiepiscopum Monasterien., nec
confirmatio ultimo loco reportata ei suffra-
gari potuerit, ut substinere conabantur scri-
bentes prò Adulpho.

Adverterunt enim DD. quòd hujusmodi
nullitas ob paritatem vocum adhuc probata
non fuerit, & de jure omnis præsumptio stat
4 prò validitate actus, *Rota dec. 617. n. 2. in
fin. p. 1. divers. & in rec. dec. 529. n. 22 p. 18.*
Et in omnem casum etiamsi de illa constare
posset, adhuc cum non agatur de dignitate,
per quam Ecclesia suo Pastore viduata rema-
5 neat, electio facienda non erat ad formam
Cap. quia propter de elect. Et consensus capi-
6 tularium quoque modo ex post superveniens
poterat convalidare electionem, *Rota in
Leodicen., seu Acquisgranen. Decanatus
20. Junii 1701. §. Visum enim est coram
Emo Caprara.* Unde cum Thomas post ob-
tentam confirmationem, tàm à Maximiliano
Henrico tunc electo Archiepiscopo Mona-
7 sterien., quàm à Vicario Apostolico ab omni-
bus Capitularibus uti Decanus recognitus
fuerit, & in possessione decanatus per duo-
decim, & ultra annos permanserit, præfatæ
electionis nullitas amplius opponi non po-
test. *Rota cor. Gregor. dec. 57. n. 5. usq. ad
8. & cor. Coccin. dec. 475. n. 4. & 5. & in Con-
chen. Præstimonii 12. Junii 1701. §. Minus
deniq. cor. R. P. D. meo Priolo.*

Quæ possessio fulcita etiam regula de tri-
ennali repellebat impetrantem, & possesso-
8 rem tuebatur, itaut nec potuisset molestari,
*Rotà coram Buratt. dec. 280. num. 1., & co-
ram Seraphin. dec. 316. num. 2., & in dicta
Conchen. Præstimonii 12. Junii 1701. §.
Neutrum, & in Hipporegien. Beneficii 11.
Februarii 1704. §. Rursus, & §. Minime
coram R. P. D. meo Muto.* Non attenta
responsione, quod cum ex dicta regula re-
9 quiratur saltem titulus coloratus, iste dedu-
ci non potuerit ex collatione ei facta per
Maximilianum Henricum Archiepiscopum
10 Monasterien., ex quo iste adhuc non fue-
rat post electionem de se à Capitulo factam
confirmatus à Sede Apostolica. Quoniam
Thomas inquirere non tenebatur, an ele-
ctio fuisset confirmata, nec ne, dum videns
11 Episcopum Jurisdictionem exercentem po-
tuit, & debuit credere confirmatum fuisse,
itaut proinde ex hac credulitate evaserit
possessor bonæ fidei, & cum titulo saltem
colorato, qui requiritur pro regula de Tri-
ennali, *Innocent. in cap in litteris num. 3.,
& 8. de restit. Spoliat. Gaspar. de Perus. in
tract. de reservat. §. Quærò 1. num. 2. Simo-
nett. eodem tract. quæst. 50. num 19. Salgard.
in Labyrint. Cred. par. 2. cap. 22. num. 77.*

Et in omnem casum cessat qualibet diffi-
cultas, stante confimatione Vicarii Aposto-
12 lici, à quo non solum coloratus, sed etiam
verus titulus desumi potest, cum iste in juris-
dictionalibus omni prorsùs potestate gau-
13 deat, qua gaudet Episcopus, *Nicol. in
Flosc. in verb. Vicarius §. 2. de Vicar. Apost.
Pignattell. Consult. cau. 2. num. 1. tom. 8.*

Non attento, quod possessio triennalis
Thomæ pacifica non fuerit, cum ex præce-
pto Episcopi facto Commissario Generali
Collegiatæ Ecclesiæ S. Lugderi, ad hoc ut
dictum Thomam non inquietaret, ac eidem
debitam obedientiam per Canonicos exhi-
beri curaret, appareat, Capitulum, & Ca-
nonicos ipsi molestias intulisse. Quià hujus-
modi

modi præceptum, nil aliud præsefert, quam quod nonnulli ex dictis Canonicis Thomam in Decanum recognoscere recusarunt, quæ simplex inobedientia ad interrumpendam pacificam possessionem sufficienens non repu-
14 tatur, cum requiratur specifica perturbatio in ipsa possessione, vel fructibus, *Gomez. ad reg. de annal. quæst.45. nu.9. & 10. Lotther. de re benef. quæst 52. num.35. Bos. de execut. litt Apost. in addit. ad cap.6. par.1. num.94. Rota coram Royas dec.99. num 8., & in rec. dec.264. num.3. par.9., & dec.263. num.9. par.17.* Imo cum deinde dictus Thomas continuaverit in sua possessione, id fecisse præsumitur in sequelam, & executio-
15 nem dicti præcepti, itaut possessio potius confirmata, quam turbata remanserit, *Rota coram Martin. Andr. dec.54. num.23., & coram Seraphin. dec.1085. num.6. & coram Buratt. dec.172.n.18.* Præsertim quia dictum præceptum emanavit usque ab anno 1688.,
16 à quo tempore usque ad diem impetrationis quatuordecim effluxerunt anni, intra quos de ulla perturbatione, aut molestia non docetur.

Firmata itaque nullitate impetrationis prædictæ in nihilo suffragatur subrogatio gratiosa successivè reportata per eundem
17 Adulphum, quia iisdem defectibus laborat, & illi obstant regulæ ad annali, & Triennali *Latter. de re benef. lib.2. quæst.20. num.88. Ros. de execut. litter. Apostolic. par.1 capit.17. num.179. Rota dec.402. nu.8. par.13. rec.* Addito etiam quod cum dictus Adulphus impetraverit beneficium viventis valde Senis, & valetudinarii, cui proinde verisimiliter satis de proximo, prout etiam exitus demonstravit periculum obitus im-
18 minebat, nihil ei in his terminis subrogatio prodesse valet, ita specifice regula *de subrogandis* decernere, *Ros. de execut. litter. Apostolic. par.1. cap 17. num.185. in addit. ad d. cap.17. nu.78. Rota cor. Bich. dec.189. num.36., & seq.*

Pariterque juvari nequit Adulpho gratia *Perinde valere* ultimo loco expedita, ex quo illa habet in ventre clausulam, quod à *data præsentium tantum valeat*, ideoque cum de tempore datæ esset jus quæsitum Jo-
19 anni Storp legittimæ electo à Capitulo, dicta gratia in illius præjudicium habetur, ac si concessa non esset, *Ros. de execut. litt. Apost. par.1. cap.6. num.334. Rota coram Buratt. dec.669. num.4., & coram Merlin. dec.516. num 4.*

Haud relevante, quod obitus Thomæ secutus fuerit in Mense Septembris in vim concordatorum Germaniæ reservato S. Sedi proindeque Capitulum nulliter ad electionem dicti Joannis devenerit. Quoniam, omissis cæteris responsionibus adductis per scribentes pro Joanne satisfecit animadversio,
20 quod hæc non sunt præsentis inspectionis, cum tota controversia unicè versetur circa executionem litterarum Apostolicarum Ferdinandi Adulphi, non vero super electione Storp de qua in alio Judicio ratio haberi potuit.

Et ita utraque.

MELEVITANA BONORUM.

Lunæ 21. Junii 1706.

ARGUMENTUM.

Testes ad probandas detractiones formaliter examinati quomodo deponere debeant? Identitas ab immissionem petente est plene, concludenterque probanda. Conjuges more Melitensium societatem in bonis contrahunt. Alienationes parvæ detractiones magnas competentes, etiam deficiente inventario, non impediunt: sed in istas imputantur, in quibus contra rem judicatam Pater, in præjudicium filii minoris, etiam acceptantis, sine tamen solemnitatibus, quidquam disponere nequit: quod idem procedit si disponat de ejusdem bonis maternis, Matris non accedente consensu, quia tunc non valet. Fideicommissum ad certos casus restrictum, ultra illos non protrahitur.

SUMMARIUM.

1 *Testes ad perpetuam rei memoriam, vel metu excommunicationis deponentes, non sunt in judicio attendi.*

2 *Testes in diversa causa, & ad instantiam diversarum personarum examinati, in diverso judicio non attenduntur.*

3 *Identitas non probatur per testes deponentes in genere, qui non enunciant confines.*

4 *Immissionem prætendens digito debet plenè, & concludenter identitatem probare.*

5 *Alienatio bonorum fideicommissi sustinetur pro detractionibus debitis, & n.7.*

6 *Conjuges in insula Melitensi contrahunt societatem in bonis.*

8 *Pater in præjudicium filii minoris ejus legitimam, & bona materna fideicommisso à se ordinato subicere nequit: & acceptatio dicti filii sine solemnitatibus non attenditur.*

9 *Donatio facta cum reservatione, & consensu Matris, cujus bona fideicommisso subjici intendebatur, nisi illa intervenerit quoad maternam portionem extinguitur.*

10 *Fideicommissi vinculum ad certos casus restrictum, ad alios diversos non protrabitur.*

11 *Ex uno casu ad alium non fit illatio.*

12 *Alienationes ob consumptionem detractionum ex quarum juribus aliquid retinetur, non computantur; si factæ sint post rem illam venditam.*

13 *Simplices obligationes non numerantur in alienationibus.*

14 *Immissio contra tertios possessores jure alienationum gravato competentium certè non datur: licèt gravati inventarium non confecerint: & cum in magna quantitate detractiones competerent, alienationes illas*

illas excedentes fecisse non probatur.
15 *Amplia etiamsi res fideicommissariæ, non*
non existant, & quare?

DECISIO CCCCXXVII.

IMmissio petita à Dominico, & Angelica
de Habela vigore duplicis fideicommissi
ordinati per Jacobum Vial contra bona alie-
nata per Franciscum Garzia, & alios tertios
possessores, licet prius concessa in decisione
edita 9. Maii 1701. coràm Emo D. meo de
la Tremoille, denegata fuit postea in alia
subsequenti decisione edita coram eodem
sub die 17. Februarii 1702. Et hodie coram
Me in ejus locum subrogato examinatis
utriusque decisionis viribus, visa fuerunt
DD. prævalere fundamenta postremæ, &
ideò *in secundo loco decisis* standum esse re-
responderunt.

Non solùm enim fuit valdè dubitatum de
probatione identitatis bonorum, ad quæ
immissio petita fuit; cum Testes ad hunc ef-
fectum adducti deposuerint, vel ad perpe-
tuam rei memoriam, vel metu excommu-
1 nicationis, & per consequens in Judicio non
sunt attendendi, ut de primis *Rota dec.* 105.
*n.*5. *par.*17., *& dec.*355. *n.*5. *par.*18. *rec.* Et
de secundis *Franc. dec.*366 *n.*5., *& coram*
*bo. me. Emerix Jun. dec.*758. *n.*4. Et quam-
vis ostensum fuerit, quod alii essent exami-
nati cum interogatoriis, tamen hoc factum
2 fuit ad diversas causas ad Instantiam diversa-
rum personarum, quamobrem in hoc Judicio
nullam probationem constituunt, *Text. in*
*cap.*2 *de Testib. L. siquando §. Sed cum mi-*
*nimè C. eodem Rota coram Merlin. dec.*240.
*num.*2., *& dec* 20. *n.*17. *par.*18. *rec.*

Quodque plus est, deponunt solùm in ge-
3 nere de existentia bonorum, quæ Augusti-
nus fideicomittens possidebat, sed non
enunciant confines, vel de eis non recor-
4 dare profitentur, cum tamen pro obtinenda
immissione deberent Actores plenè, & con-
cludentèr etiam digito monstrando bona,
illorum identitatem probare, *Petra de fi-*
*deic. qu.*12. *n.*7. *Surd. decis.*339 *n.*1. *Rota*
*cor. Coccin. dec.*2137. *n.*1., *& dec.*614. *n.*6.
par 19. *rec.*

Verùm, & fortiùs, quia ex dicto fideicom-
5 misso competebant Augustino filio, à quo
dicti Possessores Causam habent, plures de-
tractiones, quarum rationem substinentur
alienationes, ad quem effectum adverte-
runt DD. quod uti ètiam assis hæreditarius
Jacobi consisteret in solis sc.25. m. adhuc ille
dividendus erat in tres partes æquales, ex
quibus una hæreditati ejus adscribebatur,
secunda est debita pro legitima filiorum, &
tertia pro portione materna propter Socie-
tatem, quæ inter cojuges more Melitensium
6 contrahitur, ut fuit animadversum *in ulti-*
ma hujus Causæ decisione.

Ex illis autem portionibus, cum diviso
prædicta, quæ nec inter collitigantes con-
trovertebatur, utique fuit admissa existen-
tia, & purificatio fideicommissi quoad pri-
mam partem. Sed difficultas redacta fuit ad
alias duas partes. quoniam respectu legiti-
timæ, quæ si deberetur soli Augustino ascen-
deret ad sc 8333., certè negari non potest,
quod admisso etiam, quod ista quantitas ve-
niret dividenda cum filiis Catharinæ Soro-
ris, quæ fideicommittenti prædecesserat,
saltem non debeat pro medietate, & hæc
una simul cum alia medietate tertiæ partis
maternę constituunt summam scutor. 8333.
& remaneret libera ad commodum ejusdem
Augustini, itaut proindè alienationes pro
7 hac summa omninò substineri debeant, cum
in illam veniant imputandæ, *ad Text. in l.*
Marcellus ff. ad Senat. consult. Trebell.
*Card. de Luca de fideic. disc.*166. *n.*7. *Ad-*
*den. ad Greg. dec.*580. *n.*7. *Rota decis.*243.
*n.*24. *par.*19. *rec.*

Non obstat, quod occasione matrimonii
contracti per Augustinum fuerint à Jacobo
Patre illi donata aliqua bona valoris sc.5000.
pro omnibus, & quibuscumque Juribus tàm
legitimæ quàm successionis maternæ, eadem-
que bona fideicommisso supposuerit, istam-
que assignationem acceptaverit Augustinus
filius. Quoniam cum præcedentèr emanas-
set sententia, quæ in judicatum transierat
8 super competentia portionis maternæ, non
poterat in præjudicium filii tunc in minori
ætate constituti, quidquam in contrarium
decerni, & quæcumque acceptatio à filio
facta sine solemnitatibus substineri nequit.
*Rota cor. Bichio dec.*588. *n.*1. *& in rec. de-*
*cis.*418. *n.*7. *par.*16. *& dec.*126. *n.*15. *par.* 19.

Ultra quod in eadem donatione fuerunt
reservati consensus, & ratificatio Matris;
9 cumque hæc nunquam obtenta fuerit, re-
nunciatio portionis maternæ resoluta re-
mansit. *Merlin. de ritu nuptiarum lib.*3.
*par.*6. *n.*74. *Rota dec.*365. *n.*13., *& dec.*408.
*n.*93. *par.*16., *& dec.*64. *n.*3. *par.*19. *rec.*

Firmata itaque nullitate dictæ assignatio-
nis nihil refert, quod in illa bona fuerint
fideicommisso supposita, cum imo ipsa legi-
tima litteralitèr excepta fuerit ibi -- *Exclu-*
sa tamen. & excepta legitima ipsi D. Spon-
si, & donatario de jure competente -- Et
quamvis posteà imediatè dictum fuerit,
quod vinculum fideicommissi censeretur
adjectum in casu venditionis voluntariæ, in-
solutum dationis, vel adjudicationis ob cau-
sam fidejussionis, & confiscationis propter
delictum, attamen cum bona non reperian-
tur ex dictis causis alienata, nequit vincu-
lum fideicommissi ad certos casus restrictum
10 ad alios omninò diversos allegari, maximè
quia hoc ipsum declaratum fuit ex subse-
quentibus verbis *& aliis verò quibuscumque*
casibus censeatur, & sit libera, ut supra --
itaut tanto minus valeat ab illis casibus ad
11 alios inferri contra regulam. *Text in leg.*
Papinianus ff. de minor. Fusar. de substit.
quæst 460. *n.*1. *cum aliis in secunda decisio-*
ne Emi D. mei Tremoille §. In hypothesi.

Nec prædictis obstat, quod in omnem
casum hujusmodi detractiones censeantur
con-

consumptæ ex alienationibus factis. Si enim demantur illæ quæ fuerunt factæ post alienationem domorum, de quibus agitur, necnon illæ quæ non fuerunt alienationes effectivæ, sed simplices obligationes, pro ut fieri de-
12 bet, ut de alienationibus posterioribus dixit, *Adden. ad Greg. dec.580., & in recen. dec.21. par.11., & dec.284. n.3. par.18.* Et
13 de obligationibus in concursu alienationum effectivè factarum *Montan. controv.941. per tot. de Luca de fideicom. in summa n.238. Rota cor. Emerix dec.1217. n.11.* Certè ad quid modicum reducatur, ut etiam doctum fuit ex calculo per Scribentes pro possessoribus exhibito, in quo omnes alienationes simul junctæ constituunt summam minorem illa, quæ debetur pro detractionibus. Et tamen hodie regula est in concussa, quod
14 etiam deficiente Inventario, si detractiones competunt in magna, & admodum considerabili quantitate, ut hic, nisi probetur quod alienationes illas excedunt, nunquam dari soleat immissio contra tertios Possessores. *Rot. dec 294. n.6. par.10., & dec.123. n.19. par.16. rec., & in Bononien. fideicom. de Burzanis 16. Januarii 1697. §. Non subsistente coram Rever. D. meo Decano, & 4. Decembris 1699. §. Promissa coram bo. me. Pio.*

Quod autem adhuc hodie salva non remaneat tertia pars, portio paterna quæ fine
15 dubio est fideicommisso supposita, nihil facit ad rem, quia non tenentur de hac esse solliciti tertii Possessores, quibus sufficit docere, quod alienationes non excedunt mensuram detractionum, ex allegatis.

Et ita utraque &c.

MEDIOLANEN. PENSIONIS.

Veneris 25. Junii 1706.

ARGUMENTUM.

Pensionarii quasi possessio exigendi, ad effectum manutentionis, probatur ex receptis; licet de antidata suspectis, cum comprobantur ex libro solventis: quamvis in aliis diversis partis alterato; & à teste informato. Et tituli exhibitio, & exceptiones super illo ad petitorium delegantur.

SUMMARIUM

1 *Manutentio pensionario existenti in quasi possessione exigendi insummarissimo manutentionis judicio denegari nequit.*
2 *Receptæ confectæ a pensionis debitore, cui eadem pensio postmodum fuit cessa in subsequenti judicio manutentionis quasi possessionem exigendi non probant.*
3 *Limita cum sunt aliunde adminiculatæ, & verificatæ.*
4 *Liber domesticus contra scribentem plenè probat.*
5 *Etiamsi in aliquibus partitis diversis ab illis, de quibus res est, à scribente fuerit alteratis.*
6 *Et etiam si a solo notario manus sit recognita: quando partitæ ab illo extractæ originaliter fuerunt, absque ulla partis oppositione, exhibitæ.*
7 *Testi informato plurimum defertur.*
8 *Testis informatas solas sat est ad probandam in pensionario possessionem exigendi pensiones.*
9 *Pensionarius in judicio manutentionis titulum exhibere non tenetur.*
10 *Exceptiones super titulo in judicio manutentionis, ad petitorium delegantur.*

DECISIO CCCCXXVIII.

Canonicatum Ordinarium Subdiaconalem in Ecclesia Metropolitana Mediolani resignatum usque ab anno 1689 à Josepho Vicecomite favore Antonii de Silva, cum reservatione ad sui commodum annuæ pensionis scut. 70. auri deindè redactæ ad scut. 60. Mediolani, obtinuit sibi conferri Georgius Cataneus, qui pariter illum Theodoro Trivultio resignavit: sed illis recusantibus Pensionem prædictam Vicecomiti primo resignanti persolvere, iste recursum habuit ad Vicarium Generalem Mediolani, & suspenso petitorio mandatum de manutenendo reportavit, quod postea in secunda instantia revocatum fuit; sed in gradu appellationis Causa mihi Commissa proposui dubium – *An sit danda manutentio Vicecomiti in possessione exigendi pensionem, vel potius eidem sit dandus regressus ad Beneficium resignatum* – & DD. omisso examine secundæ partis dubii circa regressum *manutentionem Vicecomiti concesserunt.*

Cum enim præsens controversia in summa registrato manutenente judicio versetur &
1 possessio exigendi sufficienter probata visa fuerit ex receptis partitis libri dicti Silvæ, & depositione Brusati ejusdem capserii, utique manutentio Pensionario possidenti denegandа non venit; *Text. in l. 2. ff. uti possidet. Barbos. in prax. exigen. Pen. p. 2. q. 2. n. 57. Rota in Placentina pensionis, seu regressus 23. Aprilis 1700. §. quod enim cor. R. P. D. meo Decano.*

Nec obstat quòd receptæ sint de antidata
2 suspectæ, cum fieri potuerint etiam de præsenti ad constituendum titularem in possessione, quòd plurimum interest Silvæ, per quem receptæ fuerunt exhibitæ propter commodum Pensionis à Vicecomite illi cessum, nam
3 quidquid dici posset ubi receptæ aliundè adminiculatæ, & verificatæ non essent, cessat in præsenti omnis antidatæ suspicio attentis adnotationibus earumdem solutionum factarum in libro domestico d. Silvæ, qui con-
4 tra scribentem plenè probat, *ad Text. in L. publit. 16. ff. de deposit. ibiq. Bart. Roc. de lit. Camb. notab.47. n. 131. Rota cor. bo. me. Emerix dec. 517. n. 1.*

Minimè relevante, quòd liber prædictus in numeris abbacalibus alteratus reperiatur, & fuerit recongnitus à Notario dumtaxat, & sic ab unico texte, Etenim quoad alterationem, cum ista non respiciat partitas controversas

versas solutionis pensionis ; & agatur de libro
5 privato memoriæ causa inscripto, alteratio in aliquibus partitis, quæ ab ipso scribente fieri potuit, illi fidem adimere non debet quoad reliquas partitas, nec alteratas, nec in ulla parte vitiatas, *Rota cor. Emerix dec. 510. n. 4. & in rec. 222. n. 6. p. 10. dec. 11. n. 14. & seq. p. 18. & dec. 347. n. 15. p. 19.* Recognitio verò Manus scribentis quamvis à solo Notario facta sit absque citatione partis, præ-
6 judicare, non potest, quia de illa opus non erat, cum iam fuerint originaliter in processu de partibus exhibitæ partitæ ab illo extractæ, & adversus illas Cataneus, & Trivultius nullam exceptionem dederunt.

Tanto magis quòd prædictis accedit depositio Capserii ejusdem Silvæ testantis de solutionibus ab ipso de ordine Silvæ factis, cui
7 uti testi informato plurimum deferendum venit, *Rota coram Emerix dec. 542. n. 2. & in rec. decis. 257. nu. 10. & seq. p. 12.*, & hæc
8 sola probatio sufficeret ad constituendum Vicecomitem in possessione exigendi, ut firmavit *Rota in Placentina Pensionis, & regressus 23. Aprilis 1700. §. non obstat coram Rmo D. meo Decano.*

Ex his autem superfluum existimarunt DD. immorari in examine nullitatis reservationis, ex non verificatione valoris narrati quoniam cum in præsenti agatur in judicio possessorio, & suspensum fuerit petitorium, manutenendus est pensionarius, qui nec etiam te-
9 netur titulum exhibere, & exceptiones illum respicientes ad petitorium rejiciendæ
10 venirent, *Garz. de benef. p. 1. cap. 5. n. 424., & 456. Rota cor. Coccin. dec. 156. n. 3. & in Rom. Pensionis 17. Junii 1697. §. prò solut. cor. R. P. D. meo Muto.*

Et ità utraque &c.

ROMANA ASSOCIATIONIS.

Veneris 25. Junii 1706.

ARGUMENTUM.

Ratificatio in retrovenditione census facta à duobus fratribus, cum promissione de ratificare faciendo altero fratri absenti, ex quibus tacita luide præsumatur ? nec impugnari potest : cum ille, qui ratificare debebat alterius fratris id promittentis cum clausula *ita quod*, hæres fuit. In quo casu dicta obligatio ab Auctore una cum altero fratre emissa cum sit individua ; in solidum ejus hæredes observare tenentur.

SUMMARIUM.

1 *Associatio sine credito non conceditur.*
2 *Retrovenditio census facta à fratribus cum promissione de rato pro altero absente, eidem non ratificanti pro sua portione non obest.*
3 *Ratificatio contractus ab altero initi, qui ratificare facere promisit facta præsumitur; si ille, qui ratificare debebat, illiusque primus hæres spatio 90. annorum tacuerint.*
4 *Et quando cum multiplices contractus cum eadem promissione gesti fuissent à fratribus ob defectum ratificationis ab absente non fuerunt impugnati.*
5 *Auctoris factum hæres nequit impugnare.*
6 *Alienationem de rebus hæredit cum promissione de rato ab auctore factam, ille nequit impugnare.*
7 *Ratificationis promissio cum clausula ita quod, operatur ; quod si ratificatio non sequatur, promittens, ejusque hæredes de suo teneantur : etiam si possibilia ob id obtinendum fecissent.*
8 *Promissum ab auctore hæres servare tenetur.*
9 *In hæredem omnia jura activa, & passiva defuncti transeunt.*
10 *Retrovenditio census spectantis ad defunctum citra qualitatem hæreditariam fieri nequit ; ideoque eam perneceße inducit.*
11 *Hæres tenetur factum defuncti servare, in ea tamen tantum parte, pro qua est hæres.*
12 *Limita in facto individuo, quod quilibet hæres in solidum servare tenetur.*
13 *In facto individuo quilibet ex promittentibus, & obligatis tenetur in solidum.*
14 *Rota cætera fundamenta non examinat : cum unum sufficit ad validam defensionem.*

DECISIO CCCCXXIX.

Andreas, & Petrus de Philippis cum promissione de rato Philippi alterius fratris vendiderunt Ascanio, & Hieronymę de Brichis duos census in sorte sc. 1000. pro quolibet impositos à Joanne Petro de Mariettis favore Co. de Philippis eorum Patris, quos successivè idem Joannes Petrus impositor in manibus emptorum extinxit. Cunctis verò dictis fratribus venditoribus vita functis, Dominicus, & Lucia de Philippis, uti vocati ad fideicommissum à quondam Philippo de Philippis ordinatum, prætensionem excitarunt super insubsistentia extinctionis dicti census pro tertia parte Philippo tangente, qui illius stipulationi non intervenerat, nec instrumentum venditionis ad formam pacti unquam ratificaverat : Instructoque Judicio associationis ad donum censitam cor. A. C. illam reportarunt, acin ejus sequelam dictæ domus possessionem ceperunt, cui postmodum renunciarunt. Defunctis verò etiam dd. Dominico, & Lucia, insurrexerunt Joseph, Felix, aliique de Philippis, qui denuò Judicium ex integro cor. A.C. instaurarunt contra Bernardum Pocavenam d. Joannis Petri Marietti fundorum censitorum possessorem : sed habita per Bernardum notitia antiquæ pendentiæ hujus litis in hoc Sac. Tribunali, Signaturam adivit: Causaque commissa fuit bo. me. Paulucceo. Post diuturnum verò silentium, ac obitum dd. Josephi, & Felicis modò Vincentius Antonius, & Gaspar de Philippis profecuti fuerunt instantiam cor. me in locum dicti bo. me. Paulucii subrogatum, propositoque dubio

An

An sit danda associatio — DD. *negativè* responderunt.

Agunt etiam fratres de Philippis pro censibus impositis usque ab annis 1606.,& 1609. per Joannem Petrum de Mariettis, qui successivè ab eodem de anno 1618. extincti fuerunt: ideoque stante hujusmodi extinctione, deficit principale requisitum pro consequen-
1 da associatione ab eisdem petita, cum illa sine credito non concedatur, ut omissis generalibus in his præcisis terminis, *Rot. cor. Bich. dec.*551. *num.*3.

Non obstat, quod dum extinctio dictorum censuum facta fuit cum illis de Bichis, quibus Andreas, & Petrus de Philippis tam proprio nomine, quàm cum promissione de rato Philippi fratris vendiderunt: & nullibi de ratificatione Philippi doceatur, inde se-
2 quatur, quod quemadmodum venditio pro tertia parte ad Philippum spectante inefficax remansit, ita subsecuta extinctio facta cum cessionario uti nulla nec Philippo, nec ab eo causam habentibus præjudicare valuerit.

Etenim ultrà quod ad inducendam ratificationem Philippi, satis essent tàm lapsus 90.
3 annorum à die venditionis decursorum cum continua taciturnitate ejusdem quoad vixit, & sui primi hæredis, ut in durioribus *Rota cor. Bich. dec.*652 *num.*5., *& in rec. dec.*56. *num.*7. *par.*6., *& dec.*202. *num.*22. *par.*12.*& dec.*422. *num.*9. *part.*19. Quam multiplicitas contractuum, & alienationum pari modo
4 per fratres de Philippis cum promissione de rato celebratarum, absque eo quod unquàm doceatur hujusmodi contractus ob defectum ratificationis impugnatos fuisse,ex quibus valida ratificationis præsumptio deducitur, *Menoch.de præsumpt.lib* 3.*præsump.*56.*n.*37., *Michalor. de fratr. par.*2. *cap.*13. *num.*12.,*& seq.*, *Rota cor. Coccin. & dec.*421. *num.*2., *& per tot.*, *& in rec. dec.*28. *num.*11., *&* 12. *part.*7., *& dict. dec.*422. *n.*4., *& seq. par.*19.

Cessavit quælibet difficultas, ex quo Philippus fuit hæres Andreæ alterius fratris prædefuncti, qui de rato pro Philippo promiserat. Quamobrem quemadmodum cum iste uti successor Andreæ ejus factum impu-
5 gnare non possit, tanto minùs contra præfatam alienationem censuum venire valet, ad *Text. in l. cum à matre Cod. de rei vindic.*, *Rota cor. fa. me. Alex. VIII. dec.* 100. *n.*14. & passim alibi. Maximè quia Andreas promiserat, quod Philippus ratificaturus esset dictam venditionem, cum clausula, *ita quod*
7 sicuti enim tali casu non secuta ratificatione teneretur ille, ejusque hæreditas ad solutionem sortis, & fructuum de proprio etiam, quod possibilia fecisset, *L. si Commissa ff.rem ratam hab.*, *Rot. cor. Cerr. dec.*363. *nu.*10. *Buratt. dec.*64. *num.*4., *& in rec. decis.*305. *num.*11., *& dec.*464. *num.*9. *part.*19. Ita, &
8 fortiùs tenetur ipse Philippus adimplere factum promissum ab ejus Authore, & tenetur non solùm ratam habere venditionem census, sed etiam illius extinctionem favore
9 emptorum factam, cum omnia jura activa, & passiva fratris sui Authoris defuncti in ipsum transierint, ut per *Text. tot. tit. C.ut act. ab hæred.*, *& cont. hæred.*, *Rota coram Cerr. dec.*197. *num.* 13., *& in rec. dec.*176. *num.*1. *part.*6.

Qualitas autem hæreditaria controverti non potest, quia hæreditas Andreæ adita fuit per Petrum etiam nomine Philippi: & tanquam Illius Procurator, & successivè ipsemet Philippus uti hæres Andreæ, & cum expressa relatione ad actum aditionis ejus nomine factum per Petrum retrovendidit Equiti Millino censum in parte hæredita-
10 rium dicti Andreæ; isti enim actus fieri non potuerant citra jus, & nomen hæredis: imò pernecessè eamdem qualitatem hæreditariam præseferunt, ut de primo firmavit *Rota cor. Cavaler. decis.*244. *num.* 2. *& cor. Buratt. dec.*353. *num.*1. *& seq.*, *& in recen. dec.*7. *num.*16. *part.*8., & de secundo *Rota cor. Gregor. dec* 98. *num.*1., *& in recen. decis.*127 *num.*10. *part.*16., *& dec.*366. *num.*5. *part.*18

Nec relevat, quod hæres tenetur servare factum defuncti pro ea tantum parte, pro
11 qua est hæres; ideoque cum Philippus fuerit hæres Andreæ una cum Petro, ratificatio intrare debeat pro medietate dumtaxat. Quoniam, cum obligatio faciendi ratificare
12 Philippum assumpta per Andream sit factum individuum, quilibet ex hæredibus illud in solidum præstare tenetur *Rota coram Cavaler. dec.*612. *num.*22., *& coram Cerro dec.*752. *num.*4., *& cor. Burat. dec.* 190. *n.*9. *& in rec. decis.*346. *num.*4. *par.*16., *& dec.*286 *num.*4. *par.*17. *& dec.*301. *n.*13. *par.*18. Ex qua ratione sublatum quoque remanet objectum, quod obligatio de rato emissa fuerit, tàm à dicto Andrea, quàm à Petro,
13 quia in facto individuo quilibet ex promittentibus, & obligatis tenetur in solidum ex allegatis.

Quibus sic stantibus superfluum putarunt DD. immorari super communione universali: quæ inter fratres de Philippis vigebat de tempore venditionis controversorum censuum, sicuti etiam super fideicommisso favore Joannis Baptistæ Marietti junioris purificato, cujus Bernardus Pocavena reus conventus est immediatus hæres, & est creditor dotis uxoris Joannis Petri Marietti, & respectivè matris dicti Joannis Baptistæ junioris ad eumdem Bernardum pariter spectante, quod est longè anterius impositioni controversorum censuum, quia licet etiam ista validam ei præstitissent defensionem, tamen
14 fundamentum positum in dicta qualitate hæreditaria est adeò validum, ut etiam de per se sufficiat pro deneganda associatione per fratres de Philippis petita.

Et ita utraque &c.

EADEM SUPER EXPENSIS.

Veneris 25. Junii 1706.

ARGUMENTUM.

Datur à Summario.

SUMMARIUM.

1 *Expensæ, & sumptus litis, ut subministretur, paupertas, & bonum jus requiritur.*

2 *Bonum jus non præsumitur à sententia judicis: cum eadem examinata vel nulla, vel injusta detegitur.*

3 *Expensæ, & sumptus litis difficiliùs subministrantur: cum collitigantes non sunt sanguine conjuncti.*

4 *Et cum lis non respicit universitatem bonorum.*

5 *Et cum agitur de exigua, & indebita quantitate.*

DECISIO CCCCXXX.

ATtento malo jure fratrum de Philippis
ex alia hujus causæ contemporanea decisione
satis resultante, denegarunt DD. expensas,
& sumptus litis ab iisdem adversùs
Bernardum Pocavenam petitas, cum defi-
1 ciat potissimum fundamentum ad illas obtinendas
copulativè cum paupertate requisitum,
Surd. de alim. tit. 1. quæst. 110. nu. 10.,
Rota cor. Seraphin. dec. 765. num. 1.

Nec relevat, quod bonum jus resultet ex
mandato de associando ab A. C. reportato
usque ab anno 1652. Quia cum illud nunc
detegatur injustum, allegari non potest ad
probandum bonum jus, cum præsumptio justitiæ,
quæ assistit sententiæ Judicis cesset,
2 ubi examinatis juribus sententiæ eadem detegatur
vel nulla, vel injusta, ut in his terminis
respondit *Rota coram R. P. D. meo
Ansaldo inter ejus impressas dec. 71. num. 2.,
& 3.*

Maximè quia collitigantes non sunt inter
3 se sanguine conjuncti, *Rota dec. 189. num. 6.
cor. Gregor.*: Et præsens controversia non
4 respicit universitatem bonorum, sed restringitur
ad associationem petitam super Domo,
quam pro tertia tantum parte ad Philippum
spectare supponitur, licèt erroneè, ut fuit in
dicta decisione firmatum, exinde fit, ut cum
5 agatur de exigua, & indebita quantitate
nunquam subministratio petita veniat indulgenda,
ut in his terminis advertunt, *Surd.
de aliment. tit. 1. quæst. 120. num. 14., Gratian.
discept. 55. num. 50. Adden. ad Baratt.
dec. 15. num. 8.*

Et ita utraque &c.

PLACENTINA LEGATI PII.

Lunæ 28. Junii 1706.

ARGUMENTUM.

Habes in superiori decis. 392., quæ confirmatur.

SUMMARIUM.

1 *In dispositione ad pias causas unicè Testatoris voluntas est inspicienda, non habita ratione solemnitatum*, & num. 12.

2 *Dispositio ad pias causas nulla est; cum non constat de voluntate.*

3 *Voluntas dicitur non completa, sed in via, cum testator cogitavit solum de condendo testamento, & noluit absolutè, & perfectè disponere.*

4 *Et tunc schedula testamentaria consideratur pro præparatoria ad testandum, non pro testamento.*

5 *Testator testamentum facere vere voluisse dicitur: cum in ejus parte dispositiva apposuit verba præseferentia certam determinationem, perfectamque voluntatem.*

6 *Testatoris voluntas consignandi schedulam testamentariam Notario respicit majorem probationem: non vero, quod sine eo actu noluerit disponere.*

7 *Secus est cum ex visceribus ipsius testamentariæ schedulæ apparet dispositionem adhuc esse incompletam.*

8 *Dispositio ad pias causas imperfecta non dicitur ex quo testator voluerit adhibere aliquam solemnitatem, quæ postea non intervenerit*, & num. 18.

Verba importantia perfectionem voluntatis comprehensa in eadem schedula, in cujus proemio requiritur rogitus Notarii, qualificantur ab eo; & eo non expleto non dicuntur perfecta.

10 *Declara conclusionem procedere posse in testamentis, in quibus cum voluntate requiruntur copulativè juris solemnitates; secus in dispositione ad pias causas.*

13 *Animus aliqua mutandi in testamento, cum non sit ad actum perductus, non derogat præcedenti dispositioni in iis, quæ piam causam respiciunt.*

14 *Mutatio non præsumitur in dispositionibus ad pias causas.*

15 *Mutationem voluntatis facere noluisse dicitur testator, qui, dum potuit, non fecit: licet animum mutandi prehabuerit.*

16 *Rogitus testamenti procrastinatus à testatore, licet desuper interrogato, nihil commune habet cum perfectione, aut mutatione voluntatis.*

17 *Voluntatis imperfectio, & vitium dispositionis, in qua hæredes anima, & filia à testatore scribuntur; non inducitur respectu animæ; sed siquidem filiæ, ex quo filiæ nomen delevit, & cur?*

19 *Protestatio facto proprio contraria non est attendenda.*

20 *Acceptans integre legata pia, singula sub eis comprehensa adimplere debet.*

21 *Determinatio respiciens plura determinabilia ea pariformiter determinat.*

22 *Nominatio, seu electio Capellani, in qua Clericus invitatur, ut ad Sacr. Ordines possit promoveri, tamquam opus pium, & spirituale consideratur.*

DECI-

DECISIO CCCCXXXI.

Cum adversus decisionem editam sub die
14. Decemb. anni præteriti denuò Mar-
chionissa Hieronyma Colla Labadina audiri
obtinuerit, causa hodie reproposita DD.
agnitis undequaque subsistentibus dictæ de-
cisionis fundamentis, persisterunt *in de-
cisis*.

Agitur enim de substinenda dispositione
ad pias causas, de legato scilicet facto pro
celebratione Missarum explenda per Cleri-
cum à testatore nominatum, in quibus termi-
nis certa est regula, quod unicè inspicienda
1 est voluntas Testatoris, nulla habita ratione
solemnitatum, ut præter relatos *in præteri-
ta decisione §. Fortius*, advertunt *Oldrad.
conf.* 119. *Torr. de pact. futur. success. lib* 3.
cap. 12. *nu.* 49 *Rota cor. Buratt. decis* 475.
num 13.

Admittebant Scribentes contrà decisio-
nem hanc regulam, sed eam non applicari al-
legabant, supponendo quod in præsenti ex
2 pluribus circumstantiis constaret de imperfe-
ctione voluntatis, quo casu intrat contraria
regula pro nullitate. Sed toto Testamēti con-
textu perpenso, objectum in facto non subsi-
stere, visum fuit; quatenùs enim oppone-
batur, quod in principio ipsius schedulæ te-
stamentariæ legantur illa verba -- *volendo
far testamento &c. hà palesato a me Notaro
infrascritto alla presenza &c. la sua volon-
tà in questo modo cioè &c.* ex quibus infe-
3 rebatur, quod Testator cogitavit solum de
condendo Testamento, non quod perfectè
& absolutè disponere voluisset, itaut ipsa
schedula testamentaria possit considerari
4 pro quadam præparatoria ad ità testandum,
non pro Testamento, ex traditis, *per Soc-
cin. Jun. Castrens Morotium. & alios ad
id lato calamo allegatos*.

Facilis fuit responsio advertendo, quod
cum in parte dispositiva ejusdem schedulæ
5 adsint verba præseferentia certam determi-
nationem ac perfectam voluntatem ibi -- *per
che così è la mia assoluta, e determinata vo-
lontà* -- cum aliis similibus relatis in mea
præterita decisione §. *Quoniam*, consequens
est, ut præcedentia verba in objecto pon-
derata, & apposita in prohemio ostendant
6 quidem animum consignandi Testamentum
Notario coràm Testibus ad majorem fortasse
probationem, sed non important, quod sine
tali consignatione Testator disponere volue-
rit; ad hunc enim effectum requiritur, quod
7 ex visceribus Testamenti dignoscatur dispo-
sitionem adhuc esse incompletam, ut in specie
sese declarant Doctores in contrarium alle-
gati, & signantèr *Castrens. conf.* 75. *in fine
vers. procederent enim lib.* 1. ubi in specie
quod non sufficit pro inducenda imperfe-
8 ctione voluntatis, quod Testator voluerit ali-
quam solemnitatem adhibere, quoties agitur
de dispositione ad pias Causas, & benè decla-
ratur in *Romana Legati* 30. *Aprilis* 1703.
§. *Secus autem vers. ex ipsis visceribus co-
ram bo. me. Pio*.

Atque hinc destruitur replicatio, quod
verba importantia perfectionem voluntatis
9 tanquam compræhensa in eadem schedula,
in qua fuit requisitus rogitus Notarii coram
Testibus, qualificetur ab hac proemiali ex-
pressione, itaut nunquam dici possint perfe-
cta, nisi concurrente rogitu Notarii, & præ-
sentia Testium. Etenim quidquid sit respe-
ctu aliarum dispositionum, in quibus non
10 sufficit voluntas, nisi copulativè concurrant
solemnitates, hoc unum certum est, quod
ubi agitur de dispositione ad pias causas,
11 stat benè simul, quod Testator voluerit ad-
hibere solemnitates, & tamen voluntas fue-
rit perfecta, quæ sine illis est sufficiens. *Ca-
strens. d. conf.* 75. *vers sed si non esset Me-
12 noch. conf.* 267. *n.* 33., *& seq. Rota dec.* 484
n. 3. *par.* 19., & dictum fuit *in præterita de-
cisione §. Verba autem*.

Quatenus verò replicabatur, quod Te-
stator expresserit - *che bisognava mutare
molte cose* -- satisfecerunt responsiones ad-
ductæ, & signantèr, quod dum animus mu-
13 tandi non fuit ad actum perductus remanet
ille in terminis simplicis velleitatis, nec præ-
judicat præcedenti dispositioni in his, quæ
piam Causam respiciunt, in quibus nunquam
14 mutatio præsumitur. *Soc. Jun. conf.* 183.
n. 18. *lib.* 2. *Gratian. discept. forens. cap.* 895.
n. 69. *Rota apud eumdem cap.* 550. *num.* 10.
imò ex hoc ipso, quod non mutavit, cum
15 potuit, censeri debet noluisse mutare.

Sicut etiam insubsistens apparuit altera
circumstantia ducta ex quo Testator inter-
rogatus an vellet Testamentum condere re-
spondit -- *lo farò domani* -- Quia per lecta
tota depositione Testium habetur, quod
cum ille jam antecedentèr suam voluntatem
patefecisset, interrogatus fuit -- *Se voleva
finalmente esprimerla per farne rogito pu-
blico*. Et ipse respondit -- *lo farò dimani* --
Quamobrem rectè patet verba illa esse re-
lativa ad interrogationem -- *per farne rogito
16 publico* -- quæ nihil communi habent cum
perfectione, aut mutatione. Voluntatis ad
*Text. in leg. penult. Cod. de instit., & subsi-
stit. Ruin. conf.* 1. *n.* 22. *lib.* 2. *Mantic. de
conject. ult. volunt. lib.* 2. *tit.* 12. *n.* 1. *Rocc.
disput. jur. cap* 40. *n.* 7. *Rota apud Gratian.
d. cap.* 550. *Seraphin. dec* 581. *per tot.*

Quod autem in dicta schedula per Te-
statorem exarata deletum reperiatur nomen
Marchionissæ filiæ hæredis institutæ, exin-
dè voluntatis imperfectio argui non potuit;
patet enim quod Testator scripserat -- *insti-
tuisco miei eredi universali l'anima mia, e
la Girolama mia figlia &c.* Quamobrem li-
17 cet deletum sit nomen Hieronymæ, non
ideo corruit schedula testamentaria ob de-
fectum completæ voluntatis, quæ imò eo
fortiùs viget respectu Animæ ipsius Testa-
toris, quam fortasse unicam hæredem re-
linquere voluit, ut sic dispositio magis vi-
deretur directa ad piam causam cum cele-
bratione Missarum pro suffragio suæ Animæ
unicæ hæredis institutæ, itaut vitiata insti-

tutione, quoad Hieronymam, adhuc illesa remaneat alia favore Animæ, ut explicat *Actolin. resolut.* 35. *num.*14.

Tandem minoris ponderis visa fuit altera circumstantia quod Testator antè adventum
18 Notarii suam voluntatem cuidam juris perito communicare voluerit. Quia non indè sequitur illius imperfectio, cum sæpius accidat, quod Testatores per schedulam determinatè disponant, & post modum morti proximi voluntatem suam alicui confidenti manifestent, absque eo quod in aliquo perfectionem, & determinationem ejusdem infringant.

Cæterum non solùm nulla adducta fuit relevans probatio imperfectionis voluntatis, sed etiam exabundanti pro exequutione dispositionis ponderarunt DD. expressam illius acceptationem factam à Marchionissa vigore laudi prolati à Judice compromissario per ipsam electo, & de quo *in altera decisione* §. *Cessatque omnis difficultas*. Absque eo quod mereretur in contrarium attendi protestatio contemporaneè facta -- *di non volere approvare, e consentire nella validità, e sussistenza d'alcuni de' Legati Pii, e profani contenuti nelle schedale sopra nominate del Co. Cesare mio Padre*. Quia
19 tanquam contraria laudo per ipsam emologato non est attenda, ut firmatum fuit *in di la decisione præterita* §. *Cessat*, & præter ibi adductos *Card. de Luca de Testament. disc.*12. *n.*45.

Hæc hujusmodi contrarietas evitari potest, ex quo arbitrator ipse declaraverit -- *che per l'accettatione del presente arbitramento non s'intenda fatto alcun pregiudizio a qualunque ragione dell'una, e dell'altra parte rispetto a qualunque terzo*. Quasi quod protestatio prædicta non videatur adjuvari laudo, itaut censeri debeat ab ipsa acceptatum dumtaxat onus celebrationis Missarum ex solo motivo pietatis suffragandi Animæ Co. Cæsaris Patris, non autem approbata designatio Cappellanorum ab eodem Co. in schedula nominatorum pro dicta celebratione explenda.

Quoniam contradictio semper magis manifestè resultat ex verbis antecedentibus d. laudi ibi -- *che all'incontro tutto il rimanente dell'eredità, e beni del d. Sig. Co Cesare, salvo sempre tutto ciò, che si legge nella detta schedula a favore delle cause Pie &c. resti alla medesima Sig. Marchesa cum honoribus, & oneribus fuit* -- Ex quibus apparet, quod legata pro causis piis relicta in-
20 tegra remanere debent, & cum in illis non solùm includatur Sacrificium Missæ, sed etiam Ecclesiæ Cappellani, utrumque debet adimpleri, nam alias cessante hac ultima dispositione, eaque non adimpleta, integrè non adimpleretur voluntas Testatoris. Ultra quod regulare est, quod deter-
21 minatio plura determinabilia respiciens, pariformiter determinare debet, cum æqualis sit determinatio, *ad Text. in l. jam hoc imm. ò ff. de vulg., & pupill. Rain. cons.*3. *n.*14. *Rota dec.*275. *n* 4. *par.*18. *rec.*

Addito etiam, quod ipsa electio Cappellani isto casu de per se, & ab omni alia circumstantia independenter considerata est opus pium, quia cum Testator demandaverit celebrationem Missarum explendam esse per Stuppanum, & casu quo ille non esset actu Sacerdos, præcepit, ut Jordanus suppleret, usquequo d. Stuppanus per se ipsum injunctam celebrationem adimplere posset. inde resultat quod ex dicta nominatione invitatur Stuppanus ad assumendos Sac. Ordines, & per consequens dicta nominatio uti opus Pium, & spirituale reputari debet, ut firmatum fuit *in mea præterita Decisione* §. *finali*.

Et ita utraque &c.

EADEM SUPER REMISSORIA.

Lunæ 28. *Junii* 1706.

ARGUMENTUM.

Habes in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Remissoria iterata non conceditur pro examinandis testibus, quorum dicta in principio litis examinatorum fuerunt considerata.*

2 *Præsertim in ultima instantia.*

3 *Remissoria non conceditur, cum articuli agnoscantur non profuturi.*

4 *Testatorem non præsumitur velle mutare dispositionem piam in præjudicium animæ suæ.*

DECISIO CCCCXXXII.

Agnoscens Marchionissa Hieronyma Costa Labadina defectum suarum probationum pro infringenda prætensa dispositione Co. Cæsaris Patris, quæ in alia contemporanea decisione hodie coram Me edita, ut perfecta fuit recognita, institit sub alio separato dubio sibi concedi remissoriam, illam tamen DD. denegarunt.

Non solum enim articuli continent dumtaxat ea, quæ alias deposuerunt plures testes in principio litis examinati, & quorum dicta fuerunt in prioribus instantiis discussa, & rejecta, & signanter in geminis decisio-
1 nibus coram Me, quo casu nunquam nova remissoria concedi solet, *Rota coram fa. me. Alex. VIII. dec.*36. *num.*8., *& in rec. decis.*31. *nu.*9. *par.*7., *& dec.*174. *nu.*5. *par.*15. *& dec.*31. *num.*6. *par.*17. Præsertim in hac
2 tertia, & ultima instantia, *Rota in Cordubev. Pecuniaria super remissoria* 28. *Junii* 1700. §. *final. coram Me*.

Verum etiam apparent de per se irrelevantes, quodque ad causam non sint profuturi, & per consequens rejiciendi, per *Text.*
3 *in l. ad probationem la* t. *de probat. gloss. in cap.*

cap. cum Contingat nub. nihilominus de offic. delegat. Rota dec.174. nu 7. par. 15. rec., & in Eugubina tutela 3. Mortii 1698. Et maxime coram R.P.D. meo Priolo.

Siquidem ex illis probari prætenditur, quod testator voluerit schedulam reduci in publicum Instrumentum, mediante rogitu Notarii, quodque dixerit velle mutare aliqua de iis, quæ in schedula testamentaria continebantur, & tamen utraque exceptio discussa, & rejecta fuit in dd. decisionibus editis coram Me, ex pluribus, & validis rationibus hic non repetendis. Tantoque magis, quia non docetur super quibus specifice mutatio cadere possit, hinc enim præsumendum est, quod circa prophana dumtaxat versari possit, non autem quoad dispositiones ad pias causas, cum credendum non sit,
4 testatorem dispositionem in præjudicium Animæ suæ mutare voluisse.

Certiùs, quia constat etiam de acceptatione dispositionis facta à Comitissa Hieronyma late ponderata in utraque decisione, contra quam inutiliter adduci prætenduntur testes pro illius declaratione, ut de per se sit litteralis, ne indirecte ab expressis per eorum depositiones trahi possit.

Et ita utraque &c.

PAMPILONEN. SPONSALIUM.

Lunæ 28. Junii 1706.

ARGUMENTUM.

Præbetur a Summario.

SUMMARIUM.

1 *Sponsalia inita cum Puella, ut per alia sub prætextu antecedentium, rumpantur, quid sit probandum?*
2 *Confessio mulieris, præsertim non adminiculatæ, ejus sponsalia non probat.*
3 *Stuprator, vel stuperatam in uxorem ducere, vel dotare habet in arbitrio: Sed ad matrimonium cogi nequit.*

DECISIO CCCCXXXIII.

Sub prætextu propriæ deflorationis cum præcedentibus sponsalibus prætendebat Josepha de Bergara cogere Franciscum de Aramburu ad secum Matrimonium contrahendum, aliudque cum diversa puella ineundum impedire, sed causa in Judicium delata rejecta fuit per Vicarium Generalem Pampilonen. instantia Josephæ ob non probata sponsalia, solumque fuit condemnatus Franciscus ex causa deflorationis ad constituendam dotem, cui tamen sententiæ Josepha non acquievit, obtinuitque mihi in gradu appellationis remitti causam. Unde examinandum dedi dubium, *An Franciscus sit cogendus ad contrahendum matrimonium, seù potius teneatur ad dotem*, & illum *non esse cogendum, sed teneri solùm ad dotem* responsum fuit.

Quo enim ad primam dubii partem super qua tota controversia versatur, (cum Franciscus Josepham dotare non recuset) fundamentum resolutionis stetit in eo, quod nullo modo probatur præcessisse sponsalia, cum tamen ad hujusmodi effectum requiratur
1 plena, & concludens illorum probatio, cum specifica promissione viri, & mulieris, addita etiam probatione, quod non supervenerit ulla causa, quæ sive virum, sive mulierem à servanda fide excuset, *ad Text. cap. Nostrates 3. quæst.5. l. 1., & 2. ff. de Sponsal., Sanchez. de matrim. lib.1. disp.5. num. 1. Card. de Luca eodem tract. disc.8. num.3. & 4. Rota in rec. dec.538. nu.4., & dec.621. nu.2. par.18.*

Et licet ad hanc probationem faciendam dederit Josepha in partibus articulos, qui etiam fuerunt admissi, tamen agnita postmodum impossibilitate probationis confessus, præstitit, ut causa absque alio examine expediretur, itaut tota probatio hodie solum deduci valeat ex confessione mulieris,
2 quæ præsertim, cum non sit jurata, non attenditur, *Adden. ad dec.431. nu.116. par 4. rec. Rota coram Coccin. dec.1291. nu.7.*

Nec obstat, quod Franciscus Josepham defloraverit, Quia non inde sequitur, quod teneatur eam ducere in uxorem, sed sufficit, quod dotem constituat, & hoc facere non recusat, quoties enim constat de stupro, est in arbitrio viri, vel ducere, vel dotare, sed nunquam invitus compelli po-
3 test ad contrahendum matrimonium, *ad Text. in cap.2. de adulter., & stupr. Card. de Luca de dot. disc 142. num.72. Adden. ad dec.421. num.110. par.4. rec. Rota coram Pen. dec. 74. per tot., & dec. 767. num.7. par.18. rec.*

Et ita Francisco tantùm informante.

AVVENIONEN. SEU CARPENTORATEN. FIDEICOM. DE TERTULLIS.

Veneris 2. Julii 1706.

ARGUMENTUM.

Filiorum nomine in fideicommissis perpetuis ab ascendente factis, veniunt etiam nepotes &c. Secùs verò quando Testator filios, seu etiam liberos cum specifica designatione *primorum*; vel coarctativa *tunc existentium* de tempore purificationis; vel cum designatione matris; vel speciali nota eos vocavit; & cum in contrarii obstat diuturna observantia in judicio canonizata. Et nomine liberorum synonime usus est ad denotandos primos filios Confirmatur deinceps dec.476

Super hoc eodem fideicommisso sunt superiores Dec.305.tom. 1., & in præsenti dec. 341.

SUMMARIUM.

1 *Res judicata in dubium non revocatur.*
2 *Masculus fœminæ vocatus primus, qui ab ea existeret de tempore apertæ successionis: si ea-*

eadem tunc temporis fœminam habuerit masculus ab hac postea descendens non admittitur.

3 *Filiorum appellatione in fideicommissis descensivis perpetuis vocati censetur nepotes, & cæteri descendentes.*

4 *Præsertim si fideicommissum sit ordinatum ab ascendente, & qui etiam usus fuerit latiori nomine* liberorum.

5 *Conclusionem limita cum littera testamenti, vel diuturna observantia in judicio canonizata resistunt.*

6 *Liberorum nomine cum sunt specifice designati cum adjuncto* primorum, *non veniunt ulteriores descendentes.*

7 *Et quando cum personali nota sunt connotati. Vocatio filiorum cum expressione matris indicat personalitatem.*

8 *Dictio* tunc *temporis extremitatem connotat.*

9 *Vocatio facta cum coarctativa ad masculos tunc existentes ultra illos non diffunditur.*

10 Liberorum *nomen aptum est comprehendere plures personas, & gradus.*

1 *Limita cum testator promiscuè prò synonimis habuit nomen liberorum, & aliud filiorum: & illud in pluribus testamenti partibus ad filios primi gradus restrinxerit, & cur?*

12 *Illatio ab uno casu ad aliud fieri nequit.*

13 *Facti variatio variare facit juris censuram.*

14 *Transactio bona fide validè inita super articulo dubio fideicommissi afficit etiam successores in eodem fideicommisso.*

DECISIO CCCCXXXIV.

CUm Nicolaus de Tertullis post defectam lineam masculinam, & fœmininam propiorum filiorum ad successionem suæ hæreditatis invitasset primos liberos masculos Gilettæ, Ludovicæ, & Gabriellæ filiarum suarum tàm natos, quàm nascituros, qui tunc cum substitutio hujusmodi locum sibi vindicabit, primi reperirentur: Prævidens postea casum in quem aliqua ex dictis suis filiabus prolem masculinam non haberet, voluit filiam eam, seù filias, quæ nullos masculos habere reperiretur, gaudere, quoad vixerit parte, & portione bonorum ipsius Testatoris quam eorum liberi Masculi consecuti fuissent.

Defecerunt sine prole Testatoris filii: & quia Gabriella Masculos non habebat, tota hæreditas consolidata fuit in liberis masculis Gilettæ, & Ludovicæ, Hæctore nempè, & Francisco, contra quos insurrexerunt tàm præfata Gabriella, quàm Henricus ejus ex Francisca filia Nepos, qui sibi tanquam Masculo tametsi per medium fœminæ procedente consuccessionem deberi prætendebat. Sed controversia delata ad curiam legationis Avenionen. succubuerunt: ipsisque provocantibus ad nostrum Tribunal causaque pluries examinata *cor. bo. me. Buratto ut inter ejus impr. dec. 257. & deinde cor. bo. me. Ubaldo, & Buccabella*, prodiit Rotalis sententia, qua fuit *pronunciatum fideicommissum purificatum fuisse favore Hectoris, & Francisci; Gabriellæ verò nihil aliud deberi, quàm tertiam partem usufructus in Bonis Nicolai Testatoris, Responsum fuit.*

Interim verò cum decessisset d. Henricus, facta prius donatione universali omnium suorũ jurium favore Isabellæ de Suilens, necnon Gabriella favore Francisci de Granovillias, isti mutato consilio tanquam Hæredes Gabriellæ expetierunt solam tertiam partem usufructus in bonis Nicolai, quàm nostrum tribunal per geminas sententias *cor. Dunozett. & Ghislerii* deberi *respondis ut in dec.* 450. *Dunozett. jun. & 87. p. 9. recent.*; causaque per transactionem extincta, Hæredes, & donatarii dicti Hænrici recepta certa pecuniarum summa renunciarunt cuicumque juri, & pretensioni ipsis quomodolibet competentibus. Verum quia de recenti defecit Joseph de linea Ludovicæ jam admissa sine filiis, superstitibus solum Marchionibus de Pluvinel, & de Reavville Nepotibus Masculis progenitis ex duobus sororibus, Adversus istos utpote descendentes per duplex medium fœmininum, Ignatius de Tertullis, qui descendit per masculos ab alia linea Gilettæ, quæ pariter fuerat admissa, cum & ista decesserit relicto filio masculo, ut supradictum fuit petiit immitti in possessionem portionis hæreditatis, quæ retinebatur à Josepho Defuncto: & quia qualitas masculinitatis per unicum medium fœmininum, fuit solum à Testatore volita in ingressu, non autem in progressu, in quo distinctè vocavit Posteros & descendentes per plures sententias prius coram A. C. Aldrovando, & deinde in nostro Tribunali, præviis pluribus decisionibus editis cor. Me, & deindè cor. R. P. D. meo Caffarello, & Rm̃o Domino meo Decano fuit semper rejectus.

In hoc rerum statu Franciscus Junior de Granovillias Nepos ex fratre memorati Henrici reassumendo istius prætensionem circa consuccessionem in 3 parte Hæreditatis Nicolai fideicommittentis Impetravit Commissionem mihi directam, obtinuitque hodiè disputari dubium -- *An & de quorum vocatione constet, itaut sit danda Immissio, seu potius obstet transactio* -- sed cum deinde comparare, & informare recusaverit, favore Marchionum de Pluvinel, & Reaville tantùm informantium responsum fuit.

Methodicè enim procedendo in hac causa, & distinguendo dubii partes, quoad primam involventem Inspectionem vocationis, si loquimur de eis, qui informarunt, incontrovertibilis visa fuit ipsorum vocatio cum fuerit canonizata tàm per sententiam A. C., quàm per alias tres Rotales in judicatum transactas, quæ præcesserunt, ut præmisimus, plures luculentæ decisiones, in quibus constabiliter ipsos tamquam descendentes à Ludovico, licet per duplex medium fœmininum, vocatos esse ad fideicommissum conditum à dicto quondam Nicolao, itaut eadem
1 vocatio in dubium hodiè ampliùs revocari non possit, *l. res judicata 208. ff. de regul. jur. l. 1. & 2. Cod. ut Lite pendente Post. resol. civil.*

civil. 106. *n.* 68. *& seq. Rota cor. Priolo dec.*
414. *n.* 8. *& cor. Royas dec.* 436. *n.* 7.
Si autem sermo est de Francisco de Grano-
villas, nullatenus constitit de illius vocatio-
ne, quia cum fideicommittens in casu obi-
tus suorum filiorum sine prole substituerit
primos liberos masculos suarum filiarum quia
tunc, cum substitutio locum sibi vindicaret,
primo reperirentur, eo ipso, quòd de tempo-
re purificatæ conditionis, delatæque suc-
cessionis Gabriella, à quâ ille descendit, non
habuit filios masculos, sed tantum Franciscam
fœminam, ex qua nati sunt, Henricus, &
Franciscus Avus moderni Actoris, nequa-
2 quam iste dici potest in hac substitutione
comprehensus, cum non sit filius Masculus
Gabriellæ, & sic eidem deficiat principale
requisitum, à quò inchoare debuisset ejus-
dem vocatio, quòd nempè fuerit natus à
primis liberis masculis filiarum Testatoris,
*Bald. Cons.*40.*column.*2. *lib.*3.*Corneus cons.*
124.*n* 23.*lib.*2.*Menoc.cons.*162.*n.*18.*lib.*2.*Fu-
sar.de substit. quæst.*404.*n.*1. latissimè *Sami-
niat.controv.* 101. *n.* 54. & in terminis hujus
fideicommissi firmavit *Rota cor. Dnnoz.jun.
d. dec.* 450. *n.* 17. *impressa etiam in recent.
dec.* 195. *p.* 7.
Non obstat, quod appellatione filiorum in
fideicommissis descensivis perpetuis vocati
3 censeantur non solum filii primi gradus, sed
etiam Nepotes, cæterique ulteriores de-
scendentes: præsertim, quando ut in præsen-
ti, agitur de fideicommisso ordinato ab ascen-
4 dente, qui etiam usus est nomine liberorum
ibi -- *liberos natos, & nascituros* -- Ideoque
Franciscus de Granovillas, qui mediante
Francisca provenit à Francisco seniore Ne-
pote Masculo Gabriellæ, descendere dica-
tur à primis liberis Masculis filiarum fidei-
committentis: & sic censeatur sub vocatio-
ne comprehensus.
Nam quidquid sit, an appellatione libero-
rum veniunt etiam Nepotes in hujusmodi fi-
deicommissis, DD. censuerunt, quod in præ-
5 senti vocatione, expressè resistit tum littera
Textamenti, ex qua resultat Testatoris,
voluntas, tum etiam diuturna observantia,
& rerum judicatarum auctoritas.
Et sanè resistit littera Testamenti, ex quo
fideicommittens in substitutione, de qua
agitur, non solum vocavit liberos masculos
6 suarum filiarum, cum adjuncto *primos*, per
quod specificè designantur liberi primi gra-
dus, immediatè descendentes à dd. filiabus,
quales dici nequeunt, liberi ulterioris gra-
dus, & Nepotes, qui procedunt ab aliis, *l. fin.
ff. de grad. & affinit., Martha de success. leg.
p.* 4. *q.* 21. *art.* 17. *n.* 6. *Rota dec.* 360. *n.* 2.
p. 16. *rec., & in Avvenionen. Primog. seu
concursus* 20. *Januarii* 1705. §. *Immo nec
nec donans cor. R. P. D. meo Muto*, & cæ-
teris omissis fuit in hoc præciso Testamento
firmatum, *in dec.* 195. *n.* 17. *p.* 7. *rec. repeti-
ta cor. Dunozzet. jun. dec.* 450.
Verùm etiam ex eo, quod vocationem li-
berorum, restrinxit cum dictione supradi-
ctarum ibi -- *supradictarum Gilettæ Ludovi-
7 cæ, & Gabriellæ* -- quæ cum indicet, perso-
nalitatem dispositionis, extendi non pati-
tur ad alias personas, quàm ad illas, tali per-
sonali nota designatas, *Peregrin. de fideic.
art.* 26. *n.* 19. *Urceol. dec. Floren.* 4 *n.* 34. *&
seq. Rota cor. Bich. dec.* 256. *n.* 17., *& seq., &
dec.* 480. *n.* 25. Fortiùs, quia adhuc non ac-
quiescens, dispositionem coarctavit cum
8 aliis verbis -- *qui tunc cum substitutio hu-
jusmodi locum sibi vendicabit, primo re-
perientur* -- quæ dictio tunc utpotè conno-
tans extremitatem temporis, dispositionem
restringit ad primos masculos existentes
9 tempore designato; *Fusar. de subst. qu.* 382.
sub n. 31. *Rota dec.* 95. *n.* 32. *par.* 11., *& de-
cis.* 235. *n.* 7. *par.* 16. *rec.*
Et hæc omnia eo fortius confirmata re-
manent, quia fideicomittens in pluribus Te-
stamenti partibus ipsum nomen liberorum, &
filiorum pro Synonimis habuit, & præcæte-
ris, quãdo loquutus fuit propriis filiis eos no-
mine liberorum pluries appellavit, & deindè
prævidens casum ipsorum mortis sine filiis,
istos paritèr libros nuncupavit, Prout quo-
que quando voluit providere de usufructu
proprias filias prole carentes promiscuè usus
est nomine liberorum, & filiorum ibi -- vo-
luit filiam, seù filias eas, quæ nullos liberos
masculos habere reperientur, gaudere
quoad vixerit ea portione &c. quam earum
filii masculi consecuti fuissent -- Cum itaque
Testator liberorum nomen cæteroquin ap-
10 tum comprehendere plures personas, &
gradus in pluribus Testamenti locis restrin-
11 xit ad filios dumtaxat primi gradus, de eis
paritèr dicendum est, ipsum sensisse in aliis
partibus, ut in terminis docuerunt *Menoch.
cons.* 328. *n.* 22., *& seqq. Mans. consult.* 40.
n. 4. *tom.* 9. *Saminiat. contr.* 201. *n.* 130. *Ro-
ta dec.* 304. *par.* 19. *rec.*
Resistunt itidem Sententiæ, & obser-
vantia, quia cum Henricus defectis filiis
masculis prætenderet se comprehensum
sub dicta substitutione, & concurreret ad
successionem tertiæ partis hæreditatis, suc-
cubuit tàm in Curia Avvenionen. quàm in
Rota, itaut successivè Defunctis tàm Ga-
briella, quàm Henrico istorum donatariis,
insteterint solum pro tertia parte usus fru-
ctus debit. Gabriellæ in casu inexistentiæ
filiorum masculorum, admittentes hoc mo-
do, quod Nepotes Gabriellæ non poterant
liberorum nomine in portione hæreditatis
Nicolai succedere, prout quoque mediante
transactione comprobarunt, & sic clarior
esse non potest observantia, immò cum filii
Gilettæ, & Ludovicæ opposuissent contra
donatarios Gabriellæ. quod ipsi non pote-
rant succedere in usufructu, ex quo illa re-
liquisset Nepotes masculos; Sac. Rota re-
spondit, Testatorem intellexisse de mascu-
lis primi gradus, non autem Nepotibus, ut
resultat *ex d. dec.* 450. *n.* 7. *cor. Dunoz. jun.*
& fuit semper usque adhuc observatum, un-
de etiam res judicata confirmata remansit.

In

In nihilo relevante, quod in altera causa diù examinata inter Marchiones de Pluinel, & Reavville ex una, ac Josephum Ignatium de Tertullis ex alia, nostrum Tribunal responderit illos quamvis descendentes, per duplex medium fœminum esse capaces retinendi fideicommissum, esseque comprehensos in substitutione, quæ hodie cadit in controversia. Quoniam illæ decisiones prodierunt in casu longè diverso, ibi enim cum supposito, quod Testator vocasset solùm masculos descendentes per unicum medium fœmininum, contendebat Ignatius avocare portionem hæreditatis à dd. Marchionibus per duplex medium fœmininum descendentibus à filio masculo immediato Ludovicæ, in cujus lineam successio ingressa fuerat. Verum quia constitit Testatorem in solo ingressu voluisse masculos per unicum medium fœmininum, non autem in progressu, in quo agebatur, & in quo indistinctè vocavit posteros, & descendentes. Non mirum itaque si nostrum Tribunal distinguens unum casum ab altero, respondit, masculum etiam per duplex medium esse comprahensum. At in præsenti hæc causa versatur in longè diversis terminis, quia Franciscus Granovillas agit de primo ingressu fideicommissi, cujus successionem incipere potuisse. sustinet in persona Francisci Senioris Avi sui, quod nullatenus subsistit, ut suprà firmatum fuit. Quamobrem cum illi deficiat principalem requisitum pro vocatione necessarium, quia nempè descendit à filio
12 masculo immediato Gabriellæ, idcircò diversimodè venit decidendum, cum variato
13 facto, necesse sit etiam juris censuram variare, *ad Text. in l. si ex plagis §. In clivo ff. ad l. Aquiliam*.

Exclusa ex his vocatione Francisci, descendentes Domini ad postremam dubii partem, eidem denegarunt immissionem, & respectivè ad transactionem, quam obstare censuerunt. Cum enim illa fuerit solemnitèr inita cum hæredibus Ipsius Henrici, in qua recepta certa pecuniarum summa renunciatum fuit omnibus juribus ei competentibus in hæreditate fideicommittentis, ea tametsi
14 facta super Jure fideicommissi, tanquam validè, & bona fide celebrata super articulo dubio, in quò prodierunt tot resolutiones, & sententiæ Rotales, afficit etiam successores in fideicommisso, & ulteriores descendentes, ut individuo respondit *Rota in Romana fideicommissi 6. Junii 1703. §. Licet cor. Me confirmata 11. Januarii præteriti in §. fin. cor. R.P.D. meo Ansaldo*.

Et ita unica tantùm Parte informante, resolutum fuit.

ASCULANA DOTIS.

Vener. 2. Julii 1706.

ARGUMENTUM.

Agitur de pragmatica Civitatis Asculanæ restringentis constitutionem dotium ad floren. 2700., quam non procedere deciditur, si ab ejus Civibus in alio loco dos constituta reperiatur, & restitutio ad formam statutorum istius alterius Civitatis conventa.

SUMMARIUM.

1 *Dotis promissio ex Capitulis matrimonialibus probatur.*
2 *Fructus dotis debentur, cum constat de interpellatione, & indigentia mulieris*, & num. 5.
3 *Asculi pragmatica prohibet constitutionem dotis ultra florinos 2700. denegatque viro, & mulieri actiones.*
4 *Pragmatica restringens constitutionem dotis, ultra certam summam, non procedit; si dos alibi sit constituta, & restitutio ad formam statuti illius loci conventa.*

DECISIO CCCCXXXV.

Dissoluto matrimonio per obitum Petri Laurentii Ciucci, Barbara de Robertla eius vidua relicta petiit restitutionem suæ dotis à Maria Ciuccia d. Petri Laurentii sorore, & hærede respective, instructoque judicio coram A. C. iste bonificatis summia solutis, relaxavit mandatum pro residuali quantitate scut. 2500. in tot paghis restituenda, ejusque fructibus; recusante vero Maria huic judicio acquiescere, appellavit, eausaque appellationis commissa extitit R. P. D. meo Ansaldo, à quo decretum prodiit pro executione d. mandati, adversus quam Signatura ulteriorem appellationem suspensivam admittere noluit. Hinc Barbara prosequendo judicium in devolutivo, curavit per me ipsa tantum informante proponi dubium *An constet de credito dotis tam pro sorte, quam pro fructibus, & quæ mandata sint de novo relaxanda, & pro qua summa*. Et pro informante resolutio in omnibus favorabilis emanavit.

Quo enim ad primam dubii partem tangentem creditum dotis Barbaræ, & fructuum, satis de illo constare visum fuit. Nam respectu sortis, illius promissio ex capitulis matrimonialibus manifestè patuit: Respectu vero fructuum, constitit de interpellatione, & indigentia mulieris, ut omni-
2 bus ponderatis plenè deductum fuit *in decisione R.P.D. mei Ansaldi §. Reassumpta cum seq.* Non attento objecto super occasione propositionis causæ in Signatura Justitiæ per Mariam excitato, quod scilicet ex pragmatica Civitatis Asculi, prohibita sit constitutio dotis ultra florenos 2700. denegata
3 actione tam viris petendi, quam mulieribus repetendi. Quoniam cum agitur de dote con-

constituta in Civitate Recineti, & in Instrumento constitutionis ejusdem expresse conventum fuerit, restitutionem fieri debere servata forma statuti d. Civitatis Recineti; inde sequitur, quod præsens creditum dotis
4 non comprehenditur sub dispositionem dictæ pragmaticæ, quæ tanquam restricta ad Civitatem Asculi, non extenditur ad contractus, & dotes in alia Civitate constitutas, *Cancer. var. resol. par. 1. cap. 9. nu. 157.*, & discusso articulo in præcisis terminis hujus pragmaticæ firmatum fuit in *Romana, seu Asculana dotis 3. Julii 1684. §. non obstat coram Rmo Turonen. confirmata deinde 5. Julii 1694. coram bo. me. Pio*.

Quo vero ad alteram dubii partem, novum censuerunt relaxandum esse mandatum pro capitali in sc 300. maturatis in quinta pagha, & pro fructibus debitis, & non solutis tam pro paghis maturatis quam in futurum maturandis, juxta taxam in præfata *decisione R. P. D. mei Ansaldi* stabilitam, & reassumptam in calculo per Barbaram in præsenti exhibito *in suo summ. num. 4.* Concurrunt enim eædem rationes ductæ ex promissione quoad sortem, & interpellatione,
5 ac indigentia mulieris quoad fructus, itaut proinde eadem fuerit ratio decidendi.

Et ita unica &c.

PERUSINA AFFICTUS SUPER ASSOCIATIONE.

Ven. 2. Julii 1706.

ARGUMENTUM.

Datur a Summario.

SUMMARIUM.

1 *Qualitas hæreditaria omnium fratrum probatur, si bona provenientia a fratre defuncto in solutum dederunt, & una insimul cum aliis fratribus possederint.*

2 *Jus, quod pro se aliquis statuit, quoad alios quoque debet permittere.*

3 *Frater repudiando hæreditatem sine mandato procuræ, vel ratificatione aliorum fratrum, eis præjudicare non valet.*

DECISIO CCCCXXXVI.

Obtinuerunt Co. Joannes Baptista, aliique de Plancianis per decretum R. P. D. mei Ansaldi associationem ad bona S. Filiciani Lacus Transimeni, possessa per Franciscum Mariam Nicolaum, & Joannem Baptistam fratres de Ciccis in vim præcedentis dationis in solutum, & respective conductionis eorumdem factæ à quondam Julio, & dicto Francisco Maria de Ciccis, relicta tamen in suspenso portione, quæ ad Joannem Baptistam alterum fratrem spectabat, sed per sententiam deinde latam eamdem portionem illi obventam in divisione excepit, idque successive coram R. P. D. meo Muto confirmatum fuit. Petentibus autem illis de Ciccis expeditionem istius postremæ decisionis, orta fuit difficultas circa quantitatem dictæ portionis, & placuit DD. illam concedere extensa alia brevi decisione, in qua declararunt præfatam portionem consistere in septima parte bonorum; sed cum fratres de Ciccis non acquiescentes obtinuerint audiri; proposui dubium *An sit standum, vel recedendum ab ultimo loco decisis super quantitate portionis Jo. Baptistæ*, & DD. decisiones reformarunt juxta modum infra exprimendum.

Duo namque initi fuerunt contractus inter Plancianos, & fratres de Ciccis, alter sub appaltus Lacus, & dohanarum Perusiæ, & alter exactionis generalis onerum cameralium, pro quibus fratres de Ciccis remanserunt debitores illorum de Plancianis; de primo itaque in præsenti nulla est controversia, quia debitum ex illo proveniens satisfactum fuit usque ab anno 1683., ut firmatum fuit in *decis. R. P. D. mei Muti sub die 11. Maii 1705. §. Ostenso* in præsenti supponenda.

Difficultas igitur est quoad secundum, pro quo erant obligati quatuor tantum ex fratribus de Ciccis, videlicet Julius, Joseph Franciscus Maria, & Nicolaus, cumque pro isto debito facta fuerit datio in solutum bonorum, de quibus agitur, exinde sequitur quod ex iis solum quatuor partes, non sex, ut firmatur in brevi decisione spectare debeant ad Plancianos; quinta vero, non septima ad Jo. Baptistam, quæ ideo venit præservanda à petita associatione.

Ideo non obstat, quod septem essent fratres, ad quos bona ab initio spectabant. Quoniam præter Jo Baptistam, alii duo neque erant obligati ad debitum, de quo agitur, videlicet Fabritius, & Innocentius, & quia isti ab intestato decesserunt remanentibus aliis quinque fratribus, utique illorum portio fuit singulis fratribus supervenientibus proportionabiliter acquisita, itaut divisio bonorum hodie sit facienda in quinque fratres, assignando cuilibet quintam illorum partem.

Nec attendenda visa fuit replicatio, quod non probetur Jo. Baptista adivisse hæreditatem dd. fratrum, qui in d. secundo contractu obligati non erant, & qui ante dationem in solutum prædecesserunt, quia cum post illorum obitum ab intestato tam dictus Joannes Baptista, quam alii fratres superstites dicta bona in solutum data, & alia hæreditaria pro indiviso possederint, qualitas hæreditaria in omnibus est innegabilis, & por-
1 tiones hæreditariæ dd. fratrum prædefunctorum in personis quinque super extantium consolidatæ remanserunt, *Mantic. de conject. lib. 12. tit. 12. num. 28. Rota coram Buratt. dec. 207. num. 2., & coram Cerr. dec. 464. num. 2.*

Pariterque non relevat repudiatio hæreditatum dd. Fabritii, & Innocentii prædefunctorum per Franciscum Mariam etiam alio-

aliorum fratrum nomine facta. Ultra quod enim hujusmodi objectum retorqueretur contra ipsos Co. de Plancianis, ex quo si dd. hæreditates fuerunt repudiatæ, accrescere non potuerunt portionibus aliorum fratruum, qui eorum favore erant obligati, & sic tanto minus ex dd. bonis in solutum traditis ad eosdem de Planeianis spectaret. Quamobrem si volunt, quod portio augeatur aliis fratribus sibi obligatis, non obstante dicta repudiatione, idem pati debent in utilitatem Jo. Baptistæ, qui eorum favore nullam contraxit obligationem, eum Jus quod pro se aliquis statuit, debeat etiam
2 quoad alios permittere, *juxta Text. per tot. tit ff. quod quisque jur. Torr. de pact. futur. succes. lib. 1. cap. 10 num. 8.*

Cessat in universum difficultas, ex quo non doeetur nec de mandato Procuræ,
3 nec de ratificatione fratruum, & signanter Jo. Baptistæ, sine qua Franciscus Maria illis præjudicare non potuit, *Decius cons. 437. num. 1. & seq. Paris. cons. 47. num. 98. lib. 1. Rota coram Bich. dec. 8 1. num. 9.*

Et ita, juxta hunc modum DD. utraque parte informante, decisionem reformarunt.

EUGUBINA HÆREDITATIS.

Veneris 2. Julii 1706.

ARGUMENTUM.

Decretum Serenissimorum Ducum Urbini fœminas excludens, easdem privat favore conservationis agnationis, qua non concurrente admittuntur.

SUMMARIUM.

1 *Proximiori sublata sexus differentia, hæreditas intestati debetur exclusis remotioribus.*

2 *Urbini Ducum decretum a successione paterna, & materna, & eorum ascendentium propter existentiam masculorum, fœminas excludit, & n. 5.*

3 *Et habet rationem conservandi agnationem, & n 6.*

4 *Dispositio dicti decreti cessat deficiente causa conservationis agnationis.*

7 *Fœminæ cum excluduntur, observandum est in quorum concursu, & ad quorum favorem excludantur.*

8 *Agnationis ratio habita dicitur, cum fœminæ excluduntur, quatenus existant descendentes per lineam masculinam.*

9 *Fœminæ ad intestati hæreditatem admittuntur, non extantibus illis, propter quos à constitutionibus excluduntur.*

DECISIO CCCCXXXVII.

IMmissionem, quàm Veronica Gentilis obtinuit à Prætore Terræ Canthiani ad hæreditatem Bernardini Piceini ab intestato defuncti, veluti illi in gradu proximiorum, impugnare cœperunt Joseph Maria, & alii fratres de Gentilibus, qui proinde ad judicium vocati, aliud simile mandatum à Vicario foraneo dictæ Terræ reportarunt, & possessionem bonorum apprehenderunt: sed delata causa in gradu appellationis ad A. C. iste licet fratribus manutentionem, attenta possessione per eos capta concesserit, attamen per sententiam Immissionem favore Veronicæ decrevit.

Agnita autem justitia præfatæ sententiæ, duo ex prædictis fratribus illam acceptarunt: & possessionem actualiter dimiserunt: sed Joseph Maria alter ex eis, nolens judicato acquiescere, curavit causam mihi committi Et cum proposuerim dubium -- *An sit danda immissio* -- DD. *eam Veronicæ*, quæ tantummodo informavit, *dandam esse* responderunt.

Illa enim pluribus justificationibus in ejus summario exhibitis ostendit se esse in gradu proximiorem Bernardino ultimo defuncto, de cujus hæreditate agitur, ideo sublata quacumque agnationis, & cognationis
1 differentia, eidem concedenda venit immissio ad exclusionem Josephi Mariæ, & fratruum de Gentilibus, qui remotiores esse dignoscuntur, *ad Text. in Authen. post fratres 2. C. de legit. hæredit. §. si igitur defunctus, il 1. Auth. de hæred. ab intest venien. §. 1. Instit. de legit. Agnat. success.*

Non relevante decreto olim edito à Duce Urbini excludente fœminas à succes-
2 sione paterna, & materna propter existen-
3 tiam masculorum, quia in illo habita fuit ratio conservandi agnationem, ut litteraliter habetur ibi -- *ad conservationem familiarum & agnationum seu cipporum domorum*; hæc autem ratio totaliter in præsenti deficit,
4 cum non agatur de conservatione familiæ & agnationis de Gentilibus, de qua sunt collitigantes, sed de succedendo dumtaxat in bonis, & hæreditate domus, & familiæ Piceinæ, quæ est penitus diversa à familia, & agnatione de Gentilibus unde cessante ratione conservationis agnationis, à præfato decreto volitæ, cessare quoque debet, illius dispositio, *ad Text. in cap. cum cessante de appellat. Dec. cons. 53. n. 14. lib. 3. Rota cor. Dunoz. jun. dec. 944. n. 8. & in rec. dec. 634. n. 10. p. 19.* & in his terminis consuluerunt *Tob. Non. cons. 12. n. 10. & 11. Honded. cons. 11. n. 13.*

Nec juvat replicare, quod fœminæ sint exclusæ existentibus filiis vel Nepotibus, per masculinam lineam descendentibus ex eis, & aliis collateralibus: inferendo exinde, quod sint etiam comprehensi, qui non essent agnati. Quoniam in decreto tale quid non
5 legitur: eum ibi excludantur, quidem fœminæ à successione, Patris, & Matris, aliorumque descendentium tàm per lineam paternam, quàm maternam, atque etiam à suc-
6 cessione Collateralium: sed exclusio est in casu, quò existant, filii, vel Nepotes per Masculinam lineam descendentes ex eis, & aliis collateralibus Masculibus: quamobrem

obrem non est inspiciendum, à quibus hæ-
7 reditatibus excludantur fœminæ: sed in
quorum concursu, & ad quorum favorem
excludantur, cumque hoc legatur, quatenus
8 existant descendentes per lineam masculi-
nam; utique constat habitam fuisse rationem
9 conservandi agnationem: itaut non existenti-
bus personis propter quas fit exclusio fœmi-
narum, illæ veniant admittendæ, *Rota dec. 65. n. 22. cor. Cerro, & in rec. dec. 133. n. 6. p. 9. & dec. 205. n. 2. & 15. & dec. 294. n. 7. p. 16.*

Et ità, unica tantùm parte informante &c.

TUDEN. BENEFICII.

Lunæ 5. Julii 1706.

ARGUMENTUM.

Receditur a superius firmatis, decis. 413. circa firmationem valoris beneficii, & excessum ultra ducat. 24. auri pro annullanda provisione facta ab Hispaniarum Nunciis, & decernitur, ut de verò valore constet onera esse deducenda, & quæ non?

SUMMARIUM.

1 *Valor beneficii firmatus non dicitur, nisi deductis oneribus.*

2 *Excessus valoris in ducatis 24. auri ad annullandam collationem ab Hispaniarum Nuncio factam, probandus est deductis oneribus.*

3 *Onera adimplenda per ipsum beneficiatum, & quæ sunt? non sunt detrahenda ad valorem beneficii firmandum.*

4 *Onera quænam detrahenda, & quænam non, ad firmandum valorem beneficii, remissivè.*

DECISIO CCCCXXXVIII.

Esse procedendum ad ulteriorem legitimam executionem litterarum Apostolicarum Fernandez resolutum fuit cor. Me sub die 7. Maii præteriti, non obstante provisione facta à R̃mo Nuncio Hispaniarum favore Alexandri de Castro, quia constitit valorem Beneficii controversi excedere ducatos 24. auri de Camera. Et quoniam usque tunc opponebatur, quod essent deducenda onera, fuit in eadem decisione responsum, quòd prò annullanda provisione Nuncii, qui habet facultates limitatas, satis est, constare de excessu prædicto comprehensis etiam oneribus; adhuc cessabat quælibet difficultas, ex quo Testes deponebant de valore illis deductis. Cum autem in hodierna audientia peteretur causæ expeditio, Domini sicut ex facto existimarunt, hoc secundum fundamentum subsistere, ita e converso agnoscendo, quòd etiam in provisionibus Nuncii sunt deducenda onera ad firmandum verum valorem beneficii, demandarunt mihi, ut ad Causæ expeditionem devenirem, extensa hac Brevi decisione.

Censuerunt itaque, quòd numquam dici
possit firmatus verus valor Beneficii, nisi
1 prius fuerint deducta onera illi infixa, ju-
xta communem regulam. de qua *in l. fructus & l. depositio §. final. ff. soluto matrimonio Barbos. appellat. 103. n. 22. Rota cor. Emerix. dec. 631. n. 6. in rec. dec. 444. n. 4. p. 2 dec. 747. n. 2. p. 3. dec. 144. n. 4. p. 4. tom. & dec. 130. n. 6. p. 18.*

Idque etiam procedere, quoties agitur
2 de probando excessu ultra ducatos 24. prò
annullanda Provisione facta à Nunciis, ut
in specie advertit *Garz. de Benef. par. 5. cap. 5. n. 233, Rota in Elusina Prioratus 15. Febr. 1591. cor. Orano* relata *per eumdem Garziam de Beneficiis ibid. n. 233.*

Nec contrarium probavit ipse Garzias *n.* 165., cum quo pertransit *Rot. dec. 296. n. 15. cum seqq. p. 16 rec. relat. in dec. quæ revidetur §. pariterq. non obstat vers. ultra quod;* con-
clusio enim ibi firmata habet locum quoad
onera intrinseca adimplenda, per ipsum be-
3 neficiatum, prout sunt Missæ ab eo celebran-
dæ; istæ enim respiciunt servitium, quòd
est præstandum a Beneficiato, cum pro eo
detur Beneficium, non in aliis prò ut sunt
ista de quibus agitur, ut benè se explicat
Garzias ubi supra n. 169. & declarando ma-
4 teriam, ac distinguendo qualitatem onerum
firmatum fuit *in dec. 158. n. 18 p. 1. rec.*

Et ità solum ex quò in præsenti probatus fuit excessus, & deductis oneribus, demandata fuit causæ expeditio utraque &c.

ROMANA, SEU FERRARIEN. LIBERATIONIS A MOLESTIIS.

Lunæ 2. Augusti 1706.

ARGUMENTUM.

Est in Summario, quia est brevis decisis causæ, de qua supra dec. 405.

SUMMARIUM.

1 *Dictio* -- & ultra -- *facit summam verificari pro majori, quam sit expressa.*

2 *Debitor, ut duplicata traditione cedulæ bancariæ non gravetur, interdicit Rota, ne contra eum eatur, nisi in subsidium.*

DECISIO CCCCXXXIX.

In decisione hujus causæ edita die 17. Martii præteriti firmatum fuit, quod Bacellua teneretur relevare Nappios à Molestiis ipsis illatis per Co. Montecatinum cessionarium fratrum de Honoratis, quodque mandatum relaxatum favore ejusdem Montecatini contra d. Bacellum pro scut. 19527. 50. reduceretur ad solam quantitatem sc. 18124. 10., & sic constaret de re judicata pro hac summa, ita reformando mandatum in sc. 1373. 40.

Verùm quia præfatus Co. Montecatinus occasione, qua petiit expeditionem Causæ in Rota Memorialium 5. Julii præteriti, institit etiam, quod tolleretur de medio supradicta reformatio, & eadem die Nap-

pii petierunt traditionem cedulæ Bancariæ adversus Bacellum, idcirco placuit DD. utramque instantiam remittere ad hanc Congregationem, ut posset Bacellus jura sua deducere, & hodie distributis hinc indè memorialibus, ut jus suum unicuique tribuerentur, mandarunt mihi, ut procederem ad expeditionem Causæ extensa hac brevi decisione.

Et sanè quoad instantiam promotam à Montecatino contra dictam reformationem, existimarunt DD. illum bonum jus fovere in aliqua rata, quia ducto calculo fructuum decursurum ab anno 1637. factæ solidationis inter partes usque ad totum annum 1655. in quo PP. Præmonstratenses cesserunt controversum Censum Amatorio, exindè convincitur, quod fructus decursi erant in summa sc.7020. à quibus detractis sc.1200. medio tempore solutis, prout in actis nuncjustificavit Bacellus, remansit Creditum in sc.5820. Unde licet in ultima resolutione Sac. Rota fuerit in sensu, quod respectu dictæ summæ mandatum relaxatum foret exequendum pro so ls sc.500. quia tamen supradicta cessio facta fuit à PP. Præmonstratensibus pro sc.5000., & ultra, attenta hujusmodi dictione, & bene verificatur etiam in
1 ulteriori summa sc.820., & per consequens pro ea quoque supradictum mandatum venit exequendum, & constat de rejudicata.

Sed quia fratres de Honoratis opposuerunt dd. sc.820. non fuisse comprænhensa in cessione reportata à Co. Motecatino, addiderunt DD. quod pro hac rata relaxaretur mandatum ad effectum deponendi, & consignandi cui de jure.

Quo vero ad alteram instantiam factam à Nappis contra Bacellum pro cedula Bancaria ab ipsis petita pro fructibus census in futurum decurrendis, ad hoc ut iidem tali medio tuti redderentur à Molestiis forsan inferendis per Montecatinum, animadversum fuit, quod jam Bacellus tradidit cedulam favore Co Montecatini, ideoque nedebitor gravaretur ad duplicatam illius traditionem, & è Converso, ut Consultum remaneret Illis de Nappis, censuerunt quod
2 Co. Montecatinus non possit agere contra Nappios, nisi in subsidium, quatenus scilicet exigere non valeat à Bacellio.

Et ita juxta hunc modum &c.

FRISONEN. PAROCHIALIS.

Lunæ 22. Novemb. 1706.

ARGUMENTUM.
Accipe ex Summario.

SUMMARIUM.

1 *Episcopus habet intentionem fundatam in jure conferendi beneficia suæ Diæcesis.*
2 *Beneficium adjudicandum venit illi, cui idoneo ordinarius contulit in sua Diæcesi.*
3 *Jusp atronatum allegans debet de eo docere.*
4 *Libertas beneficiorum præsumitur.*

DECISIO CCCCXL.

INformante dumtaxat Gaspare Rotembetger responsum fuit, esse illi adjudicandum Beneficium situm in Ecclesiam Parochiali S. Gregorii in Dorsen, quod ei fuit collatum ab Ordinario Frisingen. in cujus Diæcesi dicta Ecclesia, & Beneficium prædictum sita sunt, in his enim terminis dubi-
1 tari non potest, quin collatio substineatur, cum Episcopus habeat intentionem fundatam *in Canone Nullus caus.16. qu. Gloss. in cap. quamquam 18. de elect. Fagnan. in cap. cum Ecclesia Vulterana de elect. num.3. & 41. Lotter. de re benefic. lib.2. quæst.2., num 2., & 3. Rota cor. Seraph. decis.199. num.2.*, itaut posita idoneitate prætati Gasparis, illi veniat adjudicandum Beneficium,
2 *Gonzal. in reg. 8. Cancell. Gloss. 15. §. 1. n.15. Rota dec.87. n.1., & 2. de rescript. in Antiq., & cor. Manzaned dec.572. per tot. & cor. Caccin. dec.587. n.1., & 2.*

Nec obstare potest præsentatio facta favore Nicolai cum supposito, quod d. Beneficium sit de Jure Patronatus. Quoniam cum ille quamvis citatus in Partibus hic non comparuerit, nec iura sua deduxerit, ex quibus agnosci possit existentia ejusdem jurispatronatus ex fundatione, aut alio legitimo titolo, DD. ad Causæ resolutionem devenerunt, cum solita, & inconcussa re-
3 gula, quod allegans juspatronatus debeat de eo docere, ut firmavit. *Rota in rec. decis.486. n.2., & dec.482. n.5. par.18.*, cum
4 præsumptio stet pro libertate Beneficior., *Innoc. in cap. cum venerabilis num.9 de except. d. consf.117, & consf.573. vol.2. Rot. cor. Caccin. dec.1056. num.29., & in rec. decis.463. n.1. par.19.*

Et ita per contradictas.

EERRARIEN. BONORUM SUPER DATIONE IN SOLUTUM.

Veneris 26. Novembris 1706.

ARGUMENTUM.
Accipe ex superioribus Decis. 362. & 422. quæ confirmantur.
Et in hac causa sunt superiores quoque dec.461 & aliæ ibidem indicatæ cadentes super diversis dubiis.

SUMMARIUM.

1 *Clausula -- senza pregiudizio delle mie ragioni -- in actibus eam apponenti præjudicialibus, removet consensum ab actu.*
2 *Protestatio anterior facta a minore non operatur subsequentibus aliis posterioribus actibus gestis ab eodem facto majore.*
3 *Protestationes clandestinæ, & occultæ destruere non valent actus præcedenter, publicè, bona fide, & solemniter gestos.*

4 Clau-

4 *Clausula -- senza pregiudizio -- operatur respectu ejus cui fuit opposita, non alterius.*

5 *Expressio facta in memoriali pro obtinendo curatore, satis est, quod aliqua debita enunciet, & cur?*

6 *Præsertim cum Judex in contractus authorizatione non motus est ex dicto memoriali, sed generaliter de omnibus mentionem fecit: ideoque adest causa.*

7 *Curatoris deputatio, qui interesse habuit in administratione cum deputatione facta a Tutore contractum ab isto cum pupillis initum haud nullum reddit, cum facti majores solemniter, & cum specifica ejusdem insertione ratificarunt.*

8 *Et ista ratificatio habetur pro actu novo, & distincto, qui etiam primi nullitate data, non irritatur.*

9 *Decretum judicis in contractu facit præsumere veritatem partitarum inibi enun iatarum.*

10 *Præsertim si postea eædem verificentur: ex quo judex post redditam rationem quietantiam ex officio fecerit.*

11 *Causam contractus, nec decretum judicis irritat expressio facta, quod datio in solutum fiebat pro debitis, ex quibus Pupilli graves patiebantur usuras, licet aliqua essent infructifera; cum in mandato procuræ recipiente facto non exprimitur omnia debita esse cum usuris.*

12 *Et cum judex habuit præmanibus notulam sinceram, & decretum interposuit.*

13 *Pro validitate actus stat præsumptio.*

14 *Tutor, vel curator, durante tutela, vel cura, recipere non potest in solutum bona pupilli, vel minoris; quia creditor non est; nisi de administratione ratione reddita.*

15 *Creditum tutoris, vel curatoris illiquidum dicitur ex actuali fructum perceptione.*

16 *Tutori, vel curatori durante tutela, vel cura, actio contrariæ tutelæ non datur.*

17 *Limita cum datio in solutum pro dictis partitis publicè, & palam bona fide cum omnibus solemnitatibus, & ratificatione minorum effectorum majorum, facta apparet.*

18 *Præsertim si Tutor, vel curator post tutelam, vel curam rationem reddiderit: & in longè majori summa creditor remanserit quietantiamque reportaverit.*

19 *Datio in solutum summa maturitate, & cum solemnitatibus celebrata, & cum pluribus subsequenter confirmata, omnino sustinetur, & tunc exceptiones redditionis rationis, præsertim turbidæ, ad suum congruum judicium rejiciuntur.*

20 *Ratificationis actus facti sine certa scientia facti, & juris nullitatum in contractu, illum non confirmant.*

21 *Scientia nullitatum in instrumento convincitur ex replicatis actibus ejus ratificationis; præsertim cum dictum fuerit, habere plenam notitiam de omnibus gestis.*

22 *Et ex clandestina protestatione emissa super nullitatibus, a qua scientia earum facti, & juris convincitur.*

23 *Circumstantiæ simul sunt ponderandæ.*

24 *Vir curator notæ probitatis, & integritatis, qui ex propriis pecuniis Minorum debita, ne bonorum subhastationem paterentur; dimisit, non præsumitur in eorum notabile præjudicium conspirare voluisse.*

DECISIO CCCCXLI.

POst geminas decisiones æditas coram Me sub diebus 11. Maii 1705., & 11. Junii proximi præteriti, cum hodie iterum præsens causa reproponi contigerit, ne dum subsistere visa fuerunt illarum fundamenta ex ibi deductis, verum etiam ex aliis noviter examinatis confirmata remansit validitas dationis insolutum per Marchionem Octavium Machiavellum, tam suo, quam fratrum nomine stipulatæ favore Cardinalis Francisci Barberini senioris de tribus possessionibus sitis in tenuta *del Quinto* pro credito, quod ipse Cardinalis contra illos habebat in summa scut. 28238. 54. diù observatæ, & cum solemnitatibus ratificatæ per fratres de Machiavellis, idcirco censuerunt DD., *Standum esse in decisis*.

Et sanè de credito Cardinalis Francisci in dicta summa dubitari non potuit, quia prò rata scut. 20250. dimissus fuit Senator de Lezze pro credito, quod habebat contra dd. Fratres de Macchiavellis: & prò quò sub exequutione posuerat bona Tenutæ *di Quinto*, pro residuali verò quantitate usque ad complementum dd. scut. 28238. pecuniæ per Cardinalem solutæ fuerunt in beneficium eorundem fratrum, prout Justificatum remanet ex pluribus partitis, & ex calculo inserto in ipsomet instrumento dationis in solutum.

De observantia verò & subsequuta ratificatione constitit, nam de tempore minoris ætatis ipsi fratres ratificarunt anno 1668. cum solemnitatibus hic in Urbe instrumentum dationis in solutum, & quidem intra duos menses prout Octavius eorum frater in primordiali instrumento promiserat, postmodum verò, cum de anno 1671. Cardinalis reddidisset rationem tutelæ, & curæ per eum administratæ, & fuisset repertus Creditor in scut. 4066. illaque donasset primogenituræ familiæ de Macchiavellis, non solum ipse Octavius tunc temporis effectus major Cardinalem quietavit, & donationem acceptavit, sed etiam alii fratres minores omnia per eum gesta ratificarunt.

Nec hic steterunt actus gesti in approbationem dationis in solutum, sed ortis controversiis inter istos fratres occasione divisionis bonorum, eisque sopitis per laudum promulgatum ab Emo D. Card. Acciajolo, illi de anno 1683. inter se se diviserunt omnia bona ad formam d. Laudi cum expressa mentione dationis prædictæ, & ratificationum præcedenter factarum, quibus accedunt instantia per ipsos fratres facta de anno 1682. ut bona,

na, quæ fuerant data in solutum transferrentur in libro æstimi in personam Cardinalis Barberini cum subsequuto effectu, & reportata collectarum diminutione, ac etiam epistolæ per Philippum Macchiavellum scriptæ anno 1681. super eadem datione in solutum hæredi cla. me. Card. Francisci, itaut pernecesse probata remanet longæva observantia, & ratificatio prænarrati contractus, & subsecuuta acquiescentia dd. fratrum, qui adhuc in ea continuassent, nisi modernus D. Cardinalis Franciscus tanquam secundogenituram repræsentans contra illos egisset pro liberatione a molestiis, qnas passus fuerat super bonis datis in solutum.

Hujusmodi pacificæ observantiæ tot, tantisque actibus comprobatæ non obstare potuerunt protestationes in contrarium emissæ per dd. fratres, Altera scilicet per March. Octavium degentem Ferrariæ in eodem mense, die, & anno, quibus facta fuerat datio in solutum, altera vero per Franciscum Mariam sub die 24. Februarii 1684. per quas declararunt, quod non intendebant approbare actus metu reverentiali gestos cum D. Card. Barberino. Minusque prætentio, quod Octavius Philippus, & Franciscus Maria non acceptaverint Laudum Em̃i Acciajoli, nec divisionem illius vigore factam, attenta subscriptione cum clausula *senza pre-*
1 *giudizio delle mie raggioni*, per quam utpotè removentem consensum ab actu censeatur, quodcumque eorum præjudicium sublatum fuisse.

Quoniam ultra quod prima protestatio loquitur de actibus factis tempore minoris æta-
2 tis, & sic operari non potest contra tot alios actus ex post gestos per ipsum Octavium, tempore quo major effectus fuerat; Unica quoad omnes satisfecit responsio, quod hujusmodi protestationes tanquam clandestinè,
3 & occultè factæ non valent destruere actus præcedenter publicè, & bona fide, ac cum omnibus solemnitatibus gestos, ut plene firmatur in 1. *decisione hujus causæ ædita cor. Me* 11. *Martii* 1707. §. *final.* Nec clausula *senza pregiudizio &c.* apposita in acceptatione laudi quidquam operatur, quoniam ex ipsa lectura compertum fuit d. clausulam
4 non respicere dationem in solutum, aliosque actus cum Cardinali Barberino initos, sed tantummodo relationes Periti electi super valore bonorum, quæ inter se dividebant, & prætensiones, quas invicem habebant fratres super iisdem bonis.

Quibus ita positis sua mole ruunt nullitates alias appositæ per fratres de Macchiavellis, qui licet plures ex eis agnita in subsistentia, non amplius deduxerint, in præsenti propositione, tamen nonnullas alias repetere non omiserunt, quæ nihilominus iterum visæ fuerunt, præsertim in hisce circumstantiis, nullius roboris, & momenti.

Quatenus enim apponebatur, quod in memoriali porrecto Em̃o D. Legato Ferrariæ pro deputatione curatoris, qui, nomine fratrum absentium, ad actum dationis in solutum deveniret, legitur enunciatum, quod illa fieri debuisset pro nonnullis debitis, quibus eadem bona reperiebantur obnoxia idque postea verificatum non fuerit, quoniam datio facta extitit etiam pro tribus partitis diversæ naturæ, & pro quibus dd. bona obligata non erant. Placuit responsio, quod hæc sit simplex enunciativa incidenter ad alium finem habendi scilicet curatorem emissa, maximequia in rei veritate debita super eisdem bonis existentia, & provenientia à credito Marchionis de Lezze erant in maxima quantitate, & majorem partem pretii bonorum absorbebant, & ideo satis fuit illa enunciare, & hujusmodi expressio tanquam demonstra-
5 tive facta venit intelligenda, *Rota coram Millino dec.*291. *sub num.*1., *& duobus seq. & in Romana seu Jannen. Pecuniaria* 12. *Februarii* 1700. §. *Etenim cor. Em̃o Caprara*, *&* 17. *Februarii* 1702. §. *Tum quia coram Em̃o Tremoille*, *& in Romana Immissionis* 6. *Junii* 1701. §. *Sed quatenus coram R.P.D. meo Priolo*. Quod, & clarius convincitur, tum ex eo quod nec Card. Franciscus in mandato Procuræ se restrinxit ad particularia sua credita, nec Judex in actu dationis in solutum præfatam enunciationem repetiit, sed generaliter de omnibus debi-
6 tis mentionem habuit, itaut omnino corruat prætensus defectus causæ, cum ex dicto memoriali motus non fuerit Judex ad authorizandum contractum, *Rota coram Ubald. dec.*342. *num.*7. 8., *& in rec. dec.*462. *num.*12. *par.*18., *& dec.* 65. *num.*10. *par.* 19.

Minoris ponderis apparuit altera nullitas deducta ex deputatione Scannarolæ in curatorem, quod ipse habebat maximum interesse, & quia præcedenter administraverat bona minorum de mandato d. Cardinalis tutoris. Etenim quidquid gestum fuit in Civitate Ferrariæ, ubi fuit initus primus contractus dationis in solutum, & ubi interve-
7 nit Scannarola, non potest influere ad actum ratificationis gestæ in hac Urbe per ipsos minores cum omnibus solemnitatibus, & non quidem cum simplici ratificatione, sed cum expressa, & plenaria insertione totius contractus. Unde quod etiam corrueret promissio de rato facta per Scannarolam Ferrariæ in sequelam d. deputationis, nullatenus tamen deficere potest actus confirmationis,
8 & ratificationis, qui tanquam in suo esse omnino perfectus, & omnibus muneris absolutus habetur pro actu omnino novo, & distincto per publicum Instrumentum hic in Urbe celebratum, ex deductis *per Casanatt. cons.*56. *n.*51. *Torre de primogenituris q.*40. *num.*18., *& seq. Rota dec.*178. *num.*13., *& seq. par.*3. *dec.*180. *num.*15. *par.*17. *rec.*, *& coram Merlin. dec.*342. *num.*18.

Quod autem inter partitas adscriptas debito minorum adessent nonnullæ ascendentes ad scut. 6411. subministratæ per Cardinalem Scan-

Scannarolæ, ad effectum erogandi in pupillorum utilitatem, cum earum versio tamen numquam fuerit justificata, nullam meruit animadversionem, non solum quia hujusmodi summæ subministratio fuit præcedenter expressa in calculo inserto, ac successivè à partibus admissio in instrumento dationis insolutū.
Verum etiam quia super eas Judex decretum
9 suum interposuit quod sicut facit præsumere veritatem rei enunciatæ, quodque ante celebrationem contractus judex diligenter omnia exquisiverit, ita hodie de illa dubitandum non sit, *Rota coram Bichio dec.55. n.14. dec.88. nu.10., & seq. dec.240. n.21. coram Cerro dec.240. num.11. coram Celso decis.302. num.12., & coram Dunoz. jun. decis.593. num.8.* Certius quia ex post Scannarola rationem reddidit gestæ administrationis, qua occasione, fide prædicta versione
10 non constititset, judex quietantiam, quam ei fecit, ex Officio certissimè denegasset.
– Pari ratione nulla habita fuit ratio alterius nullitatis, quod scilicet Judici expressum fuerit dationem in solutum faciendam esse pro debitis, pro quibus Pupilli gravia patiebantur interusuria. Non obstante, quod aliqua ex eis verè non essent fructifera. Inferendo exindè ad falsitatem Causæ. Ultrà enim responsiones adductas in prima decisione hujus Causæ. §. Non attento, advertenrunt DD., quod in mandato Procuræ per
11 Cardinalem facto ad effectum reportandi dationem insolutum non exprimitur quod omnia debita essent sub usuris. Sed fit eorum generalis mentio. Et in omnem casum semper recurrit responsio, quod dum Judex habuit
12 præmanibus, & oculariter vidit, & recognovit calculum continentem seriem debitorum, pro quibus memorata bona dabansur insolutum, exindè sequitur, quod dum potuit observare instantiam, & recognoscere, an debita essent fructifera nec ne, eo ipso, quod decretum interposuit, concludendum sit ipsum agnovisse quod verè Pupilli propterea debita, vel usuras, vel alia damna patiebantur, itaut hodie præsumptio stat pro actu jam facto, & contractu cum solem-
13 nitatibus celebrato, ad allegantem ferret onus probandi contrarium; *Fenson. ad Statut. Urbis lib.1. cap.113. n.93., & seqq. Rota dec.215. n.1., & seq. cor. Merlin.*
Simili irrelevantia laborat altera nullitas in eo posita, quod pro aliquibus partitis respicientibus administrationem intempestivè,
14 & malè fuerint obligati Minores ad tradendum bona in solutum vigente adhuc Tutela, & Cura, quando Tutor non potest dici Creditor, & Debitor nisi prius facta partitarum dispunctione, tum ratione præsumptæ satis-
15 factionis, & illiquiditatis Crediti provenientis ex actuali perceptione fructuum, & redditum spectantium ad Pupillos, tum
16 ratione incompetentiæ actionis contrariæ Tutelæ tunc temporis durante officio inexercibilis, *ad Text. in l.1. §. finito autem officio ff. de contraen. tut., & util. action.*

Nam pro remotione hujusmodi nullitatis præter responsiones alias adductas addiderunt DD., quod hic agitur de datione insolutum facta publicè, palam, & bona fide,
17 cum utilitate Minorum, & solemnitatibus tàm à Jure, quam à Statuto requisitis, & toties ab illis ratificata, & observata etiam postquam fuerunt effecti majores; his enim circumstantiis concurrentibus, Minores legitimè remanserunt obligati, nec per eos potest contractus impugnari. *Menoch. de præsumpt.82. n. Gratian. discept. for. cap.160. num.17., & 18. Galganett. de Tutela lib.2. tit.36. n.2., & lib.3. quæst 55. n. Card. de Luca de Tutor. disc.12. n.4., & 5. Rota decis.344. n.8. par.18.* cum aliis relatis *in prima decisione hujus Causæ §. Consimili.* Certius quia successivè Cardinalis rationem reddidit totius administrationis March. Octavio.
18 effecto majori, ex qua constitit illum remansisse Creditorem in satis relevanti summa, quam Primogenituræ donavit, ut supra dictum fuit, & propterea præfatus Marchio Octavius illi fecit finalem quietantiam solemnitèr etiam ratificato à cæteris fratribus, ita ut ex indè veniat in necessariam consequentiam, quod creditum Cardinalis ex magnificata fructuum perceptione non fuerat effectum illiquidum.
Absque eo quod replicari juvet hujusmodi redditionem rationis fuisse in folle factam sine partitarum dispunctione, librorumque tutelarium revisione. Quoniam contrarium evincitur ex Lectura ipsius Instrumenti, in quo Marchio Octavius in majori ætate constitutus fassus fuis libros Tutelares vidisse, & diligentèr inspexisse, & considerare fecisse, ac demum partitas recognovisse, & desuper calculasse, quæ omnia satis ponunt in aperto quam exactè fuerit expleta prædicta redditio rationis, & licet in præfata quietantia fuerit præservatum Jus minoribus petendi redditionem rationis etiam à Scannarola Ministro subalterno deputato à Cardinali, tamen exindè sequitur, quod possit pro libito præfatum Jus exquiri contra illius hæredes, non tamen inferri valet, quod redditio rationis respectu Card. non fuerit perfecta, veniatque omninò servanda in præsenti judicio, in quò non debent incidentèr hæc omnia examinari, & quatenus ex præfatis, aut aliis rationibus velint quietantiam impugnare, poterunt in altero magis congruo, & proportionato Judicio illa commodius deducere, cum hodie satis
19 sit ad salvandam dationem in solutum, quod non solum fuerit summa maturitate, & solemnitate celebrata, verum etiam per positivos, & reiteratos actus supra enunciatos pluries ab ipsis comprobata.
Non relevante quod hujusmodi actus ratificationis dictæ dationis in solutum,
20 & redditionis rationis respectivè non urgeant, utpotè gesti sine præcisa scientia facti, & juris earum nullitatum, quibus labo-
21 rare prætendunt. Ea enim ex tot replicatis actibus

actibus convincitur, & signantèr ex confessione æmissà in ratificatione redditionis rationis, in qua ipsi Minores fassi fuerunt habuisse plenam notitiam de omnibus gestis, & clarius ex protestationibus clandestinè præcedentèr factis, in quibus expressè declararunt contractus à se initos fuisse metu reverentiali, quodque propterea uti intendebant contra illos auxilio legum, & Statutorum reformationum æditatum in auxilium Minorum, ita dum postea ad novos ratificationis actus devenerunt, innegabilis sit
22 quæcumque scientia facti, & Juris *Conciol. alleg.6. num 21. Vrceol. consul. for. cap.63. n.30. vol.2. Rota dec.321. n.9., & dec.478. n.16., & seq par.4. tom.2.*, & plenè *in decis.324 n.5., & seq. par.15. rec.* quæ omnia tanquam invicem connexa, & correspectivè
23 sunt simul, non seorsim, & singulatim ponderanda, juncta etiam notoria probitate, & integritate Cardinali qui sicut impulsu con-Consanguinitatis, & amoris, quo dd. fratres de Macchiavellis prosequebatur, ne bona viliori pretio sub hasta venderentur, & disperderentur, propriis pecuniis dimisit Senatorem de Lezze, qui urgebat, ita præsumendum non est, quod voluerit conspirare in eorum damnum, & notabile præjudicium, reportando ad sui favorem dationem in solutum pro creditis fictis, & insubsistentibus.

Et ita, cæteris omissis, vel tanquam levioribus, vel uti sublatis in præcedentibus decisionibus, omnibus suffragantibus responsum fuit utraque &c.

FERRARIEN. BONORUM SUPER LIBERATIONE A MOLESTIIS.

Veneris 26. Novemb. 1706.

ARGUMENTUM.

Habes à superioribus Dec.361., & 423. quæ hic confirmatur, & sunt revocatoriæ alterius præcedentis dec.281.

In hac causa sunt decisiones in eadem dec.361. expressæ.

SUMMARIUM.

1 *Res judicata oritur post fatalium lapsum.*

2 *Obligatio pro evictione purificata remanet, quoties bona ab anterioribus creditoribus avocantur, & tunc locus est mandato pro restitutionem pretii.*

3 *Actio pro evictione non datur in bonis in solutum datis pro pecuniis erogatis à Tutore pro extinctione debitorum alterius pupillorum auctoris, cujus isti hæreditatem cum beneficio legis, & inventarii adiverunt, & rationem reddiderunt.*

4 *Redditio rationis non probatur, si facta fuis in alio judicio ipsis hæredibus tantum auditis.*

5 *Redditio rationis legitimè facta non dicitur ex peritia cujus pendet revisio.*

6 *Limita conclusionem positam num.3. si pupilli facti majores de proprio tutori solventi se obligaverint.*

7 *Executio facta in bonis, super quibus cadere non poterat, non justitiam, sed executionem mandati respicit.*

8 *Executio ut evitetur cum cautela Angeli super bonis prætensis fideicommissariis pro credito liquido; requiritur clara fideicommissi, & identitatis probatio.*

9 *Executio non evitatur cum cautela Angeli si identitas excludatur.*

10 *Amplia si se de proprio allegantes cautelam Angeli obligaverint: quia tunc qualitas fideicommissaria non suffragatur.*

11 *Pro evictione promissa rei in solutum datæ, pro dimissione debiti hæreditatis hæres tenetur pro portionibus obligatorum, non alterius illorum cohæredis, qui non intervenit.*

12 *Limita cum datio in solutum facta fuit de bonis obligatis, & hypothecatis pro eodem debito.*

13 *Et cum illi, qui se obligarunt pro toto debito fecerunt independentèr à qualitate hæreditaria*

14 *Obligatus clarè mandati justitiam ejus obligationi innixam redarguere non potest.*

15 *Fratres qui evictionem rei datæ in solutum pro dimissione creditorum Auctoris independenter à qualitate hæreditaria promiserunt facto loco evictioni, eam integralitèr non possunt effugere, etiam pro rata spectante ad alium fratrem cohæredem, qui non se obligavit, sed possunt contra eum agere pro eo, quod tenetur pro indemnitate.*

DECISIO CCCCXLII.

IN sequelam resolutionis hodiè captæ coram Me favore dicti Cardinalis Francisci Barberini super altero dubio respiciente dationem in solutum Bonorum *di Quinto*, circa quàm DD. persistendo in decisis prò illius validitate responderunt. Facile fuit approbare fundamenta aliarum decisionum pariter coram Me æditarum super alio dubio circa rem judicatam, quoàd mandatum relaxatum contra fratres de Machiavellis prò liberatione à molestiis passis per clar. me. Principem D. Thaddeum, ac modernum Cardinalem Franciscum Barberinum super bonis per dictos fratres datis in solutum.

Cum enim de lapsu fatalium non esset questio: & sic res judicata sit clara, utique posi-
1 ta validitate dationis in solutum, in qua iidem fratres amplissimè promisserunt, & respectivè se obligarunt D. Cardinalem seniorem indemnem conservare, suosque liberare à quibuscumque molestiis, & evictione
2 superveniente, eo ipso quòd Guerrini, & Juliani eorumdem fratruum Creditores molestias intulerunt ipsa bona evincendo, factus fuit locus exequutioni contractus, & puri-
ficata

ficata remansit illorum obligatio, ideoque
tenentur ad restitutionem prætii mediante
relaxatione mandati, ne privetur Creditor
Bonis, eorumque prætio, contra *Text. in l.*
2.Cod.de pact.inter emptor.& venditor.Surd.
dec. 165. *n.2., & plenè firmatur in decisioni-*
bus æditis super hoc dubio.
Non obstat quod Creditum clar. me. Car-
dinalis Francisci proveniret ex pecuniis ero-
3 gatis in extinctionem debiti contracti super
bonis Quinti per Julium, & Octavium de
Thienis favore Senatoris de Lezze, quorum
licet iidem fratres sint hæredes mediati, de
proprio tamen ultra vires hæreditarias con-
veniri non potuerunt sine patenti vitio nul-
litatis, & injustitiæ: tanto magis quia hære-
ditatem adiverunt cum beneficio legis, & in-
ventarii, bonorumque rationem reddide-
runt mediante peritia judiciali, in qua ipsi
Creditores declarati fuerunt.
Etenim omisso, quod hujusmodi rationis
redditio non remanet probata ex peritia,
4 quæ prodiit in alia diversa causa, & inter di-
versas personas ipsis fratribus de Macchiavel-
lis dumtaxat auditis, cum nemo sese oppo-
suerit: maximè quia pendet de facto illius
5 revisio ex rescripto nostri Tribunalis, adeout
donec per sententiam Judicis canonizata non
fuerit, non possit deservire pro legitima red-
ditione rationis, *ad Text. in l.instar.2.Cod.de*
jur.fisc.lib.10.l.1.in princ.Cod.de apoc public.
*Rot.cor.Emerix dec.*104. *n.*11.*& in Romana*
Salviani 28. *Junii* 1706. §. *quo vero coram*
R.P.D. meo Scotto. Quælibet difficultas ces-
sare visa fuit, ex quo iidem fratres de Mac-
chiavellis se obligarunt de proprio favore
Cardinalis, & ideo sivè sint hæredes benefi-
ciati, & rationem reddant de Bonis hæredi-
tariis, sive non adhuc semper tenentur de
proprio, quia vis non stat in titulo, quò Bona
data in solutum per ipsos possidebantur, sed
in propria obligatione ex eorum voluntate,
& facto descendente independenter à titulo
6 hæreditario: In his enim terminis effugere
nequeunt adimplementum propriæ obliga-
tionis *Surd. conf.*195. *n.*26. *Gratian.discept.*
forens. cap. 264. *per tot. Rota penes Zacc. de*
obligat. camer. dec. 257. *n.* 10. *& in rec. dec.*
392. *n.* 2. *p.* 1.
Et ex hac responsione tollitur etiam al-
terum objectum, quod bona *Cuppari* super
quibus vigore dicti mandati facta fuit exe-
quutio subjaceant fideicommissis Domus
Bojardæ, & Thienæ: Hujusmodi enim exce-
7 ptio non respicit justitiam mandati, sed il-
lius exequutionem, & quod magis est, non
8 constat de assertis fideicommissis, minusque
Bonorum probata fuit identitas, saltem ad
impediendam relaxationem mandati pro
credito claro & liquido resultante ex nimis
aperta ut supra obligatione facta in datione
in solutum, quæ jam valida per tres decisio-
nes declarata fuit, *Rota dec.*194. *n.* 38. *dec.*
601.*n.*17.*p.*18.*& dec.*432.*n.*15. *& seq.p.*19 *re-*
cent., cum immò potius apparuerit, eadem
bona spectasse ad hæreditatem Marchionis

9 Octavii de Thienis juxta permutationem
per Marchionissam Eleonoram factam cum
Serenissimo Duce Mutinæ, ut firmatum fuit *in*
dec. ædita super datione in solutum 11. *Maii*
1705. §. *Parum relevante*: Et quocumque
modo res se habeat, dum ipsi fratres in datio-
ne in solutum obligarunt semetipsos de pro-
prio, eorumque bona ut supra diximus, fru-
10 strà allegando cautelam Angeli vigore eo-
rumdem fideicommissorum, excipiunt hodie
de qualitate fideicommissaria, ut *firmatum*
*fuit in dec.*138. *n.*12. *cor.Emerix, & plenè in*
dec. edita die 11. *Junii præteriti* §. *finali.*
Tandem non obstat, quod Hæredes illo-
rum de Thienis fuerint quatuor fratres de
Macchiavellis, inter quos aderat Abbas Caje-
11 tanus, qui dationi in solutum non interve-
nit, ideoque nequiverint tres tantum ex eis
valide devenire ad dandum in solutum dicta
Bona *di Quinto* pro toto debito dictorum
de Thienis, ad quod pro sua quarta parte
unusquisque tenebatur, & consequenter ne-
que obligari ad liberationem à molestiis su-
perveniendis, ita se subjiciendo solutioni etiā
quoad ratam debiti Abbatis Cajetani Cohæ-
redis in supervento casu molestiarum, & re-
fusionis Cardinali Francisco integri pre-
tii Bonorum datorum in solutum. Quia licet
debitum cum Senatore de Lezze esset hæ-
reditarium dictorum de Thienis, & per con-
sequens commune iisdem quatuor fratri-
12 bus, tamen ultra quod datio insolutum fuit
facta de bonis *di Quinto* hæreditariis, & hy-
potecatis pro eodem debito, bene licuit
cohæredibus solvere totum debitum, vel se
obligare etiam pro rata alterius cohæredis,
adeo ut eo ipso, quod tres fratres solemni sti-
13 pulatione propria voluntate, & facto de-
venerunt ad dationem in solutum pro rein-
tegratione Cardinalis, de pecuniis ad ef-
fectum extinguendi debitum subministratis,
& ad illius liberationem à molestiis inferen-
dis super bonis datis in solutum se se inde-
pendētèr à qualitate hæreditaria obligarunt,
non possunt allegare in præsenti nullitatem
dationis in solutum prætextu, quod ad debi-
tum hæreditarium teneretur etiam Abbas
Cajetanus Cohæres, neque redarguere vali-
14 ditatem, & justitiam mandati contra ipsos
relaxati, seu exequutionis illius vigore fa-
ctæ, quæ innituntur eorum claræ obligatio-
ni, & si ea non obstante prætendunt aliquid
ultra ratam sibi spectantem debiti hæredita-
ri persolvisse, aut sentiunt sese gravatos in
15 portionibus propriorum bonorum, pote-
runt eorum jura dirigere contra Abbatem
Cajetanum cohæredem prò eo, quod tene-
tur contribuere, ac pro eorum relevatione, &
indemnitate consequenda, *ad Text. in l. prò*
hæreditatis Cod.de hæred. act. ad firmata *per*
*Rot. dec.*258. *p.* 17. *dec.* 300. *n.* 2., *&* 3. *&*
*dec.*659. *n.*18. *& seq. p.* 18. *rec.*
Et ita, omnibus DD. suffragantibus, re-
sponsum fuit, utraque &c.

FERRARIEN. BONORUM SUPER MANUTENTIONE.

Lunæ 29. Novembris.

ARGUMENTUM.

Habeatur supra Decis. 424., quæ confirmatur, recedendo à Decis. 282., & 344. & confirmatur inferius dec. 475.

In hac causa sunt Decis. ut in 361, notatur.

SUMMARIUM.

1 *Manutentio possessori habenti pro se deliberationem, & adjudicationem danda est, nisi nullitas, & injustitia sit clarissima.*

2 *Mandatum expeditum pro pretio rei super quam molestiæ sunt illatæ, est nullum; si actor ab initio solùm mandatum pro liberatione à molestiis petiit. Limita. ut n.4. quando actor, cui ultra actionem pro liberatione a molestiis, competebat altera pro traditione rei liberæ, in citatione apposuit clausulam --* & alind quodcumque decretum &c. *& illud obtinuit.*

3 *Reintegrationem consequi nequit pro integro pretio molestias passus, si non omnia bona sunt avocata.*

5 *Clausula --* & aliud quodcumque decretum &c. *ad quid à pragmaticis sit adinventa.*

6 *Et operatur ne petitio sit restricta ad unum remedium: sed ad magis proficuum.*

7 *Curialibus, & Notariis in rebus de praxi est deferendum.*

8 *Nullitas clara debet esse ad effectum ut infringat deliberationem, maximè per: Signaturam Justitiæ canonizatam.*

9 *Possessionem bonorum continuasse aliquem post deliberationem non probatur ex solutione affictuum, quæ potest esse pro solutionibus antecedenter ad deliberationem debitis.*

10 *Et ad istos præcedentes affictus in dubio solutiones sunt referendæ, donec nonprobetur, in totum fuisse satisfactas.*

11 *Amplia cum ex post dd. solutiones recipere non continuavit.*

12 *Circuitus inutilis, & inanis semper fuit à Rota reprobatus.*

DECISIO CCCCXLIII.

Censuit Rota sub die 14. Junii proximipræteriti manutentionem dandam esse Eminentissimo D. Card. Barberino super Bonis *delli Cuppari*, alias adjudicatis clar. mem. Principi D. Thaddeo Barberino, cujus ille est successor, tanquam administrator secundogenituræ Barberinæ, recedendo à duabus decisionibus præcedenter editis, & manutentionem DD. Fratribus de Macchiavellis decernentibus. Hodie autem utriusque resolutionis fundamentis revocatis ad trutinam, iisque libratis, præponderare visa fuerunt illa quibus ultima nititur, & ideo *standum esse in ultimo loco decisis*, responderunt.

Assistunt enim eidem D. Cardinali omnes regulæ, ut scilicet danda sit manutentio Pos-
1 sessori, & illi qui habet pro se deliberationẽ, & adjudicationem, nisi nullitas, & injustitia adeo evidenter probentur, ut nullo velamine possit offuscari. *L. Quoties 13. ff. de rebus dubiis Cravet. cons. 185. n.8. Rota penes Magil. de subhast. decis. 48., & penes Posth. de subhast dec. 218. utrobique nu. 1.*, cum ad istum effectum etiam sufficeret, exceptiones in contrarium adductas esse turbidas. *Rot. in Camerinen. Censuum 22. Julii* 1698. *§. Quoniam cor. Rmo Decano, & in Romana Fideicommissi 18. Junii 1703. §. Cum enim cor. eodem.*

Non fuerunt in dubium revocatæ hujusmodi propositiones, sed tota Causæ difficultas redacta fuit ad examen duarum exceptionum, quæ sicuti in præteritis visæ fuerunt irrelevantes, ita hodiè tanquam minus habentes, iterum rejectæ fuerunt.

Repetebatur itaque primo loco, quod fuisset in principio Judicii petita liberatio à
2 molestiis illatis super Bonis Tenutæ *di Quinto* spectantis ad secundogenituram pro credito sc. 10400., & tamen postea fuerat expeditum mandatum pro restitutione integri pretii eorumdem bonorum consistentis in sc. 28238., & illius vigore deventum ad deliberationem bonorum *Cuppari*, de quibus agitur, unde interebatur ad illius evidentem nullitatem, & excessum. Et secundo denuo opponebatur, quod neque molestiæ erant super omnibus bonis dictæ Tenutæ *di Quinto*, & sic non omnia bona fuerant evicta, quinimo in possessione partia illorum reman-
3 serit cla me. Princeps, & postea D. Cardinalis, itaut proindè licitum non fuerit reintegrationem consequi pro integro pretio.

Sed respectu primi placuit repetita responsio, quod D. Cardinali duæ competerent actiones, altera pro liberatione à mo-lestiis, altera pro traditione rei liberæ, &
4 loco illius pro restitutione integri pretii, indeque eo ipso, quod in citationibus institit non solum pro liberatione, sed ulterius petiit aliud quodcumque decretum desuper opportunum fieri, & interponi, in quibus terminis nulli dubium est, quin actus substineatur; hæc enim à practicis Curialibus
5 adinventa fuit Cauthela ad hoc, ut quando citatio sit ad certum actum, si forte Judex velit illum alio modo expedire, quàm exprimeretur in citatione, id possit facere, cum dicta verba operentur, ut petitio non
6 sit restricta ad unum remedium tantùm, sed ad magis proficuum, & testatur. *Ubert. de citat. cap. 9. n 411. vers. hæc servatur in Curia*, & aliis pluribus adductis firmatum fuit *in ultima decisione*, Atque etiam testati sunt plurea Curiales, ut Notarii, quibus in
7 hisce materiis plurimum deferri solet, *Rota in Bononien. Immissionis 5. Julii 1699. §. Facilius cor. R. P. D. meo Scotto, & in Romana Annuæ Præstationis 26. Martii 1703. §. Duo cor. eodem.* Itaut, vel penitus sublata remaneat dicta nullitas, vel saltem non

fit adeo certa, & clara, prout requiritur,
8 ad effectum infrigendi deliberationem. Maximè cum per binas vices fuerit per Signaturam Justitiæ Canonizata, ut super firmatum fuit.

Respectu verò secundi animadversum fuit, quod executio facta ad Instantiam Creditorum fuit generalis, & indefinita super omnibus bonis, & ita quod revera nihil remanserit immune ab executione, constitit ex Instrumentis, & deponunt plures Testes adducti per D Cardinalem, adeout nihil relevet, quod ille aliquas pensiones eorumdem bonorum, etiam post dictam execu-
9 tionem exegerit; quoniam affictus praecedenter initi tanquam solvendi postleipatè, spectabant ad illum pro paghis faciendis de mense Decemb. 1695., & in diebus Paschatis, & S. Christophori 1696. non obstante quod privatus remansisset possessione de an. 1695.

Et licet replicaretur, quod constet illum exegisse etiam paghas Natalis 1696. & Paschatis, & Sancti Christophori 1697. Imò etiam aliquam ratam anni 1698. tamen hu-
10 jusmodi exactiones debent in dubio referri ad affictus anni 1695., quæ in totum spectabant ad Cardinalem, donec saltem non probetur illos antea fuisse in totum solutos, & satisfactos. Tanto magis, quia abindè citra nihil aliud per illum exactum fuit, quod
11 utique spatio tot annorum non evenisset, si revera aliqua portio Affictuum ad ipsum spectasset, Imo eum de anno 1701. Creditores immissi exegerint affictus cum expressione, quod id facerent Cessionario nomine Domus Barberinæ, postea illi met declararunt sese pro suis propriis creditis exegisse.

Quibus omnibus DD. addiderunt, quod cum jam firmatum fuit, dationem in solutum factam per Macchiavellos esse validam, & eos teneri ad evictionem, hodie non potest ex hoc capite declarari nulla hujusmodi de-
12 liberatio, quæ posteà esset iterum facienda cum inutili, & inani circuitu, à quò semper nostrum Tribunal abhorruit. *Rota dec.402. n.4. dec.223. n.5. decis.315. n.4. par.16., & dec.125. n.13. par.17. rec.*

Et ita omnibus DD. suffragantibus responsum fuit utraque &c.

CREMONEN. BENEFICII.

Veneris 3. Decembris 1706.

ARGUMENTUM.

Impetrans beneficium sub narrativa libertatis contra institutum ab Ordinario vigore præsentationis à Patronis expletæ, & possidentem, eam tenetur probare: præsertim eum constet de qualitate jurispatronatus, non obstante ultimo statu. Nec libertatem beneficii concludunt provisiones à Papa factæ propter vacationem apud Sedem, non facta derogatione jurispatronatus; nam ei derogare voluisse non præsumitur: & quando illud eripere voluisse convincatur? Copiæ instrumenti erectionis legitimitas ex pluribus probatur, & contraria excluduntur.

SUMMARIUM.

1 *Contra impetrantem regula locum habet: cum aliquo modo reddatur turbida reservatio beneficii per ipsum narrata*, & n.41.
2 *Libertas beneficii non concluditur univocè ex collatione à Papa facta propter vacationem apud Sedem: sed desumitur à præcedentibus statibus*, juncto num.4.
3 *Papa confert beneficia apud Sedem vacantia tam si sint liberæ collationis, quam jurispatronatus laicalis, vel mixti.*
5 *Papa conferendo beneficia de jurepatronatu laicali, vel mixto vacantia apud Sedem, non apposita clausula derogationis jurispatronatus, de stylo apponi solita, quia hæc qualitas ab impetrante non fuit narrata; eidem non præjudicat; nec præcedentem statum mutat, nisi facta mentione jurispatronatus adhuc fuit facta concessio tanquam de libero, vel illi positive derogatum.*
6 *Beneficium liberæ collationis non convincitur, si præsentatus a Patronis, impetranti à Papa tamquam vacans apud Sedem, se non opposuit, sed siquidem eum opponens succubit in judicio.*
7 *Provisus Apostolicus, qui obtinuit beneficium de jurepatronatu tanquam vacans apud Sedem, de facili obtinet gratiam revalidatoriam ob non factam mentionem jurispatronatus.*
8 *Præsentati factum, & negligentia Patronorum juribus non præjudicat.*
9 *Ultimi status ex collatione beneficii tanquam vacantis apud Sedem à Papa facta, remanent inutiles, & æquivoci ad concludendam libertatem beneficii, quod semper tanquam de jurepatronatus fuit habitum.*
10 *Et tunc ad præsentatum ad beneficium de jurepatronatu non spectat docere per tres famigeratas probationum species, nempe instrumenti clari, rei judicatæ, & confessionis: sed ab Impetrante debet libertas beneficii aliunde probari, ut ejus litteræ executionem mereantur.*
11 *Maximè si præsentatus sit provisus ab Ordinario, & possideat, & constet de jurepatronatu.*
12 *Juspatronatus cum de illo docetur ex publico instrumento, nec libertas in contrarium satis probetur, servatur etiamsi ultimus status obstaret.*
13 *Illegalitas testamenti constitutionis beneficii non ex eo deducitur, quia cum à Patronis fuerit productum alias exceptiones dederunt, quæ fuerunt rejectæ, non facta mentione testamenti.*
14 *Præsertim si exceptiones etiam testamento subsistente rejici poterunt.*
15 *Juspatronatus mixtum non potest renunciari etiam cum reservatione pensionum sine Patronorum consensu, cum eidem fuit derogatum.*

16 *Amplia conclusionem* num.13. *fortius procedere si post sententiam partes ad transactionem devenerunt cum insertione, & comprobatione testamenti.*

17 *Sumptum de sumpto quando fidem mereatur?*

18 *Copia testamenti in forma probanti dicitur cum duo Notarii eam cum authentico collationasse asserunt, & concordantem invenisse, licet erratum fuerit in descriptione anni.*

19 *Jurispatronatus existentia, etiamsi dubitetur de legalitate testamenti, ad illius formam continuare dicitur, cum adhuc existunt eadem bona ab eodem assignata, onera demandata, & concordat cum instrumento fundationis.*

20 *Beneficium, seu Capellania ab eodem erectum dicitur, cum alterum, de quo constat erigendo dixit, illud esse primum, quando alterum postea adhuc in eo invenitur, & cur?* juncto num 22.

21 *Primus dicitur respectu secundi.*

23 *Jurispatronatus existentia probatur ex inscriptionibus in Altari.*

24 *Et ex visitationibus ordinariorum.*

25 *Correctio facta in parte, quæ substantiæ, & veritati non officit, fidem actui non tollit, & robur.*

26 *Fortius si ex aliis comprobetur.*

27 *Juspatronatus probatur ex præsentationibus per 200. annos continuatis.*

28 *Et ex collationibus Apostolicis cum mentione, & derogatione jurispatronatus.*

29 *Et ex institutione effectum sortita, quæ in judicio talis fuit canonizata*

30 *Legalitas testamenti non probatur si eo producto, non ex illo, cum novorum jurium exhibitionem demandaverit; sed ex fundatione ordinarius sit motus, & illa fundatio vana ad probandum juspatronatum deprehendatur.*

31 *Secus si novorum jurium exhibitio ad cautelam sit petita, & postea producto testamento, ejus copia visa, sententiam ordinarius institutionis protulit, nam tunc testamentum ejus causa impulsiva dicitur.*

32 *Testamenti erectionis beneficii cum jurepatronatu validitas non labefactatur ab eo, quod præsentatus, qui ab ordinario ejus vigore institutionem obtinuit, impetravit a Papa gratiam pro præsentato cum onere pensionum: cum, ultra illud beneficium, alia habebat, & cur?*

33 *Sed ex hoc potius comprobatur, & cur?*

34 *Testamentum antiquissimum, & spatio 200. annorum observatum, omnem favorabilem meretur præsumptionem.*

35 *Pauperes, rudesque personæ non præsumuntur longo tempore, & in multiplicatis actibus confingere potuisse, & multiplicasse falsitates pro obtinendo jurepatronatu.*

36 *Maximè si isti actus sunt facti opera notariorum, & plurium personarum publicarum, diversis temporibus, & pluribus in actibus sub oculis, & approbatione ordinariorum,* juncto num.38. & 40.

37 *Notario, & personis publicis falsitatis nota non debet impingi.*

39 *Instrumentorum stages fieri nequit.*

DECISIO CCCCXLIV.

AD Cappellaniam vacantem in Ecclesia Parochiali S. Lucæ Civitatis Cremonæ fuit à Vicinis ejusdem Parochialis præsentatus Joannes Babtista Ravasius, qui postmodum ab Ordinario Cremonen. institutionem reportavit, & possessionem subinde acquisivit, sed quia illa vacaverit in mense Novembris Sedi Apostolicæ reservato, hinc cum supposito, quod esset liberæ collationis, curavit sibi de ea provideri Joannes Baptista Mesinerus: & mox in Judicium vocaverit Ravasium coram R.P. D. meo Kaunitz litterarum Apostolicarum Exequtore, à quo præviis geminis, decisionibus editis sub diebus 11. Maii 1705. & 14. Maii præteriti sententiam favorabilem reportavit, & commissa mihi appellationis causa, quæ situm fuit -- An sit procedendum ad legitimam exequtionem litterarum -- Et *negativa* prodiit resolutio.

Præmisso enim quod Mesinerus habens provisionem Apostolicam concludenter pro-
1 probare tenetur reservationem Beneficii,
per ipsum narratam; satisque sit, quod illius
probatio aliquo modo reddatur turbida ad hoc, ut habeat locum regula contra Impetrantem, ex firmatis *per Rotam cor. Duran. dec.14. n.5. cor. Vbald. dec.200. n.2. & 3. & in rec. dec.472. n.69. par.19. & in Parmen. Beneficii 28. Januarii 1701. §. cum enim cor. R. P. D. meo Scotto.*

Facile fuit contra ipsum respondere, cum talis probatio desumi non possit ex iis, quæ ab eodem deducebantur; Nam incipiendo ab ultimis statibus, super quibus potissimè insistebat, eo quod duæ ultimæ provisiones factæ per Sedem Apostolicam apparerent tanquam de libero absque ulla mentione Jurispatronatus, constitit ex facto, quod licet vacante Cappellania anno 1683. illam non facta mentione Jurispatronatus, obtinuerit bo. me. R. P. D. Franciscus Maria à Porta, & deinde per ejus obitū Joannes Carolus illius frater, tamen prodiit utraque collatio propter vacationem, apud sedem, qui modus
providendi non cōcludit univocè libertatem
2 Beneficii cum æque conveniat Beneficiis
3 tam libere collationis, quàm Juris patronatus, laicalis, vel mixti; quapropter prædictæ provisiones tanquam equivocæ non important declarationem libertatis, *Post. de manut. observ.49. n.5. Rota dec.290. n. 21. dec. 41. n.34. p. 18. rec.*, sed illam expectant, &
4 recipiunt à statibus præcedentibus, ad quos regulariter solet haberi recursus, *Rot. in Aretina Beneficii 21. Januarii 1701. §. utique cor. R. P. D. meo Ansaldo, & in Tuden. Parochialis de Bertuzido 20. Junii 1701. §. Ex his cor. R. P. D. meo Scotto.*

Non obstat, quod in provisionibus prædi-
ctis

ctis apposita non legatur clausula derogatoria Jurispatronatus, prò ut de stylo praticari solet in omnibus Beneficiis, quæ non sunt liberæ collationis: unde inferebatur, quod justificatus remaneat status libertatis controversæ Cappellaniæ. Quoniam cum talis ommissio processerit, ex quo à dictis provisis Apostolicis in petitione gratiæ nulla mentio facta fuit Jurispatronatus, non autem, ex quo Cappellania esset veræ,& liberæ collationis, exinde sequitur, quod sicut Papa in hoc casu
5 non habet intentionem præjudicandi Patronis, etiamsi Beneficia vacent apud sedem, nisi quando facta expressa mentione Jurispatronatus fuit adhuc concessa provisio tanquam de libero, vel Jurispatronatui positivè derogatum, ita illo per Papam ignorato, nullaque de eo facta expressione, & derogatione, quodcumque Patronorum Jus illæsum, & intactum remansit, & prædictæ provisiones Apostolicæ non potuerunt in præjudicium illorum immutare statum præcedentem de jurepatronatus, juxta deducta *in Bononien. Parochialis super manut. 3. Julii* 1679. §. *non obstante*, & 2. *Februarii* 1680. § *Maximè cor cla me. Card. Vicecomite*, & 26. *Junii* 1682. §. *etenim & seq. cor. bo. me Ursino*.

Multoque minus ad comprobationem ultimi status, & liberæ qualitatis Beneficii operari potest altera circumstantia, quod vicini occasione vacationis, per obitum in Curia Francisci Mariæ à Porta præsentarunt Thomam de Calcagnis, qui adversus provisionem Apostolicam obtentam per Joannem Carolum à Porta, tamquam de vacanti apud sedem se non opposuit coram illius Executore. Quia objectum locum sibi vindicare po-
6 tuisset si, præsentatus à Vicinis comparuisset, & deinde per sententiam innixam libertati beneficii remansisset ejectus; non autem quando Thomas ad finem evitandi dispendiosam litem cum dubietate eventus sibi forsan con-
7 trarii propter gratiam revalidatoriam ob non factam mentionem Jurispatronatus, quam provisus Apostolicus de facili obtinere potuisset, se habuit merè passivè, quo casu etiam hic actus negativus remanet æquivocus, & inefficax ad concludendum statum de libero in præjudicium Patronorum, qui
8 illum præsentarunt, quibus factum, & negligentia præsentati neutiquam officere valet, ex firmatis *per Rot. dec.* 136. *n.* 38. *p.* 19. *rec. dec.* 1195. *sub n.* 9. *cor. Emerix jun.*

Sine difficultate, quia præcedentes provisiones ostendunt semper hujusmodi Cappellaniam habitam fuisse tamquam de Jurepatronatus, ut infra ostendetur, unde tanto
9 magis remanent equivoci, & inutiles dicti ultimi status, ut signanter respondit *Rota dec.* 514. *n.* 4. *p.* 13. *dec.* 215. *n.* 7. *p.* 15. & *dec.* 463. *n.* 5. *p.* 19. *rec.* & *in Bononien. Parochialis super Manut.* 3. *Julii* 1679. §. *Non obstante cor. cla. me. Card. Vicecomite*.

Quibus ita se habentibus sicuti non spectat ad Ravasium docere de statu anteriori Juris-
10 patronatus per famigeratas tres species probationum, nempe Instrumenti clari, rei judicatæ, & confessionis partis, ita onus est Mesmeri provisi Apostolici in his circumstantiis probandi aliunde narratam libertatem Beneficii, maximè quia est Actor, & instat con-
11 tra provisum ab Ordinario, qui possidet; cumque ipse in dicta probatione deficiat, quinimo constet de Jurepatronatus, idcirco locus esse non potest exequutioni literarum Apostolicarum, *Rota cor. Merlin. dec.* 563. *n.* 1. & *dec.* 591. *n.* 5. *in rec. dec.* 251. *sub n.* 2. *p.* 2. *dec.* 295. *n.* 1. & 2. *p.* 6. & *dec.* 413. *n.* 19. *p.* 18.

Hinc assumendo examen aliarum probationum prò dignoscenda qualitate Cappellaniæ, DD. juxta facti seriem de mandato nostri Tribunalis, concordatam adverterunt, quod Anghinorus de Aqualonga ad unum, & idem Altare sub invocatione S. Joannis Baptistæ in Ecclesia Parochialis S. Lucæ Cremonen. duas erexit Cappellanias, alteram ex Instrumento pubblico fundationis de anno 1419., alteram vero ex Testamento per ipsum condito de anno 1421., reservato in utroque Jurepatronatus favore Vicinorum ejusdem Ecclesiæ. De prima licet in dictis decisionibus coram R. P. D. meo Kaunitz nonnullæ adducantur appositæ exceptiones contra Istrumentum illius fundationis; In hodierna tamen propositione agnitæ fuerunt insubsistentes, & vix fuit, nec potuit adesse quæstio inter partes, quoniam ejus respectu affertur publicum, & authenticum documentum, immò ad super abundantem probationem concurrit illius judicialis compulsatio, & approbatio in lite agitata in nostro Tribunali coram R. P. D. Piccolomineo de anno 1533. inter Nicolaum Pelliceum, & Andream Cornelium, & de facto contra illius legalitatem nihil relevans oppositum fuit. Sed tota difficultas stetit in secunda, pro cujus justificatione Ravasius exibuit Testamentum conditum ab ipso Anghinoro anno 1421., in quo dictam cappellaniam erigi mandavit cum reservatione Jurispatronatus favore eorumdem Vicinorum prout in prima, & ulterius Instrumentum fundationis subsequutæ factæ per illius Exequutores Testamentarios anno 1422.; unde cum doceatur de qualitate patronali respectu utriusque Cappellaniæ mediante pubblico instrumento fundationis, & Mesmerus deficiat in probatione libertatis Cappellaniæ controversæ, proprietas prævalet possessioni
12 ex ultimo statu, quando etiam contrarius adesset Juripatronatui, qui neque concurrit in præsenti ex supra firmatis, *Abb. in cap. Consultationibus n.* 9. *de Jurepatr. Vivian. Cod. tit. p.* 2. *lib.* 11. *cap.* 6. *n.* 23. *Rota dec.* 74. *n.* 11. *p.* 11. & *dec.* 252. *n.* 17. *p.* 16 *rec.*

Non obstant quam plurimæ exceptiones oppositæ per Mesmerum contra legalitatem & relevantiam dicti Testamenti, & fundationis, allegando, quod illud sit sumptum de sumpto, & merum scartafaccium, quod-

que

que signanter publica Testamenti Copia in
hoc Judicio producta validè fuerit alias
oppugnata, & ejus illegalitas opposita, ad-
ducendo ad hunc effectum, quod cum Joan-
nes Clemens de Schitiis resignasset alteram
ex dictis Capellaniis hodie possessam ab Ab-
bate Vice Comite favore Joannis Galeatii
pariter de Schitiis, qui ideò de ea provisus
fuit à sa. me. Paulo V., & Vicini producto
dicto Testamento, prætendentes dare de
nullitate provisionis Apostolicæ Senten-
tiam contrariam passi fuerunt. Etenim præ-
misso, quod Vicini produxerunt Testamen-
tum ad ostendendum Jus sese opponendi,
quod tamquam Patroni habebant, & pro
nullitate provisionis Apostolicæ allegarunt
simpliciter, quod Jo: Clemens de Schitiis
resignans non adimplevisset onera Capella-
niæ, & sine ipsorum consensu beneficium re-
signare non potuisset, præsertim cum onere
Pensionis, eo ipso, quod Ordinarius decla-
rando validam dictam resignationem hujus-
13 modi exceptiones per sententiam rejecit,
non indè valet inferri ad illegalitatem dictæ
Copiæ publicæ Testamenti, super qua non
fuit pronunciatum, quo Testamento etiam
14 subsistente, utraque exceptio rejici potuit,
signanter illa non resignandi absque consen-
su Patronorum attenta derogatione Jurispa-
15 tronatus mixti facta in literis Apostolicis
resignationis, *facto concordato n.7*.

Et sine difficultate, quia illi de Schitiis
post interpositam per Vicinos à dicta Sen-
16 tentia appellatione devenerunt cum iis-
dem ad transactionem, in qua inserverunt
integrum tenorem dicti Testamenti, per
cujus insertionem illud fuit comprobatum,
& potiùs quodcumque illegalitatis obstacu-
lum sublatum remansit. *Rota cor. Crescent.
dec.10. de probat. cor. Bich. dec.409. n.4.,
& in rec. dec.336. n.5. par.13., & dec.408.
n.5. 6., par.* 19. adeout hoc ipsum retor-
queatur contra Provisum Apostolicum, &
ex effectuatione istius resignationis, & in-
sertione Testamenti in concordia remaneat
plenè comprobata legalitas dicti Testa-
menti.

Respectu exceptionis generalis, quod hoc
Testamentum non sit in forma probanti, sati-
sfaciunt plures responsiones, & signanter
quod illud fuit extractum à publico Nota-
rio, & in lite vertente usque de Anno 1650.
inter Fabricenses, & Tesaurarium Fabricæ
fuit productum ut *in facto concordato nu.* 9:
17 & postea alter Notarius Causæ ab illo ex-
traxit aliud sumptum publicum, assereodo
illud collationasse cum authentico, consigna-
vitque Vicinis, qui immediatè hanc copiam
publicam produxerunt coram Ordinario
Cremonen. in altera causa, quæ tunc con-
temporaneè vigebat contra Schitios, cujus
Causæ Notarius, & Cancellarius Curiæ Epi-
scopalis testatur de prædictæ copiæ Testa-
menti legalitate, & de facto fuit reperta in
Processu de partibus compilato in d. lite, *ut
in facto concordato num.* 10. Ex quibus sequi-
18 tur, quod si duo Notarii in duabus diver-
sis Causis testantur hanc copiam collationasse
cum publico authentico Testamento, & in-
venisse quod concordaret cum illo, utique
eis credendum est, non obstante, quod repli-
caretur erratum fuisse in descriptione Anni,
ut ad rem observat *Rota in Majoricen. Be-
neficii* 28 *Novembris* 1704. §. *Hanc autem,
&* 11. *Maj* 1705. §. *Nec refert in fin. cor.
bo. me. Muto*.

Rursus legalitas Testamenti comprobatur;
ex quo in eodem Altari reperitur erectum
tam illud Beneficium, seu Cappellania Anni
19 1419., quam alterum proveniens ex Testa-
mento Anni 1421. Utrique beneficio fuerunt
in dotem assignata plura bona campestria in
vocabulo *Castelletto d' Anghinora*, quę adhuc
cantant sub nomine dicti Fundatoris; & tan-
dem ambo Beneficiati habent eadem onera
celebrandi Missam quotidianam cum Anni-
versario, & distribuendi panem, & Vinum;
quæ sub uno, eodemque die adimplentur.
Unde dum in Instrumento erectionis Cap-
pellaniæ, seu Beneficii in sequelam Testa-
menti mediante opera Executorum Testa-
mentariorum auctoritate Ordinarii cele-
bratæ sub die 19. Augusti 1422. positivè asse-
ritur, quod illa fiebat ad formam Testa-
menti d. Anghinori; incontrovertibile red-
ditur, quod utrumque beneficium sit de ju-
re patronatus, & ab eodem Fundatore ere-
ctum, ut in dicto Testamento disponitur;
*per Text. in Cap. quia circa de privileg. Ro-
ta coram Dunnozett. sen. decis.* 211. *num.* 17.
& in Tuden. Evictionis 2. *Decembris* 1701.
§. *non enim coram Rmo Conchen.*

Accedit, quod Anghinorus habens in-
20 tentionem fundandi duo Beneficia in ipso
Instrumento Fundationis primi Beneficii ce-
lebrato Anno 1419. asseruit, quod illa erat
prima fundatio ibi -- *Præsbyter, qui cele-
brabit ad dictum Altare vigore primæ dota-
tionis*: Cumque hujusmodi assertio primę
dotationis pernecesse supponat intentionem
21 erigendi secundum, ex regula, quod pri-
mus dicitur respectu secundi, de qua *Glos
in l. prima* §. *Æstas in verb. non proxima,
ff. ne quid in flumine publico Speculat. in
specul. parte* 2. *tit de primo decreto* §. *dicitur
num.* 4.; eo ipso, quod Anghinorus in Testa-
22 mento Anni 1421. alterum erigi mandavit
cum expressa declaratione faciendi secun-
dam dotationem, & illud in eodem Altari
reperitur erectum, atque dotatum per-
necesse ab eodem Fundatore in executio-
nem sui Testamenti erectum fuisse dicen-
dum est. *Menoch. de presumpt. lib.* 2. *præ-
sumpt.* 74. *num.* 3. *Rota coram Peutinger.
decis.* 198. *num.* 9., *& in rec. decis.* 153.
num. 17. *parte* 2., *& optimè in decis.* 460.
n. 17. *in fine*, *& n.* 18. *parte* 18. *tom.* 2. *rec.*

Hiisque adduntur tam antiqua Inscriptio
23 facta in summitate Cappellæ, & restaurata
de Anno 1620., in qua legitur quod Anghi-
norus de Aqualonga fundavit, & dotavit
Anno 1419., & 1421.; quam etiam plures
visi-

visitationes, quæ ab Episcopis pro tempore factæ fuerunt spatio centum, & plurium Annorum, in quibus, & signanter in illa, quæ per Divum Carolum Boromeum facta fuit Anno 1575. fit distincta, & expressa mentio dictorum duorum Beneficiorum, & onerum illi incumbentium; imò in alia præcedenti facta Anno 1567. transcribitur tenor Testamenti Anghinori fundatoris cum omnibus circumstantiis contentis in eo, & consonant in idem aliæ successivæ usque in præsens, ex quibus visitationibus probari exi-
24 stentiam jurispatronatus tradit *Rota in Gerunden. Beneficii 26. Aprilis 1697 In comprobatione coram R.P.D. meo Priolo in Aretina Beneficii 21. Januarii 1707. §. quod vero coram R.P.D. meo Ansaldo, & in Asculana Jurispatronatus 2. Junii 1705. §: Accedunt coram R.P.D. meo Scotto*. Non attento, quod adversus dictam visitationem Anni 1567. opponatur illius tenorem fuisse alteratum, ejusque verba circa datam fundationis novitèr correcta fuisse. Quia quidquid sit de asserta correctione, eum ab
25 Ordinario individuctur pars substantialis Testamenti, hoc sufficit, ut ea non officiat substantiæ, & veritati, *juxta doctrinam Castrens. in l. si unas num. 3. C. de Test. clar. in §. Falsum num. 198. Farinac. de falsit. qu. 153. num. 37.* Eoque magis concurren-
26 te comprobatione ex aliis Visitationibus & probationibus circa dictum Testamentum, & Jurispatronatus.

Tandem solidissimum eruitur fundamen-
27 tum pro legalitate dicti Testamenti, ex quam pluribus præsentationibus, & statibus istius Beneficii tanquam de Jurepatronatus spatio 200., & ultra annorum continuatis, vel ad presentationem Patronorum, vel autho-
28 ritate Apostolica, semper tamen cum mentione, & derogatione jurispasronatus, Inter quas provisiones, omissis aliis, insignis visa fuit, quoad controversam Capellaniam illa anni 1613., in qua eadem vacante per obitum Nicolai Cambiagh Vicini asserentes se esse Patronos, & in quasi possessione præsentandi existere, Sigismundum Scalcum presentarunt, qui exhibito Testamento anni 1421. presente Promotore fiscali sententiam Institutionis ab Ordinario reportavit cum omnibus solemnitatibus de jure servandis, ac etiam cum præcedenti publicatione edicti, in quo asserens ipsemet
29 Ordinarius, quod Vicini erant veri, & legitimi Patroni, fassus fuit præfatum testamentum, aliaque documenta coram ipso producta vidisse, & considerasse. Quamobrem eum dicta sententia super institutione effectum sortita fuerit, & institutus etiam in vim provisionis Apostolicæ, seu Gratiæ pro præsentato cum derogatione medietatis vocum in possessionem continuaverit usque ad obitum, sine dubio ex hujusmodi statu tanquam claro, & nitido tot, tantisque numeris absoluto in evidentiam redacta fuit qualitas patronalis.

Non obstat quod Ordinarius motus non fuerit ad concedendam institutionem Scalvo ex Testamento anni 1421. aliisque documentis coram ipso productis, sed illis posthabi-
30 tis, tamquam illegalibus, totum fundamentum constituerit in fundatione anni 1419., quam respicere dicebatur alteram Cappellaniam, demandando etiam, ut nova Jura exhiberentur: quodque ipse Sealvus agnoscens illegalitatem suarum probationum novum titulum gratiæ pro præsentato obtinuerit cum onere duarum pensionum, quibus certe non succubuisset, si ex testamento prædicto constitisset, quod hujusmodi beneficium esset Juripatronatus obnoxium. Quoniam ordinarius non demandavit novorum jurium productionem, minusque Scalvus ad eam devenit, ex quo probationes jam factæ imperfectæ fuissent, itaut ad eas substantiandas, opus esset novis juribus, sed tan-
31 tùm exabundanti, & ad majorem cautelam, prout resultat ex lectura ipsius decreti facti ab ordinario, ibi -- *durante termino &c. ad majorem actus, & institutionis hujusmodi verificationem teneatur alio jure, quæ habere dicit ad majorem Jurispatronatus probationem producere* -- quæ verba sicuti præseferunt probationes jam factas fuisse sufficientes, ut respondit *Rota cor. Priolo dec. 350. n. 37.*, ita exinde sequitur, quod dum Scalvus produxerat Testamentum, anni 1421. & ordinarius sententiam protulit (sunt verba præcisa) *visa copia Testamenti facti per Anghinoram de Aqualonga* -- controverti non potest, quin ipse fundamentum constituerit in dicto Testamento, illudque fuerit causa impulsiva ad concedendam institutionem: Et
32 præsentatus in tantum curavit obtinere gratiam prò præsentato, in quantum ei præter Cappellaniam permissa nõ erat retentio aliorum Beneficiorum, quæ per prius habebat, quam si fuit elargita, Dataria non alio modo, quam cum onere duarum pensionum, non mirum si ipse eisdem se subjecit, sed non per
33 hoc exclusa remanet qualitas patronalis hujus Cappellaniæ; quinimo eo magis comprobata remanet, cum Summus Pontifex pro medietate derogaverit Juripatronatus, *Card. de Luc. de Jurepatr. disc. 7. n. 18. Seraphin. dec. 1334 n. 2. Rota post Vivian. de Jurepat. dec. 29. n. 7. dec. 132. n. 19 & in rec. dec. 290. n. 7. p. 18.*

Hæc omnia simul unita tollunt de medio quascumque objectiones à Mesmero promotas adversus legalitatem Testamenti anni 1421., eum enim sit antiquissimum, & confir-
34 matum lapsu ferè 300. annorum, omnis favorabilis præsumptio militat pro illo, *ad Text. in L. arbiter & L. Imperatores ff. de probat. & in cap. cum causam eodem tit. Dec. cons. 42. n. 2. Covar. pract. q. 39. cap. 21. n. 7. Rota dec. 139. n. 28. p. 17. rec.* Adeout aliæ exceptiones falsitatis, & Machinationis cumulatæ contra actus præsentationum, & enunciativas illarum occasione emissas à Patronis minorem mereantur, animadversionem,

nem, cum prorsus imperceptibile sit, quod
illi Vicini tamquam Pauperes idiotæ, & ru-
35 des Fabrieenses in tot replicatis actibus tan-
to tempore gestis, voluerint, & potuerint
confingere, & multiplicatas falsitates com-
mittere, *Menoc. de præsumpt. lib. 5. præsumpt.*
20. n. 25. & præsumpt. 24. n. 5. Rot. dec. 93. n. 14.
p. 17. & dec. 211. n. 30. p. 19. recent. Maxime
quia dictus actus gesserunt mediante opera
36 plurium Notariorum, & personarum pub-
blicarum, quibus non debet nota fraudis
37 impingi, tum quia redditur nedum inverisi-
milis, sed imperceptibilis in diversis per-
sonis pubblicæ fidei, & diversis tempori-
38 bus, tum quia alias magna fieret strages in-
39 strumentorum *Surd. cons. 173. n. 58. Rota dec.*
279. n. 44. p. 9. dec. 411. n. 13. p. 19. rec. & in Co-
men. Parochialis 16. Januarii 1690. §. imo
assistit cor. Em̃o Caprara. Et fortius, dum
40 actus prædicti fuerunt gesti sub oculis Ordi-
narii pro tempore, & ab ipso una cum Jure-
patronatu approbati in visitationibus, &
contradictorio Judicio, quoties desuper agi
contingit, semperque verum est, quod
41 Mesmerus tamquam destitutus ultimo sta-
tu claro, & limpido deficit in salutari,
& necessaria probatione, quod controversum
Beneficium sit liberum, prout ipse narravit
ex supra firmatis.

Et ita utraque &c.

TYBURTINA FABRICÆ.

Ven. 3. Decembris 1706.

ARGUMENTUM.

Seminarium impedire non potest, ne dominus altius suas ædes tollat, ex quo leviter ejus lumini officiunt, neque ex quo salubres ventus arceant: cum non omnes impediuntur, & reliqui propter distantiam vel a lateribus, vel per reunionem, vel per descensum afflare valent; neque ex quo muris impediatur aspectus, super quo *Zenonis* constitutio in *L. ultima Cod. de ædif. privator.* tamquam vim legis non habens confutatur; nec demum ex quo ex novi operis fenestris intra Seminarium datur aspectus. Præsertim cum cæteræ Domus, & aliquæ veteres fenestræ ædificii altius tollendi, illo potirentur. Pactum altius non tollendi non inducitur ex expressione, quam dominus fecit in supplicatione pro licentia Episcopo, credens sine illo ædificia, è regione Seminarii extolli non posse, cum hoc suppositum verum non sit, & minime in communi domo iniri potest ab altero fratre altero invito: nequaquam vero initum dicitur, cum ipse judex, qui tractatui adfuit, inhibitionem est moderatus.

SUMMARIUM.

1 *Rei judicatæ ex statuto Urbis locum habent gemina sententia justæ, & validæ.*

2 *Ædificium in suo solo, quolibet ad sydera potest elevare, etiamsi vicino damnum, vel præjudicium inferatur.*

3 *Præjudicium luminum Seminario ex elevatione ædificii illatum cum est levissimum, eam non impedit.*

4 *Luminibus non officitur cum ædificium decem, vel duodecim pedibus distat.*

5 *Ædificii elevationem non impedit unus ventus salubris, qui Seminario impediatur, cum alii salubres possunt ingredi.*

6 *Præsertim concurrente distantia, quia mediante afflatio haberi salsem potest, vel a lateribus, vel per reunionem, vel per descensum.*

7 *Ædificii elevationem non probibet, quod impediatur aspectus maris, quod vetisum fuit a constitutione Zenonis* L. ultima Cod. de ædific. privat.

8 *Zenonis constitutio in dicta* L. ultima Cod. de ædif. privat. *non reperitur in antiquis codicibus, sed in nova impressione fuis superaddita per Anton Contium.*

9 *Nec ullibi est usu recepta.*

10 *Seminaria regulantur cum privilegiis aliorum locorum piorum.*

11 *Limita in facultate impediendi elevationem ædificiorum propter fenestrarum prospectum intra illud, ad defferentiam monasteriorum, & quare?*

12 *Seminaria communem libertatem elevandi ædificia non tam de facili possunt probibere.*

13 *Ædificia intra Seminaria prospectum habere permittitur ex generali consuetudine.*

14 *Seminarium impedire non potest elevationem ædificii, ne intra se prospectus detur: quando aliæ domus illum habens, & præsertim aliquæ fenestræ domus altius tollendæ.*

15 *Pactum de altius non tollendo per scripturas, vel testes contestes est probandum.*

16 *Frater in alterius præjudicium fratris pactum inire non potest, communem domum altius non tollendi.*

17 *Contractus unius socii consocio præjudicium inferre non potest; nisi certa scientia concurrat, & expressa; non autem præsumpta.*

18 *Episcopi licentia non requiritur de jure; sed ex urbanitate, pro altius tollendo ædificio e regione Seminarii.*

19 *Limitatio elevationis ædificii facta in petitione licentiæ ab Episcopo altius tollendi illud e regione Seminarii, cum supponeretur eadem necessaria; non obligat.*

20 *Expressio de altius non tollendo, quam ad certam mensuram facta in licentia petita ab Episcopo, si nihil in recompensationem fuerit datum, est læsiva, nec obligat.*

21 *Pactum de altius non tollendo adfuisse cum Seminario excluditur; si Episcopus, qui in ejus prætensis tractatibus adfuisse dicitur, inhibitionem fuerit moderatus.*

DECISIO CCCCXLV.

Seminarium Clericorum Tyburis sub prætextu, quod per elevationem novi Ædificii à

fratribus de Angelis costruendi plura pati posset præjudicia, obtinuit contra illos monitorium cum inhibitione à Vicario Tyburtino; quod tamen ipsemet re, partibus auditis, discussâ moderatus fuit, & R. P. D. Lonius in gradu appellationis per sententiam dictam moderationem approbavit: causa vero posthmodum mihi commissâ ex rescripto Signaturæ cum clausula constito de duabus de eis proposito dubio constare responsum fuit.

Non enim dubitatum fuit, quin veræ geminæ, & quidem conformes prodierint sententiæ, quæ attenta illarum validitate, & justitia, habent vim trium vigore Statuti Urbis locum sibi vindicantis etiam in districtu *lib. primo Cap.* 160., *ibique Fenzon. num.* 3., *& Modern. Asculan. annot.* 55. *num.* 4. *tom.* 2. *Rota coram Coccin. decis.* 1951. *num.* 36., *& seq. & coram Duran. decis.* 365. *num.* 2., *& coram fa. me. Alexandro VIII. decis.* 129. *num.* 6., *& in rec. decis* 577. *num.* 9 *parte* 18.

2 Justitia autem cum validitas non controverteretur, satis superque resultat ex inconcussa dispositione Juris, qua unicuique facultas tribuitur in solo suo ædificium usque ad sydera elevandi, etiam si exindè vicinis damnum aliquod, vel præjudicium inferatur vulgata l. altius, *L. Si in ædibus C. de servit.*, *& aqua. Cepell. de servitut. cap.* 62. *per tot*, *Rocc. disput. Juris cap.* 175. *n.* 1. *& coram Emerix decis.* 377. *num.* 1., *& in Neapolitana altius tollendi* 12. *Martii* 1701. §. *cum etiam coram Emo de la Tremoille*, *& in Surrentina Fabricæ* 11. *Januarii* 1706. §. *siquidem coram Emo Caprara.*

Nec obstant ea, quæ per Seminarium opponebantur, videlicet, quod propter elevationem novæ fabricæ non solum præjudicatū remanebat quoad lumina, & quoad ingressum Ventorum salubrium, & aspectus Maris, sed etiam ex fenestris novi Ædificii Seminarium introspici possit. Etenim respectu luminis cessare visa fuit prætensa illius offuscatio, ex quo inter novum Ædificium, & Seminarium intercedit distantia 23. pedum: Ideoque illa interveniente curandum non est, si aliquo modo Seminarium præjudi-
3 cium quoad lumina patiatur, quia illud esset levissimum, quod in Jure non reputatur aptum pro adimenda libertate ædificandi;
4 ad quem effectum solam distantiam decem, vel duodecim pedum satis esse respondit *Rota coram Ubag. decis.* 92. *num.* 10., *& coram Celso decis.* 375. *num.* 4., *& in dicta Surrentina Fabricæ* 11. *Januarii* 1706. §. *Prò ut coram Emo Caprara.*

Respectu verò impedimenti ingressus Ventorum salubrium, animadversum fuit, quod illud non probatur; cum ex ipsa perita iam facta habeatur solum, quod remaneat
5 impeditus tantum ingressus Venti occidentalis: unde cum non excludatur, quin alii Venti salubres ingredi valeant, imò taliquid probetur ex accessu facto per R. P. D. Lonium Judicem præcedentis instantiæ, satis consultum fuit incolumitati Seminarii, ut ad rem probant *Capon. discept. forens.* 382. *num.* 41. *Rota coram Buratt. decis.* 631. *n.* 8. *& seq.*, *& in Neapolitana altius tollendi* 12. *Martii* 1700. §. *Nec obstat coram Emo Caprara, confirmata* 12. *Martii* 1701. §. *Nec
6 viget coram Emo de la Tremoille*. Concurrente præsertim prædicta congrua distantia, quæ efficit, ut nec etiam occidentalis Ventus talitèr impeditus remaneat; itaut ejus afflatio haberi saltem non possit, vel a lateribus, vel per reunionem, vel per descensum, ut ostendit *Rota in decis* 631. *num.* 8., *& seq. coram Buratt.*, *& in dicta Neapolitana altius tollendi* 12. *Martii* 1700. §. *Nec obstat circa medium coram Emo Caprara.*

7 Quod verò impediatur aspectus Maris; nullam meruit animadversionem; licet enim ad hunc effectum allegari posset contra actores Constitutio Zenonis in *L. penultima C. de ædificiis privatorum*; tamen præter responsiones latè adductas *per Cappon. discept. forens. cap.* 168. *n.* 9., *& per Rot. decis.* 375. *num.* 5., *& seq. coram Celso*, ubi ostenditur
8 eam non reperiri in Codicibus antiquis, sed potiùs fuisse suppradditam per Antonium Contium in nova Codicis impressione. Satis
9 fuit respondere, quod ea nullibi reperitur in usu, ut est notorium. Et proindè non attendenda, ut prosequitur *Rota coram Celso d. decis.* 375. *num.* 14., *& seq.*, *& in Tarentina Fabricæ impressa post Card. de Luc. de regular. disc.* 3. *num.* 13., *& seq.*

Pariterque non obstat, quod fenestræ novæ Fabricæ habeant perspectum intra ædes Seminarii. Nam quidquid fit in facto, dum prospectus non videtur tendere per lineam
10 rectam, sed potius obliquam; Attamen hoc unum certum est in jure, quod licet Seminaria regulentur ad instar aliorum locorum piorum, non tamen sunt adeò privile-
11 giata, ut libertatem adimant vicino Ædificium elevandi; cum in istis non concurrat specialis illa ratio non præbendi occasionem diversionum, quæ præsertim in Monaste-
12 riis valdè urget: Undè non est tam de facili procedendum ad communem libertatem impediendam, ut in præcisis terminis Seminarii, *Ursel. Conclus.* 62. *num.* 70. *Pacichell. de distant. cap.* 6. *membr.* 4. *num.* 26. *Gob. consult. decis.* 132. *num.* 60. *Card de Luca de servit. disc.* 18. *num.* 7. *vers. Tum ex eo Adden. ad Buratt. decis.* 631. *num.* 29., *& magistraliter Rota in Romana Tramontanæ* 7. *Junii* 1623. §. *Quia eadem ratio coram bo. me. Pirovano impress. penes Fenzon. ad Statut. Urbis lib.* 1. *cap.* 104. *in fine.*

Accedente præsertim non solum universali consuetudine, qua permittuntur com-
13 muniter Ædificia habentia prospectum intra septam Seminarii; verum etiam particulari observantia hujus Civitatis, cum hoc ipsum Seminarium ex aliis partibus habeat plures
14 Domos privatorum, a quibus prospectum patitur, & quod magis est ille habetur ex ali-

aliquibus antiquis fenestris Domus contro-
versæ, ut recognitum fuit in judiciali acces-
su, & ad rem notat *Card. de Luc. de servit.
disc. 22. num. 5. vers. Tum etiam quia.*

Sublatis itaque impedimentis erectis ex di-
spositione Juris, minus obstare potest asser-
tum pactum non elevandi, nisi ad certam
altitudinem, quod supponitur initum cum
15 Joanne Angelo. Quia ultra quod de huju-
smodi pacto non liquet ex antiqua scriptura,
& Testes de eo deponentes non sunt conte-
stes, prout omnino requireretur; tollitur
objectum, ex quo Domus elevanda posside-
16 tur pro indiviso etiam à Dominico fratre.
Proindeque in præjudicium istius d. Joannes
Angelus non poterat de non elevando Fa-
bricam convenire. *Alex. cons. 4. num. 3.
vers. tum quia Gratian discept. for. cap. 401.
num 4. Gulin. de procurat. parte 3. cap. 2.
num. 8., & seq.* Non relevante asserta com-
17 munione, & scientia Dominici, quia in
præjudicialibus socius non potest consocio
præjudicium inferre, nisi concurrat scientia
certa, & expressa non verò præsumpta; *Ad
Text. in l. Si C. de transact. Rota in Bono-
nien. Fideicommissi 1. Martii 1697. per tot.
cor. Rm̃o Decano confirmat. 23. Junii 1698.
paritèr per tot. coram Illustrissimo Coueben.*

Tantoque magis, quia melius rimatis dictis
testi. m, compertum fuit, quod in hoc negocio
processum fuit cum supposito, quod fabricari
18 non posset absque licentia Rm̃i Episcopi, &
propterea fuit ab eo petita licentia pro ele-
vatione limitata ad certam mansuram: ideò
cum talis licentia de jure non requiratur, &
ea potius ex causa urbanitatis, quàm ad ef-
19 fectum inducendi servitutem reportata fue-
rit; curandum non est de eo, quod cum ta-
li supposito conventum fuit; *Rota in Roma-
na immissionis 9. Maij 1705. §. Pronius cor.
R. P. D. Ansaldo, & in Romana Fidei-
commissi 28. Junii 1702. §. Præviderunt cor.
Rm̃o Decano.* Maxime quia si vigore præfa-
20 tæ licentiæ substineretur pactum altius non
elevandi, remanerent læsi Fratres de Ange-
lis, qui in recompensatione talis servitutis
nihil obtinuerunt, & hanc veritatem agno-
vit ipsemet Vicarius dicti Episcopi, qui in
dd. tractatibus interfuit, & nihilominus inhi-
bitionem moderatus fuit, & pro libertate
ædificandi pronunciavit; quod utique non
fecisset, si rem aliter ex pacto se habere
cognovisset.

Et ità utraque &c.

MONASTERIEN. CANONICATUS SUPER LITTERIS ERNESTI.

Lunæ 6. Decembris 1706.

ARGUMENTUM.

Dat Decisio 411. quæ hic confirmantur, & sunt in hac causa Decisiones ibidem adnotatæ.

SUMMARIUM.

1 *Beneficium de facto vacat per obitum idem de facto possidentis, & n. 16.*

2 *Gratia sub vera narrativa reportata est exequenda.*

3 *Attestatio facta a compermutante, qui non est in lite, non valet, tamquam confessio facta a collitigante: ex qua sola probatur verificatio non factæ publicationis a Gregoriana Constitutione requisitæ in permutationibus beneficiorum.*

4 *Probatio non factæ publicationis ab uno ex permutationibus, non verificat litteras sub ea expressione obtentas: cum ab altero fieri potuit.*

5 *Publicationis defectus in permutationibus beneficiorum, seu canonicatum non probatur, ex quo in dorso litterarum, & libris capitularibus non adnotetur: cum Gregoriana constitutio id non præcipiat, & per actum separatum a litteris fieri possit.*

6 *Neque illam concludunt fides eorum, qui sæpe ab Ecclesia absentes fuerunt, vel tempore adhuc habili pro publicatione obierunt.*

7 *Neque ex attestatione Notarii asserentis litteras sibi traditas fuisse, ut publicaret, neque dictam publicationem fecisse.*

8 *Defectus publicationis amplius opponi non potest a cessionario: cum contra cedentem per rem judicatam fuit rejectus; nisi obtenta restitutione in integrum.*

9 *Narrativa in consecutione novi benficii, quod illud, quod prius retinebat, non sit residentiale: cum tamen tale est: reddit titteras Apostolicas posteriores inexequibiles.*

10 *Residentiam non causativam, sed præcisam concludunt verba fundationis beneficii: quod Rector residentiam personalem habere debeat.*

11 *Et actus capitulares, & factum ipsius rectoris.*

12 *Beneficia libera præsumuntur.*

13 *Limita residentiam præcisam requirunt beneficia in Cathedralibus erecta, vel collegiatis.*

14 *Residentia causativa est, non præcisa, cum in inobedientem est statuta pæna ammissionis fructum.*

15 *Contrarium: quia pæna amissionis fructuum gradatim datur etiam in residentia præcisa, antequam ob non residentiam ad privationem beneficii deveniatur.*

17 *In litteris verificatis arbitrium pro retardatione non intrat.*

DECISIO CCCCXLVI.

Triplicem modum, quo Ernestus Balcke controversum canonicatum vacare asseruerat, vel per obitum Blume, vel per obitum Rissen, vel tanquam subreptitiè, & obreptitiè impetratum à Joanne Storp, verificari censuit Rota coram R. P. D. meo Ansaldo sub die 20. Novembris 1703. & ideo litteras Apostolicas à dicto Ernesto impetratas exequendas esse respondit. Verùm quia in subsequenti instantia coram Me DD. fuerunt in sensu, quod ad causæ resolutionem sufficeret, ut ex modis supra alternatìvè narra-
tis,

tis, verificaretur ille vacationis per obitum Blume, si non de jure ob non probatum defectum publicationis gratiæ per ipsum obtentæ, juxta tenorem notissimæ constitutionis Gregorianæ, saltem de facto, quia cum Blu-
1 me possedisset usque ad obitum, utique per istum de facto Beneficium vacasse dicendum sit, ut ex *dec. edita sub die 23. Aprilis præteriti*: cumque hodie de ejus viribus disputari contigerit, placuit DD. *in decisis persistere*.

Reassumentes enim ad hunc effectum seriem facti tam in decisione coram R. P. D. meo Ansaldo, quàm coram Me latius expositam, constitit, quod Joannes Storp obtinuit sibi à Sede Apostolica Canonicatum conferri cum supposito, quod vacasset non per obitum Blume, sed ex quo ille gratiam permutationis factæ cum Jodoco Fabritio non publicasset: quodque Vicaria S. Thomæ per ipsum retenta non requireret residentiam præcisam, nec esset incompatibilis, cum dicto Canonicatu. E converso autem Ernestus eumdem Canonicatum obtinuit cum expressione contraria, quod scilicet vacasset per obitum Blume: ex istis autem narrativis certè illa facta à Storp nullo modo verificatur, sed unicè subsistit alera per Ernestum emissa,
2 adeout proinde gratia ab illo reportata veniat exequenda, *juxta Text. in cap. si Capitulo de Conceff. præben. in 6. Rota cor. Bich. dec. 275. n. 2. dec. 286. n. 3. dec. 388. n. 1. & in rec. dec. 63. n. 1. dec. 205. & dec. 274. n. 2. p. 19.*

Et sane deficit verificatio non publicationis omnino requisitæ à dicta Constitutione san. me. Gregorii XIII.; quoniam si ponde-
3 retur attestatio novissimè facta à Jodoco altero ex compermutantibus, illa nullatenus suffragatur; tum quia cum ipse non sit in lite, nec in causa compareat, non potest considerari tamquam confessio collitigantis, quæ sola venit attendenda, ad tradita *per Lotter. de re benefic. lib. 3. quæst. 21. num. 15. Garz. de Benefic. par. 11. cap. 3. num. 316. Rota coram Gregor. dec. 210. num. 4. & coram Royas dec. 98. num. 4. & in dec. quæ revidetur §. penultimo in fine*.

Tum quia ad summum probaret, quod publicatio non fuerit facta per Jodocum, sed non inde inferendum est, quod non potuerit fieri per Blume, dum juxta
4 Gregorianam Constitutionem etiam compermutans, si velit, potest litterarum publicationem facere, ut bene respondit *Rota coram Gregor. dec. 210. sub num. 3., & decis. 288. num. 2.* & probat *Novarr. in sum. Bullar. par. 1. Comment. 31. tit. de benefic. resignat. publican. num. 38.*

Si vero ponderetur alia probatio desumpta ex defectu signi publicationis super dorso litterarum, quodque in libris capitularibus non reperiatur adnotatum, dictam publicationem unquam factam fuisse, irrelevantia
5 statim apparet, quoniam in eadem Constitutione Gregoriana, nullatenus præscribitur, quod publicatio adnotari debet in libris capitularibus, aut in dorso litterarum, quando notorium est, eam fieri posse præcisivè, & per actum separatum, & ab eisdem litteris, ut advertit *Rota cor. Buratt. dec. 594. nu. 7. & in rec. dec. 140. num. 11. par. 10.*

Sicut tandem nullius ponderis agnitæ fuerunt attestationes Vicariorum, aliorumque
6 Monasteriorum Ecclesiæ Divi Pauli veteris, cum aliqui ex eis fuerint sæpè sæpiùs absentes ab Ecclesia, alii vero jam obierint de tempore, quo fieri potuit publicatio. Et licet addita fuerit depositio Notarii asserentis litteras
7 fuisse sibi traditas per Jodocum ad effectum publicandi, dictamque publicationem non fecisse, tamen recurrit responsio mox adducta, quod non inde sequitur d. publicationem factam non fuisse à Blume.

Hæc omnia quæ tamquam æquivoca nihil concludunt ad effectum de quo agitur, tanto minus attendi debent in præsenti, ex quo per sententiam latam contra Storp, & in Judicatum transactam rejectus fuit assertus de-
8 fectus publicationis, ideoque sicut ea non posset amplius opponi à dicto Storp nisi obtenta restitutione in integrum, ita per eam Paulus Joseph Vuintegens illius cessionarius repellendus est à limine Judicii, cum sententia lata contra cedentem, & in Judicatum transacta afficere debeat etiam contra cessionarium, *Rota coram Priol. dec. 365. nu. 19. 20., & in Romana Emphytheusis 24. Januarii 1701. §. fin. coram Emo Caprara.*

Atnon solum ex præfato defectu visæ fuerunt inexequibiles litteræ Apostolicæ repor-
9 tatæ per Storp, sed etiam ex quo ille Summo Pontifici supposuit, Vicariam S. Thomæ quam ipse retinebat non esse residentialem, & tamen ex noviter animadversis, etiam recognita fuit insubsistentia hujusmodi narrativæ, dum in Instrumento fundationis expressè legitur, quod Rector residentiam
10 personalem habere debet in beneficio, quæ quidem verba non importare residentiam dumtaxat causativam, sed præcisam concludunt, *Larr. de anniversf. lib. 2. cap. 8. nu. 43. Azor. Institut. moral. lib. 10. cap. 24. verf. 7. quæritur. Rot. cor. Emerix dec. 1240. num. 4. & 5.*

Ulterius hoc ipsum comprobatur ex pluribus resolutionibus capitularibus, inter
11 quas emicat illa, quæ specificè emanavit contra ipsum Storp; In ea enim Capitulum declaravit Vicariam, ex tenore fundationis, requirere personalem residentiam. Et tandem accedit confessio, & subsequutum factum ipsius Storp, qui institit admitti ad residentiam, & juramentum de ea servanda præstitit, & nunquam fuit admissus, nisi postquam præstiit ad residentiam admitti.

Quibus non adversatur præsumptio, quæ allegatur in contrarium pro libertate Beneficii; illa enim non procedit, ubi agitur de
12 beneficiis creatis in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, ut hic, ad tradita
13 *per Fagnan. in cap. ut Abbates num 88., & 105. de ætat., & qualit.* Minusque obstat

animadversio, quod fuerit adjecta pœna
14 amissionis fructuum, ex qua infertur residentiam esse causativam, non autem præcisam. Quoniam ea est nimis vaga, & æquivoca, dum etiam quoad Beneficia præcisè
15 residentialia contra non residentes antequam procedatur ad privationem Beneficii, gradatim primo mulctantur in fructibus, ut disponitur *per Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. de reformat*. Unde cum privatio fructuum æque fiat tam in residentialibus præcise, quam in residentialibus causative, illa tanquam æquivoca non excludit qualitatem resultantem ex ipso tenore fundationis.

Sicut autem ex prædictis cessat justificatio litterarum Storp, ita e converso in necessariam consequentiam justificata remanet narrativa emissa in litteris Ernesti, quod scilicet, provisio favore Storp esset subreptitia, & quod Beneficium vacaverit per obitum Blume, nam subreptio ex huc usque fir-
16 matis plenè remanet comprobata, & vacatio modo expresso justificatur, ex quo Blume donec vixit, fuit in possessione Beneficii, itaut per ejus obitum verificetur id, quod fuit Summo Pontifici expressum, quod suffi-
17 cit, ne intret arbitrium pro retardatione illius gratiæ ad tradita *per Rot. coram Duran. dec. 98. num 1. & dec. 277. pariter nu. 1. & in rec. dec. 141. num. 2 par. 19.*

Et ita utraque &c.

MONASTERIEN. CANONICATUS SUPER REMISSORIA.

Lunæ 6 Decembris 1706.

ARGUMENTUM.

Non indiget, quia colliges à summario: sunt in causa, de qua hic agitur decis. 411., & ibidem citatæ.

SUMMARIUM.

1 *Remissoria petita post plures contrarias sententias, est de calumnia suspecta.*
2 *In Beneficialibus nunquam concedi solet, nisi facta obligatione de stando unicæ.*
3 *Et semper negatur: cum plures præcesserint contrariæ sententiæ.*
4 *Contra petentis confessionem, vel ab eo causam habentem, ut aliquid probetur non conceditur.*
5 *Et cum non est profutura pro victoria causæ.*

DECISIO CCCCXXXXVII.

AD probandam negativam, quod Jodocus Fabritius, & Joannes Blume litteras permutationis controversi Canonicatus non publicaverint, prout Joannes Storp in suis litteris exposuerat; Paulus Joseph Vuintgens illius Cessionarius exhibitis nonnullis attestationibus loco Articulorum institit sibi concedi remissoriam, quam tamen Domini denegandam esse censuerunt.

Fundamentum resolutionis stetit in eo, quod remissoria, modo non solum petitur post plures sententias alteram de partibus, alteram verò nostri Tribunalis, quibus post lon-
1 gum litigium Paulus Joseph succubuit; quo casu semper solet esse de calumnia suspecta; ad tradita *per Rot. dec. 338. num. 4. dec. 822. n. 2. coram Coccin. decis. 491. num. 2. part. 2. rec., & in Colonien. Testamenti super remissoria 22. Junii 1705. coram R. P. D. meo Caffarello*: quando è converso regula est, quod in Beneficialibus ea nunquam concedi
2 soleat, nisi facta obligatione de stando uni-
3 cæ, itaut si plures præcedant sententiæ favorabiles, Actori semper remissoria denegetur, ad tradita *per Rot. coram Seraph. decis. 1308 num. primo, & in rec. decis. 225. num. primo parte 5., & in Cæsenaten. Dotis super remissoria 30. Junii 1697. in principio coram Emo Tremoille.*

Verum etiam ex eo, quod petitur ad effectum probandi prætensam non publicationem dictæ permutationis, cum tamen contrarium evincatur ex facto ipsius Storp, qui collationem ab Ordinario reportavit, fatendo Canonicatum vacasse per obitum Blumæ: quamobrem contra illius confessio-
4 nem concedi nequit Remissoria Paulo Josepho ab eo causam habenti. *Angel. de confess. lib. primo qu. 7. effect. 10. num. 1. Rota cor. Duran decis. 214. num. 3. coram Emerix decis. 80. num. 2., & in rec. decis. 54. n. 8. parte 7.*

Fortius, quia esto millies, quod probatio facienda intentum concluderet, adhuc quia DD. censuerunt litteras Storp exequendas non esse, tàm ex defectu dictæ publicationis, quàm ex quo ulterius per ipsum suppositum fuit, Vicariam S. Thomæ à se retentam, non esse residentialem, & ideo non incompatibilem cum controverso Canonicatu; quando ex fundatione dictæ Vicariæ, aliisque documentis constitit de necessitate residentiæ precisæ, ut fuit firmatum in dec. hac eadem die edita: id circo sicut Paulo Josepho resistit hoc alterum fundamentum,
5 cui innititur dicta decisio, & probatio facienda, non esset apta ad obtinendam exequutionem litterarum Storp; ita tanquam non profutura ad victoriam causæ remissoria omninò est deneganda, *per Text. in L. ad probationem C. de probat. Rota coram Priolo decis. 194. num. 1., & in dicta Colonien. Parochialis in principio cor. Emo Tremoille.*

Et ita utraque &c.

MONASTERIEN. CANONICATUS SUPER LITTERIS STORP.

Veneris 10. Decembris 1706.

ARGUMENTUM

Habes in superioribus decis. 411., & 446. cum cum aliis in eis notatis, quæ hic confirmantur.

SUMMARIUM.

1 *Beneficium sicut duobus conferri non potest: posita inclusione unius alterius exclusio, & non*

& non executio litterarum sequitur.

2 *Defectus publicationis, ex quo beneficium tanquam vacans fuit obtentum, excluditur a confessione impetrantis; quod per ejusdem mortem, qui publicationem non fecisse dicitur, vacasse asserverat.*

3 *Vacatio per mortem directè repugnat vacationi ob non factam publicationem.*

4 *Gratia obtenta sub falsa narrativa, quod aliud Beneficium, quod prius retinebatur non sit residentiale, est obreptitia, & ideò inexequibilis.*

5 *Litteræ impetrationis obtentæ tempore, quo possessor Beneficii in extremis laborabat propter vehementem suspicionem calumniæ impetranti non prosunt.*

6 *Appositio manus Papæ facit affectionem; remissivè.*

7 *Litteræ subrogationis gratiosæ subrogato non prosunt: cum ille, cui subrogatur, nullum Jus habeat.*

8 *Beneficii possessionem ante expeditionem litterarum propria authoritate, & sine facto executoris apprehendens, fit inhabilis ad illud consequendum.*

DECISIO CCCCXLVIII.

CUM in præterita audientia diei 6. currentis Sacra Rota persistendo in decisis coram me. sub die 23. Aprilis proximè præteriti, responderit non esse locum retardationi litterarum Ernesti Balche; Exinde proposito hodie altero dubio super litteris Storp, DD. in necessariam consequentiam sequentes resolutionem negativam alias captam contra d. Storp, cor. me. sub eadem die 23. Aprilis prædicti, *in decisis standum esse*

1 censuerunt, eo innixi fundamento, quod sicut controversus Canonicatus duobus conferri non potest; ita posita inclusione Ernesti, ex ea per necesse promanat alterius exclusio, quodque litteræ Storp non sint exequendæ, *ad Text. in L. cum Prætor ff. de Judic. Rota cor. Bich. dec. 341. num. 11.*

Et sane si loquimur de litteris Apostolicis, quas Storp. primo loco impetraverat, istæ multiplici vitio laborant; Altero quia fuit suppositum, quod controversus Canonicatus vacaret ob non factam publicationem litterarum permutationis: Cumque talis de-

2 fectus usqueadhuc justificatus non fuerit; quinimò exclusus remaneat ex confessione ipsiusmet impetrantis, qui occasione collationis, quam reportavit ab Ordinario fassus fuit Canonicatum vacasse per obitum

3 Blume, quod de directo repugnat vacationi ob non factam ptblicationem ex firmatis *in decis. quæ sub altero dubio super remissoria prodiit cor. me. die 6. currentis §. verum;* idcirco tanquam non justificatæ nullam merentur executionem, *Rota in Colonien. Beneficii 27. Junii 1696. §. 1. coràm Rmo Conchen. in Vrgellen. Canonicatus 4. Maii 1703. §. Quoniam coram R.P.D. meo Kounitz, & in altera Vrgellen. Beneficii 11. Junii 1703. §. Conclusum coram Rmo D. meo Decano.* Altero, quia in eis fuit expressum, quod Vicaria S. Thomæ, quam ipse retine-

4 bat, non esset residentialis, nec incompatibilis cum controverso Canonicatu, quæ cum vera non sint ex firmatis pariter *in altera mea decis. super dubio litterarum Ernesti edita d. die 6. currentis;* gratia redditur subreptitia, & obreptitia, & ideo inexequibilis. *Felin. in cap. Ad aures num. 4. de rescript. Rota coram S. mem. Alex. VIII. decis. 153. num. 7., & in rec. dec. 295. num. 1. parte 6.* Altero tandem, quia impetratæ fuerunt de tempore, quo Joannes Blume ul-

5 timus Possessor in extremis laborabat, in quibus terminis tanquam expiscatæ sub ipso tempore imminentis vacationis, & propter vehementem suspicionem calumniæ, impetranti suffragari non valeant, ut alias favore ejusdem Storp responsum fuit *coram. me. in Monasterien. Decanatus 18. Junii præteriti §. Firmata.*

Si vero sermo est de litteris subrogationis gratiosæ in Juribus Bernardi Rissen., & illæ quoque visæ fuerunt inexequibiles; tum quia d. Rissen. nullum Jus competebat super

6 hujusmodi Canonicatu tanquam affecto mediante appositione manus Papæ, qui ejusdem permutationem, & resignationem admiserat, ut fuit firmatum *in mea decis, quæ super litteris Ernesti prodiit die 23. Aprilis proximè præteriti §. Neque pariter;* Unde nullum Jus transfundi potuit in Storp subro-

7 gatum ex natura subrogationis. *Rot. cor. Coccin. de. 109. n. 8. & de. 1445 n. 1., & de. 2251. n. 30. & in Romana multip. 11. Februarii 1687. §. Ac proindè coram Rmo D. meo Decano.* Tum quia ipse in vim Constitutionis 34. Sa. me. Julii III. tanquam intrusus in controverso

8 Canonicatu, cujus possessionem ante expeditionem litterarum authoritate propria, & sine facto executoris apprehenderat, inhabilis effectus fuerat ad illum assequendum, ut pariter firmatur *in decis. edita 23. Aprilis proximè præteriti super litteris Storp §. finali.*

Et ita, Ernesto solum informante, altera vero parte dilationem petente, resolutum fuit.

ROMANA SEU FIRMANA IMMISSIONIS.

Vener. 10. Decembris 1706.

ARGUMENTUM.

Res fideicommissaria a gravato in solutum data pro dotis restitutione, eo defuncto, potest a fideicommissariis repeti: & tunc revivi- scunt jura dotis, ex quibus datur retentio aliorum bonorum dicti gravati. Melioramenta quæ nec valorem, nec rei fructum augent reficienda non sunt: & turbida immissionem non impediunt, sed reservantur. Fructus fideicommissariis ab occupante fideicommissi bona, & purificationem sciente, ab hujus die defi-

defici debent: non obstante contrario pacto cum hærede gravato initio. Nec compensantur cum credito non claro.

Confirmatur infra dec. 504.

SUMMARIUM.

1 *Vocatis immissio pro sua rata ad bona fideicommissaria denegari non valet.*

2 *Fides simplices, pendente lite expiscatæ non attendunt.*

3 *Retentio fieri potest pro credito dotis maternæ.*

4 *Datio in solutum facta de bonis fideicommissariis valet durante vita dantis: postquam vocati ad fideicommissum possunt ex se ipsis evincere, & pro credito dotis alia bona retinere; quia creditum reviviscit.*

5 *Aditionem hæreditatis paternæ non concludit retentio ejusdem bonorum referibilis ad credita dotis maternæ.*

6 *Immissio non retardatur, ab exceptionibus turbidis: sed istæ ad suum congruum, & separatum judicium remittuntur, &* n.10.

7 *Melioramenta. & expensæ non sunt reficiendæ, quæ nullam utilitatem, vel redditus augumentum attulerunt.*

8 *Melioramentorum refectio, pro qua jura precedenter in sententiis sunt reservata; retardare non potest immissionem decretam.*

9 *Reservatio jurium utrique parti consulit.*

11 *Mala fides oritur ex scientia fideicommissi.*

12 *Possidens fideicommissum mala fide tenetur favore minorum, & pupillorum ad fructuum restitutionem a die ejus purificationis* ex theorica Bartol.

13 *Conventio possessionis bonorum fideicommissariorum inter primos cohæredes inita, altero mortuo expirat, nec alios afficit, nec bonam fidem superstiti tribuit pro perceptione fructuum in bonis minoribus vocatis tangentibus.*

14 *Scientia superstitis hujus expirationis ex multis ejus actibus convincitur, & qualibus? & tunc fructus a die purificationis fideicommissi omnino debentur.*

15 *Compensatio non competit pro debito, cum fructibus, qui a possidente proprio jure percipiebantur, & pro alimentis, non nisi ex simplicibus fidibus probatis.*

16 *Nec resolutionem dubii in genere retardat; sed potest compensationem prætendere, & meliùs sua credita subsequenter liquidare.*

DECISIO CCCCXLIX.

Dominicus de Imperatoribus Hæredem instituit Octavium Seraphinum nepotem cum onere Primogenituræ favore lineæ masculinæ, & in ejus defectum lineæ fæmininæ: decessit Octavius, & deinde illius filii sine prole masculina: unde factus fuit locus successioni favore Mariæ dicti Octavii filiæ, quę superstites reliquit Dominicum, & Josephum Octavium Brunettos; unde Dominicus possessionem cæpit omnium bonorum dicto fideicommisso subjectorum, & signanter unius horti in Urbe, ac deinde cessionem jurium super dictis bonis fideicomissariis à Josepho Octavio fratre reportavit, cui è converso persolvere promisit scut. 28. annua: & ulterius consensit, ut ille pro indiviso secum possideret nonnulla bona in partibus existentia, ac eorum usufructu gauderet. Cum autem eo defuncto recusaverit idem Dominicus dicta scut. 28. persolvere Cajetano, & Annæ Catharinæ illius filiis, non obstante, quod ad præfatum fideicomissum vocati reperirentur, hinc isti instructo Judicio non solum reportarunt per geminas sententias immissionem ad duas ex sex partibus bonorum fideicomissariorum consistentium in dicto solo horto, sed obtinuerunt etiam condemnari Dominicum ad restituendum fructus usque a die obitus Josephi Octavii perceptos, commissaque mihi in tertia instantia appellationis causa proposui dubium -- *An, & quomodo sit danda immissio, & fructus, à quò die sit restituendi* -- & DD. *dandam esse immissionem pro duabus ex sex partibus: & fructus deberi à die obitus Josephi*, responderunt.

Existentia namque fideicommissi, ejusque purificatio, ac bonorum identitas non controvertebantur; Ideoq, cum Joseph Octavius tres reliquerit filios, Cajetanum nempe, & Annam Catherinam actores, ac Annam Mariam quæ tamen non illis, sed Dominico adhæret, hinc est, quod deductis tribus partibus bonorum fideicommissariorum, eidem Dominico debitis, uti æqualiter vocato cum dicto Joseph Octavio, ac altera ex residualibus tribus spectante ad Annam Mariam, retardari nequit immissio ad alias duas remanen-
1 tes tamquam spectantes ad Cajetanum, & Annam Catharinam ad dictum fideicommissum vocatos, *ex Text. in l. fin. Cod. de Edict. divi Adriani tollen. Gabriell. consf.*44. *n.*1., *& seq. lib.*2. *Rota cor. Buratt. dec.*378. *n.*1., *& dec.*693. *num.*2., *& in rec. dec.*80. *nu.*10. *par.*15.

Nec meruerunt attendi exceptiones quæ pro retentione opponebantur, & signanter, quod præfati Cajetanus, & Anna Catharina actores possideant prædium S. Luciæ positum in Territorio Firmano, quod Dominicus reus conventus asserit in totum ad se spectare. Etenim ultra quod actores illud pro indiviso retinent cum Anna Maria altera actorum sorore, quæ Dominico adhæret, ut mox dictum fuit, nec assumptum probatur à Dominico, nisi ex simplicibus fidibus pendente lite expiscatis, quæ regulariter fi-
2 dem non faciunt, *Rota coram Buratt. dec.*2. *num.*14., *& cor. Bich. dec.*567. *num.*18., *& cor. Emerix dec.*149. *num.*3.

Cessat difficultas, quia potest rata ipsius prædii spectans ad Dominicum retineri ab actoribus pro creditis dotalibus communis matris. Non attenta responsione, quod Joseph Octavius ipsorum auctor fuerit de præfato credito satisfactus mediante datione in solu-

solutum aliorum bonorum. Quoniam cum ista essent fideicommisso subjecta, valuit quidem datio in solutum sustineri quoad vixit
4 idem Joseph hæres, sed eo defuncto actores tanquam ad fideicommissum vocati illa proprio jure vindicare possunt, & sic evincendo à se ipsis bona data in solutum à Josepho Octavio, competit eis retentio prædii S. Luciæ, quamvis alias spectaret pro rata ad Dominicum, quia reviviscit creditum. Non attenta replicatione, quod actores sint hæredes dicti Josephi Octavii patris, quia de hac qualitate hæreditaria non constat, nisi ex possessione bonorum, quæ cum sit referi-
5 bilis ad creditum dotis maternæ, adisionem non concludit, *Rota coram Priolo dec.*418. *n.*8. *& in rec. dec.*63 *n.*15. *par.*11. *& dec.*273. *num.*5. *par.*17.

Addito etiam, quod non modica pars ejusdem prædii data fuit in dotem dictæ Annæ Catherinæ actrici, non solum annuente, sed ita expresse mandante Dominico, ut colligitur ex ejus epistola data *in Summario num.*9. Quamobrem cum ex omnibus suprà enunciatis, jura Dominici super dicto prædio vel excludantur, vel remaneant valdè turbida, & intricata admitti utique nequeunt ad retardandam petitam immissio-
6 nem, illamque Dominicus in omnem casum experiri poterit in suo congruo, & separato Judicio, *Ridolphin. in prax. par.*1. *cap.*8. *nu.*93. *&* 170. *Rota coram Emerix dec.*951. *num.*2. *& num.*7., *& in rec. dec.*411. *num.*4. *par.*16. *& dec.*613. *nu.*1. *par.*18., *& dec.*220. *num* 9. *par.*19.

Quatenus vero retentio deducebatur ex capite melioramentorum per Dominicum, ut asseritur in horto factorum, tam mediante constructione Tinelli, quam ob plantationem vitium, & Arborum fructiferarum, ultra responsiones speciales adductas per scribentes, in universum placuis duplex animadversio, altera, quod non idao fuis auctus valor horti, dum continuavit ejus affi-
7 ctus cum eadem pensione, quæ conventa fuerat ante dicta melioramenta. Unde cum nullam secum tulerint utilitatem nec ex eis fuerint redditus aucti, melioramenta non debentur, nec expensæ pro eo factæ veniunt reficiendæ, *Rot. cor. Ubaldo dec.*254. *num.*8. *& coram Arguell. dec.*26. *num.*63., *& in rec. dec* 203. *num.*17. *&* 22. *par.*12., *& dec.*191. *num.*25. *par.*15. Altera, & fortior, quia in duabus præcedentibus sententiis fuerunt præservata Dominico jura super probatione eorumdem melioramentorum. Quam-
8 obrem, si in decursu causæ poterit Dominicus justificare aliquid pro illis impendisse, aut aliqua meliorasse, licitum illi erit jura
9 sua deducere, cum ita utrique parti satis consultum sit, absque eo quod ope hujusmodi exceptionis ex supradictis admodum tur-
10 bidæ, immissio retardari debeat. *Rota post Posth. de manut. dec.*24. *num.*14., *& coram Coccin. dec* 940. *num* 7., *& in rec. dec.*545. *nu.*5., *&* 6. *par.*18. *& dec.*406. *nu.*12. *&* 13. *par.*19.

Et hæc quoad immissionem: quo vero ad restitutionem fructuum, illam esse faciendam per Dominicum à die obitus Josephi Octavii, responderunt DD. eo fundamento, quod cum non dubitetur de scientia Do-
11 minici circa purificationem Fideicommissi favore Actorum, intrat illius mala fides, quæ obligat Possessorem ad restituendum
12 fructus à die purificati Fideicommissi favore minorum, & Pupillorum, quales de tempore obitus Josephi Octavii erant Actores *juxta theoricam Bartol. in l. in fideicommissariam ff. ad Trebell.*, *Mantic. de coniect. lib.* 3. *tit.* 10 *num.* 16., *Fusar. de substitut. qu.* 626. *n.* 57., *de Luc. de fideicom. discurs.* 186. *n.*6. *Surd. decis.*25. *n.*13., *& sequ.*

Nec juvat excusatio ducta à conventione possidendi bona fideicommissaria Urbis cum pacto correspectivo, quod d. Joseph Octa-
13 vius gauderet bonis positis in Territorio Firmano. Quoniam conventio prædicta, cum morte Josephi Octavii expiravit, nec ulteriores vocatos jure proprio afficere potest, *Garz. de benef. parte* 5. *cap.* 9. *n.* 69. *Rota coram Pen. decis.* 448. *num.* 7., *& coram Priolo decis.* 46. *num.* 22. Et hanc veritatem agnovit, ac facto proprio in pluribus com-
14 probavit ipse Dominicus; & primo quia post obitum Josephi Octavii statim cessavit à solutione scut. 28., quam facere tenebatur in vim dictæ conventionis: Secundo, quia hoc ipsum allegavit ad alium effectum coram A.C., & sententiam favorabilem cum supposito, quod dicta conventio expirasset reportavit, ut latè per Actores demonstratum fuit, *in summ. responsionis num.* 4. : Et tertio, quia Dominicus curavit extorquere à Cajetano Actore declarationem, quod ipse non fuisset petiturus fructus à die obitus Patris: Ex quibus singulis, & multo fortiùs simul injunctis satis exindè apertum remanet, quod fructus à dicto tempore omninò debeantur.

Tandem frustrà opponitur compensatio cum fructibus per Actores perceptis ex d. Prædio S. Luciæ, & cum alimentis, quæ spatio 18. Mensium dicuntur per Dominicum Cajetano in Urbe prestita. Fructus enim
15 ex d. Prædio percepti effecti fuerunt proprii Actorum ex Juribus dotalibus Matris, pro quibus ratam prædii retinent: Alimenta vero non justificantur præstita, præterquam ex simplicibus fidibus; Unde sequitur, quod compensatio locum habere non possit, *Surd. dec.* 24. *n.* 5. *Rota in recent. dec.* 215. *parte* 12., *& decis.* 179. *n.* 8. *parte* 13., *& dec.* 245. *num.* 10. *parte* 18. Addito præter-
16 ea, quod hodie quæstio vertitur dumtaxat super eo, an, & à quo tempore fructus debeantur; ideò poterit Dominicus in successiva illorum liquidatione melioribus probationibus suas prætensiones coadiuvare; absque eo quod valeat resolutionem dubii in genere retardare.

Et ità utraque &c.

CAVALLICEN. AQUARUM.

Lunæ 10. Januarii 1707.

ARGUMENTUM.
Accipies a Summario.
SUMMARIUM.

1 *Pertinentia aquæ exiens a molendino ex quibus concessa probetur.*
2 *Longæva observantia quid in contractu concessum fuerit declarat.*
3 *Contra factum proprium venire quis non potest.*
4 *Nec ab eo causam habens ex auctoris juribus.*
5 *Concessio aquarum generalibus, & amplissimis verbis concepta non patitur restrictionem ad aliquas tantum. Declara operari tantum intra limites concessionis; non ultra diffundi* n. 7.
6 *Jus alicujus ex præservativis illæsum remanet. Declara præservativa operari ea, ad quæ respiciunt* n. 8.

DECISIO CCCCL.

AD provocationem Ceciliæ Dupont allorumque Particularium Civitatis Cavallicen. commissa Mihi causa appellationis interpositi à sententia Rotali lata per R.P.D. meum Caffarellum, qua declaratum fuit non licere Communitati, & Particularibus derivare aquas inferiores, & exeuntes à Molendino Episcopi, tanquam jure dominii spectantes ad Baronem loci Aupedæ, ut latius continetur *in dec. cor. Illo edita sub die 25. Junii 1706.* cum hodiè quæsitum fuerit à me -- *An sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda* -- DD. *pro confirmatione* respondendum esse censuerunt.

Cum enim circa validitatem nulla adesset occasio dubitandi: quoad justitiam, ea resultare visa fuit ex duplici solidissimo fundamento; Altero, quod concessio, quam ad sui favorem reportavit Communitas Cavallicen. non loquitur de aquis inferioribus Molendino, sed dumtaxat restricta fuit ad illas à Flumine Durentiæ profluentes ad Molendinum Episcopi, & eidem superiores prout evincitur non solùm ex lectera ipsius concessionis, ibi: *usque ad Molendinum*, & correspectivo onere per Communitatem assumpto subeundi expensas pro conservatione canalis traducentis aquas cum eadem limitatione *usque ad Molendinum, secus vero subtus.* Verum etiam ex ipsis concessionibus factis ab eisdem Episcopis favore Authorum dicti Baronis, in quibus data legitur -- *tutta l'acqua, che esce dalli Molini &c. all'uscita da detti Molini spettarà in perpetuo &c.* ex quibus probari pertinentiam totius aquæ ex-
1 euntis à Molendino, tradunt *Peregr. de fideic. art. 44. nu. 4. Rota dec. 360. nu. 6. par. 5. dec. 299. num. 12. par. 11., & dec. 310. nu. 4. par. 13. rec.*, & firmat *decisio edita in præcedenti instantia coram R. P. D. meo Casarello.*

Et si prædictis addatur observantia centenaria, major ad oculum demonstratur bonum jus Baronis, & quod communitas ex investitura, quam ad sui favorem reportaverat nullum jus unquam habuerat super aquis exeuntibus è molendino Episcopi; quodque particulares Cavallicen., & signantèr Authores eorum, qui præsentem litem sustinent, non potuerunt uti aquis inferioribus, nisi mediantè pretio Baroni persolut., qui ulterius prohibuit derivationem aquarum illis, qui nonnullis vicibus sine ipsius licentia, & permissione eas divertere tentarunt, Judicisque auctoritate coegit ad desistendum ab opere incepto, cum expressa renunciatione liti. Quæ
2 sanè longæva observantia summopere conferens ad interpretationem prænarrati contractus, ponit in claris compræhensas in eo non fuisse aquas molendino inferiores, *Rota in Augustana Juris patronatus 17. Februarii 1698. §. Eoque facilius, & in Romana caducitatis 23. Januarii 1702. §. Nec visum coram Rmo Conchen confirmat. 3. Julii 1702. §. Et indubitantius coram Rmo D. meo Decano.*

Altero, quod dum Comunitas in duplici, & solemni transactionis Instrumento inito cum Authoribus Baronis super modo ducendi aquas exeuntes è molendino ad ejus tenutam Roseti, & quæ per nonnulla Prædia particularium pertransire debebant convenit, ut ei id liberè liceret ibi -- *E che non gli sarà dato alcun disturbo, o impedimento nel condurra, o farla condurre a proprie spese* -- sola conditione adiecta solvendi Patronis Agrorum pretium transitus d. aquæ: Idcircò ex hisce declarationibus resultat, quod dominium aquarum infra molendinum spectat privativè ad Baronem, nec potest super eis molestari à Communitate, quæ solum præservavit jura particularium pro solutione valoris bonorum. Sicut autem isto
3 casu Communitati contra proprium factum venire non liceret, ità multo minùs Ceciliæ,
4 aliisque particularibus ex illius jure venientibus permissum est vulgata *l. cum à Matre Cod. de rei vindicat. l. vindicantem ff. de evict., & Rota in rec. dec. 5. num. 13. par. 6.*

Nec adversus hæc omnia obstare valuerunt ea, quæ in præcedenti instantia opponebantur à Cæcilia, & litis consortibus: nempè
5 quod aquarum concessio, quam reportavit Communitas à principio, utpote generalibus, & amplissimis verbis concepta, nullam pati possit restrictionem ad eas aquas, quæ profluunt usque ad Molendinum, sed debeat extendi etiamad illas, quæ ab eodem exeunt:
6 quodque tanquam pluribus præservativis munita eis mediantibus illæsum remanserit jus particularium utendi aquis inferioribus. Etenim quæcumque generalitas verborum
7 operari tantum potest intrà fines concessionis, quæ restringitur ad aquas supra Molendinum, & præservativæ emissæ in transactio-
8 nibus respiciunt dumtaxat valorem bonorum, ut firmatur in recensita *dec. R. P. D. mei Casarelli §. Ille siquidem, & §. Nec ex quo*

quo; ubi omnia fuerunt ad saturitatem rejecta, & confutata, adeout superfluum existimantes DD. in illis ultra immorari, ad eam remissivè se habuerunt.

Et ita Barone tantum informante, Cecilia verò, aliisque particularibus dilationem petentibus resolutum fuit &c.

CAVALLICEN. AQUARUM SUPER REMISSORIA.

Lunæ 10. Januarii 1707.

ARGUMENTUM

Remissoria secunda, cum vigore primæ testes fuerunt examinati, nec aliquid neglectum fuisse fumus perhibitur, deneganda est. Aqua aliquibus concessa, ex quo currit in Territorio, super quo iste jus non habet; non ideo à particularibus, sine pretio eidem solvendo, potest diverti; cum ducitur per opus ejus expensis constructum, & expurgatum.

SUMMARIUM.

1 *Remissoria denegatur uti calumniosè petita, cum antea fuerit concessa, & Testes examinati, & peritiæ ejus vigore factæ sunt.*
2 *Præsertim dum fumus non datur; quod aliæ supervenire post primam remissoriam potuerint probationes, quæ vel tunc neglectæ, vel non agnitæ sunt.*
3 *Articuli irrelevantes sunt reiciendi.*
4 *Articuli non admittuntur, quibus contrariantur publica instrumenta. Publica instrumenta Testibus prævalent.*
5 *Actus æquivocus, cui publica instrumenta contrariantur, juxta illa est interpretandus.*
6 *Prætensio contra instrumenta, plantam iudicialem, & judicata nihil penitùs valet.*
7 *Dominium aquarum non ad eum spectat, qui foveas, in quas istæ defluunt reficit, cum alter habet desuper clara instrumenta, & cur?*
8 *Super Aqua nullum jus habere dicitur, qui nullum habet in Territorio, in quo defluit.*
9 *Et defluens in Territorio; super quo quis jus non habet à Possidentibus licitè diverti potest, etiam in præjudicium illius fundi inferioris.*
10 *Declara procedere cum aqua naturaliter currit; non verò cum ducitur per opus manufactum ab aliquo, qui legittimam concessionem habet, & suis impensis expurgat.*

DECISIO CCCCLI.

Agnita validitate, & Justitia sententiæ Rotalis R.P.D. mei Caffarelli, Cecilia Dupone, aliique Particulares Civitatis Cavallicen. de ipsorum juribus diffidentes ad parandam sibi validiorem defensionem occasione contemporaneæ disputationis dubii hodie propositi super negotio principali, curarunt alterum examinari -- *An sit concedenda remissoria* - quam DD. ex duplici fundamento *denegandam esse* censuerunt.

Primum stetit in eo, quod dum iidem Particulares iam alias ab initio præsentis causæ obtinuerunt remissoriam, cujus vigore in partibus fuerunt examinati quamplures Testes in faciem loci, & periti electi plantam judicialem confecerunt cum descriptione loci, ejusque status, licut exinde censetur, quod expletæ fuerint omnes probationes, quæ magis ad eorum intentum conferre pos-
1 sunt; ita intrat præsumptio, quod hodie remissoria calumniosè petatur ad defatigandam partem, causæq. terminationem protrahendam, dum nec datur fumus, quod potue-
2 rint supervenire probationes neglectæ, vel non agnitæ, quo casu regulariter ea denegari solet, ex firmatis *per Rotam coram Buratt. dec. 453. n. 1. cor. Bichio dec. 335. n. 16 in rec. dec. 88. n. 16. p. 10. & in Carpentoracten. Juris donationis super remissoria 15. Martii 1706. §. Secundo quia cor. Rmo Conchen.*

Alterum verò, quod articuli modo exhibiti non solum sunt irrelevantes, verum etiam tendunt ad probandum id, cujus contrarium resultat ex publicis instrumentis concessionum, & transactionum, quæ securi in concursu prævalere debent, ita operantur, quod
3 articuli sint reiciendi, ut de articulis irrelevantibus *Card. de Luc. de Judicibus disc. 31. num. 21., Rota in Capuana Beneficii super remissoria 22. Junii 1699. §. finali coram Rmo Conchen., & in Corduben. Pecuniaria super remissoria prima Julii 1699. §. Eademque coram Rmo D. meo Decano*, & de illis
4 habentibus contra se instantiam, *Rota in Colonien. Parrochialis 12. Decembris 1698. §. denegandam coram Emo Tremoille, & in Carpentoracten. fideicommissi super remissoria prima Julii 1699 §. Septimus cor. eodem.*

Et sanè singulos percurrendo, in primo articulatur, quod Communitas, & Particulares Cavallicen. propriis sumptibus reficiunt in alveo Fluminis Durentiæ aggeres pro ducendis aquis tàm ad Molendinum Episcopi, quàm ad opus irrigationis agrorum ipsorum Particularium. Sed statim illius irrelevantia apparuit; quoniam dum in concessione per Episcopum facta eidem Communitati, & in sententia arbitramentali expresè cavetur. Homines communitatis dumtaxat teneri ad reparationem canalis usquè ad molendinum, & illæ excludant acquisitionem, & dominium Aquarum infra molendinum, dicta asserta refectio aggerum, & Canalis referenda erit ad partem superiorem Molendini; super qua nulla cadit controversia: omnia ita intelligendo juxtà litteram dictorum documentorum, & sic restrictivè ad partem Molendino superiorem, ut firmatur in *decis., quæ prodiit hodie cor. me. super negotio principali §. cum enim.*

Irrelevans pariter convincitur secundus,

qui tendit ad probandum, quod Homines Cavallicenses solent irrigare agros tam superiores, quàm molendino inferiores: nam quatenus talis irrigatio intelligenda foret de aquis inferioribus, hæc nullatenùs con-
5 cludere potest pertinentiam aquarum in concursu tot, tantorumque instrumentorum, quæ illi resistunt, tanquam secum ferentes concessiones præcisas eidem Baroni factas ab Episcopis, nec non etiam venditiones aquarum inferiorum, quæ per Baronem expietæ fuerunt nonnullis hominibus, mediante solutione pretii.

Minusque juvare potest probatio resultans ex tertio, & quarto articulo in quibus ponitur quod particulares Cavallicen. ab anno 1611. plures construxerunt foveas, & canalia subtus Molendinum, quibus mediantibus irrigantur rubra 2500. Terreni; quodque prædicti Cives omni tempore se gesserunt tanquam Domini Aquarum superiorum, & inferiorum. Repugnat enim tam Planta judicialis, quam descriptio localis persecta à Judice
6 subdelegato ex quibus remanet incomperto, quod subtus Molendinum nullum repertum fuit vestigium canalis, præter illud Baronis, & eorum qui aquas sibi compararunt: nec particulares poterant se habere tanquam Dominos istarum Aquarum, quando ipsi reportaverant ab Episcopo limitatam facultatem derivandi aquas, quæ tantum suprà Molendinum excurrunt: & quando ipsi obstabat res judicata, quæ prodiit contra Mauritium, & Agard Cives Cavallicenses, qui fuerunt compulsi ad desistendum ab opere assumpto sine licentia, & facultate Baronis, derivandi aquas inferiores ad illum spectantes.

Et hinc, omissis quinto, sexto, & septimo articulo, utpote ad causam non facientibus, nullius relevantiæ visus fuit octavus, quo probari contenditur, quod aqua exiens è Molendino cadat in foveam, quæ pertinet ad communitatem, ex qua fit illatio ad aquarum dominium. Nam ultra quod tale suppositum nullo modo subsistit, tum quia in actu concessionis aquarum superiorum per Episcopum factæ expressè Communitas protestata fuit, teneri nolle ad expensas canalis subtus Molendinum, & de facto semper, & omni tempore expensæ reparationis in hac parte inferiori factæ fuerunt ab Episcopis & subinde post venditionem continuatæ à Barone illorum successore, ut probant Testes remissoriales à Particularibus Cavallicen. inducti. Cessavit quælibet difficultas; nam dato etiam per hypotesim, quod fovea prædicta pertineret ad Comitem, non ideo infer-
7 ri valet ad Dominium Aquarum in eo defluentium, quarum respectu, cum Baro habeat pro se instrumenta concessionum, & transactionum, diversa ratio, & censura militare debet ad *Text. in l. illud ff. ad legem Aquiliam*.

Nec dissimili irrelevantia laborant nonus, & decimus respicientes probationem, quod eo ipso, quod aqua, postquam exivit à Molendino, recipitur in foveam, & abindè defluit per Territorium, & vallatum cannarum
8 450. in quo Baro nullum jus habet, ita nec habere debeat super aqua, quodque statim, ac ingressa est in dictum Territorium licitè
9 diverti possit à particularibus, etiam in præjudicium fundi inferioris Baronis eam ducendo per territorium del Grezzo. Quia vis præsentis causæ tota residet in dictis concessionibus, quæ cum clarè comprahendant -- *tutta l'acqua che esce dalli Molini di Mons. Vescovo* -- curandum non est, si illa postea extendatur per dictum terrenum, & vallatum, quod non spectat ad Baronem, & licet possibile sit quod particulares aliquando derivaverint istas aquas, adhuc quoque verum esse potest, quod id fecerint, mediante pretio, pro ut servatur ab iis, qui aquas inferiores derivant; quas Particulares solum divertere possunt in præjudicium Baronis, quando ea naturaliter curreret, non tamen quando prout hic decurrit per opus Manu-
10 factum, & canale à Barone constructum, suisque impensis expurgandum, juxtà *decis. 415. n. 5. & seq. par. 16. rec.*

Tandem ad rem non facere visi fuerunt alii articuli, solum enim præseferunt, quod aqua Dorentiæ sit eadem cum illa Merindoli & tamen, quidquid sit de hoc, ad Baronis intentum sufficit, quod aqua postmodum in diversos ramos dividatur, licet per alia Territoria percurrat adhuc ejus propria efficiatur.

Et ita utraque &c.

CAVALLICEN. AQUARUM SUPER MANUTENTIONE.

Veneris 14. Januarii 1707.

ARGUMENTUM.

Eo non indiget.

SUMMARIUM.

1 *Prohibitio auctoritate judicis in aliquo jure, & solutio a prohibitionem passo jus prohibenti tribuit.*
2 *Manutentio possidenti ad possessionis limites denegari non potest.*
3 *Fortius si de bono jure possidentis constat*, & num. 6.
4 *Amplia tunc, etiamsi de possidentis possessione dubitaretur.*
5 *Possessorium absorbetur a petitorio claro.*

DECISIO CCCCLII.

Cum Baro de Opeda sententiam Rotalem sibi favorabilem reportasset ab R. P. D. Caffarello, super jure, & usu derivandi aquas exeuntes è Molendino Episcopi Cavallicen. atque etiam manutentionem in possessione ejusdem juris usus, & in gradu appellationis interpositæ à particularibus d. Civitatis, illius confirmationem super bono jure in præterita Rota coram Me obtinuisset. Hinc hodie

hodiè proposito altero dubio respiciente manutentionē, illam Baroni solum informanti concedere facilè fuit.

Etenim cum ille, mediante depositione piurium testium, docuerit semper stetisse in possessione fruendi aquis inferioribus è Molendino prædicto exeuntibus, & auctorita-
1 te judicis particularibus prohibuisse earum usum, cum solum fuerint derivatæ soluto pretio eidem Baroni, sicuti ex hujusmodi permissione, & denegatione respective incontrovertibilis visa fuit Baronis possessio, ita, ad illius limites, denegari non potuit
2 manutentio, ex firmatis *in dec.23. num.1. par. 13. dec. 257. num.8. par. 14., dec. 180. num. 1., & 6. par. 15., & in Tarraconen. Juris puncłandi supèr Manutentione 26. Februarii 1703. §. Exordiendo coram R.P.D. meo Omanna.*

Fortius in præsenti, quia, præter possessionem, constitit etiam de bono jure resul-
3 tante nedum ex publicis Instrumentis, in quibus Episcopi Cavallicen.hujusmodi aquas inferiores, certis conventionibus, Authoribus Baronis concesserunt; Verum etiam ex pluribus sententiis, & reiterata confessione emissa per Communitatem in transactione anni 1540. ut fuit Canonizatum per sententiam Rotalem latam ab R.P.D meo Caffarello, novissimè in præterita audientia coram Me confirmatam, itaut his omnibus concurrentibus, quando etiam possessio Ba-
4 ronis aliquam pateretur dubietatem, constito de illius bono jure claro possessorium
5 absorberi debeat à petitorio, & habens ta-
6 lem assistentiam dumtaxat veniat manutenendus, *Rota dec.333. num.12. par.13. decis. 249. num.1. par.14. rec., & in Toletana Jurium Parochialium, seù Manutentionis 29. Januarii 1703. §. Probato coram bo. me. Muto.*

Et ita Barone solum informante &c.

TARRACONEN. CAPELLANIÆ.

Luna 17. Januarii 1707.

ARGUMENTUM

Juspatronatum prætendens contra provisum, qui jam possessionem beneficii est nactus, si illud incontinenti non probat, pro ea vice, illo non juvatur; sed si postea probetur, inserviet pro futuris vacationibus. Exclusum verò remanet à centenaria, in quo beneficium fuit in statu libertatis, videntibus, & patientibus Patronis, qui cum una vice præsentaverint, præsentatio fuit admissa cum clausulis præservativis, nec effectum est sortita, & illi acquieverunt. Juspatronatus Sacristæ Ecclesiæ relictum est Ecclesiasticum, & quare? Qualitas sacerdotalis actu, ex quibus requiratur.

SUMMARIUM.

1 *Juspatronatus clarè, & liquidè probari debet, cum agitur contra eum, cui fuit ab Ordinario beneficium collatum habenti pro libertate ejusdem ultimum statum.*
2 *Præsertim si aliæ quoque superiores liberæ collationes concurrant.*
3 *Collationes per supra centum annos continuatæ, & effectuatæ Beneficii tanquam de libero, ejus libertatem contra prætensum patronum concludunt.*
4 *Unica præsentatio admissa cum clausulis præservativis libertati Beneficii non obest.*
5 *Præsentibus si effectum consecuta non fuit.*
6 *Et Patronis scientibus provisus ab Ordinario beneficium obtinuerit.*
7 *Et nunquam in aliis vacationibus prætensi patroni se opposuerint.*
8 *Juspatronatus, de quo aliquo modo constare poterit, cum adest Provisus Apostolicus, qui beneficii possessionem est nactus poterit prodesse in sequentibus vacationibus, non contra dictum provisum.*
9 *Ex supra centum annorum lapsu quilibet melior titulus de mundo præsumitur, & etiam beneficii de jurepatronatu inducta libertas.*
10 *Sacristæ Ecclesiæ, ratione sui officii, Ecclesiastici reputantur.*
11 *Juspatronatus Sacristis Ecclesiarum relictum, Ecclesiasticum censetur.*
Laicalitas personalis non excludit in jurepatronato relicto illis tanquam Ecclesiæ inservientibus, contemplatam extitisse Ecclesiam.
12 *Sæculares exercentes munus Ecclesiasticum, Ecclesiasticorum vices gerunt, & juspatronatus uti talibus relictum est Ecclesiasticum.*
13 *Juspatronatus relictum operariis, & capitaneis, licet laicis, munus Ecclesiasticum gerentibus, est Ecclesiasticum.*
14 *Qualitas Sacerdotalis requisita in beneficio à testamento, de quo non est habenda ratio, si talem obtinens non habeat, minimè obest.*
15 *Lex in Beneficiis, quæ per centenariam est sublata, non est attendenda.*

DECISIO CCCCLIII.

FRanciscus Casas usque ab anno 1702. provisionem Apostolicam tanquam de libero reportavit unius simplicis Beneficii siti in Ecclesia Parochiali S.Petri Oppidi de Reus, & deinde illius possessionem adeptus fuit; sed quià coram Ordinario sese opposuit Antonius Bas, pretendens illud, tanquam de jurepatronatus Sacristarum de Reddis, à quibus fuit præsentatus. Hinc introducto judicio coram Ordinario, contrariam passus fuit Sententiam, & interposita appellatione, causaque mihi commissa proposui dubium - *An Antonio sit adjudicanda Capellania*, & DD. *negativè* responderunt.

Non enim constitit de existentia Jurispa-
1 tronatus adeò clarè, & liquidè, ut possit de eo haberi ratio in presenti casu, quo non solum stat pro libertate Beneficii ultimus status ob collationem factam de eo tanquam de

Tom. II.

de libero anno 1689., qui sufficeret, *ad Text.*
in cap. Consultationibus de jurepatr., *Garz.*
de benef. parte 5.cap. 5.num. 63., *& 74. Ro-*
ta coram Sa. me. Alexandro VIII. dec. 125.
num. 14., *& in rec. decis. 13. num. 56. ad 24.*
parte 6., *& decis. 7. num. 3. parte 19.* Ve-
2 rum etiam concurrunt aliæ plures præceden-
tes provisiones de annis 1685. & 1686. Im-
mò etiam aliæ spatio plurium sæculorum, &
usquè ab anno 1449. factæ ab Ordinario,
tanquam de libero, absque ulla prætenso-
rum Patronorum præsentatione, aut consen-
su, de quibus *in Summario Francisci n. 8.*,
3 quæ cum suum habuerint effectum, benè li-
bertatem beneficii concludunt, *Vivian. de*
jurepatr. lib. 14. cap. 2. num. 54., *Garz. de*
benef. parte 5. num. 105., *Rota decis. 580.*
num. 2. cor. Merlin., *& decis 1141. num. 2.*
cor. Seraph.

Non attenta unica præsentatione facta per
4 Sacristas prædictos de anno 1684. Etenim
illa admissa fuit cum clausulis præservati-
vis -- *Si*, *& quatenus de jure esset admitten-*
da, *& non alias aliter nec alio modo*, -- &
successivè suum effectum consecuta non fuit,
5 quin immò provisio ab Ordinario facta tan-
quam de libero executionem habuit, *ut in*
summario Francisci num. 8. litt. B, *& C.*,
6 & prætensi Patroni, quamvis sciverint suam
presentationem non habuisse effectum, sed
e contra provisum ab Ordinario fuisse pos-
sessionem Beneficii assecutum, non reclama-
runt, sed acquieverunt: Undè clarior insur-
git libertatis probatio, *Garz. de benef. par-*
te 5. cap. 5. num. 113. *Vivian. de jurepatr.*
lib. 5. cap. 4. num. 58. Fortius, quia ex post
7 nunquam se opposuerunt, aut comparue-
runt in successivis vacationibus, sed in eis
Episcopus tanquam de libero controversum
Beneficium absque ulla reclamatione contu-
lit, ut mox dictum fuit.

Quamobrèm cum in hoc rerum statu Fran-
ciscus habeat pro se provisionem Apostoli-
8 cam: & illius vigore possessionem effectivè
adeptus fuerit, etiamsi aliquo modo de Ju-
repatronatus constare posset, hoc juvare
poterit quoad futuras vacationes, non autem
in casu præsenti, quo res non est ampliùs in-
tegra *Card. de Luca de Jurepatr. disc. 36. &*
disc 62. utrobiq. n. 12. & dis. 85. n. 12. &
disc. 95. n 2. Rota cor. Priolo dec. 38. n 4. nisi
etiam dicatur, quod attenta adeo longæva
observantia fuerit inducta omnimoda liber-
tas beneficii, cum ex tanti temporis lapsu
9 possit præsumi quilibet melior titulus de
Mundo, *Rota cor. Barat. dec. 673. n. 5. & cor.*
Emerix jun. dec. 33. n. 2. & in rec. dec. 115.
n. 7. par. 14.

Tantoque magis, quia assumendo etiam co-
gnitionem jurispatronatus, recognitum fuit
suas pati difficultates, quoniam admissa lega-
litate Testamenti ad hunc effectum exhibiti,
non posset ex eo deduci qualitas Jurispatro-
natus laicalis; legitur enim spectare ad Sa-
cristas Ecclesiæ Villæ de Reus, qui cum ra-
10 tione talis officii reputentur Ecclesiastici,
Ecclesiasticum quoque censeri debet patrona-
11 tus eisdem relictum: ac proinde reservatio-
nibus Apostolicis subjectum, *Garz. de benef.*
par. 5. cap. 1. n. 599. Lambertin. de jurepat.
lib. 1. par. 1. qu. 1. ar. 10. n. 6. & 7. Vivian de ju-
repat. lib. 1. cap. 3. n. 13. Corrad. in prax. benef.
lib. 4. cap. 2. n. 5.

Non attento, quod Sacristæ haberi de-
beant uti personæ laicæ, & à laicis, deputa-
12 tæ, quià laicalitas personalis non excludit
contemplatam extitisse Ecclesiam, cui illi
inserviunt, ideoque cũ exerceant munus Ec-
clesiasticum, per ea, quę testatur Ordinarius
in sua sententia in hac causa prolata, & ge-
13 rant per consequens vices Ecclesiastico-
rum, curandum non est, quod sint secula-
res, quia adhuc juspatronatus relictum
censeri debet intuitu, & contemplatione Ec-
clesię, ita ut Ecclesiasticum dici debeat, *Garz.*
de benefic. par. 5. cap. 1. num. 533. Vivian.
de Jurepatr onat. lib. 1. cap. 3. n. 2., & in simili
de Operariis, & Capitaneis omnibus laicis,
firmavit *Rota in Barchinonen. Beneficii 16.*
Januarii, *& 12. Junii* 1686. *coram clar.*
mem. Card. Mattheio, *& in Valentina*
Beneficii 4. Februarii 1695. §. Beneficium
autem coram Em̃o Card. Caprara, *& in*
Cracovien. Cantoriæ 11. Martii 1701. co-
ram eodem.

Tandem non obstat, quod Franciscus pro-
visionem à S. Sede reportaverit de beneficio
sacerdotali, quando ipse non erat actu sa-
cerdos, & per consequens saltem ex hoc
fundamento succumbere debeat; Etenim si
ex prædictis de Testamento, in quo suppo-
14 nitur, acquisitam fuisse hujusmodi qualita-
tem, non est habenda ratio, utique fundi-
tus cessat objectum, quia non venit adim-
15 plenda illa lex, quæ per duplicem cente-
nariam sublata fuit, *Rota coram Emerix*
dec. 364. num. 1., *& 2.*, *& dec. 483. num 6.*
& in rec. dec. 395. num. 8., *& 9. par. 19.* Et
tamen etiam procedendo juxtà dispositio-
nem in eodem Testamento contentam, qua-
litas sacerdotalis actu requisita non fuit, sed
demonstrativè tantum sacerdotium expres-
sum apparet, ad effectum, ut in progressu
valerent celebrari missæ, adeout cum appo-
sita non sit conditio, quod eligendus sit actu
sacerdos, vel alia similis, & equipollens,
nunquam dici potest sacerdotium in ipso actu
electionis, & nominationis requisitum; *Ro-*
ta coram Duran. dec. 92. nu. 2., *& 3. Rota*
coram Merlin. dec. 825. per tot., *& in rec.*
dec. 162. nu. 15., *& seq.*, *& dec. 184. nu 11.*
par. 12. Ultra quod, cum hodie non agatur de
exequendis litteris Apostolicis Francisci;
sed an Beneficium sit adjudicandum Antonio
præsentato à Sacristis, hujusmodi exceptio
extranea reputatur, nec de ea est habenda
ratio in præsenti ex allegatis.

Et ita utraque &c.

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE CÆSARINIS SUPER EXHIBITIONE, ET JURAMENTO IN LITEM.

Veneris 21. Januarii 1707.

ARGUMENTUM.

Exhibitionem integram facere tenetur, qui ad eam se obligavit, nec ex facto ministrorum vel casu fortuitu liberatur. Juramentum in litem, ut deferatur, debet constare de vera substantia crediti, pro quo deferendum est. Est confirmatoria superiorum dec. 312., & 323. Et sunt in hac causa super diversis punctis dec. in eisdem indicatæ.

SUMMARIUM.

1 *Exhibitio integra non dicitur, cum ex inventariis constat de existentia aliorum librorum.*
2 *Exhibitio integra non est, cum unus deficit liber exhibendus.*
3 *Librorum exhibitio evitari non potest, ex quo obligatio exhibendi sit restricta ad libros in primo inventario contentos, in quo cum in confuso sint adnotati, de illorum quantitate non constat, cum isti in secundo ab eodem obligato confecto fuerint declarati.*
4 *Existentia librorum infertur ex solito, quod domus magnatitiæ libros æconomiæ retinent.*
5 *Et ex stylo particulari illius familiæ, de qua res est.*
6 *Obligatus ad exhibendum ex facto suorum ministrorum libros deperdentium, & casu fortuito non tenetur.*
7 *Secus cum conservare promisit.*
8 *Juramento in litem, ut sit locus, requiritur, quod creditum pro quo jurandum est, sit in substantia vere debitum, & quare?*

DECISIO CCCCLIV.

IN executionem Sententiæ Rotalis latæ per Rmum Conchen, ac decisionum tàm coram eo præcedentèr æditarum sub diebus 9. Maii 1701., & 3. Februarii 1702., quàm cor. me. in gradu appellationis sub die 14. Aprilis 1704., quibus firmatum fuerat D. Principissam Clerium teneri ad exhibitionem librorum spectantium ad Primogenituram Cesarinam, ipsa D. Principissa exhibuit nonnullos libros, & judicata, ac resolutiones Rotales acceptando, illi præteritæ renunciavit cum solita protestatione, quod alios non haberet, nec dolo habere desiisset. Verum quia D. Ducissa allegavit integram librorum omnium æditionem factam non fuisse, hodiè disputato dubio -- *An constet de integra, & sufficienti exhibitione librorum* --, itaut sit locus juramento in litem, & pro qua summa DD. *negativè quoad primam partem* respondendum esse censuerunt, dilata in reliquis resolutionem: demandando ulterius, quod causa proponatur una cum altero dubio -- *An Sententia lata ab A. C. de voto Rotæ sit confirmanda, vel infirmanda.*

Fundamentum resolutionis quoad non integram exhibitionem librorum præbuit inventarium confectum per bo. me. R. P. D. Arrighum olim Auditorem Sa. me. Innoc. XI occasione, qua bonorum primogenialium possessio fuerat avocata; in illo enim apparent descripti libri in duplici mansione existentes, & leguntur numerati illi solum, qui in una ex eis reperti fuerunt, de quibus ideò non est questio attenta illorum exhibitione. Alii verò existentes in proxima mansione non sunt descripti, nisi in confuso ibi -- *Sette Armarii, o Credenzoni d'Albuccio con molti diversi libri, cioè giornali, libri mastri, entrata, ed uscita, Protocolli di giustificazioni, ed altre Scritture* --: Cum autem ex post D. Principissa Cleria conficiendo inventarium bonorum Ducis Philippi ultimi possessoris (de cujus existentia non potest dubitari, cum fuerit de eo in disputationibus habita ratio: & nequit à D. Principissa, quæ illud confecit, impugnare) numeraverit eosdemmet libros existentes *nelli detti sette Armarii, o Credenzoni*, & in eo detegitur libros nuncupat. Magistros fuisse 28. alios appellatos *Giornali* 22., & alios demùm Introitus, & exitus 30.. Exinde sequitur, quod data probatione existentiæ prædictorum librorum ex duplici inventario,
1 exhibitio per ipsam facta de dictis libris, in numero, & quantitate valdè minori, & inferiori, nequaquam integra, & sufficiens
2 dici possit, cum ad hunc effectum sufficiat unius scripturæ defectus, *per Text. in l.* 1. *§ proindè ubi glossa in verbo plures, & in l.* 3. *in princ. ff. de tabul exhibit. l.* 1. *§. edendaff de ædendo, Rota dec.* 70. *num.* 6. *p.* 10. *rec, & cor. Cerro dec.* 243. *num.* 9.

Nec obstat, quod obligatio de conservando, ac custodiendo facta per D. Principissam fit restricta ad libros sibi relictos à d. R. P. D. Arrigho, ex cujus inventario præcisa quantitas haberi non possit. Quoniam satis est, quod in subsequenti inventario post paucos dies legitimè per ipsam confecto, illi met Codices, qui fuerant in confuso descripti, redacti fuerint ad certum numerum, & speciem, itaut ipsorum specifica adnotatio, & numeratio, quæ per prius fieri potuisset à bo. me. Arrigho, suppleta remanserit per hanc diligentiorem postmodù factam, in qua cum plures, pluresque libri descripti leguntur, & respectivè recepti, ultra jam
3 exhibitos, propterea facto suo eorumdem ulteriorem exhibitionem evitare non potest, *plenè Rota in d. dec.* 243. *num.* 13., *& seq. cor. Cerro cum aliis mox allegatis.*

Eoque magis d. exhibitio imperfecta reputari debet, quia non fuerunt exhibiti alii libri, quam illi confecti usque dè annum 1634.: Ideoque cum Dux Philippus ultimus Primogenituræ possessor decesserit de anno 1685., dicendum est usque ad hujusmodi tempus fuisse retentos libros Æconomiæ; sicut

4 sicut practicatur in qualibet Domo magnati-
5 tia, & presertim in illa, ut apparet ex alia
descriptione antecedentèr facta in Inventa-
rio per ipsum Ducem Philippum exarato:
Ideoque ex hujusmodi stylo benè inferri ad
existentiam dd. librorum probat *Farinac.
cons. 18. num. 17. lib. 1., & firmat Rot. cor.
Emerix dec. 60. num. 2. cor. Buratt. dec. 345.
num. 1., & cor. Duncz. Jun. dec. 555. n. 3.
& in rec. dec. 115. num. 2.*

Nec relevant duo obiecta: Alterum,
quod obbligatio D. Principissæ dè conser-
vando respiciat solum libros Primogenituræ,
6 qui jam fuerunt exhibiti: quodque in om-
nem casum, ipsa non teneatur de facto suo-
rum Ministrorum, vel de casu fortuito, qui
potuit contingere in amissione dd. libro-
rum. Etenim respectu primi satisfaciunt de-
cisiones editæ tàm coram Rm̃o Conchen,
quàm coràm me., quod scilcet non spectet
ad D. Principissam judicare circà illorum
pertinentiam, nec sibi met legem dicere,
7 conservando potiùs certa bona, quàm alia;
sed debet omnia, quæ conservare promisit
exhibere: Et ex d. promissione tollitur se-
cundum obiectum, quia non excusatur, nec
ex facto Ministrorum, nec ex facto fortuitò;
cum nihilominus teneatur illa quodcumque
periculum in se suscipere, & quibuscumque
non obstantibus suam promissionem omnia
exhibendo adimplere, ut fuit firmatum *in
decisionibus hujus causæ super exhibitione 9.
Maii 1705. §. neque rectè, & §. haud refra-
gante cor. Rm̃o Conchen., & 14. Aprilis
1704. §. non relevante cor. me.*

Et hæc quoad primam partem dubii super
qua cadit resolutio; nam quoad aliam se-
cundam partem respicientem juramentum
8 in litem, ut eo subsidiario remedio locus sit
principaliter requiritur, quod creditum,
pro quo juramentum in litem deferri præ-
tenditur, sit in substantia verè debitum ex
ea validissima ratione, quia si Iudex debet
taxare quantitatem, supèr qua est juran-
dum in litem, id fieri nequit sine præceden-
ti certitudine crediti saltem in genere, *ad
Text. in l. è possidentibus C. de rei vindicat.,
& tradunt Rocca disput. Jur. select. cap. 143.
num. 40. Rota cor. Cerro decis. 38. num. 1.
& in Romana Pecuniaria super juramento
in litem 11. Maii 1689. §. finali, & 4. Ju-
nii 1700. §. recognitum cor. bo. me. Muto*:
Propterea cum prætensio, quod existerent
animalia, mobilia, argenta, & jocalia, præ-
terea, quæ reperiuntur in inventario de-
scripta, quodve summa sc. 48. m. ad credi-
tum Ducis Philippi de tempore illius obitus
reperta in Banco S. Spiritus spectaret ad Pri-
mogenituram Cæsarinam, pendeat à pluri-
bus inspectionibus, & secum ferat necessita-
tem gustandi justitiam sententiæ ab A. C. la-
tæ de voto nostri Tribunalis, alias de stylo
supponendæ, in qua D. Principissa fuit abso-
luta à dd. prætensionibus per Ducissam Li-
viam promotis, idcircò ad effectum deci-
dendi articulum prædictum juramenti in li-
tem congruum putarunt DD. demandare
propositionem alterius dubii respicientis
confirmationem, vel infirmationem prænar-
ratæ sententiæ.

Et ità, omnibus DD. suffragantibus, re-
sponsum fuit, utraque &c.

CARPENTORACTEN. JURISDITIONIS SUPER EXPENSIS.

Veneris 21. Januarii 1707.

ARGUMENTO.

Non est opus.

SUMMARIUM.

1 *Expensas victori succumbens reficere debet in pœnam litis temerè susceptæ.*

2 *Expensæ vivæ, seu judiciales sunt ad obulum reficiendæ.*

3 *Expensæ extrajudiciales, in quibus terminis fiant in ducatis decem de Camera, non verò Romanis.*

DECISIO CCCCLV.

RESponderunt hodie DD. coram Me nõ con-
stare de excessiva taxatione expensarum
facta per R.P.D. Meum Priolum, in quarta,
& deindè à R. P. D. Meo Omanna in quinta
Instantia contra Prælocem Reverendæ Ca-
meræ Apostolicæ Comitatus Venaissini, qui
per totidem judicata succubuit in lite inter
ipsum, & electos trium statuum dicti Comita-
tus verten.

Præmissa enim juris regula notissima, quod
is, qui succubuit, venit ad expensarum
1 refectionem condemnandus in pœnam litis
temerè susceptæ, ad normam *Text. in l. pro-
perandum §. sit autem C. de Judic. & l. 3. C.
de fruct. & litis expens. Rota cor. Ubag. dec.
96. n. 15. & cor. Bich. dec. 1293. n. 1.*

Facilè fuit recognoscere, quod expensæ
taxatæ de nullo excessu redargui valent,
2 dum judiciales, quæ dicuntur expensæ vivæ,
veniunt integrè, & usquè ad obulum refi-
ciendæ, *Rota cor. bo. me. Emerix dec. 488. n.
2.* extrajudiciales autem bene taxatæ fue-
3 runt in ducatis 10. auri, ex quo agitur de
causa extra Italiam, in quibus terminis taxatio
fieri solet in ducatis de Camera, non autem
in scut. Romanis, ut alias firmavit *Rota in
Avenionen. seu Carpentoracten. fideicom. de
Tertullis 30. Aprilis 1706. §. fin. cor. R. P. D.
meo Kaunitz.*

Et ita &c.

ROMANA SEU CABILONEN. ORDINIS CISTERCIEN.

Lunæ 24. Januarii 1707.

ARGUMENTUM.

Exhibetur à super. dec. 417. hic confirmata. Et adest super declaratoria dec. 604.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Possessio juris exigendi resultat ex iteratis actibus desumptis a contrariis confessionibus.*
2 *Manutentio possidenti conceditur.*
3 *Actus voluntariè, & ex urbanitate facti non dicuntur, cum sunt gesti ex coactione.*
4 *Actum spontè facere non præsumitur, qui de expensis pro eo explendo conqueritur.*
5 *Obligatio alicujus actus resultat ex declaratione superiorum.*
6 *Et ex quo tanquam proprium onus fuit recognitum, & confessatum.*
7 *Actio voluntaria, ut in obligationem vergat, titulus requiritur. Declara hoc examinandum in judicio manutentionis* n. 11.
8 *Constitutiones Pontificiæ loquentes pro Præside Præmonstratensium, locum etiam habent in ministris subordinatis.*
9 *Solutio fieri debet in loco ubi adest creditor.*
10 *Debitor suo periculo, & expensis ad creditorem pecunias deferre tenetur.*
11 *Longæva quasi possessio juris sine titulo sat est in summariissimo judicio manutentionis ad eam obtinendam.*
12 *Clausula* – servari solitum – *facit, ut solus modus, & solitum sit examinandum, rejectis pleniori indagine ad aliud judicium.*

DECISIO CCCCLVI.

NOn acquiescentes Procuratores Provinciarum Congregationis Cisterciensis Italiæ, tam Sententiæ Reverendissimi D. mei Decani, quam resolutioni captæ coram me sub die 14. Maji 1706., in quibus concedebatur manutentio Procuratori Generali totius Ordinis in exactione contributionum ab iisdem, juxta solitum, persolvendarum, occasione jurisdictionis Capituli generalis; iterum controversiam in hodiernâ audientiâ ad novũ examen revocari curarunt; & DD. *perstiterunt in decisis.*

Possessio namque Procuratoris Generalis totius Ordinis exigendi à Procuratoribus provinciarum Italiæ præfatas contributiones apertè resultare visa fuit ex tot reiteratis actibus
1 elicitis à confessionibus emissis in epistolis eorumdem, in quibus illud uti proprium onus
2 recognoverunt: Undè benè favore possessoris concessa fuit manutentio. *Posth. de manut. observ.*8. *num.*26. *Rota post eumdem decis.* 188. *& decis.* 318. *utrobique num.* 1. *& coram Dunozett. jun. decis.*993. *num.*1. *& in rec. decis.*681. *num.*12. *part.*19.

Nec subsistit, quod ex dictis solutionibus resultet solùm fuisse solutas eas pecunias, quas Abbates singulorum Monasteriorum spontè transmiserunt eisdem Procuratoribus: & quos isti hoc casu non controvertunt transmittere, ac persolvere eidem Procuratori Generali; Non autem exindè inferri possit, quod ipsi teneantur facere ullas diligentias ad effectum easdem pecunias exigendi à singulis Monasteriis, & Abbatibus; Adeout si aliquando hoc fecerint, id potiùs ex eorum conniventia, & voluntate, non verò ex animo se obligandi prò successivis temporibus expleverint. Etenim difficultas cessat, tum
3 ex actuum frequentiâ, quæ ostendit illos fuisse gestos ex coactione, non ex facultate; ad *Text. in l. fin. ff. uti possid. Posth. de manutent. observ.*73. *n.*1. *& seq. Rot. decis.*502. *n.*3. *part.*19. *rec.* Maximè quia conqueruntur de impensis, & incommodis, præsumi non
4 potest, quod ex merâ liberalitate, & spontaneâ voluntate tot actus gesserint; *Posth. de manut. observ.*53. *n.*20. *& seq.*

Tum quia de præcisâ obligatione exigendi ab aliis Monasteriis, & solvendi Procuratori Generali Ordinis præcisè constitit ex lecturâ tàm declarationis Præsidis superioris Coo-
5 gregationis Italiæ, qui exactionem, solutionem, & respectivè contributionum asseruit esse consuetum onus dd. Procuratorum, ut *in præsenti Summ. num.*9. Quàm ex epistolis eorumdem Procuratorum, in quibus recognoscunt, & fatentur uti proprium munus exa-
6 ctio dictarum Pecuniarum, ut *in dicto Summ. num.* 6. 7. 8., & pleniissimè *in præterita decisione præsentis Causæ cor. me §. Solitum, & §. Contrarium.*

Minimè refragante, quod nullus sit allegabilis titulus, per quem Procuratores provinciarum
7 Italiæ adstringi valeant ad controversam solutionem, maximè hic in Urbe, ad quam simpliciter tenentur monasteria particularia. Quoniam ultrà quod pro titulo assistunt ad hunc effectum tot Constitutiones Pontificiæ,
8 quæ licet loquantur de Præside, tamen habent locum etiam in subordinatis ministris;
9 Et certum sit, quod solutio fieri debet in loco ubi adest creditor, ad quem tenetur pe-
10 cunias deferre debitor suo periculo, & expensis. *Antonell. de loco legal. lib.*2. *qu.*1. *n.*16. *Olea de cession. jur. tit* 1. *qu.*6. *num.* 64. *Card. de Luca de benefic. disc.*89. *num.*8. Adhuc pro removenda qualibet difficultate, ad-
11 verterunt DD., quod in hoc summariissimo judicio manutentionis satis est adeo longæva possessio, quam habet Procurator Generalis totius Ordinis exigendi in Urbe contributiones sibi debitas à Procuratoribus generalibus Italiæ, ut in eadem possessione manuteneatur ex allegatis. Attento præsertim rescripto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, quæ causam remittendo super negotio Principali ad hoc Sac. Tribunal, mandavit insuper servari solitum;
12 Ideòque attendi debet solus modus exactionis, cum quo præteritis temporibus processum fuit, reservata pleniori indagine ad aliud judicium, in quo exceptiones omnes, quæ cumulantur in præsenti; magis congruè deduci poterunt:

Et ita utraque, &c.

ME-

MELEVITANA LAUDI.

Lunæ 24. Januarii 1707.

ARGUMENTUM.

Pro decernenda executione laudi, acta, & documenta coram arbitratore exhibita, sub pœna evidentissimæ nullitatia. sunt transportanda. Pactum appositum in Capitulis matrimonialibus liberandi matrem à redditione ratinnis pro tutela, in cujus correspectivitatem filiæ dotem, & alia assignavit, licèt à Patre esset dotata, est observandum: etiamsi filia absena, & minor esset: cum ejus vigore matrimonium fuit initum, & pluries petitum, etiam in calore judicii, ut observaretur.

SUMMARIUM.

1 *Renunciatio liti non solum Decisiones in illa emissas confirmat, sed finem imponit.*

2 *Renunciatio litem non extingnit, cum à parte non accèptatur; sed expressè impugnatur.*

3 *Actus favorabilis solemniter gestus cum Notario stipulante pro omnibus interesse habentibus, reputatur tanquam ab absentibus acceptatus, pro quibus lex stipulatur.*

4 *Renunciationem liti non impugnare dicitur protestatio facta ab altera parte, in qua solùm declinatur aliud forum, & illud dicitur competens, ubi liti fuerat renunciatum.*

5 *Impugnatio renunciationis litis facta solum dicitur per actum individuum, & non equivocum.*

6 *Mandatum pro executione laudi sine transportatione actorum, & documentorum etiam extrajudicialitèr, & sinè figura judicii coram compromissario exhibitorum, evidentèr est nullum.*

7 *Mater non tenetur dotare filiam de bonis paternis provisam.*

8 *Mater dotans, & alia bona filiæ aliunde dotatæ assignans cum contemporaneo pacto, quod quiesantiam faceret de tutela à matre gesta; correspectivè & contemplatione dictæ liberationis dotasse dicitur: Amplia* num. 10.

9 *In correspectivis obligationibus, una acceptari, altera rejecta non potest.*

11 *Instrumentum dotale acceptatum dicitur, si cum eo matrimonium est initum.*

12 *Acceptatio positiva, & expressa actus promanat ex judicialibus instantiis illius executionis.*

13 *Acceptatio facta dici non potest pactorum in Capitulis matrimonialibus in præjudicium mulieris minoris, vel absentis.*

14 *Limita si eorum vigore matrimonium sit secutum, & plures actus acceptationis sint expleti, postquam facta est major, & plures accesserint petitiones executionis, factæ in calore judicii, quia ex his vera ratificatio importatur.*

DECISIO CCCCLVII.

PRætèr bona paterna, aliorumque ascendentium, quæ Vincentia mater constituerat in dotem Mariæ, & Catharinæ sororibus de Callar, spopondit etiam de proprio unicuique in dotem assignare bona annui redditus scut. 150. & scut. 2000. pro acconcio, & jocalibus; eo quia correspectivè eædem sorores cum earum viro amplissimam liberationem à redditione rationis tutelæ, & curæ per illam gestæ promiserunt; prout de facto solus Dominicus postmodum adimplevit.

Sed Catherina, & Joannes Baptista ejusdem vir, nolentes servare promissa multiplices lites contra dictam Vincentiam promoverunt, alteram super dicta redditione rationis, alteram super assignatione bonorum annui redditus scut. 150. & aliorum scut. 2000. in jocalibus, quæ fuerant per eam promissa: & denique alteram super successione in bonis Antonii fratris: ideo pro illarum concordi terminatione cum Partes in procuratorem constituissent Galdeanum magnum Priorem Navarræ cum facultate conficiendi minutam transactionis, & decidendi controversiam super obligatione emissa per Joannem Baptistam liberandi prædictam Vincentiam à recensita redditione rationis; Prior prædictus mutando figuram procuratoris in illam compromissarii, laudum protulit, quo Vincentiam non solum condemnavit ad assignandum dd. conjugibus bona dè proprio per eam promissa cum annalitatibus decursis; verùm etiam ad restituendum medietatem bonorum Antonii, & solvendum scut. 7480. pro reliquatu administrationis tutelæ, & curæ.

Hujusmodi laudi executio fuit dumtaxat mortua Vincentia contrà ejus hæredes petita coram Vicario Melevitano: & quoniam d. Vincentia Testamentum condiderat, in quo hærede instituta d. Catharina una cum Dominico viro Mariæ alterius filiæ prædefunctæ, illi proibuit, nè sub pœna caducitatis molestias cohæredi inferret; Ideo præfatus Vicarius sententiam protulit, qua declaravit Catharinam ab hæreditate prædicta cecidisse, reservata sibi facultate decidendi ea, quæ pro executione d. Laudi à Conjugibus petita fuerunt. Illis autem provocantibus ab hujusmodi sententia ad A. C., iste omisso articulo caducitatis supradictum Laudum exequi mandavit, devolutaque causa ad nostrum Tribunal per geminas decisiones editas cor. bo. me. Pio sub diebus 13. Junii 1693., & 28. Novembris 1696. fuit pro nostra executione responsum. Quibus resolutionibus iidem Conjuges acquiescentes, expressè Anno 1703. renunciarunt liti vertenti super prænarrato Laudo, omnibusque aliis annexis, & connexis, animo tamen exercendi proprias actiones, & præsertim super redditione rationis in alio congruo judicio, ad quem effectum novam litem in partibus introduxerunt: Sed causa

ad

ad nostrum Tribunal remissa, ego in Colle-
gæ locum suffectus dubium hodiè proposui
-- *An esset standum, vel recedendum a de-
cisis* -- & DD. *in decisis* persistere non dubi-
tarunt.

Attenta siquidèm præfata renunciatione
liti vertenti in nostro Tribunali super exe-
cutione controversi Laudj solemnitèr in
partibus emissa cum promissione eorumdem
Coniugum, quod amplius in controversiam
poni nequeant fundamenta earumdem de-
cisionum, quia per d. renunciationem non
1 solum illæ acceptatæ dicuntur, verum etiam
quæcumque iis terminata censetur, *ad Text.
in l. postquam liti C. de transact. l. 1. §. In-
dè quæritur ff. de novi operis nunciat. cum
pluribus relatis per Galleratum de renunc.
Centur. 1. renunc. 18. num. 1., & seq., &
in Viterbien. bonorum 6. Februarii 1699.
§. præsertim cor. R̃mo D. meo Decano.*

Haud relevante, quod prædicta renun-
ciatio extingnere non potuerit præsen-
2 tem litem, utpote quia acceptata non
fuit ab altera parte, immò expressè impu-
gnata, cum protestatione, quod liti pen-
denti in Rota ipsis invitis renunciari nequi-
bat, ad tradita *per Salicet. & alios Docto-
res in l. Postquam in liti C. de transact.*
Quoniam de acceptatione visum fuit dubita-
3 ri non posse, quia agitur de actu favorabili
gesto cum solemnitatibus, & Notario stipu-
lante prò omnibus interesse habentibus, in
quibus terminis talis actus reputatur, ac si
fuisset acceptatus à personis absentibus, quià
lex prò illis stipulatur, ad tradita *per Card.
de Luca de donat. disc. 14. num. 10. Rota
penes Tenagliol. de Sac. Rotæ Auditorio lib. 1.
cap. 18. decis. 19. num. 15., & 20.* Absque
eo, quod dissensus positivus deduci valeat ex
eo, quod novo judicio iterùm promoto à Co-
4 niugibus fuit æmissa prædicta protestatio,
quià toto illius tenore perlecto incomperto
remansit, quod secum fert solam intentio-
nem, & finem declinandi forum Melitæ, &
continet expressam declarationem, quod
causa hic in Urbe examinanda foret, ideo-
que importare non potest assertam renun-
ciationis impugnationem, prò qua actus in-
dividuus, & non æquivocus, omnino re-
quiritur, *Gloss. leg. 1. in ver. specialitèr, ubi
Bartol., & alii ff. si quis in jus vocat. in-
vit. Roland. cons. 97. num. 13. lib. 2. Menoch.
de præsumpt. 176. num. 16. lib. 4., Gallerat.
de renunc. lib. 4. cap. 2. num. 10 Rota deci-
sione 209. num. 11. parte 9. rec.*

Posita autem renunciatione, vel uti pe-
remptiva litis, vel uti mera, & simplici
Partium confessione, ex ea facilius agnitum
fuit subsistere fundamenta præcedentium
decisionum, quod judicatum A. C. eviden-
ti nullitatis, & iniustitiæ vitio laborat.

Et sanè nullitas promanat ex eo, quod
Ille demandavit executionem Laudi sine
transportatione Actorum, quæ gesta fue-
rant coram magno Priore Navarræ, qui
etiamsi processisset extrajudicialitèr, & sine
6 figura judicii, nihilominus trasportanda
erant documenta exhibita coram eo, ut exa-
minari possent Jura, quibus Laudum innite-
batur, sine quibus mandatum peritum ab
evidenti nullitatis vitio salvari non potest,
ut *post Bartol. in l. 2. num. 2. C. de edendo,
Rota coram Coccin. dec. 976. num. 6., &
cor. Buratt. decis. 650. num. 3., & dec. 588.
n. 4 parte 2., & dec. 280. n. 43. p. 17. recen.*

Iniustitia verò tàm Laudi, quàm manda-
.ti illius vigore relaxati probata remansit, ex
quo in prædicto Laudo Vincentia Mater fuit
condemnata ad egregiam summam sc. 7480.
pro reliquatu suæ administrationis, quando
ipsa, quæ obligata non erat ad dotandum
7 Catherinam Filiam utpotè ad exuberantiam
provisam de bonis paternis, aliorumque
ascendentium, eidem de proprio assignavit
scut. 2000. in gemmis, & vestibus; necnon
8 annuum redditum scut. 150., quod fecisse
dicendum est contemplatione reportandi
liberationem à redditione rationis tutelæ,
quæ fuit à Coniugibus unico contextu, eo-
demque instrumento promissa, ac successivè
stipulata, itaut actus isti dicantur invicem
9 correspectivi, nec potuerint Coniuges præ-
fatas obligationes acceptare, alteram verò
promissæ liberationis recusare, ex firmatis
*in decisionibus præcedentèr editis cor. bo. me.
Pio sub die 13. Januarii 1692. §. iniustum
cum seq., & 28. Novembris 1696. §. quibus præ
misis*: maximè qui à Vincentia sciens jam
ad d. redditionem rationis cogi posse, por-
tiones dd. dotium de proprio constituisse de-
claravit in suo testamento, ad effectum, ut
liberata remaneret ab onere prædicto, ut ad
rem firmatum fuit *in Narnien. Dotis, seù
Fideicommissi de Capitonibus 16. Junii 1687.
§. tertio quia cor. bo. me. Ursino, & in prima
decis. hujus causæ §. Correspectivitas.*

Et quod ambo conjuges prædicti accepta-
verint Instrumentum dotale, satis resultat,
ex quo cum eo matrimonium contractum
11 fuit, in quo ultra bona paterna, & ascen-
dentium, alia propria ipsius Vincentiæ pro-
missa fuerunt. *Rota coram R yas dec. 125.
num. 17. in rec. dec. 291. num. 12. par. 9., &
in Asculana Successionis 21. Junii 1666. §.
Non obstat coram bon. mem. Bourlemont.*
Et ulterius iidem conjuges coram magno
Priore Navarræ insteterunt, ut sibi assigna-
rentur bona annui redditus sc. 1<0., & mo-
bilia valoris scut. 2000., & successivè acce-
ptarunt Laudum, in quo continetur conde-
mnatio Vincentiæ ad assignandum bona per
eam de proprio in dicto instrumento promis-
sa, & coram A. C., ac in nostro Tribunali inste-
terunt pro illius executione, mandatum-
que reportarunt contra Vincentiam pro bo-
nis, ut supra assignatis. Ex quibus Judicia-
libus instantiis respicientibus exequutionem
12 laudi, & promissorum in dicto Instrumen-
to dotali oriri positivam, & expressam il-
lius acceptationem, probant *Cravett. cons.
159. num. 5. Soccin. cons. 67. nu. 15. lib. 3.*
& firmat *Rota coram Bich. dec. 46. num. 11.*

in rec. dec.509. num.10. par.13., *& in Firmana Molendini 3. Martii* 1684. §. *Specialis coram bon. me. Rondanino.*

Replicatio autem, quod dd. conjuges de
tempore dotationis non potuerint sibi præ-
judicare, vel quia Catharina erat minor,
vel quia Capitulis matrimonialibs non inter-
13 fuit, neutiquam relevare visa fuit, nam
cum, ut mox dictum fuit, ambo conjuges
14 illorum vigore matrimonium contraxerint,
& pluries in judicio comparverint, ut eis
traderentur bona assignata, isti actus tollunt
quamcumque nullitatem, cum fuerint gesti
per Catharinam tempore quo erat major ef-
fecta, potissimum, quia fuerunt facti calore
Judicii, itaut veram, ac positivam rati ha-
bitationem importent, ex firmatis *in Romana Associationis 9. Maii* 1689. §. *finali cor. bon. mem Benincasa*, *& in Romana Fideicommissi de Massiolis* 19. *Junii* 1690. §. *In nihilo coram eodem.*

Quibus ita firmatis, superfluum existimarunt DD. in hac disputatione strictam assumere cognitionem circa læsionem, quæ opponebatur tàm contra Capitula, quam contra Laudum, examinando singulas partitas in illo admissàs, & respectivè denegatas, etiam circa redditionem rationis, quoniam tàm de eis, quam de petita assignatione bonorum, & successione prò tertia parte in hereditate Antonii prædefuncti fratris utpotè non cadentibus sub præsenti dubio, in nuovo Judicio separatè promovendo agendum erit.

Et ita, utraque parte informante, resolutum fuit &c.

CRACOVIEN. PAROCHIALIS KIENSIS.

Veneris 28 Januarii 1707.

ARGUMENTUM.

Habes in ipso Summario.

SUMMARIUM.

1 *Validitas sententiarum resultat ex revolutione actorum.*
2 *Juspatronatum ammitit bona Ecclesiæ usurpans ex S.C.T.*
3 *Sed de hoc, uti de crimine, vel per sententiam Judicis vel per alias liquidissimas probationes debet constare.*
4 *Sententia absolvens a crimine, non solum illud excludit, sed etiam diffamationem.*

DECISIO CCCCLVIII.

INstitutionem ad Parochialem Ecclesiam Kiensem reportaram per Joannem à Patronis Villarum Lipnik Koltot impugnabat Stanislaus cum supposito, quod unus ex eis, qui præsentaverat Joannem, à tali jure cecidisset ob subreptionem, & occupationem bonorum Ecclesiæ: sed priùs in partibus rejectus fuit: & causa postmodum nostro Tribunali commissa, duæ prodierunt sententiæ cor. RR. PP. DD. Caffarello, & Omanna id ipsum comprobantes, pro quarum confirmatione attentia illarum justitia, & validitate hodiè coram Me responsum fuit.

Validitas resultat ex revolutione actorum
vulgata *dec. 262. n. 2. cor. Capuaquen.* Ju-
1 stitia verò undique clara resultare visa fuit ex
plenè deductis in decisionibus de more ædi-
tis ante sententias rotales in quibus firmata
fuit pertinentia Jurispatronatus, & possessio
illorum, qui præsentarunt Joannem. Et ad
objectum usque à principio excitatum, quod
2 unus ex illis suam vocem amiserit ob usurpa-
tionem bonorum Ecclesiæ, ut decernitur *per
Sac Conc. Trid. sess. 22. cap 11. de reformat.*,
bene responsum fuit, quod difficultas cessat,
ex quo prætensa bonorum occupatio exclusa
remanet ex depositionibus Testium, *ut in
sum. n.* 4 cum satis esset, quòd plenè, &
3 concludenter illa non probaretur, dum
agitur de crimine, de quo per senten-
tiam Judicis vel saltem per alias liquidas pro-
bationes constare debet, *Rota cor. Seraphin. dec.1029. n.1.*, *& cor. Pen. dec.600. n.5. & 6.* *& cor. Priolo dec. 267. n. 5.*

Tanto magis, quia Joanni assistit sententia
de partibus, qua mediante absolutus fuit pa-
4 tronus ab impicta occupatione bonorum Ec-
clesiæ, adeout exindè non solum quodlibet
crimen excludatur, sed cessat etiam ipsa dif-
famatio, ut probant prælatæ decisiones cum
quibus DD. transierunt.

Et ita, unica tantum &c.

ROMANA FIDEICOMMISSI DE COLLEONIBUS.

Veneris 28. Januarii 1707.

ARGUMENTUM.

Perstringe à Summario. Confirmatur infra Decisiu 547.

SUMMARIUM.

1 *Immissio ei concedenda, cujus favore aperta est successio.*
2 *Moniales, & Monasterium exclusa censentur, cum præter legatum relictum, voluit Testator non posse ullo tempore jus aliquod in sua hæreditate acquirere.*
3 *Proximitas gravantis non gravati attenditur in successione, cum Testator respectum habuit ad semetipsum.*
4 *Caducitas incursa est exceptio de jure tertii à solo substituto allegabilis, non ab eis, qui à successione sunt perpetuò exclusis.*
5 *Clausula in donatione apposita, quod in ea non intendit Donator comprehendi ea, ob quorum alienationem posset incurri caducitas; ejus naturæ bona præservat, nec comprehenduntur.*

DECISIO CCCCLIX.

JOannes Baptista de Colleonibus in ultimis suæ voluntatis tabulis post legatum usumfructum 12. locorum montium relictum favo-

votè duarum filiarum in monasterio S. Cosmæ Urbis monasticam vitam profitentium, quem iis defunctis cum proprietate consolidari percepit, ut semper perpetuò fideicommisso subjecta remanerent; hæredem instituit Dominicum filium cum vinculo fideicommissi, qui paulo post sine filiis è vita migravit: Purificatoque fideicommisso favore proximiorum, Joannes de Colleonibus frater germanus fideicommittentis institit coram A. C. pro immissione ad bona fideicommissaria, illamque pro medietate tamen reputavit. Appellante verò Monasterio S. Cosmæ ex persona dictarum sororum causa mihi commissa fuit: disceptandumque dedi dubium: *An & pro qua rata sit danda immissio*, & DD. illam *pro medietate* pro nunc concedendam esse, responderunt.

Existentia namque fideicommissi favore Joannis Actoris clara visa fuit ex lectura testamenti, in quo deficiente linea Dominici filii, aut ejus filiorum vocati leguntur proximiores ipsius Testatoris: quapropter, cum dicta linea ita defecerit: ac magis proximus Testatori sit Joannes; indè sequitur, quod
1 sicuti ad sui favorem aperta est successio; ita ipsi ad bona fideicommisso subjecta concedenda venit immissio. *Rota cor. Seraphin. decis.* 828. *n.* 1. *& cor. Bich. decis.* 559. *n.* 1. *& cor. Arguell. decis.* 66. *num.* 2 *& cor. Emerix decis.* 1263. *n.* 1. *& in rec. decis.* 340. *num.* 3. *part.* 4.

Absque eo quod illam impedire valeant moniales filiæ fideicommittentis, & sorores respectivè Dominici prætendentes sub nomine *de' parenti più prossimi* compræhensas esse. Quoniam illæ de tempore conditi testamenti reperiebantur actu moniales: illisque Testator reliquerat dumtaxat usumfructum 12. locorum montium, vita earum durante; quem una cum proprietate in fideicommissum favore proximiorum ordinatum reincidere voluit, prohibendo monialibus, ac Monasterio quodcumque jus super illis, ut colligitur ex verbis: *E morendo poi ambedue le dette Monache, il detto usufrutto in tutto, e per tutto ipso facto, & ipso jure ricadi all'infrascritto suo erede senza, che dette Monache, o pure loro Monasterio, sotto qualsivoglia pretesto, quesito, o colore, possino in alcun' tempo acquistare jus alcuno sopra detti luoghi di monti, nè sopra usufrutto, nè proprietà, perche intende solamente lasciar' detto usufrutto a dette Monache sue figliole loro vita durante, e non altrimente, perche in altro modo non sarebbe stato sua intenzio-*
2 *ne di lasciargliela*: Quæ sanè verba patefaciunt manifestam exclusionem monialium, & Monasterii à quacumque spe succedendi in bonis fideicommittentis, dum voluit, quod non possint *in alcun tempo* jus aliquod in sua hæreditate acquirere, ut de dictione *numquam* firmavit *Rota decis.* 174. *num.* 4. *part.* 13. *& decis.* 324. *num.* 1. *part.* 18. *rec.*

Unde cum Testator demandaverit, quod tota sua hæreditas in defectum lineæ suorum filiorum devenire deberet ad proximiores parentes de sua domo; hoc utique verificari non poterat nisi in Joanne Actore, qui est de domo de Colleonibus, & magis proximus
3 gravantis licet non gravato; quæ proximitas attendenda venit, quod Testator respectum habuit ad semetipsum utendo illis verbis *più prossimi di esso Testatore*. *Cyriac. contr.* 285. *n.* 76. *Urceol. consult.* 74. *n.* 6. *Card. de Luca de fideicomm. disc.* 50. *n.* 4. 6. 7. *Rot. in rec. dec.* 300. *n.* 30. *part.* 1. *& dec.* 14. *num.* 6. 7. 8. *part.* 8.

Quidquam non relevante exceptione prætensæ caducitatis incursæ per Joannem, ex quo contra præceptum fideicomittentis non alienandi bona fideicommissaria in pœnam caducitatis, omnia, & singula ejus bona inter vivos donavit Carolo Braccesco, per quam donationem sese de medio sustulerit, & factus fuerit locus successioni monialium. Etenim objectum cessare visum fuit non solùm quia hujusmodi exceptio uti de jure
4 tertii non est ullo modo allegabilis ab aliis, quàm à substitutis, non autem à monialibus ex mente Testatoris perpetuò à fideicommissis exclusis. *Rota cor. Cavaler. decis.* 96. *n.* 5. *vers. quia, & cor. Cels. decis.* 65. *n.* 8. *& decis.* 82. *n.* 6. *& decis.* 93. *n.* 13. *part.* 17. *recent.*

Verùm etiam ex quo in donatione prædi-
5 cta expressè protestatus fuit, quod sub ea compræhensa non intelligantur illa bona, & jura ob quorum alienationem aliqua caducitatis pœna incurri posset: Unde cum ista de quibus agitur, subjecta sint dispositioni, quæ in casu illorum alienationis caducitatem inducit; indè sequitur, quod in dicta clausula exceptuativa compræhenduntur, & sub donatione prædicta non veniunt. *Adden. ad Buratt. decis.* 749. *n.* 24 *& Rota cor. Gregor. decis.* 271. *n.* 27. *decis.* 219. *n.* 10. *par.* 4. *& decis.* 330. *n.* 12. *part.* 14

Quo verò ad aliam medietatem bonorum fideicommissariorum, animadverterunt DD. cum sorores moniales sint hæredes Dominici hæredis gravati, eisdem competunt detractiones legitimæ, & trebellianicæ per dictum Dominicum á bonis fideicommissis detrahendas: Et quamvis adversus illas opponantur defectus inventarii, & redditionis rationis; Attamen cùm in præsenti nulla detur concludens justificatio, per quam eligi posit probatio, quod Dominicus quidquam è bonis fideicommissariis alienavit; ideo censuerunt quoad hanc medietatem immissionem pro nunc non esse concedendam.

Et ita utraque, &c.

ROMANA CAMBII.

Lunæ 31. Januarii 1707.

ARGUMENTUM

Creditor cambii obligans se ad transmissionem pecuniarum per nundinas, quomodo ad differentiam debitoris, qui pactum, seu obligationem cambiandi susceperat, eam de forma ex Piana Constitutione, & ut usuræ evitentur probare debeat: quin conjecturæ suffragentur, vel solidationea solutionis cambiorum factæ a debitore, vel obligatio cum falso supposito ab ejus debitoris hærede emissa cambiandi? Sed imputare debet solutiones istas in sortem, & tanquam indebitè perceptas restituere quid super illam accepit. Et quasnam iste solutiones probationem exigant.

SUMMARIUM.

1 *Cambium requirit transmissionem pecuniarum ad Nundinas pro forma substantiali ex Constitutione 118. S. Pii V.*

2 *Cambia sine transmissione facta à creditore, qui se obligavit, dicuntur sicca, & illicita, ut nihil pro eis exigi valeat.*

3 *Et tunc solutiones factæ in causam cambiorum, cadunt de jure in extinctionem capitalis.*

4 *Et in eo quo capitale, seu sortem excedunt tanquam in debitum omninò sunt restituendæ.*

5 *Transmissio ad nundinas à creditore, qui se obligavit de jure requiritur vera, & realis.*

6 *Transmissio pecuniarum à creditore obligato non sufficit probari per præsumptiones elicitas, ex quo deventum fuerit ad generalem solidationem. & quietantiam super cambiis: sed debet probari per litteras* di spaccio, *quæ vocantur* dell'andata, *sivè saltèm* del ritorno, *juncto num. 7., & 10. & num. 14., & rationem affert num. 8.*

9 *Usurarum materia pendere non debet a mera voluntate Partium.*

11 *Novatio excluditur ex relatione facta ad primum instrumentum cum explicita præservatione jurium anterioritatis, & cum clausula --* senza novazione.

12 *Simplici assertioni debitoris favore creditoris non statur in materia usurarum.*

13 *Præsertim si sit emissa à persona non informata, & non habeat aliquod veritatis adminiculum, & publico instrumento resistat.*

15 *Creditor cambiorum non libera tur ab onere probandæ transmissionis ad nundinas ex solutionibus cambiorum a debitore minutatim factarum, quia istæ a lege factæ præsumuntur coactè.*

16 *Actus gestus in correlativitatem, & sequelam alterius, isto erroneo, & insubsistenti recognito, corruit.*

17 *Et ejus intuitu soluta tanquam indebitum repetuntur.*

18 *Transmissio* spacciorum *in cambiis a creditore non probatur per conjecturas, cum materia usurarum sit suspectissima: ad differentiam quando agitur de pacto, seu obligatione cambiandi a debitore suscepta.*

19 *Indebitum resultans ex solutione cambiorum non debitorum, ut imputetur in sortem, non requirit rigorosam probationem; sed sufficit, quod resultet ex confessione de recepto creditoris.*

20 *Solutiones in vero judicio restitutionis indebiti satis probantur ex pluribus adminiculis cum comprobatione librorum fundacalium.*

DECISIO CCCCLX.

Cambium limitatum scut. 1300. - in sorte ad rationem scut. quinque cum dimidio pro quolibet centenario contraxerat anno 1652. Raphael Androsilla sub Fidejussione Joannis Baptistæ, & Andreæ de Nigronibus favore Mauritii Giribaldi insignia in Urbe Causidici, qui onus assumpsit in se cambiandi, ac girare faciendi per ferias æquivalentem summam sui ipsius damno, & interesse mediante persona Joannis Francisci Gerardi in Urbe mercatoris. Ad tenorem hujusmodi contractus in causam cambiorum exegit Mauritius creditor à prædictis Fidejussoribus per totam diem 7. Settembris 1661. scut. 643. 50. - Istis autem defunctis Balthasar, & Petrus eorum filii, & respectivè Nepotes, & hæredes cum erroneo supposito, quod onus cambiandi fuisset à dd. fidejussoribus verbalitèr assumptum, obtinuerunt sibi de anno 1671. a Mauritio credisore fructus reduci ad rationem scut. 4. 50. pro singulo centenario, quos ideò solverunt usque ad diem 13. Aprilis ejusdem anni 1671. in summa scut. 585. - prout etiam subinde iteratò exbursarunt alia scut. 460. - pro fructibus successivè decursis.

At quia animadversum fuit, quod a præfato Mauritio, qui onus cambiandi in se assumserat, nunquam pecuniæ transmissæ fuerant per nundinas, Fratres de Nigronis fructus solvere recusarunt: Quapropter Dominicus Maria Girlbaldus defuncti Mauritii Nepos, & hæres de anno 1684. institis coram A. C. pro restitutione tàm sortis principalis cambii, quàm prò fructuum decursorum solutione. Cumque tunc nihil obtinere potuerit, & causa sub silentio diù remanserit usque ad annum 1705., illa tunc reassumpta lata fuit sententia ab R. P. D. meo tunc A.C. Aldrovando hodie nostro meritissimo Collega, qua Nigronis absolutis à petita restitutione sortis, fructuumque solutione, condemnata fuit hæreditas Mautitii ad restituendum scut. 386. 80. - tanquam indebitè exacta; sed commissa mihi appellationis causa, cum hodie quæsitum fuerit -- *An, & de cujus credito constet* -- DD. de credito fructuum de Nigronis in præfata summa scut. 386. 80., constare responderunt.

Cum enim non probetur, fuisse per Mauri-

ritium ereditorem pecunias ad nundinas
rransmissas ad formam suæ obligationis, exhi-
1 bendo saltem litteras redditus, sicur sine d.
transmissione, quæ pro forma substantiali
requiritur *ex censura Constitutionis* 118.
Sa. me. Pii V., cambia dicuntur sicca, &
2 illcita, & nihil pro eis exigi valet, ex fir-
matis *per Rotam cor. Bichio decis.* 565. *n.* 2.
coram Dunozetto decis. 962. *num.* 12. *in rec.*
decis. 28. *num* 32. *parte* 9. *dec.* 392. *num.* 3.
parte 16. *decis.* 191. *num.* 3., *&* 4. *parte* 18.
in Romana cambii 8. *Februarii* 1697. §. *pri-*
mo cor. bo. me. Ursino, & 26. *Junii ejusdem*
Anni §. *quamvis cor. R. P. D. meo Ansal-*
do. Ita venit in consequentiam, quod solu-
3 tiones licet factæ in causam cambiorum ipso
jure cesserint in extinctionem capitalis, ac
si pro ipsa sorte factæ fuissent, *Bartol. in l. si*
nam sortem num. 4. *ff. de condit. indebit.*
Rota cor. Bich. decis. 14. *num.* 1., *&* 2., *&*
decis. 130. *num.* 7., *&* 8., *& in rec. dec.* 192.
num. 3., *&* 4. *parte* 13.: & scut. 386. 80. -
4 quæ ultra sortem soluta fuerunt, tanquam
indebira veniunt omnino restituenda, *ad*
Text. in l. 1., *& tot titulo ff.*, *& Cod. de*
condit. indebit. Rocca disput. selectar. cap. 95.
num. 24., *& seq. Rota cor. Dunoz. sen. de-*
cis. 276. *n.* 6. *in Perusina repetitionis indebi-*
ti 4 *Februarii* 1692 §. *fundamentum coram*
R. P. D. meo Priolo.

Nec ad evitandam imputationem d. pri-
mæ partitæ scut. 643., quæ pro cambiis, &
recambiis Anno 1661. soluta fuerunt per
Joannem Baptistam, & Andream de Nigro-
nis, juvat recurrere ad præsumptionem,
quod spaccia fuerint transmissa, ex quo par-
res devenerunt ad generalē solidationem, &
quietantiam super cambiis, inferendo exin-
dè, quod spaccia fuissent recognita, quia
sinè illis verisimile non sit, quod Nigroni
5 solvere voluissent. Quoniam cum transmis-
sio prædicta de jure requiratur verè, & rea-
6 liter, quodque probetur per licteras *di spac-*
cio, quæ vocantur *dell'andata*, sivè saltem
del ritorno, sinè quibus pecuniæ solutæ sem-
7 per imputantur in sortem, ex allegatis. Hu-
jusmodi tam rigorosa probatio supleri non
potest ex sola generali præsumptione, &
verisimilitudine desumpta ex solutionibus
factis per debitorem, *Rota dec.* 74. *num.* 16.
cor. Bichio decis. 775. *num.* 2. *parte* 4. *divers.*
& decis. 145. *num.* 6. *parte* 9. *rec.* Nam
alias actum esset de observantia Constitutio-
8 nis Pianæ, si ita de facili licita redderentur
eambia etiam non probata effectiva pecu-
niarum transmissione, quia tali casu aperi-
retur via fraudibus, & daretur aditus ad
palliandas usuras, *Rocca d. cap.* 95. *num.* 21.
Vrceol. de transact. qu. 1. *num.* 15. *Rota de-*
cis. 392. *num.* 6. *parte* 16., *& decis* 191. *n.* 8.
& 9 *parte* 18. *rec.*: Quando absolutum est,
9 quod materia usurarum pendere non debet
à mera voluntate, & potestate Partium, &
simplices solutiones, aut ipsarum confessio-
10 nes reddere nequeant licitam perceptio-
nem Cambiorum, nisi aliundè concluden-
tèr probetur veritas, & realitas transmissio-
nis ad nundinas, ut advertunt *Vrceol. de*
transact. quest. 4. *num.* 15. *R. P. D. meus*
Ansaldus in suo tractatu de commercio. &
Mercatura disc. 66. *num.* 17., *& seq. Rota*
cor. Bichio d. dec. 130. *num.* 13., *& in rec.*
d. decis. 392. *num.* 6. *parte* 16.

Sicut autem ex prædictis indebita appa-
ret solutio cambiorum facta usque ad annum
1661. ab ipsis fidejussoribus, ità bonificata
nec fuit altera facta ab illorum hæredibus,
quamvis ipsi confessi fuerint, quod sui aucto-
res assumpsissent in se onus cambiandi, un-
dè etiam inferebatur ad novationem primi
contractus. Præmisso enim, quod omnis
novatio excluditur ex relatione habita in
11 actu solutionum ad ipsum instrumentum,
cum explicita preservatione jurium anterio-
ritatis, & potioritatis, & cum clausula
-- *senza alcuna innovazione* -- ex traditis
per Marescot. var. resol. cap 56. *num.* 3., *&*
16. *Rota cor. Priolo dec.* 187. *num.* 10., *&*
cor Emerix 1284. *num.* 1., cessare visa fuit
12 difficultas ex indubitata regula, quod in
hac usurarum materia simplici dd. Nepotum
13 assertioni standum non est, præsertim quia
fuit emissa à personis non informatis, nul-
lam habet pro se veritatis adminiculum, &
eidem resistit publicum Instrumentum. Un-
dè cum Giribaldus gerat hic munus actoris,
14 semper recurrit responsio, quod ad ipsum
spectat onus probandi veritatem, & reali-
tatem cambiorum, & interesse, pro qui-
bus pecunias solutas retinere contendit,
R. P. D. meus Ansaldus in d. suo tractatu
disc. 66. *num.* 21. *Rota decis.* 291. *num.* 9.
& dec. 392. *per totam parte* 16. *dec.* 518. *n.* 14.
p. 18., *& in Romana cambiorum* 28. *Apri-*
lis 1692. §. *quod autem cor. bo. me. Beninca-*
sa Non attento, quod fructus, & cambia
fuerint minutatim soluta à debitoribus, ex
quibus deducitur tacita eorum approbatio
& confessio transmissionis pecuniarum per
nundinas. Quia cum dd. solutiones a lege
15 coactè factæ præsumantur, non possunt li-
berare creditorem ab onere probandi tran-
smissionem ad nundinas, ut explicat *Rota*
in Medialanen. Pecuniaria 15. *Januarii*
1691. §. *in nihilo obstante cor. Rmo D. meo*
Decano.

Atque ex his inevitabilis quoque redditur
imputatio alterius partitæ scut. 460. ab eis-
dem Nepotibus solutorum pro annis 1673.
usque ad annum 1682., quia, & si isti an-
no 1671. assumpsissent in se onus transmit-
tendi pecunias per Nundinas, & Giribaldus
vigore prædictæ obligationis ipsos cogi pos-
se ad Cambiandum prætendat; attamen cum
prædicta obligatio fuerit omissa correlativè
ad suppositum, quod Andreas patruus tale
onus transmissionis in se præcedenter assum-
psisset anno 1661. constito ex prædictis de
16 dicto erroneo, & insubsistenti supposito,
isto corruente, corruit, & actus in illius
sequelam gestus, & aperitur via pro obti-
17 nenda repetitione indebiti, ad tradita per
Gra-

Gratian. discept. forens. Cap. 501. *num.*1., *& seq. Rota dec.*349. *num.*9. *par.*17. *rec.*

Quin prodesse possint conjecturæ cumulatæ à scribentibus pro Giribaldo ad effectum
suadendi transmissionem spacciornm. Nam
18 quidquid dicendum foret, si ageretur de
interpretatione alicujus pacti, & obligationis cambiandi, quod per debitorem prætenderetur susceptum, cum in præsenti quæstio sit super justificatione dictæ transmissionis, & materia usurarum sit suspectissima, ne detur aditus eludendi legem, conjecturæ rejiciuntur, ut distinguendo casus respondit *Rota dec.*706. *num.*9., & 18. *coram Cerro in rec. dec.*392. *num.*8. *par.*16. *dec.*391. *n* 8. *par.*17., & *dec.*229. *nu.*11., & 12. *par.*18.

Exceptio autem, quod solutiones non probentur, nisi cum simplici confessione de recepto, ideoque adduci non possint pro extenuatione sortis, nullo modo subsistit. Tum quia in his terminis non requiritur adeo rigorosa probatio indebiti, sed admit-
19 tit etiam illam, quæ resultat ex propria
confessione creditoris, *Card. de Luca de usur. disc.*12. *nu.*18., & *seq. Rota dec.*420. *num* 17., & *dec.*526. *num* 13. 14 *par.*14., & *dec.*401. *à n.*6. *usque ad* 17. *par.*16. *rec.* Tum quia in rei veritate non fuerunt exhibitæ simplices confessiones de recepto, sed effectivæ solutiones in pecunia numerata pluribus adminiculis, & partitis librorum fundacalium pariter comprobatæ, quæ etiam in ve-
20 ro judicio repetitionis indebiti plenam pro-
bationem constituerent, ex firmatis *per Rotam dec.*6. *num.*21. *par.*11. *rec.*

Quibus ita firmatis, cum sors personalis cambii esset in sc.1300., & constet, quod in tribus vicibus Nigroni solverunt scut.1686. 80., utique si illa ex præmissis referantur ad diminutionem sortis, supersunt sc.386. 80., super quibus remanent illi creditores.

Et ita utraque &c.

PERUSINA FIDEICOMMISSI SEU SALVIANI SUPER EXPENSIS.

Lunæ 31. Januarii 1707.

ARGUMENTUM.

Possessor, qui a se prædium avocari passus est ex Salviano interdicto à creditore, & qui litem acriter usque ad rem judicatam sustinuit, tenetur de proprio ad expensas. Et diversitas, quæ inter fructus prædii, & expensas intercedat assignatur. Cætera in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Res judicata oritur a non interposita appellatione.*

2 *Restitutio in integrum denegatur, non concurrente læsione.*

3 *Expensæ juxtè taxantur lite super una re exacta, licet super alia contemporaneè petita adhuc vertat.*

4 *Immissus in Salviano sicut de credito, & fructibus, ita de expensis, ex fructibus fundi debet satisfieri.*

5 *Expensæ cur reficiantur?*

6 *Possessor conventus nolens possessionem dimittere, & in judicio succumbens expensas litis de suo debet reficere, & cur?*

7 *In judiciis quasi contrahitur.*

8 *Possessor contrahit in propriis bonis obligationem ex sua contumacia reficiendi expensas: cum acriter litem usque ad rem judicatam sustinet contra petentem immissionem in Salviano, &* n. 11. *refutatur Sabell. contrarium sentiens.*

9 *Et affertur differentia, quæ inter fructus, & expensas in talibus possessionibus intercedit.*

10 *Lucrum ex contumacia, & dolo in tertii præjudicium non debet reportari.*

11 *Rota ad condemnationem expensarum procedit contra quoscumque succumbentes.*

DECISIO CCCCLXI.

Sententia immissionis in vim utilis Salviani adversus Dionysium aliosque de Crispoldis, per Cammilium, & fratres de Valentinis per R. P. D. Meum Scottum lata super nonnullis bonis sitis in suburbiis Perusiæ in loco nuncupato Prepo, confirmata deinde remansit coram R.P. D. Meo Priolo, reservatis tamen sub alio particulari examine Palatio, & Molendino in dicto Prædio existentibus, atque unico contextu ab eodem taxatæ fuerunt expensæ litis in scut. 194; cum autem ab hoc decreto, non fuerit interposita appellatio, & Signatura mihi commiserit causam restitutionis in itegrum ab excessiva tantùm, disputandum proposui dubium -- *an constet de re judicata -- & affirmativum* habui responsum.

Clara namque visa fuit res judicata, ex quo Crispoldi nullam interposuerunt appel-
1 lationem à decreto taxationis expensarum,
nec in præsenti docent de ulla lęsione ac excessu, quapropter non esse locus restitutioni
2 in integrum, *ut ad Text. in cap. si Romana*
de appellat. & l. final. §. illud C. eodem & l. quod si minor 25. *§.*1. *ff. de Minor.* firmavit *Rota in Veliterna manutentionis* 10. *Februarii* 1696. *§.*1. *circa finem cor. bo. me. Muto, & in Rom. successionis, & Legitimæ super bono jure* 13. *Februarii* 1696. *§. etiam si cor. R.P.D. Meo Scotto.*

Absque eo, quod lęsio desumi possit ex eo, quia procedendum non erat, ad taxationem expensarum pro immissione dūtaxat concessa ad prædium, non expectato exitu litis, super immissione Palatii, & Molendini per Valentinos, contemporaneè intentata, & in decreto R.P.D. Prioli reservata. Quoniam
3 ad effectum de quo agitur, satis est, quod lis
pro qua expensæ fuerunt factæ, terminata extiterit: ideo cum respectu Prædii dubitari non possit de totali terminatione, & expensæ prò illa tantum petantur, utique hoc satis-

satisfuit, ut legitimè condemnari potuerint Chrispoldi ad earumdem refectionem, non expectato incerto eventu alterius litis super Palatio, & Molendino, in qua nova superveniet taxatio, *Rota cor. Caputaquen. dec. 341 par. 1. & cor. Puteo dec. 138. lib. 1. & cor. Coccin. dec. 848., & in Rom. alimentor. super expensis 22. Januarii 1700. §. asperum cor. R. P. D. Meo Ansaldo, & in Rom. Immissionis super expensis 7. Decembr. 1705. per tot. cor. eodem*.

Pariterque non relevat, quod taxatio fuisset excessiva utpotè continens expensas factas in prima instantia coram R. P. D. Meo Scotto, eo sub obtentu, quod pro eis relaxari nequivisset mandatum contra Crispoldos uti succumbentes in judicio Salviani.

4 Nam sicuti inmissio conceditur ad bona, ad hoc ut creditor satisfieri debeat de suo credito ex fructibus, ita & debeat ex eisdem fructibus de expensis sibi reficiendis satisfieri.

Si quidem posita regula, quod expensæ reficiuntur. Victori ad hoc ut tali pacto 5 reficiatur damnum ei, qui illud injustè passus fuit litem *L. qui in solidum §. etiam ff. de legat. 2. Cassons. cons. 67. ante num. 1. Rota cor. Pamphil. dec. 419. n. 6.* consequens 6 est, ut dum possessor conventus noluit possessionem dimittere, & litem sustinuit, dicatur dedisse causam damno passo per actorem, ideo tenetur de suo illud reficere. *ad Text. in l. 1. ubi Glos. & scribentes quadrupes pauperia fecisse dicatur*, & melius ad rem nostrã *in L. unica § si procurator si quis jus dicenti non obtemperaverit L. non est ignotum C. de administrat. tutor. Rota d. dec. 319. num. 6. cor. Pamphil.*

In Judiciis enim quasi contrahitur. *L. p. §. idem scribit ff. de peculio Rota cor. Coc-* 7 *cin. dec. 1859. num. 63., & in rec. dec. 164. num. 8. par. 19.*, & propterea dum Crispoldi voluerunt litem usque ad rem judicatam 8 acriter substinere, contraxerunt in propriis bonis obligationem reficiendi expensas, ut omissis generalibus in his terminis *Bald. consil. 73. num. 3. post medium lib. 3. Dec. consil. 240. num. 3.* Et hinc oritur differentia 9 inter fructus, & expensas, quia respectu illorum, cum debeantur ex bonis, actor relevatur per diuturniorem possessionem, & retentionem bonorum, at secus est in expensis, pro quibus bona non sunt obligata, cum lis non ex facto primi debitoris processerit, sed ex contumacia possessoris, qui non debet cum alienis bonis proprium debitum satisfacere, ut egregiè prosequitur *Bald. d. cons. 73. in fine lib. 3.* Nam aliter ex sua contumacia, & dolo lucrum reportaret in præjudicium Tertii, quod non est permittendum, ut ratiocinatur *Bald. d. cons. 72. num. 4. vers., & imputet suæ temeritati*.

Parum refragante, quod contrarium senserit *Sabel. resol. 7. num. 6., & seq.*, quia ille non est attendendus veluti se referens 10 ad stylum, & praxim Tribunalis exteri; vel forsan non admittendus in suo sensu indifferenter, & pro quacumque causa, aut in non judicio expensarum condemnationis, ad quam nostrum Tribunal indistinctè pro-11 cedit contra quoslibet succumbentes; *Cardin. de Luca de Judiciis disc. 39. num. 10. Adden. ad Buratt. dec. 921. num. 9. Rota coram Pamphil. d. dec. 319. num. 5.*

Et ita utraque &c.

ROMANA LEGATI.

Veneris 4. Februarii 1707.

ARGUMENTUM.

Pro Legatis à Rota ex integro petitis via executiva non datur, secùs si in gradu appellationis à mandato ab A. C. expedito: Secunda donatio mutuo consensu diversa, & cum pactis incompatibilibus cum prima, primam revocat. Latè agitur de decretis Serenissimorum Urbini Ducum plenissimè adhuc observatis, invalidantium donationes sine Principis licentia factas, etiam juratas, & etiam à Subdito, cum non Subdito ratione correspectivitatis, & in loco extra ditionem stipulatas.

SUMMARIUM.

1 *Via executiva non datur in Rota pro Legatis contra opinionem Angeli.*
2 *Limita quando primo loco actum fuit in Tribunali A. C., in quo pro legatis datur via executiva, & causa est Rota commissa cum clausula:* S. Q. E.
3 *Mandatum est validum, & exequendum, si servatus sit stylus Tribunalis, in quo fuit relaxatum.*
4 *Legatum si expresè apparet in testamento non vitiato, sed solemnitatibus omnibus munito ex legantis hæreditate, dubio procul est solvendum.*
5 *Legato gravari non possunt bona præcedenter donata, nec de eis testari.*
6 *Secùs si vel ex utriusque consensu donatio sit revocata, vel sit nulla.*
7 *Donatio præcedens revocata censetur per secundam, in qua de utriusque Partis consensu insunt pacta inita cum manifesta discrepantia, & incompatibilitate in substantialibus cum prima.*
8 *Consensus mutationi donationis primæ per secundam convincitur, cum uterque actus fecit, ex quibus univocè eam approbavit.*
9 *A contractu, mutuo interveniente consensu, recedi utique potest.*
10 *Amplia etiamsi expressus non sit consensus; quia sufficit tacitus.*
11 *Secunda donatio primæ censetur revocatoria, cum in ea mutuo consensu adest novæ personæ adjectio, vel conventionum variatio, & mutatio.*
12 *Donatio in Statu Urbini fieri nequit, & facta non sustinetur sine licentia Eminentissimi Legati, ex antiquis decretis illius Sere-*

Serenissimorum Ducum, à fa: me: Urbano VIII. confirmatis, & in unum volumen à clar. me: Cardin. Albitio collectis, & num. 15.

13 *Decreta Serenissimorum Urbini Ducum prohibentia donationes sine eorum licentia, sunt inconcussè observata.*

14 *Et à publicationis, & observantiæ defectu de quibus dubitatum fuit à* Rota coram Calataju *vindicata.*

16 *Decreta dd. donationes sine licentia prohibentia fuit amplissimis verbis concepta, & adimunt fidem scripturis, præsumendo actum fraudolenter, & simulatè gestum, ac dolo metuque extortum.*

17 *Comprehendunt quodcumque donationis genus.*

18 *Etiam juratæ.*

19 *Statuentium facultas ultra propriam ditionem quando extendatur?*

20 *Donatio correspectiva quoad unum nulla, quia à jure suo municipali præscripta non servavit, quoad alium quoque nulla censetur.*

21 *Contrahentes ad imparia nequeunt judicari.*

22 *Actus individuus quoad unum nullus declaratus, etiam quoad alium est nullus.*

23 *Decreta Serenissimorum Urbini Ducum, an sint servanda in donationibus ab ipsis prohibitis? quoties utrique contrahentes desierunt esse Subditi; ut est casus mulieris extra statum nuptæ, & domicilium habentis relatum* à Decis. coram Calatajù.

24 *Forma à statuto præscripta servanda est etiam in contractibus à Subditis extra Statum initis.*

DECISIO CCCCLXII.

IN ultimo eum quo decessit testamento bo: me: R.P. D. Franciscus Zeccadorus scriptis sibi hæredibus Gaspare Gottifredo, & Comitissa Lucretia Zeccadora fratre, & sorore respectivè, inter cœtera legavit scut. 2000. favore Capituli Ecclesiæ Cathedralis Forosempronien. sed illa hæredibus solvere recusantibus, fuit ab A. C. mandatum executivum relaxatum, à quo commissa mihi appellationis causa cum clausula: *Si quid exequendum dedi dubium*, *An mandatum A. C. sit exequendum*, DD. attenta illius validitate, & justitia *affirmativè* responderunt.

Nec contra validitatem obstare visa fuit exceptio, quod non possit pro consecutione
1 legati agi via executiva in nostro Tribunali, in quo non proceditur cum opinione *Angeli in §. Illud Authent. de hered. & falcid.* Etenim quidquid dici posset ubi fuisset ex inte-
2 gro petita relaxatio mandati; utique contrarium dici debet, quoties primo loco actum fuit in Tribunali A. C., in quo proceditur via executiva, & causa reperitur commissa cum clausula: *Si quid exequendum*; in iis enim terminis nunquam nostrum Tribunal se abstinet ab executione, cum pro mandati validitate sufficiat servatum fuisse stylum A.
3 C., à quo fuit relaxatum mandatum. *Rota dec.416. n.5.6 part.16. dec.217. num.3. 4. & dec.402. n.1 part. 19. recent. in Viterbien. legati 16. Januarii 1702. §. Agnoverunt cor. bo: me: Muto, & in Senogallien. legatorum 28. Junii 1702. §. Nullitatis cor. Emo Tremoille.*

Justitia verò resultat ex publico testamento d. bo: me: Francisci Zeccadori omnibus solemnitatibus munito, & in nulla sui parte vitiato, in quo cum expressè legatum hujus-
4 modi relictum appareat; utique illud dubio procul ex hæreditate legantis venit persolvendum, *Text. in §.1. Instit. de legat. l. Legatum la t. ff. de legat. Rota in Avenionen. legati 5. Junii 1699. §. Legatum cor. bo. me. Muto.*

Absque eo quod mœreatur animadversionem objectum, quod inter Testatorem, & Gasparem Gottifredum hæredem scriptum præcedenter, & usque de anno 1688. intercesserit quædam donatio reciproca inter vivos; qua stante non potuerit exindè alter ex condonantibus in ejusdem donationis præju-
5 dicium testari, & bona donata legato prædicto gravare. Etenim vel hujusmodi donatio fuit subindè revocata, & quidem de utri-
6 usque donantis voluntate, & consensu, vel de illa tanquam subjecta manifesto nullitatis vitio nulla ratio habenda est.

Et sanè revocatam fuisse, constitit ex eo, quòd ipsemet Gaspar Gottifredus anno 1700. longè post devenit ad aliam donationem favore ejusdem Zeccadori, cum conventionibus, & pactis omninò disparatis, & incompatibilibus; ut eas insimul comparando facilè est recognoscere.

Prima enim erat reciproca adjecta causa mutuæ benevolentiæ, & amoris, quo sese invicem prosequebantur: fuitque in ea reservata quantitas scut.500. ad effectum testandi, ac ulteriùs fuit adjectum pactum, quod donatio locum habere deberet, quotiescumque morerentur sine filiis legitimis, & naturalibus; secùs autem quotiès ambo, vel altero eorum morerentur cum filiis; adjecto pacto resolutivo, & clausula: *& non aliàs, aliter, nec alio modo.* In secundo verò contractu tàm primo loco deficit reciproca donatio, cum ad illum solùm Gottifredus devenerit; fuit deindè expressa alia particularis causa, ut scilicet Zeccadorus in sua Prælaturæ dignitate comodiùs sustentari possèt; nec ampliùs sibi reservavit facultatem testandi de scut. 500., sed illam ad sola scut. 300. restrinxit: ac tandem nulla facta mentione filiorum solam conditionem reversionis continet, quatenùs Zeccadorus donatarius ipsi
7 Gottifredo prædecessisset. Stante autem hac manifesta discrepantia, & incompatibilitate, quæ in substantialibus intercedit inter unam, & alteram donationem, inducitur novuus actus, & ponitur in claris per secundam fuisse præcedentem revocatam; *Gloss. in L. fin. C. de novat., Bartol. in L jus civil. in fin. ff. de justit. & jur., Menoch. consil.35. à n.18. juncto num.29. lib.1. Surd. consil.202.*

fil.202. n.4. Allograd. consil.8. n. 86. Fusar. de substitut. quaest. 632. n. 8. Cyriac. controvers. 310. n. 28. tom. 2. Urceol. consult. forens. cap. 22. sub n. 1. tom. 1. Rota post Merlin. de pignor. decis. 10. à num. 7. & cor. Zarat. decis. 98. num. 2.

Id autem fuisse de utriusque donantis consensu factum, prout omnino requiritur, comprobatum remanet. Tum ex quo Zec-
8 cadorus in hac secunda donatione vocatus pinguius ex ista recipiebat emolumentum. Tum quia condidit posteà suum, eum quo decessit Testamentum, & de bonis propriis tanquàm suis disposuit, quod utique facere non potuisset, nisi prima donatio, in qua de eisdem bonis inter vivos disposuerat, resoluta fuisset. Et quod pius est, Gottifredus hæres institutus, defuncti fratris hæreditatem acceptavit, & tamen ab ea protsus se abstinere debebat, quoties donatio anni 1658. in suo esse perstetisset. Certi autem
9 juris est, quod mutuo interveniente consensu potuit à primo contractu recedi, *per Text. in L. ab emptione 58. ff. de pact. L. Prout. 80. ff. de solut. Urceol. de transact. qu. 88. n. 1., & 2. Conciol. allegat. 50. num. 54. Rota cor. Merlin. dec. 809. n. 12., & in rec. dec. 130.*
10 *num. 5. parte* 12. Quodque non est necesse, ut consensus sit expressus, cum sufficiat etiam
11 tacitus resultans ex additione novæ personæ, vel ex varietate, & mutatione conventionum, *Urceol. de transact. d. quest. 88. num. 8. Mantic. de tacitis., & ambig. lib. 21. tit. 10. num 5. 6. Mans. consult. 20. num. 3. Gob. consult. decis. 19. num. 60. Rota coram Emerix decis. 1316, num. 10. in rec. dec. 33. num. 3. 4., & seq. parte 6. decis. 130. n. 10. 11., & in Seuogallien. Pecuniaria 24. Martii 1700. §. non obstat coram. Rmo D. meo Decano.*

Constito ex prædictis de reciproca revocatione primæ donationis, superfluum esset immorari in detegenda illius nullitate, quæ
12 tamen manifestè resultat, dum ad illam deventum fuit sine præcedenti licentia Emi D. Cardinalis Legati Urbini, quam sicut sub pœna nullitatis exquirunt decreta Antiquorum Ducum ædita anno 1561., & 1621. post devolutionem prædicti status confirmat, à S. me. Urbano VIII., & successivè in
13 unum volumen collecta ab Eminentissimo D. Cardinali Astallio suæ legationis tempore, ità posita eorumdem in concussa observantia, de qua *Cardinal. de Luca de donat. disc. 2. num. 27., & disc. 35. num. 7. Conciol. allegat. 30. num. 12., & 45. Rota post Paitell. decis. 41., & decis. 239. num. 7., & seq. par. 17. recent. ubi* signanter respondetur decisioni alias editæ *in Perusina, seu Eugubina donationis 24. Aprilis 1671. coram bon. mem. Calataju*, in qua fuerat de publicatione, & existentia decretorum
14 dubitatum. Exinde sequitur, quod dicta
15 donatio, quatenus etiam revocata non fuisset, attendi non debeat, ut alias respondit *Rota dec. 271. num. 10. par. 15. rec.*

Nec prædictis defectus excusari valet, ex quo agitur de donatione reciproca, ac juramento vallata; Quia cum præfata decre-
16 ta fuerint concepta amplissimis verbis, &
17 adimant fidem scripturis præsumendo Actum fraudolenter, & simulatè gestum, ac dolo, metuque extortum, dicuntur comprehendere quodcumque donationis genus etiam juramento firmatæ, ut de comprehensione omnium donationum tradunt *Ruinus Cons. 42. n. 6. cum seq. lib. 1. Gratian. discept. 82. num. 28., & seq. tom. 1., Bonden. collect. 20. num. 223. tom. 2., Rota de. 239. num. 17. parte 17., & dec. 528. in fine part. 19. Andreol. in terminis præcisis decretorum Urbini controv. 55. num. 2., & seq.*
18 & de donat. jurata *Card. de Luca de donat. disc. 35. num. 14.*, ubi loquendo de istis decretis respondet *Conciol., & Andreol.* in oppositum allegatis, & generaliter *Rota dec. 55. num. 6., & dec. 352. num. 6. p. 17., dec. 155. à num. 5. ad 10., & dec. 490. n. 5. part. 19. rec.*

Sicut neque obstat, quod Gottifredus esset Patritius Romanus, & per consequens dispositioni decretorum non subjectus; quodque in omnem casum sufficiat, donationem fuisse stipulatam in Civitate Perusiæ
19 ad quam dd. decreta non porriguntur, cum facultas statuentium extrà propriam ditionem non extendatur; quoniam respectu primi satisfacit responsio, quod Zeccadorus alter ex donantibus erat Civis Eugubinus, ideo data nullitate, quoad ipsum, ob non servatam formam decretorum, rema-
20 net nulla etiam quoad Gottifredum, ex vi correspectivitatis, ex regula *Text. in l. etiamsi 30. §. ex causa ff. de minor., Rota post Zacch. de oblig. Cameral. dec. 43. num. 12.*
21 *& in rec. dec. 90. n. 4 parte* 19. Cum æquum non sit, quod contrahentes ad imparia judi-
22 centur, sed ubi invalida quoad unum declaretur, debet ratione individuitatis, etiam quoad alterum idem decidi, ut præter allegatos, *Rot dec. 604. num. 3., dec. 735. n. 45. parte 18., & dec. 142. n. 19., & decis. 365. n. 26. p 19. rec.* respectu vero secundi, quidquid dici posset ubi ambo contrahentes desiissent esse subditi decretis, & Legationi Urbini, ut erat in casu d. decisionis *Perusinæ, seu Eugubinæ donationis 1671. cor. bo. me. Calataju*, in qua agebatur de donatione facta à muliere, quæ tamen nupta erat in Civitate Perusiæ, ibique domicilium contraxerat. Hoc unum certum est in præsenti, quod præscindendo à d. circumstantiâ, debet forma à statuto prescripta servari etiam in contractibus gestis extra statum, *juxta theoricam Bart. in l. Cunctos populos n. 32. C. de sacrosanct. Eccl., Alex. Consf. 128. nu. 1. vers. 2. Urceol de transact. q. 63. n. 15., & 16., Rota coram Merlin. decis. 605. n. 1., & in rec. dec. 91. n. 3. p. 9., & dec. 400. num. 17. p. 13.* & in istis præcisis terminis *Card. de Luca de donat disc. 35. n. 17.*

Et ità utraque &c.

FERENTINA BONORUM.

Lunæ 7. Februarii 1707.

ARGUMENTUM.

Donatio a muliere facta intuitu meritorum, de quibus specificatio non fit, quando sustineatur? Cætera in Summario.

Confirmatur infra dec. 583.

SUMMARIUM.

1 *Immissio benè conceditur causam habentibus a donataria in bonis sub donatione cadentibus.*

2 *Donatio a muliere expleta, cum facta sit intuitu meritorum, de quibus mentio dumtaxat in genere, & vaga fuit facta, non sustinetur.*

3 *Limita cum a muliere majore, & cum omnibus solemnitatibus statutariis facta fuit, quia omnia beneficia expressa vera esse, & a Judice recognita, & valida præsumuntur, donec ab impugnantibus contrarium probetur.*

4 *Limitationem amplia si de meritis, quorum intuitu facta fuit donatio, ex viri religiosi attestatione constet.*

5 *Attestationi religiosi est multum deferendum, presertim ad sustinendum actum omni fraudis de cæterò suspicione carentem.*

7 *Uxor creditrix viri ejus bona apud se extantia, ex ministerio legis in proprii crediti satisfactionem appropriasse præsumitur.*

7 *Sententia precipitanter lata non citato eo, de cujus præjudicio agitur, in ejus supplantationem collusivè obtenta dicitur.*

8. *Transactio in sequelam sententiæ collusivæ inita, collusiva paritèr dicitur: nec ex ea præjudicium afferri potest juri tertii quæsito.*

9 *Retentio bonorum debitoris fieri nequit pro sorte censuum, utpote ex Bulla S. Pii V. irrepetibili.*

10 *Retentio allegari non potest ex juribus debitorum dimissorum, quę quis extinguere se obligaverat.*

11 *Immissio excludi non potest cum creditis illiquidis ex perceptione fructuum, nisi ratio integrè reddita sit.*

12 *Reus in exceptionibus fungitur vice actoris, & eas probare tenetur.*

13 *Immissio non retardatur ex prætensione melioramentorum, ad quorum probationem cum longe anteà fuerint admissi articuli, nunquam fuerant examinati.*

DECISIO CCCCLXIII.

VIgore donationis omnium bonorum factæ per quondam Veronicam de Cerrinis, favore Claudiæ Tibaldeschæ auctricis qu. Abbatis Dominici Passerini, iste immissionem ad omnia dd. bona donata, & signantèr ad domum in Civitate Ferentina existentem, per duas favorabiles sententias, obtinuit, quæ deindè cor. bo. me. Ursino confirmationis robur habuere, prævia decisione ædita 25. Junii 1698., & hodie ad instantiam PP. Scolarum Piarum Nursiæ, qui d. Abbati Passerino successerunt repropòsita causa cor. me. in locum defuncti Collegæ subrogato, steterunt DD. *in decisis*.

Iterum enim constitit, d. domum contineri sub universalitate bonorum per Veroni-
1 cam Cerrinam donatarum; ideò benè concessa fuit immissio habentibus causam à Claudia Tibaldescha prima Donataria, *Rota coram Sa. me. Alexandro VIII. dec.238. num. 2., & dec. 44. num. 1. p. 1. divers., & in rec. dec. 339. num.1. parte 4., & dec.578. in principio parte 5.*

Nec obstat, quod donatio facta fuerit intuitu meritorum d. Claudiæ, & tamen nulla de eis legatur specifica, & individua men-
2 tio, cum fuerit dumtaxat in genere, & vagè enunciata, undè cum agatur de donatione à muliere expleta, remaneat nullitatis vitio obnoxia: Etenim cum mulier esset in majori ætate constituta, & actus fuerit expletus cum omnibus solemnitatibus statutariis, adiecta expressione, quod d. Claudia Donataria expensis, & laboribus quampluribus non pepercerat in beneficium istius Veronicæ donantis, cessat quæcumque nullitas, cum omnia præsumantur a Judice decretum interponente, tanquam vera, benè recognita fuisse, & secumferr præsumptionem validitatis, donec contrarium ab impugnantibus probetur, *Rota cor. Seraphin. dec.462. num. 3., & cor. Buratt. dec. 538. num. 9., & coram Greg. dec.406.num. 15., & in rec. dec. 468. n. 11. parte 14.*

Tantòque magis, quia de iisdem meritis in præsenti satis constat ex attestatione viri religiosi qualificati, ut in *Summ. num. 5.* cu-
4 jus assertioni valdè deferendum venit maximè ad effectum substinendi actum de cætero
5 omnis fraudis suspicione carentem, *Card. de Luc. de fideicommiss. disc.183. n.5., Rot. cor. Coccin. dec.2117. n.78., & cor. Dunoz. jun. dec.647. n.20., & dec.205. n.4.*

Posita autem validitate donationis, frustrà ad retardandam immissionem repetebatur exceptio, quod domus controversa non integrè, sed pro medietate dumtaxat ad Veronicam donantèm spectabat, tanquam ad eam perventam ex titulo successionis in hæreditate fratris: dum alia medietas erat Flaminii ejus viri. Quoniam in facto nihil aliud probatum apparuit, quàm quod iste duas stantias titulo emptionis modico prætio scutor. 20. acquisiverat. Undè cum Veronica reperiretur in longè majori summa creditrix
6 Flaminii; præsumendum est, quod ex ministerio legis præfatas stantias sibi in satisfactionem proprii crediti appropriaverit, ad *Text. in l. qui habeat 99. §. Suavissimè in fin., ibique Gloss. verbo cessare ff. de legat. 3. Rota post Card. de Luc. de usur., & camb. dec. 2. n.4., & cor. Emerix jun. dec.693. n.6.* cum aliis plenè congestis in altera *decisione*

præ-

præsentis causæ coram bonæ memoriæ Ursino §. *Neque*.

Nec contrarium deduci valet ex sententia lata in Tribunali A. C., & transactione postmodum inita per Veronicam cum Hortensia causam habente à dicto Flaminio, in qua dicitur -- *le stanze, e parte di casa compra del detto Flaminio de Sanctis* -- Etenim si respicimus sententiam; ista fuit præcipitanter,
7 & solo quinque dierum spatio lata, Veronica nihil opponente, & non appellante: unde resultat manifesta collusio in supplantationem Claudiæ donatariæ, quæ in judicio citata non fuit, *Rot. post modern. Asculan. ad Statut. Urb. dec.* 192. *n.* 5. *&* 6., *& in rec. dec.* 264. *num.* 15. *part.* 14. Si verò respicimus
8 transactionem; & ista cum fuerit inita in executionem dictæ sententiæ, corruit eo ipso, quod de collusione ejusdem sententiæ apparet: nec per eam, nec per enunciativas ibidem à donante emissas potuit præjudicari juri præcedenter donatariæ quæsito, *Rota dec.* 128. *n.* 8. *& seqq. & dec.* 212. *n.* 1. *& seqq. part.* 13. *& dec.* 280. *n.* 1. *& seqq. part.* 14. *rec.* cum aliis *in dicta decis. cor. bon. mem. Ursino* §. *Et demum cum seqq.* allegatis.

Prætensio verò retentionis dictæ domus deprompta ex eo, quod Flaminius extinxerit nonnullos census debitos à Veronica;
9 corruere visa fuit: quoniam ultrà quod non valuit prodesse ad retentionem pro sorte principali, quæ ex Bulla B. Pii V. est irrepetibilis, ut benè advertitur *in præterita decis.* §. *Seclusa*, & respondit *Rot. dec.* 324. *n.* 31. *part.* 9. *recen.* cessare visa fuit quælibet difficultas, quia Veronica tradiderat in dotem Flaminio viro medietatem omnium, & quorumcumque bonorum paternorum, & maternorum, cum præciso onere extinguendi debita, quibus illa remanebant obnoxia;
10 Ideòque si Flaminius dd. Census ab uxore debitos extinxit, propriæ satisfecit obligationi, neque ullam pro eis retentionem allegare valet, *Rot. cor. Dunoz. jun. dec.* 949. *n.* 8. *&* 9., *& in Romana pecuniaria* 8. *Junii* 1693. §. *fin. cor. bon. mem. Ursino*.

Quodque magis est Flaminius adhuc reperitur debitor dotis Veronicæ in prædictis bonis constitutæ: & sic ex fructibus illorum, tàm ante, quàm post motam litem à successoribus ejusdem perceptis, præsumitur satisfactus, ac per consequens, donec de eis ra-
11 tionem integrè non reddiderit; nullum jus, neque ad effectum agendi, neque retinendi pro præfato credito competere potest, ad excludendum actores à petita immissione, *Rota cor. Emerix jun. dec.* 906. *n.* 3. *& alibi passim*. Non subsistente, quod Veronica, post obitum viri, omnia illius bona occupaverit quia nullum de hoc supposito datum fuit concludens documentum, prout fieri
12 debuisset, cum in hac exceptione rei funguntur vices actoris vulgata, *leg.* 1. *ff. de exception. Rota dec.* 355. *n.* 10. *part.* 16. *rec.*

Tamen super altera exceptione retentionis pro melioramentis, non fuit opus immorari, cum plenè fuerit satisfactum in præterita decisione: cujus fundamenta in hac parte majus robur assumpserunt, eo quia usque de anno 1698. fuerunt admissi articuli ad il-
13 lorum probationem; sed nunquam adhuc examinati, unde tanto minus potest immissio retardari, *Rot. dec.* 333. *num.* 15. *&* 307. *n.* 20. *part.* 12. *& dec.* 48. *n.* 15. *part.* 17. *rec.*

Et ita, utraque, &c.

ROMANA, SEU REATINA DONATIONIS SUPER FRUCTIBUS.

Lunæ 22. Februarii 1706.

ARGUMENTUM.

Eo non indiget. In hac causa super puncto principali est superior Decis. 335.

SUMMARIUM.

1 *Fructus in genere ab illo, qui est in mala fide à die motæ litis debentur.*

2 *Peritia citata Parte, & ritè confecta, à qua nec reclamatum, nec appellatum fuit; donec de errore in contrarium doceatur, est attendenda.*

DECISIO CCCCLXIV.

Valerius Vecchiarellus in sequelam reintegrationis obtentæ ad bona per ipsum Bartholomæo Vecchiarello donata petiit aliàs coram me restitutionem fructuum per succumbentem perceptorum, ac pro eorum liquidatione demandata fuit electio periti, eoque electo, & relatione exhibita; ex ea constitit, fructuum quantitatem ascendere ad scuta 11313. In hodierna Audientia informante dumtaxat Valerio, proposui dubium -- *An, & in qua summa sint liquidandi fructus* -- *& pro informante* habui responsum, liquidando eosdem fructus in d. quantitate in Peritia contenta.

Satis enim visum est constare de credito fructuum in genere: quia scilicèt Bartholomeus illos præcepit, non obstante, quod
1 fuisset in mala fide constitutus per litem motam, in qua deindè succubuit, cum fuerit deinde concessa Valerio reintegratio ad bona per eum donata præfato Bartholomeo, itaut à die motæ litis veniant isti restituendi, *ad Text. in l. cum fundus* 31. *in princ. ff. de reb. credit. Rot. cor. Pan. decis.* 108. *n.* 3. *& seqq. & cor. Cerro dec.* 751. *n.* 3. *& in Calaguritana fructuum Archidiaconat.* 15. *Martii* 1697. §. *Nec talis coram R. P. D. meo Priolo*.

Constito autem de credito in genere nulla cadere potuit difficultas circà quantitatem, attenta relatione periti illam liquidantis in dicta summa scut. 11313. cum enim dicta Peritia prodierit citato Bartholomeo, & benè
2 omnibus rimatis; nec ab ea fuit reclamatum, aut interposita appellatio; utique venit attendenda, donec de errore in contrarium doceatur, *Rot. cor. Gregor. dec.* 167. *n.* 7. *& in rec.*

in rec. dec.428. n.8. part.13. & dec.263. n.11. part.19.

Et ita, Valerio tantùm informante, Bartholomeo verò dilationem petente, &c.

FIRMANA IMMISSIONIS.

Veneris 11. Februarii 1707.

ARGUMENTUM.

Præbetur à Summario. Super puncto principali est Decisio sequens.

SUMMARIUM.

1 *Rem judicatam constituunt tres sententiæ validæ, & justæ.*
2 *Judicatum plus concernens, verificatur in eo quod est minus in alio, ut dicantur conformia.*
3 *Declaratio magis specifica in ultimis sententiis, substantiam præcedentium non alterat; nec difformitatem sententiarum inducit.*
4 *Remissoria petita post tres conformes rem judicatam constituentes, est valde de calumnia suspecta.*
5 *Articuli irrelevantes non admittuntur.*
6 *Nec inverisimiles.*
7 *Inverisimile est per testes probari quantitatem rerum supra triginta annos ante distractorum.*

DECISIO CCCCLXV.

Catharina, aliæque sorores de Palazzinis filiæ primi matrimonii Mariæ Jacobæ de Buttis ad successionem intestatam ejusdem admissæ fuerunt una cum Eq. Laurentio Mattheuccio filio secundi matrimonii non solùm ab A.C., verumetiam in nostro Tribunali coràm RR. PP. DD. Priolo, & Kaunitz; recursum autem habens ad Signaturam Laurentius commissionem mihi directam reportavit cum clausula -- *S. P. trium conformium in eo, in quo sunt conformes* -- Quamobrem proposui dubium -- *An sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda*, & pro re judicata, ac confirmatione sententiæ Rotalis responsum habui.

Concurrunt siquidem tres sententiæ conformes admittentes sorores de Palazzinis ad coæqualem successionem cum Laurentio eorum fratre uterino in bonis Mariæ Jacobæ communis matris, quæ cum undique validæ, & justæ appareant, ex fundamentis in præteritis Decisionibus coràm RR. PP. DD. Priolo, & Kaunitz examinatis, cum quibus hodie DD. transierunt; ideò rem judicatam
1 satis, superque claram, & manifestam constituunt; *ad Text. in l. unica C. ne liceat in una, eademque causa, Rot. dec.265. num.2. part.17. & dec.398. n.1. part.18. rec.*

Nec obstat respectu conformitatis sententiarum, quod judicata Rotalia appareant difformia ab illo A. C. dum in ea concessa quidem fuit coæqualis immissio sororibus de Palazzinis; sed demandabatur, quod per easdem in suis portionibus heret collatio scutorum 300. quæ asserebantur iisdem tradita in dotem de proprio à Maria Jacoba matre; quàm collationem tamen absolutè denegarunt judicata Rotalia. Etenim in præsenti quæstio est de re judicata, duntaxat respectu sententiarum conformium, in ea parte, in qua sunt conformes; Unde cum certum sit, quod judicata nostri Tribunalis plus con-
2 cedentia conformentur in eo, quod est minùs in sententia A. C. Exindè sequitur sententiarum conformitas, *Rot. cor. Bich. dec.28. n.4. & in rec. dec.240. n. 3. & 4. part.18.* Et
3 declaratio magis specifica in accidentalibus apposita in ultimis sententiis, non alterat substantiam, nec propterea inducit difformitatem, ut firmavit *Rot. decis.240. n.3. 4. & 5. part.18. rec. & in Ferrarien. Decimarum super conformitate Sententiarum 8. Junii 1696. §. Haud resistente coram bon. mem. Ursino.*

Pariterque denegarunt DD. remissoriam
4 modò incidenter per Equitem Laurentium petitam ex quo illa, cùm iam serò petatur; videlicèt post tres conformes sententias conformes, quæ rem judicatam constituunt valdè de calumnia suspecta reddatur, *Rota cor. Seraph. decis.1450. n. 1. & cor. Dunoz. jun. decis.668. n. 2. & 3. & coram bon. mem. Emerix jun. decis.728. n.2. in fin.* Et ulteriùs
5 articuli ad hunc effectum exhibiti recogniti fuerunt irrelevantes, cùm non tendant ad probandum integrum patrimonium paternum, & avitum, coarctando negativam non existentiæ aliorum bonorum, cùm quibus sorores prædictæ dotari potuerint; absque eo quod Maria Jacoba aliquid de proprio ad hunc effectum persolveret, sed tangunt solum quoddam negocium Ferri; & quod ma-
6 gis est sunt etiam inverisimiles; cùm hodie
7 inveniri non possint testes, qui deponant de vera quantitate negocii ferri 37. ab hinc annis distracti.

Et ita, sororibus tantum informantibus, Equite verò dilationem, ac remissoriam petente, &c.

FIRMANA IMMISSIONIS SUPER ATTENTATIS.

Veneris 11. Februarii 1707.

ARGUMENTUM.

Executio pro debito parentum facta in mobilibus domi filii existentibus, in bonis alterius, quam debitoris, facta non dicitur; nisi contrarium probetur, & cur? Attentatum est quidquid à judice delegato præter delegatam jurisdictionem fit; etiam si lis sit separata ab ea, quæ coram delegante pendet, cum delegatus uti talis, non verò tanquam judex ordinarius se gessit; cætera in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Executio in spretum judicis non gesta, non dicitur attentata.*

2 *Illo-*

2 *Mobilia in domo existentia parentum hæreditaria censentur.*
3 *Executio facta pro debitis parentum super mobilibus domi filii existentibus, præsumitur valida, & cur?*
4 *Prætendens executionem excessivam, & super bonis alterius, quam debitoris, tenetur concludenter probare, &* n. 7.
5 *Testes ad perpetuam nihil probant.*
6 *Præsertim cum institutum, & obtentum fuerit formiter examinari nihil ulterius est gestum.*
8 *Executor a Rota deputatus tanquam habens delegatam jurisdictionem intra ejus limites se debet continere.*
9 *Judicium immissionis, est separatum ab alio divisionis.*
10 *Judicium unum separatum coram uno judice intentari potest sine incursu in attentatis, altero coram alio judice pendente.*
11 Decisionis 180.*post* Constantin.adStat.Urb. *auctoritas declaratur.*
12 *Declara conclusionem locum habere, cum judex coram quo secunda lis inchoatur procedit tanquam ordinarius. Secus quando procedit, ut judex delegatus.*
13 *Attentatum est quidquid extra lineam delegatæ jurisdictionis à delegato fit.*
14 *Attentatum est quidquid præter jurisdictionem geritur.*
15 *Juisdictio per rei comparitionem prorogatur.*
16 *Limita coram judice delegato, nam ejus jurisdictio prorogari nequit sine vitio attentatorum ultra terminos eidem concessos.*
17 *Et tunc officio judicis revocandum est quidquid attentatè ultra terminos concessos actum est.*
18 *Adpurgationem attentatorum sat est, quod pars eis renunciet, cum nullum præjudicium collitiganti illatum est.*

DECISIO CCCCLXVI.

IN executionem sententiarum admittentium Sorores de Palazzinis ad successionem intestatam Matris de quibus in alia contemporanea Decisione coram Me, adeptæ fuerunt illæ possessionem quatuor ex quinque partibus bonorum tam mobilium, quam immobilium hæreditatis maternæ, ac pro eorumdem mobilium, divisione institerunt coram Vicario Generali Firmi, qui decretum opportunum interposuit: verum cum Eques Laurentius Matteuccius opposuerit de attentatis non solum quoad executionem prædictam, sed etiam quoad decretum à dicto Vicario editum super divisione mobilium, curavit in devolutivo per me proponi dubium -- *An constet de attentatis, quæ veniant purganda, seù potius sit revocanda executio -- & DD.negativè quoad executionem*, quam neque revocandam esse censuerunt, sed solum dixerunt *constare de attentatis quoad Judicium Divisionis, juxtà mentem inferius patefaciendam.*

Executio namque nulli attentatorum vitio obnoxia visa fuit cum per eam nihil gestum fuerit in spretum nostri Tribunalis, & licet
1 contrà eam opponeretur, quod esset facta etiam super mobilibus pro majori parte spectantibus ad Equitem Laurentium, ejusque uxorem, & sic super bonis alterius, quàm Debitoris, tamen dum illa fieri debebat super omnibus bonis hæreditariis Mariæ Jacobæ Palazzinæ Matris, & Francisci Patris ejus primi Viri, indè sequitur, quod omnis
2 præsumptio vigeat, quod cuncta mobilia existentia in domo sint hæreditaria prædictorum, ita ut si super illis omnibus facta fuit
3 executio adsit etiam præsumptio validitatis ejusdem, & prætendens illam fuisse excessi-
4 vam, & super bonis alterius factam, teneatur plenè, & concludenter mobilium identitatem probare, *Rot. coram Seraphin. decis.* 869.*n.*1.; *& in rec.dec.*150. *n.*4. *&* 5. *part.*1. *& dec.*98.*n.*2.*part.* 8.*& dec.*551.*n.*8.*part.*19.

Nec hujusmodi probatio deduci potest ex depositionibus nonnullorum testium ad hunc effectum adductis, quia illi, veluti simpliciter
5 ad perpetuam examinati, nihil probant, *Rot.coram Dunoz.jun. dec.*598. *n.*22. *& dec.* 10 *n.*54. *coram S.M. Alexandro VIII.& in rec. dec.* 168. *n.*58. *part.*18. Quodque magis
6 est in partibus agnitum fuit de irrelevantia eorumdem: nam cum institum fuisset ex parte Equitis Laurentii, pro formali examine illorum, & Vicarius Generalis illud decreverit, nihilominus amplius ad illud deveniri curatum non fuit. Ideoque, donec perfe-
7 cta idenitatis mobilium probatio non superveniat, semper erit valida executio super illis facta, *ex allegatis*: Maximè quia Idem Judex mandavit in suspensum relinqui bona, quæ dicebantur esse propria præfati Laurentii, nec altera pars hujusmodi decretum impugnavit, itaut etiam ex facto cesset quælibet difficultas.

Quo vero ad Decretum Vicarii Generalis Firmani super divisione mobilium, attentata apparent manifesta, ex quo, cum Vicarius esset merus Executor nostri Tribunalis decernere non potuit divisionem mobilium: sed simpliciter se continere debebat intrà limites suæ Jurisdictionis Delegatæ: videlicet exequendi mandata Rotalia restricta
8 dumtaxat ad Immissionem, *Rot.coram Peutinger. dec.* 160.*n.*1. *& cor. Dunoz. Jun dec.* 916.*n.*1., *& per tot.*

Quidquam non relevante, quod cum divisio sit Judicium separatum ab ipsa Immisione
9 benè illud inchoari potuerit coram eodem Vicario, juxta plenè deducta in *decis.*180.
10 *post modern. Asculan. ad Stat. Urb.* Ultrà quod enim, in illius casu fuerat per Signatu-
11 ram remissa ad Judicem de partibus cognitio Causæ super divisione. Adverterunt DD.
12 attentata excusari posse, quoties Vicarius processisset cum suis facultatibus uti Judex Ordinarius in novo, & separto Judicio, deveniendo ad Bonorum divisionem in quibus terminis procedit Decisio inobjecto allegata,

ta, Ar feciis dicendum est quaudo, ut hic,
acta cernuntur ab ipso facta tanquam Judice
Delegato, unde retento tali thæmate, quid-
13 quid Ipse extra lineam Jurisdictionis sibi
rributam decrevit attentatum remanet, ut-
14 potè sine jurisdictione gestum ex suprà fir-
matis.

Pariterque non obstat, quod Eques Lau-
15 rentius provocatus ad divisionem coram di-
16 cto Vicario, comparuerit coram eo, & sic
suam Jurisdictionem approbaverit. Etenim
comparitio Laurentii prorogare non valuit
Jurisdictionem ultrà terminos eidem Judici
concessos, itaut nequeat exindè impediri,
17 quominus officio Judicis attentata veniant
revocanda, *Rot. dec.* 118. *n.* 7. *par.* 15. *& dec.*
228. *n.* 4. *part.* 16. *recent.*

Cæterum quia satis est, quod ad purgatio-
nem attentatorum pars renunciet attentatis:
18 adeout omnia gesta in spretum Judicis tol-
lantur de medio ac si facta non fuissent, dum
exindè nullum aliud præjudicium collitti-
ganti, illatum fuerit; *Rot. coram Priolo dec.*
129. *n.* 5., *& dec.* 109. *n.* 14. *part.* 19. *rec.* DD.
patefaciendo eorum mentem, dixerunt per
Catharinam, aliasque Sorores de Paiszzinis
faciendam esse renunciationem omnibus
actibus in dicto Judicio divisionis attentatè
gestis.

Et ita, utraque &c.

ROMANA FIDEICOMMISSI.

Veneris 14. Januarii 1707.

ARGUMENTUM.

Res judicata cum legitimo contradictore emanata ligat quoque venientes ex propria persona: indubitanter cum eam approbarunt in calore judicii. Late examinantur an loca montium in proprietate, seu ad vitam deliberata censeantur, & ex potestate deliberatari, & voluntate ex actibus elicita, & ex eo quod in aliis bonis insimul subhastatis accidit, iis dirimitur: non obstante ommissa deletione vinculorum in litteris patentibus dd. locorum montium expressorum, ubi late quomodo ista sit facienda, & quousque ab hæredibus, si ab auctoribus fuerit omissa, fieri valeat, absque eo quod vinculorum approbationem importet, præsertim cum alia vincula adessent. Et quomodo ista facultas, veniat in lata cessione. Perpenditur quoque quomodo, & quantus ab annexis vinculis locorum montium valor minuatur: quod accidit etiam si vincula expressa non subsistant: nam tertius deliberatarius non tenetur ea intrinsecus perscrutari. Immissionem impedit, exceptio clara, quin actori replicatio turbida suffragetur.

SUMMARIUM.

1 *Bona subhastata pro fideicommittentis debito exeunt, a fideicommisso, nec ad ea fideicommissario immissio datur.*

2 *Res judicata per viam simplicis exceptionis adducta, absque necessitate indagandi super ejus viribus, actori os claudit.*

3 *Res judicata post tres sententias cum legitimo contradictore emanatas ligat omnes, etiamsi ex propria persona veniant..*

4 *Amplia cum ipse successor existentiam crediti in re judicata canonizati agnovit, & fassus est.*

5 *Et cum rem judicatam confirmavit mediante transactione, & solutione partis debiti.*

6 *Exceptiones promotæ in calore judicii, & discussæ, post rem judicatam a successore confirmatam, nequeunt ab eodem refricari.*

7 *Transactio facit de albo nigrum, pariterque contra transigentes exceptionem litis finitæ &* n. 46.

8 *Deliberatio bonorum fideicommissariorum facta ex causa debiti ejusdem fideicommittentis in proprietate, & non ad vitam gravati facta censetur, & cur?*

9 *Præsertim cum creditor nihil cum gravato haberet agere.*

10 *Creditor fideicommittentis ejus bona ad vitam gravati deliberari voluisse non præsumitur in ejus damnum.*

11 *Creditor fideicommittentis, cum tam in executione, quam in oblatione protestatus fuit, velle rem debitoris liberam, & exemptam deliberari ad vitam deliberationem noluisse clarum est.*

12 *Deliberatio bonorum fideicommittentis sublato vinculo per creditoris protestationes pro ejus debitis secuta non ad gravati vitam facta dici potest.*

14 *Licitator quid emere, quidvè comprehendi intellexerit, principali oblatione spectata, dignoscitur.*

Relatum est cum omnibus suis qualitatibus, conditionibusque in referente.

15 *Deliberatio eadem pro eodem fideicommittentis debito in uno genere ad vitam gravati, in aliis in substantia facta dici nequit.*

16 *Determinatio eadem plura determinabilia æquè respiciens illa indifferenter determinat.*

17 *Vinculorum deletio in patentibus locorum montium non conceditur, nisi cum decreto judicis, cognitione causæ, & citatione omnium interesse habentium.*

18 *Vinculorum deletionem non curans, ut parcat expensis, jus salvum habet, & actionem illam obtinendi, &* n. 32.

19 *Vinculorum deletio legitima concurrente causa passim conceditur.*

20 *Vinculorum neglecta delectio, ut parcatur expensis, & quia alia quoque diversa insunt in litteris patentibus, non importat remissionem facultatis illam semper exercendi, quam sibi reservaverat Emens, vel licitator, & cur? &* n. 23. *juncto* n. 25.

21 *Vincula omnia in præcedentibus litteris patentis contenta enunciat Notarius in mandato, cum aliud de delendo non est obtentum, &* n. 30.

22 N

22 *Nec inde infertur in vita solum gravati eadem loca montium fuisse deliberata, quando voluntas licitatoris, & judicis semper fuit contraria, &* n.31.

24 *Facultas petendi deletionem vinculorum in patentibus locorum montium venditori competens, dicitur cessa emptori eorumdem in generalitate cessionis omnium jurium, nullo jure reservato.*

26 *Pactum perpetuum redimendi rei valorem minuit in quarta parte.*

27 *Loca montium ad vitam empta non dicuntur, cum pro eis solvitur pretium, quod habito respectu ad vincula, eorum in proprietate valorem adæquat.*

28 *Loca montium solum fideicommissi vinculo subjecta, si ad gravati vitam venduntur non plus calculantur ex quotidiana praxi, quam in scut. 25.*

29 *Cedens, & venditor ex actibus subsequentibus cessionario, emptorive præjudicium non irrogant.*

33 *Successor recipiendo translationem locorum montium cum vinculis in antecedentibus litteris patentibus expressis, non dicitur eadem agnoscere, & remittere jus delendi ipsi competens.*

34 *Jus delendi vincula semper est exercibile, etiam a quarto successore si auctores non fecerint.*

35 *Deponenti de re ad proprium officium spectante deferendum est.*

36 *Prætium locorum montium minuitur proportionabiliter ad vincula in litteris patentibus contenta.*

37 *A prætio locorum montium detrahendæ sunt expensæ necessariæ in illorum subbastatione, & deliberatione.*

38 *Expensę deliberationis, & subbastationis de pretio pignoris subbastati sunt detrahendæ.*

39 *Fideicommissi bona obligari nequeunt pro dote uxoris filii adoptivi descendentium.*

40 *Vincula adjecta in litteris patentibus locorum montium pretium congrue minuunt, quidquid sit de eorum subsistentia, & ratio affertur* duobus numeris seq.

41 *Licitator extraneus nec qualitatem personæ debitoris, cujus loca montium subbastantur, nec realitatem vinculorum intrinsecus præscrutari tenetur, ut ei competat eorum ratione pretii diminutio.*

43 *Immissio non est retardanda cum de ejus requisitis clare constet, & exceptiones ad illam impediendam sint turbidæ; sed hæc ablegandæ ad suum congruum judicium.*

44 *Limita cum exceptio est clara.*

45 *Immissio non conceditur ad bona, quæ ex legitimo titulo semel a fideicommisso exiverunt.*

48 *Immissio non datur contra possidentem auctore pretore, si ejus titulus clare non perimitur.*

49 *Replicatio actoris turbida contra claram exceptionem rei non operatur, ut exceptio ad aliud judicium sit remittenda, & actio concedenda.*

50 *Nec immissio tunc conceditur.*

DECISIO CCCCLXVII.

Quamvis Marcus Antonius de Trigintacapillis, sub obtentu purificationis ad sui commodum fideicommissi per Vitum ejus avum ordinati, sententiam ab A. C. Aristo obtinuisset super immissione ad sexdecim loca cum dimidio Montis Novennalis secundæ erectionis per Ecclesiam SS. Ambrosii, & Caroli in via Cursus possessa, quæ eidem fideicommisso supposita esse contendebat, subindeque aliam sententiam præcedentis confirmatoriam à Reverendissimo Domino meo Decano reportasset; delegata nihilominus per Signaturam Justitiæ causa R. P. D. meo Ansaldo cum clausula *constito quod sit locus statuto de duabus* -, & comperta præcedentium judicatorum injustitia, dubitatum non fuit in geminis decisionibus sub diebus 15. Januarii 1700., & 17. Junii 1701. coram eo editis respondere, eidem statuto locum non esse; Lata proindè sententia Rotali duarum antecedentium revocatoria, commissaque denuò causa Eminentiss. D. meo Cardinali Caprara, cum in pluribus propositionibus suffragia Dominorum nunquam fuerint conformia, hinc hodiè coram Me in dicti Eminentissimi locum subrogato, posita dennò ad trutinam controversia, etiam cum suffragio quinti, & sexti ex Dominis, juxtà ordinem datum in postrema propositione, sententiam tandem R. P. D. mei Ansaldi confirmandam esse conclusum fuit.

Quid quid enim esset de existentia, & purificatione fideicommissi ejusdem Viti, quæ per Ecclesiæ defensores neque in dubium revocabantur, certum est, quod controversa loca Montium fuerunt sub hasta posita, & successivè deliberata pro debito ejusdem Viti fideicommittentis, proindeque cum jam longè exiverint à fideicommisso, &
1 libera in deliberatarium, ejusque successores pertransiverint, sicuti actio quælibet pro illorum vindicatione fideicommissariis sublata est, ita omni jure jam obtenta immissio fuit in sententia Rotali denegata, ex firmatis *per Rotam in rec. par.* 17. *dec.* 152. *num.* 1. *& in Romana Censuum super reservatis* 7. *Decemb.* 1699. §. *Nam quamvis*, *&* 20. *Februarii* 1702. §. *Nam exequutio cor. Rmo Domino meo Decano*.

Nullatenùs attentis his, quæ tùm circa probationem debiti ejusdem Viti, tùm etiam quoad cætera prætensam iniustitiam deliberationis concernentia obyciebantur. Ultrà quod enim ejusdem deliberationis justitiam ab omnibus obiectis luculentèr vindicat *utraque decisio R. P. D. mei Ansaldi*: Prima, *nempè à* §. *Cæterum* usque *ad* §. *Agnoscentes*, & secunda *à* §. *Incontinenti* usque ad §. *De reliquo*: obstabat Marco Antonio illa semper fatalis responsio, quod videlicet coràm Judice Ripettæ priùs, & postmodùm in Tribunali Cameræ usque ad tertiæ instantiæ consumptionem, fuit longè disceptatum

tatum super eodem credito, cumque tres conformes sententiæ pro illius canonizatione emanaverint, quarum vigore ad controversam deliberationem processum fuit: assistebat proindè Ecclesiæ solemnis res judicata à sexaginta, & ultrà annis exequutioni demandata, quæ veluti adducta per viam
2 simplicis exceptionis, absque necessitate indagandi super illius viribus facit de albo nigrum, clauditque os Actori, nè illam valeat modo aliquo impugnare, ut rectè firmat *dicta prima decisio § sed ut diximus, & secunda §. de aliquo, cum pluribus sequentibus*.

Non relevante, quod Marcus Antonius hic, & nunc non veniat dependentèr à Nicolao ejus patre rem judicatam passo, sed jure propriæ vocationis in fideicommisso ab ejus
3 Avo ordinato. Quoniam cum sæpedicta res judicata prodierit cum legittimo contradictore strenuè, & per tres instantias Jura Fideicommissi defendente, ea utique tanquam cum omni bona fide emanata, omnes successivè substitutos indifferentèr ligat, & afficit, juxtà vulgatum *Text in l. ingenuum ff. de statu homin. Fusar de substit. q. 622. num. 1. Rota coram Royas dec. 287. num. 21. cum aliis in prima decis. R. P. D. mei Ansaldi §. Avertendo* Et sine difficultate, quia ipse Modernus actor existentiam, & subsi-
4 stentiam dicti crediti agnovit, & plusquàm plenè fassus fuit; cum enim Flaminius Lucarinus ex prętio rerum deliberatarum plenariam sui crediti satisfactionem assequi non potuisset, proindeque adhuc ingentis summæ creditor remaneret, devenit de anno 1668. cum eodem Marco Antonio ad transactionem, in qua non obstante, quod actor tunc temporis jam obtinuisset sententiam ab A.C. supèr immissione ad controversa loca Montium, adhùc se obligavit solvere Lucarino summam scut. 400., prout de facto in eodem actu quamdam illorum partem persolvit, condonationem prò residuo sui debiti, & finalem quietantiam à creditore reportando: Si ergò toties dicti crediti subsistentiam
5 per tres conformes cum legitimo contradictore canonizatam ex proposito, & in actu adeo solemni confirmavit, eò magis os ipsi
6 clauditur, ut nequeat exceptiones in calore antiqui Judicii jàm promotas, & discussas iterum refricare, çum etiàm transactio fa-
7 ciat de albo nigrum, pariatque exceptionem litis finitæ contra transigentes *ad text. in l. non minorem 20. C. de transact. Cephal. cons. 772. num. 3., Cyriac. cont. 3. n. 35., & seqq., Caren. resol. 204. num. 6., & seq. Urceol. de transact. q. 4. num. 65., Rota cor Buratt. dec. 374. num. 15., & in rec. p. 14. dec. 473. num. 1.*

Minusque obstare visa est alia exceptio per defensores Marci Antonii repetita, & in qua potissimum fundamentum constituere videbantur: quod scilicet memorata loca Montium non in proprietate, sed ad vitam tantumodo Nicolai hæredis gravati fuerint deliberata. Assumpto enim hujusmodi contrarlantur tàm potestas, quàm voluntas Lucarini, ad cujus favorem facta fuit deliberatio. Potestas quidèm, nam cum ipse haberet mandata in vim rei judicatæ expedita pro debito fideicommittentis, & consequentèr citrà dubium aliquod ea exequi posset contra bona fideicommissaria eo
8 ipso, quod super controversis locis montium hæreditariis ejusdem Viti exequtio facta fuit, illorum utiquè proprietas, seù substantia censeri debet distracta, ut ità alienatio correlationem habeat ad causam, quæ illam produxit, ut benè in his terminis firmavit *Rota in dicta Romana censuum super reservatis 7. Decembris 1699. §. ex revolutione, & 20. Februarii 1702. §. nam exequutio coram Reverendissimo D. meo Decano*. Præsertim quia Lucarinus nil pe-
9 niùs habebat agere cum Nicolao hærede gravato, itaut creditum suum exponere cogeretur eventualitati vitæ, & mortis ejusdem Nicolai. Ideoque imperceptibile
10 redditur, quod voluerit subhastare nudam commoditatem fructuum ad illius vitam, quando tutissima sibi patebat via prò distractione rei fideicommissariæ in perpetuum, ut solidè concludit *secunda decisio R. P. D. mei Ansaldi §. finali*.

Voluntas etiam positiva Lucarini contrario assumpto manifestè resistit. Quandoquidèm in actu productionis Instrumenti exequtionis expresse protestatus fuit, *sese ad illam devenire citrà tamen approbationem vinculorum in dictis Montibus, & stabilibus appositorum, & aliorum quorumcumque jurium, animo tamèn obtinendi liberam resignationem*. Idemque repetiit in oblatione, in qua adhæsivè ad alia, quæ per cæteros oblatores fuerunt expositæ, animum suum iteratè pandidit non approbandi vincula, *sed obtinendi liberationem ab illis, & liberam resignationem eisdem Vinculis non obstantibus*. Dum itaque tam in exequutione
11 quam in oblatione protestatus fuit velle rem sub hasta positam liberam, & exemptam a vinculis acquirere, certum etiam est, quod intellexit, & voluit deliberationem in sub-
12 stantia, & proprietate obtinere, nam sublato ad normam repetitæ protestationis vinculo fideicommissi, deliberatio non ampliùs ad vitam hæredis gravati sequi potuit. Ad dignoscendum enim quid licitator eme-
13 re intellexerit, quidque juxtà illius voluntatem comprehendi debeat in deliberatione, oblatio principalitèr spectanda est, juxtà monitum *Postb. de subbast. inspect. 52. num. 38., & seq., Rota cor. Buratt. decis. 735. num. 4.*

His consonant tùm verba edicti subhastationis præcedentis, quæ expressè præseferunt ipsa loca montium in substantia, non autèm in simplici usufructu fuisse hastæ publicæ exposita ibi -- *luoghi sedici del Monte Novennale secondo* -- Tum etiam contractus Instrumenti deliberationis, quod non alitèr stipulatum fuit favore Lucarini, quàm

cum *declarationibus*, *& reservationibus per eum factis*, *& appositis in oblatione*, id, quod manifestè indicat, quod sicuti in oblatione, continebatur protestatio reprobativa vinculorum, & præservativa jurium prò obtinenda deletione, ità hæc repetita censeri debet in successivo Instrumento, juxtà regulam, quod relatum censetur esse in referente cum omnibus suis qualitatibus, & conditionibus, *ad text. in l. ait Prætor §. Si Judex ff. de re judic.*, *Rota cor. Cels. dec. 17. num. 9. cor. Emerix Jun. decis. 535. post num. 7.*, *& in recen. parte 18. dec. 135. num. 3.*

Et denique in idem collimat animadversio, quod in subhastatione, & deliberatione non tantum venerunt loca montium, de quibus agitur, sed etiam Vinea, census, & alia loca montis falis, quæ eidem fideicommisso paritèr obnoxia reperiebantur. Cum
15 autèm quod alia, hæc bona citrà controversiam sit, quod illorum proprietas distracta fuit, absonum est asserere, quod dd. loca montis novennalis in eadem subhastatione compræhensa, & prò eodem debito fideicommittentis deliberata, non in substantia, sed temporalitèr, & ad solam vitam Nicolai dici debeant alienata, quando in oppo-
16 situm pugnat regula, quod eadem determinatio plura determinabilia æquè respiciens, illa indifferentèr determinare debet, *juxtà text in l. nàm hoc jure ff. de vulg.*, *& pupill.*, *Rota cor. Emerix dec. 583. num. 5.*, *& dec. 662. num. 8.*, ac alibi passim.

Hæc autem omnia minimè debilitantur ex responsione, quod Lucarinus adhuc voluerit loca Montium temporaliter tantummodò acquirere, vel quia non solum deletionem vinculorum non curavit à Judice obtinere, sed passus fuit expediri successiuum mandatum de transferendo cum expressa conditione, quod translatio fieret cum declarationibus, vinculis, Fideicommissis, & aliis in litteris patentalibus appositis, ipsamque translationem fieri cum expressione ejusdem Fideicommissi in novis litteris desuper expeditis, vel quia in illorum venditione per Lucarinum facta ad favorem Hieronymi Fidelis promissum fuerit, loca Montium esse, exceptis vinculis contentis in patentibus, in reliquis libera ab omni, & quocumque vinculo, & obligatione; vel demum quia in dicta transactione per Lucarinum inita cum Marco Antonio de anno 1668. conventum fuerit, quod quotiescumque idem Marcus Antonius vindicaret dicta loca Montium è manibus Confraternitatis Societatis S. Columbani per quam tunc detinebantur, teneretur solvere Lucarino quamdam summam, ex qua conventione argui solet, quod idem Lucarinus jura sua pro eadem recuperatione in contransigentem transtulerit.

Quod eteoim Lucarinus non curaverit Fideicommissi vinculum deleri, sed litteras patentes cum illius expressione expediverit, potuit evenire, ex quo cum deletio prædicta
17 non concedatur nisi cum decreto Judicis, cognitione causæ, & citatione omnium interesse habentium, illaque non modicos expostulet sumptus, incommoda hujusmodi, & expensas noluerit subire, ex quo nihilo-
18 minus sciret jus suum saluum esse, cærtamque sibi remanere actionem obtinendi deletionem vinculi, quæ legitima, prout hic, concurrente causa passim conceditur, per
19 ea, quæ notat *Modernus Asculanus ad Stat. Urb. in disc. de loc. Mont. num. 213.*, *& seq.* Tanto magis, quia cum loca Montium non soli vinculo Fideicommissi universalis Viti ligata essent, sed aliis quatuor reperirentur obnoxia, nequaquam Lucarino expediebat conspicuas subire expensas pro unico removendo vinculo, si in crastinum propter tot aliorum existentiam avocatio nichilominus timeri poterat; in hisce autem circumstantiis neglecta ejusdem vinculi de-
20 letio non potest imponare remissionem facultatis, quam pro illa obtinenda sibi reservaverat, cum semper sit referiblis ad causam parcendi inutilibus expensis, *Andreol. contr. 4. num. 16.*, *Mascard de probat. conclus. 524. num. 12.*, *& seq. Card. de Luca de donat. disc. 16. sub. num 2. Rota in Toletana hæreditatis 16. Maii 1687. §. Reliqui autem coram bo. me. Ursino.*

Indeque non obstat, quod mandatum præciperet transactionem non nisi cum eisdem vinculis faciendam esse. Cum enim
21 speciale mandatum de delendo, præmissa ex causa non fuisset impetratum, nil mirum, si Notarius in extensione mandati de transferendo omnia vincula in præcedentibus
22 litteris contenta enunciavit. Hoc autem non tollit, quod substantia, & proprietas locorum Montium ab eodem vinculo immunis deliberata fuerit, cum verba Notariorum prævalere haud possint voluntati licitatoris, & Judicis tam in oblatione, quam in productione instrumenti aliisque actibus satis dilucidè explicatæ, ut punctualiter prosequitur *Rota in dicta Romana Censuum super reservatis 7. Decembris 1699. §. Neque relevat cum seq.*, *& 20. Februarii 1702. §. Magis tamen*, *& seq. coram Reverendiss. D. meo Decano.*

Minùs obstat, quod Lucarinus in venditione facta Hieronymo Fideli rationem ha-
23 buerit de omnibus vinculis contentis in patentalibus. Quoniam cum omnia, & singula Jura, nullo sibi jure reservato emptori cesserit, ex hac generalitate dicitur in eun-
24 dem emptorem translatum etiam jus obtinendi deletionem à vinculo Fideicommissi, quod Lucarino in vim deliberationis competebat, *Merlin. de pignor. lib. 4. quæst. 76. post n. 27. Gratian. discept. 586. n. 51.*, *Rot. cor. Gregor. dec. 121. num. 1.*, *& 2. in rec. p. 5. dec. 411. n. 25.*, *& p. 19 dec. 456. n. fin.* Unde cessat
25 argumentum ex actu hujusmodi desumptum, quod Lucarinus, vendere voluerit loca Montium ad solam vitam memorati Nicolai,

colai, animadvertendo, quod quamvis dd. loca præter vinculum Fideicommissi, aliis quatuor inter se distinctis gravata essent, adhuc vendita fuerunt pro prætio scutorum 35. pro quolibet loco, addito ulterius pacto semper, & quandocumque illa redimendi. autem sola vincula evictionis Castri montis Lanici, & obligationis restituendi prioribus, & potioribus creditoribus domus de Comitibus, minuebant valorem Montium ad scuta 63., ut probat fides Prosenetarum à Marco Antonio exhibita, certum est, quod proportionabiliter respectu habito ad alia vincula nec non etiam ad pactum perpetuum redi-
26 mendi, quod rei valorem minuit in quarta parte, juxta *Socc. sen. cons. 15. n. 55. in fin. lib. 1. Mascard. de prob. concl. 447. n. 11. & 13. Cyriac. contr. 261. nu. 46., & seq. Rot. cor. Coccin. dec. 572. n. 7. & seqq. in rec. par. 4 dec. 344. n. 12., & 13., & p. 11. dec. 390 n. 9.* sicuti præ-
27 tium scutor. 35. videtur plusquam adequare substantiam, & proprietatem rei venditæ, ita nec Lucarinum solam temporalitatem fructuum intellexisse vendere, nec respectivè Fidelem voluisse emere censendum est, cum quotidiana signanter praxis edoceat, quod loca Montium aliis vinculis non subje-
28 cta præter illud fideicommissi, si ad vitam hæredis gravati venundantur, non plus calcula i soleant, quam in scutis 25., aut 30. pro quolibet, ut testantur, *Card. de Luc. de regal. disc. 30. sub n. 9. vers. ita enim, & disc. 31. n. 15., & seq. R. P. D. Meus Ansald. de commerc., & mercat. disc. 60. n. 58. Rot. in rec. par 14. dec. 126. n. 41. & seq.*

Prout nihil relevant transactio de anno 1668. inter Lucarinum, & Marcum Antonium inita. Cum enim stipulata fuerit post jamdiu factam venditionem locorum Montium dicto Hieronymo Fideli, & postquam isti in generali cessione etiam jus delendi dictum vinculum amplissimè translatum fuerat
29 quidquid subinde in eadem transactione conventum fuerit, præjudicium aliquod emptori, seu cessionario inferre nequit, jxta tradita *per Jason. in l. si cum Emptore n. 11. ff. de pact. Salgad. in Laberynt. Creditor par. 2. cap. 27. n. 62, & seq. Olea de cess. jur. tit. 8. quæst. 2 n. 12. Rot. in rec. par. 11. dec. 351. n. 10. & seq.*

His itaque sic se habentibus, nil pænitus refragabatur, quod in omnibus Patentalibus ad instantiam successorum desuper expeditis, ejusdem Fideicommissi vinculum expressè fuerit registratum. Quandoquidem cum Secretarii Montium soleant in novis re-
30 signationum litteris repetere eademmet vincula, quæ in antiquis patentibus conti-
31 nentur, nisi Judicis mandatum superveniat, ut monet *modern. Asculan. in dicto discurs. de Loc. Mont. num. 213.*, hoc ideo accidit,
32 ex quo successor quilibet pro tempore ob superextantiam aliorum vinculorum maluit potius impetrationem mandati de delendo negligere, quam in signes sumptus in eo obtinendo inutiliter terere, juxta animadversa *in §. quod etenim*, Non autem ex quo vo-
33 luerint fideicommissi subsistentiam super locis Montium agnoscere, & Jus illud delendi, quod ipsis tamquam Lucarini successoribus competebat, remittere; jus enim illud
34 semper erat exercibile, cum frequentes sint casus, in quibus neglecta deletione à primo, secundo, & tertio Possessore, obtinetur tamen a quarto ex facultate primo deliberatario, vel præservata, vel de Jure competente, ut practicè testantur Officiales Secretariæ Montium, quibus veluti de re ad proprium officium spectante deponentibus, plena fides tribuenda est, ex firmatis *per Rotam coram Cavaler. dec. 370. nu. 3. cor. Emerix Jun. dec. 752. num. 6. in rec. par. 12. dec. 153. num. 6., & par. 13. dec. 432. pariter num. 6.*

Perperam quoque recurrebatur ad modicitatem pretii scutorum 35. pro quolibet loco, cum quo deliberatio ad commodum Lucarini facta fuit; si enim juxta præmissa ob
35 sola vincula evictionis Castri Montis Lanici, & obligationis de restituendo prioribus, & potioribus creditoribus domus de Comitibus, loca Montium non erant tunc temporis in comercio, quam in summa scutorum 60. pro quolibet, si utique his vinculis addatur alterum fideicommissorum, quibus Castrum prædictum obnoxium esse poterat, quemadmodum legitur in mandato de transferendo exhibito *Summario responsionis Ecclesiæ distributo coram Eminentiss. Card. Caprara die 22. Junii 1705. num. 1.*, necnon alterum dotis Lucretiæ Masillę uxoris dicti Nicolai, quibus de eo tempore remanebant affecta, nullum sanè argumentum pro subhastatione
36 solius temporalitatis fructuum conjici valet, nam diminutio proportionabiliter pretio pro aliis duobus vinculis, quantitas scutorum 35. exuberans videtur ad coæquandam locorum substantiam, & proprietatem,
37 additis signanter expensis necessariis in subhastatione, & deliberatione Montium, quæ de pretio pignoris subhastati defalcandas
38 esse habetur, *ex l. cum apud veteres C. de bonis auth. Judic. possess. Asin. de execut. §. 7. cap. 300. n. 1. Mangil. de subhast. qu. 155. num. 1. Postb. eodem tract. inspect. 41. nu. 1., & seq.*

Non attenta responsione, quod vinculum dotis dictæ Lucretiæ nullius esset efficaciæ,
39 vel ex quo ipsa esset uxor filii adoptati, pro qua bona fideicommittentis obligari non poterant, vel quia de eo tempore creditum hujusmodi jam evanuisset, ex quo filii majorem dictæ dotis quantitatem recuperaverint in Civitate Neapolis. Quiquid enim sit de his omnibus, sufficit, quod de tempore deliberationis vinculum ejusdem dotis expres-
40 sum legeretur in Patentalibus, ut indè illius congrua ratio in diminutione valoris habenda esset, cum extraneus Licitator non
41 teneretur intrinsecùs perscrutari, hoc qualitatem personæ Nicolai, qui tamen tamquam filius fideicommittentis assumpto illius cogno-

gnomine se gerebat, neque existentiam, & subsistentiam crediti dotalis, cum semper verum sit, quod ob præexistentiam dicti vin-
42 culi in litteris, se exposuit periculo, quod filii ejusdem Lucretiæ veluti illius hæredes, pro dicto dotali credito, de locis Montium sub deliberatione eadentibus, illum de his omnibus penitus inscium expoliarent.

Inaniter demum objiciebantur, quod eum verseinur in Judicio privilegiato, ac summario immissionis, & Marcus Antonius intentionem suam fundet super fideicommisso
43 claro, & identitate locorum Montium non controversa; exceptiones vero per Ecclesiam propositæ sint turbidæ, & altiorem indaginem exquirant, non sit interim retardanda Immissio rejectis ad petitorium exceptionibus prædictis. Etenim Domini animadvertebant, quod si clara est actio Mar-
44 ci Antonii, clarior est exceptio Ecclesiæ, videlicet, quod loca Montium fuerint deliberata pro debito fideicommittentis. Undè eum semel ex legitimo titulo à fideicommis-
45 so exiverint, non poterat amplius ad illa concedi immissio, ut in puncto dixit *Rota dec.343.nu.2., & dec.823.nu.3., & 4. cor. Emerix Junior.*

Turbiditas autem, si quæ adest, tota constitit, in replicatione Actoris, qui dum arduam assumit Provinciam, vel in sustinendo fideicommissum non esse debitorem istius crediti aliàs canonizati contra idem Fideicommissum per rem judicatam, & transa-
46 ctionem, quæ faciunt de albo nigrum, & de indebito debitum, vel in allegando loca montium non fuisse deliberata in proprieta-
47 te, sed tantummodò ad vitam Nicolai hæredis gravati contra litteram Edictorũ oblationis, & instrumenti deliberationis, in sua replicatione proponit exceptiones, vel ex hactenus dictis prorsus insubsistentes, vel saltem adeo turbidas, & involutas, ut in nihilo detrahant claritati defensionis Ecclesiæ, ad-
48 versus quam ideo tamquàm Authore prætore possidentem, non potest immissio concedi ex solis exceptionibus, quæ incontinenti, & citra altiorem indaginem, ejus titulum non perimant, ut prosequitur *Rot. in d.dec. 343.n.11. coram Emerix jun.*, & distinguen-
49 do inter turbiditatem, quæ stat in exceptione rei, & alteram, quæ oritur ex replicatione Actoris, tradunt *Posth. de Manut. observ 41.n.143. Rocc.disput. Jur.cap.191.n. 41.& seq. Rot.in.rec.decis.559.par.1., & in Napolitana pensionis 26. Novembris 1696. § final.,& 22. Aprilis 1697.§.nec ad illas coram bo.mem.Ursino & 10. Februarii 1698. coram R.P.D.Meo Ansaldo inter illius impressas la 30. n.15., & n.30., & seq.*, & in præcisis
50 terminis immissionis *in Urbinaten. Immissionis 16. Feb.1705.§. Denique & seq. coram bo.me. Muto.*

Et ita utraque &c.

BONONIEN. FIDEICOMMISSI DE VOLTA.

Veneris 18. Februarii 1707.

ARGUMENTUM
Confirmatur infra dec.548.

SUMMARIUM.

1 *Vocationis, & identitatis probatio necessaria est ad obtinendam immissionem in vim* L fin. Cod. de Edict.div. Adrian.tollen.
2 *Immissio concedenda est cum ad illam necessaria concurrunt.*
3 *Immissionem retardare non possunt exceptiones vel illiquidæ, vel extraneæ.*
4 *Quem de evictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio.*
5 *Confessio actoris super detractionibus, cum illæ liquidæ, & claræ non sunt, immissionem ab eo petitam non retardat.*
6 *Detractiones debitæ non impediunt, quia vocatus ad particulare fideicommissum rem nulliter alienatam non posset vindicare.*
7 *Præsertim cum jura dd. detractionum illæsa remanet in alio judicio exercenda.*
7 *Rem fideicommissariam ex justa, & legitima causa alienatam cum alterius subrogatione repetere non potest vocatus: sed actionem suam dirigere debet contra investimentum: declara* n. 12.
9 *Præsertim concurrente in hoc beneplacito Apostolico.*
Beneplacitum Apostolicum per lapsum 100. annorum impetratum præsumitur, & sub n. 11., *& limita ut* n. 14.
10 *Assertioni gravatorum in fideicommissi supplantationem, fides non est adhibenda.*
11 *Augumentum valoris domus concurrente spatio* 100. *annorum temporis beneficio, non alteræ causæ est tribuendum.*
12 *Res fideicommissaria posita nullitate alienationis ob defectum præfiguratæ necessitatis alienandi potest a fideicommissaria vindicari: etiamsi ejus pretium fuisset investitum.*
13 *Amplia, esse in fideicommissarii arbitrium vel contra illorum pretium, vel investimentum agere,* & n.19.
14 *Beneplacitum Apostolicum præsumptum excluditur in alienatione rei fideicommissariæ: cum non fuerit investitum ejus pretium vel illius tantum modica pars, vel aliud temperamentum non captum.*
15 *Ad præsumendum beneplacitum apostolicum observantia copulativè cum temporis lapsu concurrere debet.*
16 *Auctoris factum servandum est.*
17 *Qualitas hæreditaria non convincitur a possessione predii in eadem contracta discordantibus quantitate, & confinibus.*
18 *Et sat est, quod alio nomine, quam hæreditario possideatur, ut prætensi auctoris factum impugnari possit: & jura suæ vocationis indepedentis experiri.*

20 *Lis ex conventione Partium terminatur.*
21 *Executionem pacti nec paciscens, nec ab eo causam habentes possunt impugnare.*

DECISIO CCCCLXVIII.

ROtalem Sententiam latam ab R.P.D.Meo
Priolo, qua Acchilles de Volta obtinuit
immitti ad domum subjectam Fideicommis-
so ordinato per Bossium de Volta illius
Tritavum, & hodie retentam, à fratribus
de Alamandinia, confirmandam esse di-
ctum fuit *sub die 26. Junii 1705. coram bo.
me. Muto*. Et quoniam in die propositionis
allegatum fuit à Monialibus Sancti Lauren-
tii, & Sanctæ Mariæ Bononiæ ex persona so-
rorum de Isolanis, quod non posset hodie ad
illam agi, quia cum à principio minaretur
ruinam, postea fuit renovata prævia totali
illius destructione, & nova constructione ad
formam palatii incorporando etiam alias
domunculas, adeout proinde solum concedi
potest immissio ad pretium jam integraliter
investitum, placuit DD. in hoc articulo jura
utriusque partis reservare, concedendo
remissoriam ad effectum prædicta probandi.
Cum vero completo processu Ego fuerim in
locum defuncti interim Collegæ subrogatus,
& coram me Ferrantes Doria auctor laudatus
Monialium obtinuerit ad causam admitti,
proposui etiam ad istius instantiam dubium
An sit standum, vel recedendum à decisis -- &
DD. visum fuit persistere *in decisis*.

Et separando inspectionem desumptam ex
novis probationibus ab aliis, de quibus actum
fuit in preteritautique subsistere visa fuerunt
fundamenta alias adducta, quod scilicet po-
sita vocatione Achillis ad fideicommissum
1 ordinatum per Bossium, ac etiam identitate
domus, alias admissa & in causæ decisionibus
abundè firmata, sicut hæc omnia requisita
sunt necessaria ad obtinendam immissionem
in vim *leg. final. Cod. dè edicto div. Adr. tol-
2 len.*, ita illis in præsenti concurrentibus me-
rito concessa fuit immissio, quam retardare
3 non valuerunt detractiones ab hæredibus
gravatis prætensæ, vel quia illæ sunt illiqui-
dæ, vel quia sunt prorsus extraneæ, & inal-
legabiles in præsenti judicio, in quo agitur
de Immissione petita ad domum particulari
Fideicommisso subjectam; adjecta ratione,
qua testator volebat illam semper & specia-
liter in familia de Volta conservari, *Rot. dec.
550. n. 11. coram Dunoz. Jun. dec. 332. n. 27. &
29. par. 18.*, *& dec. 236. n. 6. par. 19. rec.* & ple-
nè firmatum fuit *in decisione hujus causæ
edita 7. Aprilis 1704. §. quia ultrà cum
seqq. coram R.P.D. Meo Priolo, & in alia
edita coram bo. me. Muto sub die 26. Maii
1705.*

Non obstat, quod detractiones prędictę fue-
rint obligatę favore Emptorũ controversi pa-
latii pro illius evictione, ideoq; earum titulo
se tueri possint in possessione, ne spolientur ab
4 Acchille detentore bonorum omnium uni-
versali fideicommisso subjectorum, ex quibus
detractiones prædictæ sunt desumendæ: &
per consequens præstanda veniat evictio.
Accedente præsertim generica probatione
dictarum detractionum resultante ex confes-
sione ipsius Acchillis. Quoniam quidquid
sit de asserta confessione actoris, quæ nihil
5 concludit, ubi detractiones non sunt liquidę,
& claræ, ut possint immissionem retardare:
Esto etiam quod illæ deberentur, non indè
sequitur, quod Acchilles ad particulare fi-
deicommissum vocatus rem nulliter aliena-
tam hodie vindicare non possit: præsertim
7 quia semper emptoribus illæsa remanent
jura consequendi assertas detractiones ex
personis alienantium competentes, quæ pro-
movere poterunt suis loco, & tempore, in
altero magis congruo & proportionato judi-
cio.

Minusque suffragatur, quod domus hæc
licet potuerit alienari, ex quo ut præseferet
littera instrumenti venditionis, & tunc tem-
poris reperiretur in statu valdè ruinoso,
itaut cum gesta fuerit res utilis fideicommis-
so, prætiumque fuerit reinvestitum in aliis
bonis stabilibus, alienatio tamquam facta ex
8 juxtà, & legitima causa amplius retractari
non possit, sed fideicommissarius actionem
suam dirigere teneatur contra ipsum investi-
mentum, concurrente signanter expressa
6 conventione obtinendi beneplacitum Apo-
stolicum, quod per lapsum centum, & ultra
annorum præsumitur impetratum fuisse.
Quoniam, & si alienantes in prædicto in-
strumento expresserint statum ruinosum di-
ctæ domus, quia tamen usque adhuc id pro-
batum non fuit, præfatæ gravatorum asser-
10 tioni in fideicommissi supplantationem fides
ulla præstanda non est, ex *firmatis per Ro-
tam post Merlin. de pignor. dec. 76. num. 9.
coram Zaratt. dec. 12. nu. 26.*, *& coram Bi-
ch. dec. 559. num. 15. 16.* Non attento, quod
talis assertio coadjuvata videatur ex augu-
mento valoris domus, quia cum illud prove-
11 nire potuerit ex lapsu centum, & ultra an-
norum; potius temporis beneficio venit ad-
scribendum.

Et hinc non relevat, quod fuerit conven-
tum, pretium reinvestiri debuisse, & bene-
placitum Apostolicum impetratum præsu-
matur. Quia posita nullitate alienationis ob
12 defectum præfiguratæ necessitatis, integra
remanent jura fideicommissarii ad vindican-
dum palatium prædictum, etiamsi pretium
fuisset reinvestitum: & remansit in arbitrio
fideicommissarii agere vel contra bona alie-
nata, vel contra illorum pretium, & investi-
mentum, juxtà *Theoricam Bartoli L. Impe-
rator 71. §. cum autem sub nu. 2. ff. de legatis
2.* quam inconcussè secuta fuit *Rota coram
Bichio dec. 62. num. 15., & 16., & coram
san. mem. Alex. VIII. dec. 235. num. 6. 7.*
& tamen investimentum non probatur, nisi
pro tenui rata librarum 3800. itaut etiam ex
hoc fundamento locum habere non possit
14 præsumptio beneplaciti Apostolici, ex quo
Summus Pontifex hujusmodi alienationes
com-

comprobare non solet, nisi contemporaneè consultum remaneat eidem fideicommisso mediante investimento, vel aliquo alio temperamento: Undè cum versemur in contractu gello à persona alienari prohibita, cui proindè resistit dispositio legis, & hominis, quodque plus est, ille pro sui majori parte, nec fuit observatus, nec circà Investimentum executioni demandatus, nequit dicta
15 præsumptio ex solo temporis lapsu allegari, cum ad præsumendum beneplacitum observantia copulativè concurrere debeat; *Adden. ad Buratt. dec.45. num.8., Rota coram Coccin. dec.301. nu.3., in rec. dec.582. n.12. par.18., & in Avellina, seu Nullius Præstationum 29. Aprilis 1697. §. Minime coram Rmo Conchen.*

Nec subsistit in facto, quod Acchilles actor fuerit hæres Marci Antonii de Volta, qui consensum præstitit dictæ domus alie-
16 nationi, ideoque sui auctoris factum servare teneatur. Qualitas enim hæreditaria nullo modo probata fuit, nec deduci potest ex eo, quod per Acchillem fuit facta venditio prædii positi in Villa *Fontana*, quod asseritur alias fuisse in dominio dicti Marci Antonii; Quoniam prædium venditum ab Acchille, licet existat in eadem Villa, discordat tamen in quantitate, & confinibus
17 ab altero, quod à Marco Antonio possidebatur, & quando etiam constaret de iden-
18 titate, satis est, quod potuerit dictum prædium alio titulo, quam hæreditario devenire ad Acchillem, ut hujusmodi possessio secumferre non valeat obligationem ejusdem Acchillis servandi factum Marci Antonii alias dicti prædii possessoris, minusque impedire, quod ipse tanquam veniens ex jure suæ vocationis independenter ab alienationibus, sua jura modo experiri non valeat *leg. seja ff. de evict. l. final. Cod. eodem tit., Rot. dec.97. num.9., & dec.510. num.8., & seqq. par.2. divers., & in rec. dec.363. nu.12., & dec.197. num. 15. part.5.*

Quibus ita positis pro confirmatione decisionis quoad articulum immissionis, facilis fuit resolutio, quoad ea, quæ deducta noviter fuerunt ex mutatione status istius domus & nova illius constructione facta per Alamandinos modernos possessores; quia cum illi judicialiter exhibuerint se promptos, & paratos exbursare pretium librarum 26500. pro quibus fuerat eisdem vendita domus à Sororibus de Isolanis: & dictæ exhibitioni
19 aquiescat Achilles, cum sit in ejus libito agere ad rem, vel ad prætium ex supra alle-
20 gatis; quæcumque lis ex conventione partium dicitur terminata.

Non refragante responsione quod fratres de Alamandinis dictam oblationem facere non potuerint in præjudicium monialium causam habentium à Sororibus de Isolanis. Quia cum eædem in instrumento venditionis expressam facultatem dederint emptoribus in casu evictionis provenientis ex hoc fideicommisso tradendi pretium evincenti in locum palatii, ibi: *Far convenzione con dd. Signori Volta in caso, che fosse dichiarato per detto fidecommisso, che qui accettaranno in vece della Casa sudetta il prenominato prezzo*: Eo ipso, quod in tribus instantiis decisum fuit extare fideicommissum super palatio, & ad illum esse vocatum Achillem; rectè, & validè fratres de Alamandinis in vim dictæ conventionis, & pacti, potuerunt offerre prætium antiquum palatii, prout erat antequam illius forma immutaretur, ideoque
21 cum ad dictam oblationem fuerit deventum in sequelam promissionis, & proprii facti Sororum de Isolanis, nec istæ, nec Moniales ab eis causam habentes illam hodie impugnare possunt.

Et ità utraque &c.

MEDIOLANEN. PRIORATUS.

Lunæ 21. Februarii 1707.

ARGUMENTUM.

Suppeditatur à Summario.

SUMMARIUM.

1 *Restitutio in integrum sine læsione non datur.*

2 *Dilatio non datur eam petenti sub prætextu exquirendi scripturas ad causam facientes: cum earum fumus non datur.*

3 *Præsertim cum intercessit multum temporis pro earum perquisitione, & omnia antiqua jura sunt inventa.*

DECISIO CCCCLXIX.

NOn acquiescens Marchio Angelus Mantegatia tot contrariis Judicatis nostri Tribunalis, tàm in possessorio, quam in petitorio æditis super pertinentia patronali Santæ Mariæ de Campo mortuo, in quibus omnibus pronunciatum fuit favore prioris Pomponii de Mantegatia, ac omniũ illorũ de cognomine de Mantegatia existentium in quasi possessione præsentandi, seu procedentium ab illis, qui in dicta quasi possessione existunt de una, eademq; familia provenientium, iterum novam commissionem restitutionis in integrum in devolutivo reportavit: eaque mihi directa, causam in hodierna audientia præposui, quæ quamvis in præteritis Instantiis sub separatis dubiis examinata fuerit, hodie tamen Pomponio dumtaxat informante, ac Marchione Angelo dilationem petente sub uoica tantùm decisione, *quod non constet de causis restitutionis in integrum*, resoluta fuit.

Sententiæ namquè in præsenti causa quæ prodierunt, & rem judicatam constituunt, sunt undique validæ, & justæ recognitæ fuerunt ex tot reiteratis decisionibus, quæ illas præcesserunt, cum quarum fundamentis hodie

die DD. transierunt; superfluum putantes quidquam ex eis repetere, dum nihil in contrarium deducebatur; adeout penitus exclusa remaneat læsio, sine qua succumbens in
1 integrum non restituitur, *Text. in L. quod si Minor 25. ff. de minor. Rot. coram Buratt. dec. 325. n. 1. & coram Emerix Jun. dec. 1272. num. 1.*

Frustraque per Marchionem Angelum prætendebatur dilatio sub prætextu peragendi novas diligentias in archivio secreto in Arce Mediolani existente ad effectum perquirendi ulteriores probationes pro præsenti causa: idque tamen peragere non potuit. Etenim nullus dabatur, sumus de
2 existentia scripturam hanc causam respicientium, ut opus esset prò reportanda petita dilatione: unde sicuti redditur omninò inverisimilis existentia illarum, ex quo Marchio
3 Angelus per septennium, in quo lis perduravit, non destitit quascumque scripturas e latebris antiquitatis in lucem proferre, ita manifestus apparet prætextus perquisitionis scripturarum unicè in hodierna instantia deductus: ad protrahendum controversiæ resolutionem.

Et ità altera &c.

FERRARIEN. DECIMARUM.

Veneris 25. Februarii 1707.

ARGUMENTUM.

Quomodo per Testes sit probanda consuetudo non solvendi, nisi unam decimarum speciem in Parochia, in qua adest jus universale decimandi, quod omnes acceptarunt?

SUMMARIUM.

1 *Testes familiares non probant.*
2 *Nec testes interesse habentes.*
3 *Testes non coarctantes negativam non attenduntur circa prætensam exceptionem à solutione decimarum, quam præterquam in una specie non solutas semper prætenditur, ad quam tamen omnes tenentur, &* num. 9.
4 *Consuetudo non solvendi decimas quoad alios titulum justum exemptionis habentes, non probat respectu alterius, quamvis in eadem parochia, possidentis, qui hunc titulum non habet.*
5 *Testes contra inducentem plenam constituunt probationem.*
6 *Testes super consuetudine solvendi decimas adeo longævæ ætatis esse debent, ut ritè de ea deponant ante litem motam.*
7 *Consuetudo non solvendi decimas quoad unum in eadem Parochia inverisimilis redditur, cum omnes juri universali decimandi acquieverint.*
8 *Inverisimilitudo probationes enervant.*

DECISIO CCCCLXX.

Prætendens Maurelius à Peregrina, quod sententiæ latæ tam à Me, cum in Tribunali A. C. essem Locumtenens, quàm ab hoc Sac. Auditorio, condemnantes omnes possessores bonorum ad solvendum decimas de cunctis fructibus bonorum intrà fines Parochialis Ecclesiæ S. Georgei existentium, ipsum non afficerent; Eo sub prætextu, quod in præfatis sententiis exciperentur præ cæteris possessores bonorum, quibus fuerunt factæ investituræ cum emolumento decimæ à Monasterio, & Monachis S. Bartholi, & Reverendissimis Episcopis Ferrariensibus; & præservaretur possessoribus jus probandi in quocumque alio judicio super modo solutionis: & supponens se tanquam in exceptione compræhensum jura sua particulariter experiri satagit. Sed nihil aliud obtinere potuit, quam favorabilem resolutionem quoad prædium positum in Contrada *Lagusselli*, cum docuerit se fuisse de illo investitum ab Episcopis Ferrariæ cum emolumento decimæ: quo enim ad alia bona succubuit, & per geminas sententias Reverendissimi D. mei Decani, & R.P.D. mei Omannæ declaratum fuit eumdem Maurelium teneri ad solutionem decimarum quoad cætera omnia bona per illum possessa.

Verùm prædictis non acquiescens causam iterum in devolutivo prosecutus fuit coram Emo Caprara sub die 22. Februarii 1706. pariterque contrariam passus fuit resolutionem. Et quia unico contextu pro remissoria insistit ad probandum, quod ex prædiis à se possessis numquam decimas petitas etiam ab immemorabili tempore persolverat, præter illam, ut dicitur, *dello Spicatico*, & sine retardatione sibi concedi obtinuit; Ac tandem completo remissoriali processu curavit, ut Ego in locum emeritissimi Collegæ ad Sacr. Purpuram evecti suffectus, DD. consulerem qui *persliterunt in Decisis*.

Testes enim ad hunc effectum adducti plu-
1 res patiuntur exceptiones in persona, & in dicto, quia non solum aliqui ex eis sunt familiares dicti Maurelii, alii vero possident bona in iisdem contradis, itaut sint, & ipsi obnoxii oneri decimarum, quamobrem ex
2 hac ratione testes apparent interessati, ac per consequens inepti ad illas testificandum in præsenti controversia. *Mascard. de Probat. tom. 3. conclus. 1357. Gratian. cap. 293. num. 6., Rota dec. 118. num. 3., & 4. par. 13. rec.*

Ulterius nemo ex eis specificè deponit eumdem Maurelium, aut alios possessores
3 nonnisi decimas *dello Spicatico* ex propriis bonis persolvisse, adeout cum non coarctent negativam, nihil ad hunc effectum concludunt, *Bart. ad l. Actor nu. 3. part. 19. recent.*, & quamvis in Parochia Monachorum existant possessores, qui tanquam investiti vel à mensa Episcopali Ferrariæ, vel à Monachis San. Bartholi exemptione dd. decimas persolvendi potiuntur, tamen hoc ipsum
4 red-

4 reddit æquivocam probationem, quæ à dd. Testibus deduci prætenditur, quia cum eorum depositiones sint referibiles ad possessores retinentes bona ut supra qualificata, remanent inefficaces ad probandam consuetudinem non solvendi favore Maurelii, *Rot. coram Bich. dec.*386. *num.*27., *& seq. & coram Cerro dec.*607. *n.*23., *& in recent. dec.*232. *n.*12. *part.*17.

Idque adeò verum est, ut duo ex istismet Testibus expresè deponant decimas omnium fructum à prædictis bonis recollectorum fuisse per Monachos exactas, ut colligitur ex *Summ. Monachorum num.*9. *litt.B. & num.*10. *lit.G.*, ex quorum depositione
5 tanquam proveniente ex Testibus inductis ab ipso Maurelio, deducitur contra ipsum inducentem probatio, *Adden. ad Greg. decis.*215. *num.*9. *Rota coram Cerro dec.*607. *num.*26., *& in rec. dec.*191. *n.*11. *part.*12. *& dec.*208. *n.*12 *p.*17.

Minuiturque præterea dictis Testibus fides per lapsum longissimi temporis, quo præsens Judicium instructum reperitur, cum illud jamdiù, videlicet ab anno 1600. vigeat; exinde enim sequitur, quod prætensa consuetudo admitti nequeat per Testes, nisi illi adeò longævæ sint ætatis, ut de tempo-
6 re ante litem motam apti sint deponere, *Sperell. dec.*179. *num.*40. *Rot. cor. Cels. decis.*217. *num.*6., *& cor. Merlin. decis.*132. *num.*17., *&* 18., *& coram Coccin. dec.*1586. *num.*46., *& in recent. decis.* 197. *num.*13. *par.*9.

Tandem omnibus prædictis adstipulatur maxima inverisimilitudo deducta, ex quo adsunt tot, tantique possessores bonorum intrà limites Parochiæ prædictæ, & nemo ex illis a tempore quo res judicata super universali jure decimandi jam suum habuit effectum, comparavit, nec se de exceptuatis in priori sententia, probare conatus fuit. Quinimò potiùs omnes eidem rei judicatæ religiosè acquieverunt; undè cum solus Maurelius hanc generalem consuetudinem non
7 solvendi, nisi ex Spicatico opponat; magnum exindè oriri visum fuit Dubium con-
8 tra dd. probationes, quarum vis maximè ab inverisimilitudine enervatur, *Rot. coram Celso dec.*40. *num.*8., *& dec.*236. *num.*4., *& in rec. dec.*114. *num.*7. *par.*18. Non enim possibile est, quod tot alii suum jactando silvissent, nec propria jura deducere neglexissent, *Rot. dec.*11. *num.*9. *part.* 18. *rec.*, *& in Hortana Sylvarum super reservatis* 15. *Maii* 1699. §. *Nec*, *& munitas cor. bo. mem. Muto.*

Exclusa ex prædictis probatione, quæ deduci prætenditur ex Testibus nuper examinatis, frustra recurrebant scribentes pro Maurelio ad alios Testes coram R.P.D. meo Omanna in disputatione præcedentis instantiæ exhibitos; illi enim solùm testantur de decimis per se ipsos nomine Monachorum exactis, sed non excludunt decimas ex diversis fructibus, quæ potuerant exigi ab
9 aliis, ideoque cum negativam non coarctent, nullum ex eorum dictis pro coadjuvatione consuetudinis non solvendi, nisi de solo Spicatico, argumentum desumi valet, ex allegatis.

Et ita utraque &c.

ROMANA SALVIANI SUPER FRUCTIBUS.

Ven. 25. Februarii 1707.

ARGUMENTUM.

Fructuum restitutio a die primæ sententiæ ab immissionem in Salviano passo quando debeantur? & quid requiratur, ut restituantur? Et locationis continuatio, & pensionum continuata perceptio ex quibus præsumatur? Cætera in Summario.

Confirmatur infra decis. 512. in hac causa suat dec. 368., & ibid. notatæ.

SUMMARIUM.

1 *Fructus in judicio Salviani à reo in mala fide constituto à die sententiæ quando debeantur?*

2 *Reparationes bonorum aliaque onera computantur ad rationem scut.* 5. *pro centenario pensionum.*

3 *Et impensæ hanc ratam longè excedentes, nisi probentur redduntur inverisimiles.*

4 *Peritia in alia causa facta actore in ista non citato, nec in secunda producta non attenditur.*

5 *Melioramenta ab hærede facta affecta dicuntur pro satisfactione creditorum auctoris; nec detrahi possunt, nisi reddita fuerit ratio.*

6 *Exceptio illata post confectam causam canonizatam à Signatura cum clausula* -- S.P. *est serotina, nec attendenda, sed deducenda in devolutivo.*

7 *Pensionum continuata perceptio, & locationis continuatio præsumitur cum ab initio constat de locatione; nisi contrarium probetur; potissimùm concurrente optima qualitate situs.*

8 *Fructuum restitutio ab immissionem in Salviano passo à die primæ sententiæ, ut debeatur non officit bona fides, aut non locupletatio; sed quæ requirantur?*

DECISIO CCCCLXXI.

POstquam Antonius Pierleonus per geminas sententias alteram ab A.C. latam, alteram verò à nostro tribunali coram me ex interdicto utilis Salviani immissionem obtinuit, ad Palatium hæreditarium quondam Francisci Scappucci fidejussoris quondam Julii de Magistris debitoris modò possessum per Archiconfraternitatem Confalonis Urbis, ad effectum ex pensionibus dicti palatii consequendi reintegrationem fructuum censuum debitorum per dictum quon. Julium tam per ipsum, quam per ejus Auctores solutorum Pa-

Parabiacchis, & de Signoribus Creditoribus,
& respectivè liberationem à dictis censibus
mediante actuali deposito capitalium dd.
censuum in sorte scut. 1200. Commissa causa
in ulteriori instantia cum clausula *sine præju-
dicio*; hodie in executionem istius rescripti
idem Antonius curavit examinari dubium
coram Me — *An, & in qua summa sint li-
quidandi fructus Palatii, & sit relaxandum
mandatum* — DD., fructus esse liquidandos in
summa scut. 6767. responderunt.

Etenim quod debeantur fructus in genere
nulla fuit difficultas, quia versamur in judi-
cio Salviani per Antonium Pierleonum in-
tentato, in quo principaliter petuntur ipsi
fructus, & pensiones Palatii hipotecati, ad
quod obtenta fuit immissio: ac proindè cer-
tum est, quod Archiconfraternitas rea con-
1 venta per litis contestationem in mala fide
constituta, eo ipso, quod succubuit in lite,
pensiones perceptas, à die latæ primæ sen-
tentiæ Actori restituere tenetur, juxta di-
stinctionem, de qua post *Decis. Rembold. vol.
9. n. 3., & per tot. Rota in Romana Associa-
tionis 14. Martii 1692. §. Quo vero coram Re-
ver. D. Meo Decano, & in Urbinaten. Sal-
viani d. die, & anno coram eodem*.

Posita restitutione fructuum in genere,
eorum specifica liquidatio resultat ex solu-
tionibus pensionum factis ipsi Archiconfra-
ternitati per inquilinos in annua summa scut.
2 881., à quibus detractis scutis quinque pro
quolibet centenario de jure excomputandis
pro reaptationibus, aliisque oneribus solitis,
& assuetis, juxta firmata *per Rot. in Romana
restitutionis fructuum 16. Junii 1698. §. Ex
firmata coram bo. me. Pio, & in Reatina
Fideicommissi de sempiternis super fructibus
17. Februarii 1702. §. Nec quoad coram Me*,
Pensiones perceptę ascendunt ad annua scut.
836 eisque calculatis à die 2 Martii 1697.,
qua lata fuit sententia Immissionis ab A. C.
usque ad diem 7. Januarii 1706. qua capta
fuit possessio, constituitur summa sc. 6767.,
ac proindè pensiones in hujusmodi quantita-
te perceptæ sint restituendæ, & pro eis re-
spectivè mandatum venit relaxandum.

Quin juvare valeat replicatio, quod im-
pensæ pro reaptationibus factæ fuerint in
summa scut. 1214. Quoniam nulla de eis ex-
hibita fuit in actis justificatio, nec producta
ulla receputa, quinimmò sunt admodum
3 inverisimiles, quia præceteris prima partita,
quæ respicit Fabrum Murarium præsefert,
quod in solo Palatio spatio unius anni ero-
gata fuit quantitas scut. 450., quando ex eo
non retrahitur major pensio, quam sc. 480.

Non obstat, quod ex dd. annuis fructibus
favore Archiconfraternitatis detrahenda sit
eorum proportionabilis rata correspondens
scut. 13. mil. pro melioramentis per ipsam
factis in controverso Palatio ad tenorem
peritiæ editæ per Eq. Carolum Fontanam
Architectum. Quoniam ultra quod talis
4 peritia prodiit in Causa ab ista prorsus di-
versa, in qua Pierleonus nunquam citatus
fuit, imò quod plus est, nec in præsenti
Judicio apparet contra ipsum producta, nec
repetita, placuit responsio, quod dum Ar-
chiconfraternitas est hæres mediata Scap-
pucci debitoris, & ob id per tres sententias
Rotales condemnata fuit, sicuti hujusmodi
melioramentorum exceptione juvari non
posset Scappuccius debitor quatenus etiam
5 ea probata fuissent, cum dicantur affecta,
& obligata pro satisfactione creditorum,
ex firmatis per *Rot. coram Coccin. dec. 137.
num. 28.* ita multò minus Archiconfraterni-
tas illius hæres, in quam omnia jura activa,
& passiva debitoris transierunt, nisi prius
facta per ipsam redditione rationis, quæ hic
deficit, ut in specie respondit *Rota in Ro-
mana Census 15. Junii 1687. coram bo. me.
Ursino, & 23 Aprilis 1703., ac 10. Mar-
tii 1704. cor. R. P. D. Kaunitz*.

Ultra quod nimis serotina, & nullatenus
attendenda apparuit hujusmodi exceptio,
6 cum opponatur postquam latæ fuerunt sen-
tentiæ per Signaturam etiam canonizatæ
cum clausula *sinè præjudicio*, in quibus con-
demnata fuit Archiconfraternitas ad satis-
faciendum creditum Pierleoni cum pensio-
nibus totius Palatii, nulla adjecta præser-
vativa pro assertis melioramentis, itaut
proindè nequeat in præsenti amplius oppo-
ni, sed veniat deducenda cor. Judice ap-
pellationis, cui in devolutivo causa reperitur
commissa.

Sicut minus relevat altera exceptio pro
diminuenda quantitate pensionum, quæ ve-
niunt restituendę, quod scilicet demendum
sit tempus, quo apothecæ dislocatę remanse-
runt. Nam cù præter possessionem Archicon-
7 fraternitatis probetur illas ab initio locatas
extitisse, exinde promanat legalis præ-
sumptio suadente potissimum optima quali-
tate situs, quod apothecæ semper sub loca-
tione permanserint, pensionesque integrè
perceptæ fuerint ab Archiconfraternitate,
quousque per eam contrarium justificetur,
ad *Text. in L. cum defunctus C. arb. tutel.
Rot. cor. Carill. dec. 274. num. 1., & coram
Emerix dec. 1703. n. 2.*

Quibus positis nullam meruit animadver-
8 sionem allegata bona fides Archiconfrater-
nitatis, eo quia consumpserit fructus in ope-
ribus Pietatis, & captivorum redemptione
nec ex eis facta sit locupletior. Quoniam
ad effectum condemnandi possessorem ad
restitutionem fructum, non est curandum
de locupletatione, sed sufficit factum posi-
tivum perceptionis, & contumacia illius,
qui post passam contrariam sententiam illi-
co bona retenta non dimisit, ex supra alle-
gatis.

Et ita omnibus DD. suffragantibus respon-
sum fuit utraque &c.

SE-

SENOGALLIEN. FIDEICOMMISSI.

Lunæ 28. Februarii 1707.

ARGUMENTUM.

Alienationum prohibitio quando fideicommissum inducat? Inventarii vices non supplere perpenditur divisionem mancam longè post testatoris mortem initam ad effectum etiam retentionis pro detractionibus, concurrentibus alienationibus. Nec suppletur a fide catastri, præsertim cum ibi jura, & actiones, & omnia bona non sint descripta. Nec tunc deputandus est peritus. Cætera in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Alienationis amplissima prohibitio, ad hoc ut bona in familia, & descendentibus perpetuò conserventur, stans independenter, absolutam, perpetuumque fideicommissum favore omnium descendentium inducit.*

2 *Restitutio in integrum non datur adversùs sententiam validam, & justam.*

3 *Retentio pro dotibus non datur fideicommissario, qui in fideicommisso se immiscuit inventario non confecto, & insignes fecit alienationes.*

4 *Hæres hæredis habetur ac si testatoris hæres esset.*

5 *Enunciativæ emissæ in instrumentis hæreditariom qualitatem probant, & quare?*

6 *Descriptio longè post fideicommittentis mortem facta, inventarii vices supplere non valet.*

7 *Possibilitas sola alienationum, quæ evenire potuerint ante confectam descriptionem, rectè facit, ne ea pro legitima habeatur.*

8 *Descriptio non complexiva omnium bonorum, vices legitimi inventarii supplere nequit, & cur?* num. 9.

10 *Alienatio facta ante divisionem, de qua in eadem mentio non fit, præsumere facit divisionem non fuisse universalem.*

11 *Alienatio una, quæ probatur, facit præsumere alia alienata, de quibus non constat.*

12 *Mulier pro dote à fideicommisso debita fratrum creditoribus præfertur.*

13 *Catastrum non probat negativam existentiæ aliorum bonorum.*

14 *Fides Catastri supplere nequit vices inventarii; præsertim cum ibidem integra descriptio omnium bonorum, jurium, & actionum non existat.*

15 *Aditio à muliere facta sine solemnitatibus est nulla, & imperfecta.*

16 *Cum tamen ab illa non fuit impugnata, nequit impugnari ab hærede.*

17 *Nec à tali nullitate liberatur mulier à redditione rationis, & ea deficiente à condemnatione etiam in bonis propriis.*

18 *Detractiones illiquidæ dicuntur, & ineptæ ad tribuendam pro eis retentionem; donec ad evidentiam non constet de quantitate massæ hæreditarii.*

19 *Liquidatio status hæreditarii impossibilis redditur post longissimum tempus, deficiente inventario, & concurrentibus alienationibus, idsoque pro eadem peritus non deputatur.*

DECISIO CCCCLXXII.

AD Prædium vocabulo, *Boccutino*, necnon ad Cuppas decem, & septem existentes in Prædio S. Rocchi suppofit. Fideicommisso per quondam Joachinum de Joacehinis ordinato, stante defectu filiorum immissionem per sententiam A. C. reportavit quondam Gabriel Procaccinus uti filius Fiordalisiæ fideicommittentis filiæ adversùs Liviam morettam de Philippinis eadem Prædia retinentem. Cumque ob non prosequutam Appellationem sententia præfata transitum fecerit in judicatum, iterum Livia prædicta post plurium annorum decursum Judicium instauravit adversus Æneam d. Gabrielis interim defuncti filium, petendo restitutionem in integrum, quæ tamen coram bo. me. Muto denegata fuit, & pro re Judicata responsum sub diebus 27. Junii 1698., & 5. Februarii 1700. Repropositaque causa sub die 9. Decembris 1701. Dilata fuit resolutio adjectis quinto, & sexto ex DD. In hodierna verò propositione coram me in locum prædefuncti Collegæ suffecto, DD. perstiterunt in decisis.

Justitia etenim sententiæ, cum validitas non controverteretur) satis resultare visa fuit, ex quo fideicommissum particulare per Joachinum de Joachinis super Prædio dicto *Boccutino*, & S. Rocchi respectivè ordinatum non impugnatur. Illius autem purificatio favore Æneæ actoris Pronepotis Testatoris ex Fiordalisia filia apertè deprometur ex stricta prohibitione alienationis a Teststore hæredibus injuncta, ad hoc, ut bona prædicta in familia, ejusque descendentibus perpetuò conservarentur, quæ profectò alie-

1 nationis prohibitio amplissimè concepta, ac de per se, & independenter stans, absolutum, perpetuumque Fideicommissum favore omnium descendentium inducit, ut latè firmatum fuit *in decisionibus præsentis causæ sub diebus 27. Junii 1698. §. Et porrò, & 5. Februarii 1700. coram bo. me. Muto*, qua-

2 rum fundamenta etiam hodie DD. approbarunt: Ideoque petitæ restitutioni in interum locus esse non potest, *ad text. in l. quod si minor 25. §. primo ff. de minor. firmavit Rota in Gerunden. Beneficii 28. Aprilis 1690. §. primo cor. bo. me. Benincasa, & in Majoricen. Vicariæ super re judicata 22. Junii 1695. §. motì siquidem coram bo. me. Muto*.

Nec relevat exceptio, super qua potissimè insistebant scribentes pro Livia, quod Sororibus ultimi masculi, & Filiabus respectivè fideicommittentis, a quibus illa causam habet, debeantur Dotes ab ipso Fideicommittente relictæ, quę cum satisfieri nequeant ex Fideicommisso universali, quia in eo to-

tidem bona non reperiuntur, tribuatur per
consequens præsidium subsidiarium reten-
tionis bonorum Fideicommissi particularis,
de quo agitur. Etenim cum Sorores prædic-
tę sese in hæreditate, & sic in dicto univer-
sali Fideicommisso immiscuerint, nullumque
confecerint Inventarium, & bona conside-
rabilis valoris alienaverint, *ut ex Summa-*
3 *rio Actoris num.* 4. Inde sequitur, quod
actiones pro assertis Dotibus taliter confusæ
remanserint, ut illas pro obtinenda retentio-
ne nullo modo experiri valeant, *Rot. cor.*
Bich. dec. 278. *num.* 17., *&* 25., *& in rec.*
decis. 12. *num.* 38. *part.* 10., *& dec.* 352.
num. finali part. 14., *& in Ravennaten.*
Fideicommissi 4. *Decembris* 1699. *§. firma-*
to, & §. verùm in fin. coram R. P. D. meo
Priolo.

Non attento, quod soli Filii masculi fue-
rint hæredes Joachini, nec ullibi resultet hæ-
reditaria qualitas quoad mulieres, quia post
obitum fratrum successerunt Sorores, quæ
4 cum sint [illegible] hæredum, habendæ sunt
ac si Test[illegible]ris essent hæredes: Idque re-
sultat ex Instrumentis alienationum, & di-
5 visionis, in quibus se enunciarunt hæredes
Patris, & Fratrum, quæ enunciativæ ple-
nè probant, utpotè emissæ in actibus pro-
portionatis, qui ab aliis, quàm ab hæredi-
bus expleri non poterant, *Adden. ad Bu-*
ratt. dec. 207. *num.* 19. *in fin. Rota dec.* 460.
num. 1., *&* 2. *coram Greg.*, *& dec.* 490.
num 9., *&* 10., *& sequ. coram Bichio*,
& decis. 1174. *n.* 2 *coram bo. me. Emerix.*

Frustraque pro supplendo defectu In-
ventarii afferebatur quædam divisio usque
de anno 1658. inter easdem Sorores exple-
ta, per quam probari pręteditur hæredi-
tatem pro dotibus prædictis insufficien-
tem fuisse. Etenim ultra quod illa sti-
6 pulata fuit triginta sex annis post obitum
fideicommittentis, ideoque inefficax ad sup-
plendas vices Inventarii, cum post lapsum
adeo diuturni temporis plures intervenire
7 potuerint bonorum hæredirariorum aliena-
tiones, quæ sola quidem possibilitas exube-
rat, ut firmavit *Rota in Balneoregien. Fi-*
deicommissi 29 *Maj* 1693. *§. maximè autem*
coram Rm̃o Turonen., *& in Asculana*
Jurispatronatus, seu legatorum super resti-
tutione in integrum 12. *Junii* 1695. *§. Et*
frustra coram bo. me. Pio, *& in Reatina*
Fideicommissi de Clavellonibus 17. *Februa-*
rii 1702. *§. in pręsenti coram Rm̃o Conchen.*
8 Validior ulterius urget responsio, quod illa
non est complexiva omnium bonorum, dum
expressè ibidem dividentes præservarunt
Jus divisionis faciendæ bonorum mobilium,
supellectilium, & massariarum Domus, alio-
rumque Jurium, Creditorum, & actio-
num: Et sic cum ex eodem Instrumento di-
visionis appareat, quod mobilia, supellec-
tilia, & massariæ Domus, necnon jura, &
credita aderant in hæreditate, quæ divi-
denda præservantur, jam certum fit, quod
9 nullo unquam modo ex divisione prædicta
concludi valet status hæreditarius, *Ciriac.*
Controv. 259. *num.* 69. *Rota cor. Gregor.*
dec. 473. *num.* 4., *& in rec. dec.* 193. *num.* 7.
part. 19., *& in d. Reatina Fideicommissi*
de Clavellonibus §. Præsertim.

Tantoque magis inefficacia divisionis
prædictæ dignoscitur, ex quo Sorores præ-
cedenti Anno 1657. alienarunt pro scut. 1137.
50. quoddam Prædium hæreditarium fidei-
committentis, ut patet *ex Summario Acto-*
10 *ris num.* 4., quod valde confirmat divisio-
nem fuisse particularem, nec de omnibus
bonis, cum de pretio d. Prædii nullum in
ea fiat verbum: Et ulterius præsumere fa-
11 cit, quod sicuti fuerunt alienata illa bona,
de quibus constat, alia quoque plura aliena-
ta fuerint, de quibus non constat, *Rota*
coram Cerro dec. 500. *num.* 2., *& in rec.*
dec. 96. *num.* 20. *part.* 12., *& dec.* 19[illegible]. *n.* 4.
parte 19., *& in Romana Fideicommissi de*
Ursinis 14. *Junii* 1683. *§. non quidem*, *&*
seq. coram bo. me. Ursino.

Quidquam non refragante, quod pretium
erogatum fuerit in dimissionem æris alieni
fratrum. Etenim ultra quod pro rata scut.
4[illegible], & ultrà fuit liberè Sororibus solutum,
difficultas fletit in eo, quod si revera Fidei-
12 commissum universale fuisset impar ad sol-
vendas dotes, debebant Sorores ipsæ ex pro-
priis Juribus fratrum creditores excludere,
cum ipsæ causam haberent a fideicommit-
tente, semperque per consequens præfe-
rendæ creditoribus fratrum hæredum, *Pe-*
regr. de fideicom. art. 42 *num.* 72. *Fusar de*
substit. qu. 151. *num.* 156, *Card. de Luc. de*
Dot. disc. 145. *num.* 73, *&* 79. *Rota decis.*
34. *num.* 55. *cum seq. coram Cerro.*

Perperam vero adducebatur fides Cata-
13 stri pro supplendo inventario, quia ultrà
quod ista non probat negativam existentiæ
aliorum bonorum, *Post. resol.* 62. *num.* 17.
& 18. *Rota in Alatrina Dotis, & fructuum*
30. *Martii* 1696. *§. Demum coram R. P. D.*
meo Priolo. Cessavit in præsenti qualibet
difficultas, quia non solum non continet
enumerationem mobilium, Iurium, & actio-
num, quæ omnia in divisione expressa prę-
servata fuerunt, nec non etiam in eo non
leguntur descripta nonnulla bona, quæ in
hæreditate fideicommittentis reperiebau-
tur descripta, & signanter Prædium in Con-
trada *Torralonga*, cujus alienatio datur
in Summario Actoris n. 5., nec non alia
duo Prędia in vocabulo *Coppo del Fonte, e*
14 *della Pieve*, quæ in divisione una cum
aliis domibus (paritèr in catastro non de-
scriptis) erant compræhensa: Unde fides
prædicta catastri remanet omni penitus pro-
bationis vi destituta.

Quibus non obstat, quod aditio tanquam
15 facta à mulieribus sine solemnitatibus re-
maneat nulla, & infecta; tum quia nun-
16 quam fuit viventibus ipsis mulieribus im-
pugnata, undè nec impugnari potest ab il-
larum hæredibus, *Fusar cons.* 39. *num.* 4.
Rota cor. Arguel. dec 99. *num.* 6., *& in rec.*
dec.

17 *dec.* 5. 37. *num* 18. *p.* 19. Tum etiam quia sub prætextu talis nullitatis non relevatur mulier a redditione rationis, & à condemnatione etiam in bonis propriis, quoties rationem non reddat, *Grazian. discept. foren.* 879. *num.* 4., & 9. *Rota coram Cerr. decis.* 602. *num.* 2., *& in Romana annuæ præstationis* 15. *Decembris* 1702. §. *prout coram* R. P. D. *meo Scotto*.

Ex quibus omnibus nullius momenti recognitæ fuerunt conlecturæ, & vaga inditia tenuitatis Patrimonii desumpta ex paupertate Testatoris, ex debitis contractis ab ejus hæredibus, & ex confessione ipsarum Sororum de Joacchinis. Quoniam hæc omnia sunt valde turbida, ex quo ad eviden-
18 tiam non constat de quantitate assis hæreditarii fideicommittentis, ideoque detractionum creditum, turbidum, & illiquidum remansit, ac per consequens ineptum ad retardandam immissionem ab Ænea actore petitam, *Rota dec.* 79. *num.* 3., *& dec.* 307. *num. primo p.* 19 *rec.*, *& in Reatina fideicommissi de Clavellonibus* 17. *Februarii* 1702. §. *moti sunt cum seq. coram Rmo Conchen.* Absque eo quod locum haberi possit instantia hodiè facta pro electione Periti ad effectum firmandi statum hæreditarium Ioa-
19 chini Testatoris, quia post effluxum octuaginta, & ultra annorum à die obitus Testatoris probabilis visa non fuit liquidatio talis status, deficiente Inventario, & concurrentibus alienationibus; ut fuit firmatum *in d. Reatina Fideicommissi de Clavellonibus* §. *præsertim circa med.*

Et ita utraque &c.

FANEN. PRÆTENSÆ RESTITUTIONIS DOTIS.

Lunæ 14. *Martii* 1707.

ARGUMENTUM.

Ad ornatum *L. Fæminæ Cod. de secundis Nuptiis* agitur, quando filiæ in renunciatione, ex causa dotis, patre renunciatario ad secunda vota transeunte, ejusdem legis privilegio aspirandi, ea non obstante, ad successionem in bonis matris tacitè renunciasse censeantur Vice prætor, Prætore absente, potest decreta interponere. Læsio in renunciatione commensuratur a firmato statu hæreditario: præsertim cum dos sit a Patre, & eam dotata pro omni, & toto eo &c., præsente viro, acceptavit.

Confirmatur infra dec. 559. & sunt inter easdem partes tres eidem immediate antecedentes.

SUMMARIUM.

1 L. Hac edictali C. de secundis nuptiis *censura refertur*.
2 *Renuncianti, aut filiis, aut aliis ex ejus persona venientibus super juribus renunciatis non datur regressus.*
3 *Renuncianti filiæ, cum Pater ad secunda vota transivit; ad bona materna, propter iniuriam ei allatam, datur regressus a* L. Fæminæ C. de secund. nupt.
4 *Limita cum renunciatio est realis, & abdicativa, & quæ verba hanc importent afferuntur.*
5 Legi Fæminæ C. de secund. nupt. *renunciatio secundum aliquos debet esse expressa.*
6 *Limita, cum adest renunciatio abdicativa: quia in ea dictæ Legis privilegio renunciatio comprehenditur.*
7 *Renunciatam* L. Fæminæ *ut dicatur, est differentia in renunciatione facta antequam Pater renunciatarius ad secunda vota convolaverit, & inita post, remissivè.*
8 *Vicinitas actuum renunciationis ex causa dotis cum secundis nuptiis a patre renunciatario initis, quid importet presumendum.*
9 *Renunciatio facta Patri a filia, & ejus hæredibus in infinitum suffragatur filiis a secundo matrimonio susceptis.*
10 *Privilegio* L. Fæminæ C. de secundis nuptiis *renunciatum censetur, cum fuit in renunciatione promissum, eam sub quovis prætextu jure, & causa, etiam in corpore juris clausa, nunquam impugnandi.*
11 *Viceprætor substitutus, Prætore absente, omne id, quod Prætori permissum est facere, ipse potest, & decreta interponere.*
12 *Maximè cum pro tali se gerebat.*
13 *Læsio in renunciatione ex causa dotis, ut probetur, debet constare de statu hæreditario, a quo læsio desumitur.*
14 *Dos a Patre constituta omnem congruitatis præsumptionem in se habet.*
15 *Præsertim cum fil a se contentam de omni, & toto eo, quod prætendere posset, assistente viro, declaravit.*

DECISIO CCCCLXXIII.

Bartholomæa, & Aurelia Sorores de Thomassinis intuitu congruæ dotis a Thoma Patre occasione Matrimonii illis persolutæ, amplissimam, universalemque renunciationem pro omni, & toto eo, quod super bonis paternis, & maternis ex quacumque causa prætendere possent, favore ejusdem Patris dotantis emiserunt. Iste verò in supremis tabulis heredem proprietariam sibi scripsit Theresiam filiam, quam ex secundo matrimonio susceperat, ac de usufructu disposuit pro medietate favore Doralicis secundæ Uxoris, relinquendo Bartholomeæ prædictæ legatum scut. 600., ac Aureliæ diversa bona stabilia cum expressa lege, quod id esse deberet -- *per tutto quello possa pretendere tanto della mia eredità, quanto della dote della sua Signora Madre per qualsivoglia causa come sopra, e conforme alla renunzia da lei fatta* -- quæ Legata fuerunt ab utraque absque ulla reclamatione acceptata, & exacta.

Verum post plurium Annorum decursum prætendentes tàm Aurelia, quàm filii dictæ Bartholomeæ prædefunctæ coæqualem suc-

sionem in bonis maternis una cum Doralice secunda Uxore, ac Theresia filia ad præ-
1 scriptum *l. hac edictali C. de secundis nupt.* non obstante prædicta contraria Thomæ dispositione, judicium coram tunc A. C. Aldrovando, modo nostro emeritissimo Collega instruxerunt, qui distinguendo portiones, declaravit nullum jus illis competere quoad proprietatem, ac medietatem ususfructus Tharesiæ relictam: quo verò ad alteram medietatem ususfructus Doralici tangentem, illos ad coæqualem successionem admisit. Et appellatione interposita, prodiit coram R. P. D. meo Ansaldo sententia in omnibus præcedenti judicato conformis, demandando, quod in ordine ad quantitatem d. medietatis ususfructus Doralicis expectaretur relatio novi Periti: Devolutaque postmodum causa ad me, ac deputato Perito ad prædictum effectum, curarunt supraenunciati actores proponi dubium — *An, & pro qua summa sit relaxandum mandatum pro dote restituenda favore filiorum quondam Luciæ de Thesels* — & DD. mandatum non esse relaxandum responderunt.

Etenim tàm Bartholomæa, quàm Aurelia d. Luciæ filiæ in actu constitutionis Dotis sibi a Patre factæ eidem renunciaverunt omnia, & singula Jura, quæ etiam pro bonis maternis sibi ipsis competere possent, ideoque nequeunt amplius maternæ dotis præteusionem excitare, ex regula, quod
2 renuncianti juta sua nunquam datur regressus, itaut, neque a filiis, aliisque quibuscumque ex renunciantis persona venientibus jus aliquod super juribus renunciatis promoveri valeat, *Mansf. consult.* 191. *n.*7. *tom.* 2. *Gratian discept. forens. cap.*49 *n.*17. *Rota coram Buratt. dec.* 19. *num.* 21., *& in rec. dec.* 47. *num.* 3. *parte* 19.

Non obstat, quod Thomas Pater ad se-
3 cunda vota transiverit, & sic ob injuriam filiabus ex causa secundi Matrimonii illatam possint ipsæ non obstante renunciatione bona materna vindicare juxtà dispositionem *Text. in l. Fæminæ C. de secund. nupt.* Quo-
4 niam cum utraque renunciatio sit realis, & abdicativa, amplissimisque verbis concepta dum ibi renunciatur omnibus bonis tàm paternis, quam maternis cujusvis generis, & speciei tàm de præterito, & de præsenti, quàm de futuro quibuscumque temporibus quomodocumque, qualitercumque, & quavis de causa tàm expressa, quàm non, cogitata, & non cognita spectantibus, exindè sequitur, quod respectu Patris habeantur prò mortuis, itaut neque ex privilegio *d. L. Fæminæ* valeant dotem Matris prætendere, *Rota cor. Cerro dec.* 556. *num.* 23, *& cor. Bichio dec.* 586. *num.*15., *&* 16., *& in rec. decis.* 220. *n.* 8. *parte* 16., *& decis.*356. *num.*5. *parte* 13., *& decis.* 113. *num.* 13., *& sequ. part.* 18.

Et licet nonnulli DD. teneant, quod ad
5 hoc, ut renunciatum dici possit privilegio ex d. Textu resultante, de eo in renunciatione expressa mentio fieri debeat. Attamen quotiescumque renunciatum fuit, prout in præsenti omnibus juribus quomodolibet, &
6 ex quavis causa competituris, & cum aliis effrenatissimis clausulis, quæ renunciantis personam de medio tollant, ambigendum non est, quin etiam privilegium prædictum comprahensum dici debeat, ut in specie advertunt *Surd. cons.* 244. *per tot. Rota post Tond. de pact. futur. success. dec.* 143. *per tot & in recent. dec.* 290 *num.* 4., *& pariter per tot part.* 9.

Et hæc non solum visa fuerunt procedere respectu renunciationis emissæ ab Aurelia, postquam Pater ad secunda vota transiverat, sed etiam respectu alterius per Bartholomæam expletæ nonnullis diebus antequam à Patre secundum Matrimonium contraheretur. Etenim licet videatur adesse inter
7 utrumqre casum non modicam diversitatem, *ut notat Card. de Luca de renunciat. disc.* 12. *num.* 4. Attamen censuerunt DD., quod ex vicinitate actuum intret præsumptio cor-
8 respectivitatis, itaut præsumi debeat, quod intantùm Pater filiam dotare voluerit, & renunciationem generalem ab ea reportare, inquantùm ipse cupiens contemporaneè ad secunda vota transire, libertatem haberet disponendi de suis bonis, absque eo quod filia quidquam amplius super illis prætendere posset, *Paris. cons.* 26. *num.* 31. *lib.* 3., *Aymon. cons.* 229. *n* 3. *vers. tertio nos videmus*, *Rot. cor. Gregor. dec.* 85. *n.* 3., *&* 6.

Tanto magis quia etiam ista fuit facta Patri,
9 ejusque hæredibus in infinitum; quo casu renunciatio suffragatur filiis hæredibus sive sint ejusdem, sive diversi matrimonii; ut distinguendo casus respondit *Rot. d dec.*290. *n.*4. *& seqq. part.*9. *rec.* Et ulteriùs in ea promissum fuit, quod nunquam sub quovis præ-
10 textu, jure, & causa etiam in corpore juris clausa impugnata extitisset: Et sic implicitè inter alias causas clausas in corporejuris, etiam privilegium dictæ L. fæminæ comprahensum dici debet, *Capyc. latr. consult.*76. *n.*45. *Merlin. Pignatell. controv.* 5. *num.*12. *Rot. penes Balducc. ad Ramon. dec.* 1. *n.*8.

Nec attendenda venit nullitas opposita renunciationi factæ ab Aurelia, ex quo illa auctorizata fuerit à Vice-Prætore Barchii, qui nullam habebat facultatem interponendi decreta. Nam cum esset substitutus in
11 absentiam Prætoris; utique totum id, quod Prætori permissum erat, & ipse facere po-
12 terat: maximè quia se pro tali publicè, & palàm gerebat, *Modern. Ascalan. ad Stat. Urb. adnot.*5. *n.*49. *& adnot.*25. *art.*2. *n.*162. *Rot cor. Duran. dec.*126. *n.*31. *& in rec. dec.* 266. *num.* 6. *& seqq. & dec.*3. *num.*13. *part.*18.

Nullius denique relevantiæ est altera exceptio læsionis in dotatione earumdem à Patre facta. Etenim ultrà alias responsiones per scribentes adductas, sat esse DD. visum
13 fuit, quod nullibi constet de illius statu hæreditario, ad hoc, ut nullum assignari possit prin-

principium, à quo prætensa læsio desumi valeat, *Rota in Romana annuæ præstationis 26. Martii 1703. §. Et ratio eoram R. P.D. meo Scotto, & in Perusina pecuniaria 8. Febraarii 1706. §. Etenim cor. R. P. D. moo Priolo*. Præsertim cum agatur de dote con-
14 stituta à patre, quæ omnem præsumptio-
15 nem congruitatis pro se habet; eoque magis, quia filiæ in illius acceptatione una cum eorum viris uti congruam illam recognoscentes sese contentas, & satisfactas de omni eo, quod prætendere possent, declararunt, *Palm. Nep. alleg.327.n.3. Card. de Luc. de Dot disc.62. nu.3. Thesaur. jun. quæst. forens. lib.4. quæst.4. n.16. Rot. post Balducc. ad Ramon. dec.55. n.10. & seqq.*

Et ita utraque &c.

ROMANA CENSUS.

Ven. 18. Martii 1707.

ARGUMENTUM.

Accipe à superiori Decis. 409., quæ confirmatur.

SUMMARIUM.

1 *Cautela Angeli non attenditur, nec retardat executionem in bonis propriis, cum hæreditas, cujus vigore allegatur; adita sit sine legitimo, & solemni inventario, & concurrant alienationes.*

2 *Confusionem actionum in hærede non impedit descriptio ab executoribus testamentariis exarata; sed requiritur solemne inventarium.*

3 *Præsertim si dicta descriptio sit facta non citatis creditoribus, & multarum rerum in confuso.*

4 *Descriptio in legitimo inventario fieri debet tabularum pictarum, nummorum æneorum antiquorum, cum expressione artificum, numeri, quantitatis, & ponderis.*

5 *Restitutio in integrum adversùs inconsulto aditam hæreditatem obtenta sub erroneo supposito non transit in judicatum.*

6 *Et dicta restitutio in integrum, ut obtineatur quid requiratur?*

7 *Inventarium legale est basis redditionis rationum.*

8 *Peritia erronea non est attendenda.*

9 *Legitima debetur filio instituti, cujus favore ordinata fuit primogenitura, & qui sine liberis cum ejusdem fideicommissi expiratione decessit.*

10 *Fæminæ, cum familiam continuare ex testatoris mente sint incapaces, ad fideicommissum non dicantur vocatæ.*

11 *Vocatio descendentium est per vulgarem, & ideo in primo adeante expirat.*

12 *Vocatio descendentium ad masculos restricta dicitur: cum illi soli sint ex mente testatoris capaces ejus familiam, juxta ejus votum, continuandi.*

13 *Descriptio distincta bonorum à fideicommittente in testamento facta, vices inventarii supplet.*

14 *Alienationes, quæ non concordant cum bonis in descriptione à testatore in testamento recensitis, gravato non obstant.*

Alienationes, ut gravato obsint, probandum est esse de bonis fideicommissi.

15 *Legatum factum cum expressione, quod aliud prætendi ex sua hæreditate non possit, facit recognitum fuisse debitum, & bona à se retenta debitoris esse sufficientia pro debiti solutione.*

16 *Confessio emissa in ultimo vitæ spiritu maximam addit probationem.*

DECISIO CCCCLXXIV.

Concessa nova Audientia adversùs Decisionem coràm me editam sub die 19 Aprilis 1706. Com. Josepho Cæva hæredi Pantasileæ, & Hippolytæ sororum de Capoliis, quæ ex persona Berardi fratris sunt debitrices Monasterii Purificationis de Urbe, in hodierna repropositione comparentibus etiam hæredibus, quondam Christophari Ubaldini ex alio titulo creditoribus, & pro eis Josepho Requitano ad causam interim admisso; iterùm DD. responderunt favore utriusque procedendum esse ad legitimam executionem, Ita persistendo *indecisis*.

De creditis tàm Monasterii, quàm hæredum prædictorum non fuit controversia; Ideò denuò totum momentum causæ redactum fuit ad examen cautelæ Angeli ex titulo Fideicommissi ordinati à quondam Joanne Angelo Coccino, & dotium competentium mulieribus allegatam: quàm tamen non esse servandam DD. existimarunt; quia
1 fuerunt hæredes Berardi debitoris; absque eo quod confecerint legitimum, & solemne Inventarium, nec de bonis hæreditariis ulla reddatur ratio: itaut proindè nequeat etiam ex bonis propriis retardari solutio, *Rot. coràm Bich. dec.562. n.20. & in recent. dec.611. n.16. part.19. & in Perusina pecuniaria 5. Febr. 1706. §. Etenim cor. R. P.D. meo Priolo.*

Nec vices legalis inventarii supplere valet quædam simplex bonorum descriptio ab executoribus testamentariis d. Berardi exa-
2 rata: Quoniam illa ad effectum evitandi confusionē actionum non sufficit; dum exhiberi debet formale inventarium juxtà formam à lege præscriptam, & compilatam *in Text. in L. fin. C. de Jur. deliber. Gratian. discept.767. n.1. Rot. dec.71. n.6. & per tot. part.2. divers. & in rec. dec.176. n.2. part.4.* Tantoque magis, quia dicta descriptio facta
3 fuit non citatis creditoribus; ac descriptio
4 tabularum pictarum, necnon plurium æneorum numismatum antiquorum, aliorumque mobilium exarata fuit in confuso sine expressione artificum, numeri, qualitatum, & ponderis respectivè, prout omninò requirebatur, ad hoc, ut inventarium legitimè confectum dici possit, *Thesaur. quæst. lib.2. quæst.*

*quæst.*10. *n.* 20. *Pacion. allegat.*192. *num.* 6.
Palma decis. Luc. 46. *n.*41. *lib.*1. *Rot. in di-
cta Perusina hæreditatis* §. *Quod enim*, *&
seqq. cor. R.P.D. meo Pciolo*, *& in Roma-
na pecuniaria*, *seu locorum Montium* 2. *Ju-
nii* 1706. §. *Vltra præfatas cor. Rmo D. meo
Decano*.

Frustraque recurritur ad restitutionem in
integrum per Pantalileam etiam nomine so-
roris de annis 1684., & 1685. reportatam:
Etenim illa obtenta fuit cùm erroneo suppo-
sito, quod tunc adesset inventarium, sive
descriptio omnium, & singulorum bonorum
hæreditariorum dicti Berardi: cumque id
5 non sublisteret; consequens est, quod dicta
restitutio in integrum numquam in auctori-
tatem rei judicatæ transire valuerit, atten-
ta oculari ejusdem injustitia, ut plenè fir-
matum fuit *in Decisione præsentis causæ co-
ràm R.P. D. meo Ansaldo sub die* 25. *Ja-
nuarii* 1704. §. *Siquidem*: Dum ad effectum
6 obtinendi restitutionem in integrum erat
ostendenda manifesta læsio resultans ex sta-
tu hæreditario Berardi certè, & indubitatè
firmato, *ad Text. in L.* 4 §. *Condemnatum
ff. de re judic. Rota dec.*220. *n.*1. *part.*9. *&
dec.*593. *n.*5. *part.*18. *rec. & in Romana an-
nuæ præstationis* 26. *Martii* 1723. §. *Et ra-
tio cor. R.P. D. meo Scotto*, *& in Perusina
pecuniaria* 5. *Febr.* 1706. §. *Etenim cor. R.P.
D. meo Priolo*.

Neque ille concludenter firmatus dici va-
let per peritiam successivè à Pantasilea pro-
7 curatam; Quia ultrà defectum legalis in-
ventarii, quod est basis redditionis rationis,
8 ut supra dictum est; ipsamet peritia pluri-
bus obnoxia reperitur erroribus, ut plenè
probatum fuit in mea præterita Decisione,
cùm qua DD. hodiè in omnibus transierunt,
superfluum existimantes repetere, quod sci-
licèt in peritia fuit omissa præ ceteris parti-
ta legitimæ, quæ ex bonis Joannis Angeli
Coccini erat debita Joanni Baptistæ, Cle-
menti, & Alexandro filiis, quæ posteà con-
solidata fuit in Alexandrum, & successivè
devenit in Berardum: itaut perindè nimis
erroneè se gesserit peritus non ponendo il-
lam ad creditum hæreditatis dicti Berardi.

Quod autem legitima prædicta delata
fuerit ad Berardum, patet ex quo Alexan-
der hæres aliorum fratrum fideicommissum
condidit, in quo vocavit Franciscum Capo-
tium, & post ejus mortem suum primoge-
nitum cùm onere assumendi nomen de Coc-
cinis, & sic ordine successivo de primoge-
nito in primogenitum; undè cùm Berardus
9 dicti Francisci filius sine filiis obierit; Fi-
deicommissum in eo expiravit: ideòque le-
gitima sub eodem fideicommisso cadens ad
creditum dicti Berardi omninò adscribenda
venit, *Rota dec.*390. *n.*9. *part.*18. *rec. & in
decis. præsentis causæ* §. *Tanto magis coràm
me*.

Non attento, quod dictum fideicommis-
sum in illo non expiravit, sed purificatum
remanserit favore Pantasileæ, & Hyppoli-
tæ ejus sororum. Quoniam cùm Alexander
fideicommittens post obitum Francisci ne-
potis vocaverit *illius primogenitum cùm
onere assumendi cognomen*, *& Arma de
Coccinis*, *& sic ordine successivo de primo-
genito in primogenitum*; Inde sequitur, quod
cum fœminæ sint incapaces assumendi no-
10 men, & arma; nec familiam de Coccinis
juxtà Testatoris desiderium conservare va-
leant; utique à dicta primogenitura dici de-
bent semper exclusæ, *Peregrin. de fidei-
commiss. art.*26. *n.*31. *vers. quia fœminæ*,
*Rodulphin. alleg.*193. *n.*5. *Rota in Spoletana
Hæreditatis* 13. *Junii* 1704. §. *Altera cor.
R. P. D. Omanna*. Et sic nil relevat quod
etiam in dicto fideicommisso vocati fuerint
descendentes Francisci, quales sunt dd. so-
11 rores ejusdem filiæ; Tum quia vocatio de-
scendentium intelligitur per vulgarem: un-
dè adita per Berardum filium hæreditate,
& mortuo sine filiis, in eo fideicommissum
expiravit, *Rot. cor. Buratt. decis.*272. *n.*5.
*& in rec. dec.*462. *num.*18. *& seqq. part.*15.
12 Tùm etiam quia ex prædictis vocatio de-
scendentium restricta est ad masculos tan-
tùm capaces adimplendi onus à Testatore
injunctum.

Inutiliter quoque allegatur consumptio
dictæ legitimæ sub prætextu, quod de bo-
nis fideicommittentis non fuerit confectum
inventarium, & plura bona fuerint aliena-
ta. Quoniam etsi non doceatur de inventa-
rio confecto à dd. primis hæredibus; ta-
13 men illius vices supplet distincta descriptio
bonorum facta ab eodem fideicommittente
in suo testamento, *Fontanell. de pact. nupt.
claus.*4. *glos.*5. *n.*28. *& seqq. &* 42. *Rot. cor.
Coccin. dec.*1886 *à n.*10. *usque ad* 23. *& cor.
bon. mem. Emerix dec.*991. *n* 13. *& dec.*519.
*n.*1. *part* 4. *divers.* Alienationes verò non
concordant cùm bonis in dicto testamento
14 descriptis; nec loquuntur de bonis fidei-
committentis; prout identificè probandum
esset, *Rot. cor. Cels. decis.*1. *n.*10. *& in Ca-
merinen. Censuum* 2. *Decemb.* 1699. §. *Nec
peritia cor. bon. mem. Pio*, *& in Hydruntina
Pecuniaria* 14. *Decemb.* 1700. §. *Nec talem
cor. Eminentiss. de la Tremoille*.

Quibus omnibus additur, quod Pantasi-
lea auctrix Com. Cevæ legavit scutor. 400.
monasterio cùm expressa lege, quòd aliud
ex sua hæreditate prætendere non possit:
15 hinc enim infertur, quod illa recognovit,
se tanquam hæredem Berardi esse debitri-
cem monasterii; quod non potest alio mo-
do verificari, quam ex quo sciebat bona
hæreditaria Berardi a se retenta, esse suffi-
16 cientia pro solutione debitorum, quæ con-
fessio emissa etiam in ultimo vitæ spiritu ma-
ximum addit probationis robur; *Rota cor.
Mantic. dec.*363. *n.*5. *& in rec. dec.*239. *n.*4.
*& dec.*546. *n.*5. *part.* 4. *& decis.*391. *num.*7.
*part.*17.

Et ita utraque &c.

TERRACINEN. BONORUM SUPER MANUTENTIONE.

Ven. 18. *Martii* 1707.

ARGUMENTUM.

Est brevis decisio confirmatoria superiorum 424. 443. revocatoriarum aliarum 282. & 344. , in qua agitur de viribus libri privatim memoriæ causa retenti. Et quod prætendens continuationem possessionis in eo, qui in omnia controversa bona passus est immissionem, eam concludenter probare debet.

Et in hac causa sunt omnes decisiones in 361. & 362. numeratæ.

SUMMARIUM.

1 *Liber privatus memoriæ causa retentus, nullam in judicio nec pro, nec contra scribentem probationem facit.*

2 *Præsertim cum dubiæ fuerunt ex dicto scribentis declarantur contra illas pro se allegantem.*

3 *Et quando cum eo alii testes concordant.*

4 *Continuatio in possessione post eam avocatam excluditur: cum non producatur aliqua ne minima quidem exactio.*

5 *Continuationem prætendens in possessione contra eum, qui passus fuit alicujus in eisdem omnibus bonis immissionem, eam concludenter probare debet.*

6 *Probatio contra publicum instrumentum debet esse concludens.*

DECISIO CCCCLXXV.

Fuit per geminas Decisiones editas coràm me concessa manutentio Emo D.Cardinali Francisco Barberino in Bonis *delli Coppari*, quæ in sequelam petitæ liberationis à molestiis passis super Tenuta *di Quinto* fuerant alias adjudicata secundogenituræ Barberinæ, non obstantibus objectis deductis per fratres de Macchiavellis, & signanter illo, quod non potuisset relaxari mandatum pro integro pretio dictæ Tenutæ: ipsumque executioni demandari eo supposito, quod D. Cardinalis non amisisset possessionem totius Tenutæ; sed ejus partem retinuerit: Hodie autem petita ad formam earumdem Decisionum expeditione, cum ad illam impediendam dicti fratres hanc exceptionem iterùm repetentes exhibuerint nonnullas partitas extractas ex libro particulari memoriæ causa retento à P. Abbate Balleono Ministro, & Procuratore dicti D. Cardinalis, ex quibus probari supponebant, quod etiam post annum 1695. sequutæ evictionis adhuc idem D.Cardinalis continuasset in exactione fructuum recensitæ Tenutæ, & quidem non pro affictibus decursis, & non solutis pro dicto anno 1695., sed etiam pro aliis successivè maturatis usque ad annum 1698. eo quia dictæ Partitæ cantant -- *Arresti di Decembre* 1695. -- & pro anno subsequenti legitur -- *Porzione di Sua Eminenza per l'anno* 1696. *secondo l'accordato, e comparto seguito tra' Signori Barberini, Giuliani, e Guerrini*, -- & sic deinceps in aliis paghis.

Verùm non attentis hujusmodi partitis demandarunt mihi DD., ut devenirem ad causæ expeditionem superaddentes, quod ad evitanda æquivoca, quæ occasione dicti novi documenti oriri possent; brevem desuper Decisionem extenderem.

Dixerunt itaque, quod esto etiam, quod dictæ Partitæ fuissent legitimè. & cum Partis citatione extractæ; adhuc non veniunt

1 attendendæ; quia cum sint desumptæ ex libro privatim memoriæ causa retento à Procuratore D. Cardinalis nullam in Judicio nec pro, nec contra scribentem probationem facere possunt; ex notissimis Juris principiis, de quibus *Genua de Script. privata lib.5 tit. de Scartafaccis, seu memoriis n.4. Rota cor. Buratt. dec.*282. *n.*6. *& in recent. dec.*16.*n.*37.*part.*19.: Multòque minus contra Tertium, *Escobar. de ratiocin. cap.* 11. *n.*28. 29. *Gratian. discept.* 85. *n.*7. *Rota decis.*119. *n.*5.*part.*16 *rec.*

Maximè quia verificari possunt circà conventionem initam cum creditoribus immissis super satisfactione D. Cardinalis pro affictibus decursis per totum annum 1695. & alia verba -- *Arresti di Decembre* -- respiciunt computa inter Procuratorem, & d. D. Cardinalem ibi -- *come per conti trasmessi* ; quod clarè convincitur ex attestatione facta usque ab anno 1703. per Abb. Balleonum scribentem, qui deposuit, quod post executiones factas per DD. de Querrinis, & Julianis super bonis Quinti, nihil fuit à se exactum pro Eminentissimo D. Cardinali Barberino in eausam Affictuum successivè decursorum; solùmque reportasse ex eis satisfactionem pro residuo affictus, anni 1695., & reintegrationem expensarum factarum in fabricis, aliisque de causis: ex qua depositione, sicut eruitur positiva, & expressa declaratio actuum per ipsum gestorum; ita partitæ, quæ de sui natura desumptæ ex libro memoriæ

2 non probant; quatenùs aliquam dubietatem involverent; ea sublata remanet ex dicto ipsius scribentis, *Censal. decis. Lucens.* 24. *n.*12. *Rota dec.*147. *sub num.*14. *vers. potest enim part.*1. *rec. & dec.*82. *n.*31. *part.*18.

Concordant cum dicta declaratione etiam

3 testes per Macchiavellos examinati, & in præcedentibus propositionibus adducti; illi enim licèt deponant D. Cardinalem exegisse affictus dictæ Tenutæ etiam post annum 1695., tamen asserunt etiam exactiones fuisse factas pro ratis debitis, & maturatis usque tunc temporis non autem post.

Additur prædictis, quod ab anno 1698. usque in præsens non justificatur quidquam fuisse exactum per D. Cardinalem: & tamen si ipse continuasset in possessione alicujus

4 portionis dictæ Tenutæ; utique facilè fuisset aliquam saltem informem probationem adducere; ut in specie animadversum fuit

in Decisione edita die 29. Novembris proximè præteriti §. Et licet secundo.

Et quæcumque difficultas in universum cessare visa fuit, ex quo constitit in facto, creditores immissos fuisse in omnibus bonis *di Quinto*; nullamque eorum portionem immunem reliquisse: Quamobrem fratres de Macchiavellis, qui supponunt D. Cardi-
5 nalem continuasse in possessione alicujus partis dictæ Tenutæ; deberent id concluden-
6 ter probare; cum habeant contrà se publicum instrumentum excommunicationis, *L. cum precibus, ibique gloss. Cod. de probat. Bero. cons. 147. n. 24. lib. 2. Rota cor. Greg. dec. 157. n. 15. & dec. 375. n. 2.*

Et ita remissivè ad alias præcedentes Decisiones omnibus DD. suffragantibus &c.

AVENIONEN., SEU CARPENCTORACTEN. FIDEICOMMISSI DE TERTULLIS.

Lunæ 21. Martii 1707.

ARGUMENTUM

Habes in Superioribus Decis. 241., & 437.

SUMMARIUM.

1 *Res judicata, quæ in alia causa prodiit, utpote in casu diverso, est inallegabilis.*

2 *Vocatio fœminarum restricta ad primos masculos genitos a fœmina, si illa non habuerit, ad masculos ex ejus filia non extenditur.*

3 *In substitutione comprehensus non dicitur ille, qui provenit ab eo, qui principali, & substantiali vocationis requisito destituitur.*

4 *Nomen liberorum est plurium graduum collectivum, & comprehendens secundos, & ulteriores descendentes.*

5 *Limita quando ex speciali consuetudine regionis accipitur communiter prò filiis primi gradus.*

6 *Et cum testator nomen liberorum pro filiis primi gradus pluries in testamento usurpavit, & habuit pro synonymis.*

7 *Et cum liberorum significatio est restricta ad primos.*

8 *Et cum adiecit nomen, & cognomen matrum.*

9 *Dictio --* Supradictarum *-- est personalissima, nec ad alios potest referri.*

10 *Vocatio restricta ad masculos fœminarum de familia non intelligi potest de masculis ex feminis fœminarum ejusdem.*

11 *Vocatio restricta ad masculos filiarum suarum non diffunditur ad Nepotes ex eis per fœminas.*

12 *Vocatio masculorum de tempore substitutionis tunc existentium, restringitur ad primos masculos tunc existentes.*

13 *Substitutio facta favore filiorum tàm natorum, quàm nascitururorum, indicat habitum fuisse respectum ad remotissimum tempus.*

14 *Limita cum ex modo loquendi testatoris est directa ad filios nascituros, qui tempore conditi testamenti nati non erant, sed tamen ad filios primi gradus.*

15 *Ab una dispositionis parte altera declaratur.*

16 *Verbum* nasciturì *quando comprehendat filios tantum primi gradus, & quando plures gradus?*

17 *Sub nomine filiorum cognatorum substitutorum nascitururorum non veniunt ulteriores gradus: cum testator citò suam agnationem deficere posse agnovit, & ideò eos invitavit.*

18 *Testator cum dispositionem restringere voluit, clausulas restrictivas adiecit, quando hoc non fecit, noluisse dicitur.*

19 *Dispositio uno modo facta, cum loqueretur de eisdem personis, eodem modo subsequenter intelligitur.*

20 *Testator cum in substitutione uno loco semper locutus fuit nomine filiorum; si subsequenter de eisdem personis agens, vocat nomine liberorum; de filiis primi gradus, etiam tunc intelligitur,*

21 *Augumentum deductum ab eventualitate, nihil concludit.*

22 *Fideicommissum etiam in perpetuum ordinatum potest, ob defectum personarum vocatarum, statim expirare: quin ex hoc deducatur absurdum circa interpretationem voluntatis fideicommittentis.*

23 *Quæstio super iis, quæ potuissent contingere, præsertim cum non evenerint, dicitur frustranea.*

24 *Observantia deseruit pro vocationis declaratione.*

25 *Successionem in proprietate ad fideicommissum nancisci non potuisse convincitur qui solum usufructum, cum ea incompatibilem, voluit obtinere, & num. 28*

26 *Exclusio unius est inclusio alterius.*

27 *Declaratio expressa in transactione est potentior cuicumque protestationi eidem contrariæ.*

28 *Solus ususfructus obtentus est incompatibilis cum successione in proprietate.*

29 *Reservatio jurium in transactione referenda est ad ea, quæ sunt cum ipsa compatibilia.*

30 *Actus, qui a nemine prohiberi potuerunt favore illos facientis, nihil ponunt in esse.*

31 *Actus positivus majoris est ponderis, quam verbalis nomenclatura.*

DECISIO CCCCLXXVI.

Plures ortæ fuerunt controversiæ inter vocatos in testamento Nicolai de Tertullis, diversis temporibus juxta varias casuum contingentias: Cum enim ille primo loco suos filios masculos, eorumque lineas, & illis defectis, vocasset primos liberos masculos Gilettæ, Ludovicæ, & Gabriellæ filiarum. Hinc Henricus Nepos ex filia dictæ Gabriellæ cœpit prætendere successionem ad exclusionem filiorum masculorum Gilet-

æ, & Ludovicæ, sed agnito proprii juris defectu, se restrinxit ad petitionem ususfructus, qui ex fideicommisso Nicolai, dictæ Gabriellæ, donec viveret debeatur: Et hujusmodi controversia fuit postmodum per transactionem sopita. Continuavit post hæc successio in descendentibus masculis dictarum Gilettæ, & Ludovicæ, donec per obitum Josephi ultimi masculi in linea ejusdem Ludovicæ nova orta fuit quæstio inter Marchionem Josephum Juniorem, & Frsnciscum de Reavville, & Pluvinel, descendentes per medium Fæminarum ab eadem Ludovica, & Josephum Ignatium causam habentem a Giletta per continuatam seriem masculorum, qui prætendebat illos excludere in totum à cunsuccessione: fuitque ista per tres conformes, quarum duæ à nostro Tribunali prodierũt, decisæ favore dictorum Marchionum, quæ approbatę etiam fuerunt mediante rescripto Signaturæ cum clausula *sine præjudicio*. Quoniam verò in decisionibus æditis, firmatum fuit, quod in processu substitutionum testator voluit admittere etiam masculos descendentes ex dupplici medio fæminino, occasionem sumpsit Marchio Erancifcus de Granovillas petendi & ipse licet ex duabus fæminis à Gabriella Testatoris filia descendat coæqualem successionem pro sua tertia parte ad bona Testatoris una cum descendentibus ab aliis lineis Gilettæ, & Ludovicæ, & Impetrata commissione mihi directa, disputatoque dubio sub die 2. Julii proximè præteriti, contra eum non informantem responsum fuit: eique denegata exitit petita immissio: cũ autem decisio ad examen revocata fuisset die 17. Decembris proximè præteriti, rescriptum fuit, quod iterum causa proponeretur: Quamobrem hodie partibus ad nostrum Judicium redeuntibus, DD. agnita subsistentia fundamentorum prænarratæ decisionis, *in decisis* standum esse censuerunt.

Præmisso enim, quod nos non versamur in casu, de quo actum fuit in alia causa agitata intèr descendentes à Giletta, & Ludovica, quoniam ibi quęstio erat, an in progressu Testator admittere voluerit descendentes ex dupplici medio fæminino, de quo hic actum non fuit, quia sumus in altero casu respiciente primum ingressum, cum Marchio Franciscus actor non descendat per Masculos a Gabriella, quæ decessit cum sola Francisca fæmina nullis relictis masculis:
1 Unde sicut patet nullatenus allegari posse rem judicatam, quæ in illa causa prodiit, tanquam in casu omnino diverso, ita habita præ oculis hac casuum distinctione, consti-
2 tit, quod dum Testator vocavit ad successionem primos filios masculos, qui immediate progeniti essent a suis filiabus, eo ipso, quod Gabriella, ut premisimus, masculos non genuit, sed solùm Franciscam, Marchio de Granovillas Actor, qui ab illa mediantibus Henrico, & Francisco Patre descendit, tanquam destitutus principali, & substantiali requisito, quod fuerit progenitus à filio masculo immediato ipsius Gabriellæ,
3 in quo juxtà Testatoris votum incipere debuisset illius vocatio, nequaquam dici potest in eadem substitutione cõpræhensus. *ad text. in L. si hæredes plures ff. de condit. instit. Adden. ad Molin. de primog. lib. primo c. 13. n. 36. & seq. Mans. de Legat. & fideic. t. 9. consult. 40. n. 7. Rot. in Reatina fideicom. 22. Martii* 1700. *§. jam enim cor. R. P. D. meo Ansaldo.*

Minime relevante, quod Testator in hujusmodi successionis ingressu non vocaverit primos filios, sed primos liberos, sub quorum
4 nomine plurium graduum collectivo, sicuti indiscriminatim compræhenduntur secundi, & ulteriores descendentes, ita liberorum vocatio restringenda non sit ad solos filios immediatè progenitos à Testatoris filiabus, sed veniat extendenda ad Nepotes, Pronepotes, aliosque descendentes, & sic ad d. Marchionem Franciscum Actorem. Ultra
5 quod enim liberorum nomen ex speciali usu & consuetudine illius Regionis promiscuè, & indifferenter accipitur pro filiis primi gradus, ut notat *Tondut. resol. civil. lib.* 1. *cap.* 99. *num.* 18. Et ipsemet Testator dicto
6 usui se uniformando, pluribus in locis præfati sui Testamenti filios primi gradus passim denominavit sub verbo *liberos*, quo etiam appellavit tam filios suos, quam Rostanum filium ex altero matrimonio progenitum ab Uxore sua: & pro synonimis habuit liberorum nomẽ, & filiorum, ut fuit animadversum *in decisione, quæ revidetur §. Et hæc omnia.*

Cessare visa fuit difficultàs ex eo quod Nicolaus Testator quoties mentionem facien-
7 do de liberis, voluit compræhendere filios primi gradus dumtaxat, latiorem illius significationem pluribus modis restrinxit. Tum quia apposuit dictionem illam *primos liberos* quæ referri non potest nisi ad filios primi
8 gradus. Tum quia expressit nomen, & cognomen eorum matrum, ibi -- *Supradictarum DD. Gilettæ, Ludovicæ, & Gabriellæ de Tertullis filiarum suarum* -- Hinc enim
9 primo loco habemus, dictionem *supradictarum*, quæ tanquam personalissima ad alios extendi nequit, *Saminiat. controv.* 201. *n.* 60. *Rota coram Cerro dec.* 906. *n.* 5., 6., *& cor. Bich. dec.* 250. *n.* 17., *& seqq., & dec.* 482. *num.* 25. Rursus concurrit expressio familiæ de Tertullis, quæ verificari non poterat
10 in aliis fæminis ulterioris gradus; Filii enim ex istis nascituri non poterant dici nati ex fæmina familiæ de Tertullis, *Soccin. sen. in L. gallus §. instituens sub n.* 5. *ff. de liberis, & postumis, Corneus cons.* 47. *num.* 7. *lib.* 4. *Riminald. jun. cons.* 173. *num.* 9., *& pluribus sequentibus Ciriac. controv.* 8. *n.* 71. *Rot. cor. Dunoz. jun. dec.* 981. *n.* 15. *&* 16., *& cor. Emerix. sen. dec.* 149. *n.* 1. maxime quia
11 ulterius addidit alia verba *filiarum suarum* ex quibus fit, quod vocatio primorum liberorum porrigi nequeat ad Nepotes, qui ex suis filiabus nati non essent, *Mandellus Alba cons.* 86. *n.* 5. *Castil. controv. Juris lib.* 5. *cap.*

cap. 92 *n.* 18., & *seqq. Saminiat. d. controv.*
201. *num.* 63. *Card de Luc. de fideicommiss.*
disc. 28. *n.* 9. *Rota in Romana fideicommiss.*
10. *Januarii* 1690. §. *Hujusmodi verò cor.*
me. Et tandem adjecit dictionem *tunc* ibi --
qui tunc cum substitutio hujusmodi locum
sibi vindicabit, primi reperientur -- Ex his
12 enim constat Testatorem considerasse cer-
tum tempus, & restringere voluisse substi-
tutionem ad primos masculos existentes
tempore designato, *Rota dec.* 95. *num.* 32.
& *seqq. p.* 11., & *dec.* 235. *n.* 7. *p.* 16.

Non attenta duplici replicatione, altera,
quod fuerint substituti liberi masculi filia-
rum suarum tàm nati, quàm nascituri: un-
13 dè inferebatur habitum fuisse respectum
ad remotissimum tempus, quo naturaliter
existere non poterant filii immediatè geniti
ex suis filiabus: Altera, quod præfatus Te-
stator in nonnullis suæ dispositionis partibus
liberorum nomine ita fuerit usus; ut etiam
ulteriores descendentes comprehendisse di-
catur. Nam respectu primæ adverterunt
DD. Testatorem masculos tàm natos, quàm
nascituros vocasse non ad designandam com-
præhensionem plurium graduum, & perso-
14 narum de tempore remotissimo existen-
tium, sed solùm ad compræhendendum il-
los filios, qui tempore conditi Testamenti
nondùm nati erant, & alios, qui nasci po-
terant ex personis ab ipso designatis; ideò-
que verbum *nasciturorum* tanquam dire-
ctum in personas filiorum primi gradus pro-
creandas ex Giletta, Ludovica, & Gabriel-
la, extendi non potest ad nepotes, & ul-
teriores gradus, ita suadente modo loquen-
di per Testatorem adhibito in aliis suæ di-
15 spositionis Partibus, ex quibus declaranda
est illa, de qua agitur, *ad Text. in l.* 3. §. *Sed*
etiam ff. de liberis, & Posthum. Rot. dec 707.
n. 3. *par.* 2. & *dec.* 248. *n.* 56. *dec.* 360. *n.* 4 *p.* 16.
rec. Atque etiam attento naturali sensu
16 præfati verbi *nasciturorum*, quod tunc
solum compræhendit personas plurium gra-
duum, quando vel fuit adjecta nota aliqua
perpetuitatis, vel Testator oculos habuit ad
tractum progressivum: secus autem, quoties,
ut hic, concurrunt tot restrictivæ, & ver-
ba coarctantia vocationem ad primos libe-
ros supradictarum filiarum propriis nomini-
bus designatarum, *Rota dec.* 357. *num.* 4. &
dec. 507. *n.* 1. & 13. *part.* 2. *dec.* 244. *num.* 4. &
seqq. part. 12. *rec.* & *in Romana, seu Rea-*
tina fideicommissi de Vincentinis 28. *Junii*
1698. §. *Nam prima cor. bon. mem. Muto.*
Potissimè quia probabiliter. ille dubitavit,
17 quod de proximo sua vera agnatio posset
deficere, cum haberet duos filios mente ca-
ptos, & mala valetudine laborantes, ut ex-
pressit in testamento: & cum voluerit pro-
videre successioni, vocando cognatos suos,
quales erant descendentes à filiabus; credi
debet, quod sicut pròximus erat casus illo-
rum vocationis; ita & vocando natos, &
nascituros, non intellexerit de ulteriori-
bus descendentibus filiarum, sed de propriis
illarum filiis, qui de tempore proximo ape-
riendæ successionis extitissent.

Respectu verò secundæ satisfecit respon-
sio, quod in dictis locis, ac dispositionis
periodis, in quibus Testator liberorum no-
mine designavit descendentes ulteriorum
graduum, nullas adjecit clausulas restricti-
vas, cum quibus liberorum nomen necessa-
riò referendum dici possit ad primò natos,
proindèque non potest ab illis partibus fie-
ri illatio ad illam tot modificativis dictioni-
bus restrictam, & potius retorquetur argu-
18 mentum; quia si Testator quando libero-
rum nomine compræhendere voluit ulterio-
res descendentes, nullam apposuit dictio-
nem, aut clausulam restrictivam; è conver-
so dicendum est, quod ubi illas adhibuit,
restringere voluerit latiorem significatio-
nem ad solos filios primi gradus, *Rota cor.*
Cerro decis. 39. *num.* 11. & *dec.* 304. *num.* 12.
part. 19.

Quinimò si desumere volumus interpre-
tationem voluntatis ex aliis partibus testa-
menti, statim occurrit substitutio facta in
illius §. 12. in quo reciprocam ordinando in-
ter filios masculos filiarum suorum filiorum,
& alios masculos ex propriis filiabus nasci-
19 turos, semper usus fuit verbo *filiis*: Quam-
obrem negari non potest, quod in hac par-
te vocaverit primos filios, itaut proindè in-
telligendum etiam idem sit in hac altera di-
spositione, in qua de eisdem personis lo-
cutus fuit, *Rota cor. Cerro decis.* 229. & *de-*
cis. 194. *utrobique n.* 7. *part.* 17. *rec.* & *inter*
recollectas per Constant. ad Statut. Urb. de-
cis. 203. *num.* 19. Rursùs in § 18. injungendo
onus deferendi nomen, & insignia domus
20 Testatoris, illud expressè servari manda-
vit à filiis masculis suarum filiarum, quapro-
pter si in transitu ab agnatis naturalibus ad
cognatos primo vocatos illos designavit no-
mine filiorum suarum filiarum, idem dici,
debet intellexisse in ista testamenti parte,
de qua agitur, ex allegatis.

Atque ex his cessat etiam absurdum du-
ctum ex eo, quod si Testator vocationem
restrinxisset ad masculos immediatè primo-
genitos ex suis filiabus, & neutra ex eis fi-
lios masculos habuisset, fideicommissum in
ipso sui primordio expirasset: & bona in lo-
cum pium ultimo loco substitutum devenis-
sent; quia semiagnatio adeò exoptata non
remansisset verificata, neque exindè cogna-
21 ti admissi fuissent. Etenim hujusmodi argu-
mentum ductum à sola eventualitate, nihil
22 concludit, cum passim dari possit casus, quod
fideicommissa etiam cum perpetuitate ordi-
nata statim per deficientiam personarum
contemplatarum expirent, nec ideò ullum
sequitur absurdum circà interpretationem
voluntatis Testatorum, maximè quia tametsi
nulli filii masculi extitissent de tempore a-
pertæ successionis, adhuc tamen subintrasset
substitutio successivè facta favore fœmina-
rum, ideòque frustranea redditur quæstio
23 promota super iis, quæ potuissent contin-
gere;

gere; præsertim quando de facto non evenerunt, *Saminiat. controverſ.* 125. *lib.* 2. & *Cardin. de Luc. de fideicommiſs. diſc.*5.*n.*5. & *ſeq.*

Præter hæc omnia concurrit longæva, & ferè sæcularis observantia non solùm extra-
24 judicialis; dum tanto temporis spatio ad successionem dumtaxat admissi fuerunt soli filii immediati Gillettæ, & Ludovicæ, cum acquiescentia masculorum per medium fœminæ descendentium à Gabriella; verùm etiam altera judicialis promanans ex antiquis decisionibus, & judicatis Rotalibus, quibus convincitur, quod cum ad successionem aspirare cœpisset Henricus ex filia Gabriellæ nepos prætendens una cum filiis masculis dd. Gilettæ, & Ludovicæ se vocatum fuisse; Donatarii ejusdem una cum Francisco seniore avo Marchionis Francisci actoris, & respectivè fratre dicti Henrici agnoscentes deindè insubsistentiam prætensionis ejusdem Henrici, se restrinxerunt ad usumfructum debitum Gabriellæ aviæ ex dispositione fideicommittentis, qui illam reliquerat filiabus, quæ sine filiis masculis decessissent, cumque introducto judicio in hoc nostro Tribunali obtinuerint, *ut in dec.*450. *cor. Dunoz. jun.*, aperta exindè deducitur illius exclusio à successione, nam alias si po-
25 tuisset succedere; adjudicatio usufructus tanquam incompatibilis rejecta fuisset, & sic
26 ab exclusione unius succedit alterius inclusio, *argumento Text. in L.* 1. *cum duabus ſeqq. C. de ordin. cognit. Rota cor. Celſ. deciſ.*169. *n.*4. & *deciſ.*347. *n.*7.

Evaditque fortior hujusmodi acquiescentia ex transactionibus, in quibus d. Franciscus post mortem Henrici fratris fassus fuit petiisse tertiam partem fructuum, qui debebantur Gabriellæ, ex quo illa nullos habuisset filios habiles ad succedendum, & in causam illius recepit certam pecuniæ quantitatem; ex quo facto secumferente agnitionem propriæ incapacitatis, & supponente purificationem usufructus relicti Gabriellæ, resultat declaratio longè potentior qua-
27 cumque protestatione hujusmodi facto contraria, *ad Text. in cap. dilecti filii de appellation. Ancaran. conſ.* 302. *n.*3. *Rota cor. Gregor. deciſ.*247. *n.*18. & *cor. Emerix jun. dec.*280. *n.*8. & 9.

Nec relevat, quod *d. dec.*450. fuerit successivè revocata, & in transactione fuerint expressè præservata jura fideicommissi, in quibus Henricus noluerit unquam sibi præjudicare; dum semper cognomine de Tertullis usus fuit. Quoniam intantùm nostrum Tribunal censuit in subsecutis Decisionibus supradictis ex persona Gabriellæ non deberi usumfructum; in quantùm ab ea non fuerat petita, nec præstita cautio, nihil autem fuit deductum circà illius, ejusque descendentium vocationem: & præservatio jurium facta in transactione intelligenda est de illis competentibus ex substitutionibus, quarum vigore Franciscus Henrici frater, extinctis lineis Gilettæ, & Ludovicæ, ad exclusionem extranei fuerat vocatus. Idque ad evi-
28 dentiam evincitur; nam cum transactiones fuissent initæ super dicto usufructu, qui se habere non poterat compatibiliter cum successione in proprietate bonorum; fateri o-
29 portet, quod dicta præservatio nequaquam referenda sit ad jus consuccessionis; benè tamen ad alterum cum transactione compatibilem, *Pariſ. conſ.*70. *n.*12. *vol.*1. *Gabriel. conſ.*151. *n.*29. & *ſeq. lib.*2. *Gratian. diſcept. forenſ. cap.*867. *num.*19. *Rot. cor. Pamphil. dec.*124. *n.*5. & *cor. Emerix jun. deciſ.*1305. *n.*7. & tandem quod Henricus se appellaverit cum cognomine de Tertullis, nihil concludit, quia hujusmodi actus, qui à nemine
30 prohiberi poterant, quidquam non ponunt in esse, præsertim quandò urget in contrarium, quod ipse portionem suam ususfructus donavit, qui actus tanquam secumferens fa-
31 ctum positivum, & agnitionem propriæ incapacitatis majoris ponderis est, quàm verbalis nomenclatura, ex allegatis.

Et ita utraque &c.

BONONIEN. PECUNIARIA.

Merc. 23. *Martii* 1707.

ARGUMENTUM.

Est confirmatoria superioris decisionis 336. quoad novum mandatum: nam in cœteris liti fuerat renunciatum.

SUMMARIUM.

1 *Acceptans aliquid, onus eidem rei annexum pariter acceptare tenetur.*
2 *Partitæ in libris administratoris quando pro illo plenè probent?*
3 *Periti tertiò electi relationi, & circa suam peritiam deponenti plena fides est adhibenda.*
4 *Solutio ex longævo silentio creditoris facta præsumitur.*
5 *Ratio de omnibus partitis expensarum antecedentium habita censetur in subsecuta solidatione, quæ* per saldo *repertatur, & cur?* & nu. 9. *amplia ubi partita est descripta, ut* n. 10.
6 *Præsertim si solidatio sit facta de utilibus.*
7 *Præsumptio eadem intrat in iis, quæ ejusdem sunt prorsus naturæ.*
8 *Oomissio descriptionis crediti, cum de ejus veritate constat non tollit ejus satisfactionem.*

DECISIO CCCCLXXVII.

IN redditione rationis de administratione gesta per Josephum Martellum Furni Abbatialis sancti Stephani, deposuit ille libras 31318. in Sac. Monte Pietatis: *Per resto degl' effetti pervenutigli in mano di detta amministrazione.* Verùm cum prætenderet esse ad sui commodum detrahendam quantitatem librarum 6000. tanquam à se solutam,

& non descriptam in Codicibus Furni, & è converso Ministri Abbatiæ peterent, quod non solum ista non esset admittenda; sed quod etiam à Martello solvenda esset alia partita libr. 4793. uti malè posita ad debitum Abbatiæ: Hinc Eminentissimus Card. Legatus Bononiæ relaxavit mandatum favore Abbatiæ pro libera consignatione pecuniarum, quæ fuerant depositatæ, salvis juribus utriusque partis hinc indè prætensis.

Causa post hæc fuit delata ad A. C., qui agnoscendo insubsistentiam prætensionis Martelli quoad bonificationem librar. 6000. confirmavit mandatum pro libera consignatione summæ depositæ, & ulterius aliud de novo contra illum relaxavit prò solutione dd. librarum 4793. & in tertia instantia coram me sub die 4. Julii 1704. responsum fuit esse procedendum ad legitimam executionem utriusque mandati, sed concessa nova Audientia quoad mandatum librarum 4793. in reliquis ad causæ expeditionem deventum fuit. Cum autem adita Signatura rescriptum fuerit cum clausula -- *sine præjudicio*, quoad dd. libras 6000. idem Martellus agnito suo malo jure circa istam partitam, liti cessit, & causam prosequendo in quarta instantia coràm bon. mem. Muto, obtinuit disputari dubium sub die 4. Junii 1705., an esset standum, vel recedendum à decisis prò summa librarum 4793. & prodiit responsum pro confirmatione decisionis: repropositaque autem causa die 4. Decembris ejusdem anni, dilata resolutione, demandarunt DD. quod coadjuvarentur probationes mediante electione tertii Periti; qui cum suam ediderit relationem, & interim fato cesserit R. P. D. Mutus, DD. coràm me in illius locum subrogato, *in decisis* iterum standum esse responderunt.

Strictè enim adhanc summam ex quinque partitis conflatam, cum unicè difficultas restringeretur ad illam librar. 3336. quas Martellus persolvisse supponit officialibus Civitatis Bononiæ pro gabella unius julii imposita super certa mensura frumenti panizzati; DD. omisso examine assertæ emptionis à gabellis, & datiis per Abbatem in aliis disputationibus prætensæ, in qua Jure merito Scribentes pro illo in præsenti nullum fundamentum constituerunt, eo quia revera gabella, de qua agitur, Ecclesiasticis præjudicialis non sit, licet enim graver pistores ad solvendum d. julium, eis tamen facultatem concedit minuendi panem in pondere pro duabus unciis, ita non leve illis emolumentum concedendo, quo dum, uti volunt Ministri Abbatiæ, tenentur quoque onus eidem correspectivè annexum acceptare, ut
1 benè respondit *Rota dec. 533., & 574. par. 19. to. 2. rec.*

Existimarunt quod totum Causæ momentum pendeat à duplici inspectione, altera an verè probetur pecunias fuisse solutas à Martello, & altera an ipse fuerit de eis reimbursatus, & quoad primam visum fuit constare in favorem Martelli de effectiva, & reali solutione facta per eum; Tum quia peritus de ordine nostri Tribunalis novissimè electus refert ipsum vidisse receptas, & quietantias Originales secumferentes solutionem etiam majoris summæ. Tum quia testatur fuisse benè scripturatam non solum in libris Furni ipsius Josephi, sed etiam in illis
2 ad usum Computistariæ pro Abbatia ab ejus ratiocinatore retentis, cum designatione diei, mensis, & Anni, ac specificatione quantitatis Causæ, & personæ, cui persoluta fuit. Ideoque procul dubio partita prædicta fidem meretur, ac pro administratore solutionem plenè probat; *Text. in L. memini C. de suscept. præposit.*, & probant *Bartol. in L. Comperimus C. de Navicul. Genua de Script. privata lib. 4. tit. de administrat. n. 3. Gratian. discept. for. cap. 563. n. 32. Rota cor. Cerr. dec. 43. nu. 6., in rec. dec. 473. nu. 4. par. 9. tom. 2, & in Romana Locorum Montium 11. Decembris 1699. §. Quæ potiori Jure coram Emo Tremoille.*

Maximè concurrente in idem duplici circumstantia, altera quod tertius peritus omnibus discussis, & respondendo objectis ita retulit undè ei tanquam ad hunc effectum
3 electo, & deponentis circa suam peritiam plena fides est adhibenda, *Rota coram Bıratt. dec. 419. num. 9. in rec. dec. 324. nu. 14. & 16 par. 10. dec. 14. nu. 11., & in Hydruntina Pennuniaria 27. Junii 1701. §. Quia obstet coram Emo D. Tremoille*. Altera, quod Officiales Bononiæ nunquam petierunt
4 hanc solutionem, quæ idcirco illorum longevo silentio tantomagis facta præsumitur; *Rota coram Duran. dec. 409. num. 22. in rec. dec. 124. num. 2. par. 2., & in Ariminen. Bandi de Bandis 10. Januarii 1701. §. Quod vero coram R. P. D. meo Scotto.*

Quoverò ad secundam respicientem satisfactionem reportatam à Martello, DD. inclinantes contra Martellum persisterunt in sensu, quod ipse de prædictis libr. 3336. satisfactus remanserit. Idque satis deduci visum fuit, ex quo solummodo apparet facta sub die 21. Novembris 1698., & tamen postea in duplici calculo utilium fuit descriptus debitor in notabili quantitate, & solidationem computorum reportavit *per Saldo* in his enim terminis benè deducitur, quod de omnibus præcedenter exactis, & respe-
5 ctivè solutis fuerit habita ratio, nam alias non verificaretur illa dictio *per saldo*, *ad Text. in L. pluribus ff. de acceptat. Gratian. discept. forens. cap. 3. num. 2. Rota dec 54. num. 4. par. 9., & decis. 482. num. 23. par. 8. recent.*

Sine difficultate, quia in hac solidatione
6 actum fuit, etiam de utilibus, quæ solum remanere dicuntur quoties deducta sint omnia onera, expensæ, & solutiones factæ, itaut proindè tantomagis augeatur præsumptio, quod fuerint bonificatæ dd. libr. 3336. solutæ pro satisfactione gabellæ, & quod de eis

eis

eis fuerit reimbursatus. *L. sed etsi damnum §. Peculium ff. de peculio L. quoties §. Sicut autem ff. de administrat. Gratian. discept. forens. cap.129. nu.27. Mascard. de probat. concl.53. per tot. Salgad. in Labyr. credit. par.3. cap.7. nu. 18., & latius in decis. bon. me. Muti §. Quinimmo.*

Idque etiam ex subsecuto Facto Martelli comprobatum fuit, nam is sub initio præsentis litis sibi bonificari contendebat alteram partitam libr.6000. à Sac. Rota denegatam, ex fundamento jam reportatæ satisfactionis, & huic Judicato acquievit. Quamobrem sicut ipse acceptando sententias Rotales, litique renunciando, fassus fuit reimbursationem libr.6000. itaut nulla intercedat diffe-
7 tentia inter illam, & istam li.3336. ejusdem prorsùs naturæ, intrat eadem præsumptio: *Mans. consult.69. nu.11. Rota coram Dunozzet. Jun. dec.657. nu.10. coram Cerro dec.532. num.8., & in rec. dec.234. num.21. par.18.*

Absque eo quod allegari valeat inter unum, & alterum casum differentia, ex quo in tantum Judicatum Rotale fuit acceptatum, ex quo partita libr.6000. non fuisset in libris registrata, quod non concurrit in controversa partita. Quoniam sola omissio de-
8 scriptionis non sufficit ad tollendam crediti satisfactionem, quatenus constet de illius veritate. Ideoque sive concurrat descriptio, sive deficiat, semper urget validissima ratio
9 pro inducenda probatione satisfactionis, quod præcesserit computorum solidatio pro utiibus, ut firmatur *in mea decisione §. Tantum abest eum sequenti*. Immò incalescit præsumptio, dum etiamsi ista partita esset
10 descripta in Libris, adhuc in solidatione subsecuta non fuit præservata, nec de ea facta specialis mentio undè fortius videtur, quod fuerit jam reimbursata.

Et ita utraque &c

MEDIOLANEN. CAPELLANIÆ

Lunæ 28. Martii 1707.

ARGUMENTUM.

Præsentatus à Patrono existente in quasi possessione præsentandi, vel ab ejus hærede, in quem sine apprehensione talis quasi possessio transit; est instituendus, rejecto præsentato ab alio habente ultimum statum contrarium: nisi clarè doceat de precedenti statu contrario per publica documenta, vel confessionem partis, vel rem judicatam.

SUMMARIUM.

1 *Restitutio in integrum non datur cum constat de validitate, & justitia sententiarum.*

2 *Validitas desumitur cum servata sunt requisita decis. 262. p. 2. cor. Verallo.*

3 *Beneficium adjudicandum venit præsentato a patrono existenti in quasi possessione præsentandi ad* cap. consultationibus de jurepatronatu,

4 *Possessio præsentandi in auctore transit ad hæredem absque nova apprehensione quoad juris effectum.*

5 *Præsentatus ab hærede possessoris institutionem obtinere debet.*

6 *Præsentatus a patrono, qui habet contra se ultimum statum, concludere tenetur. statum anteriorem contrarium per claras probationes innixas, vel publico documento, aut confessioni partis, aut rei judicatæ.*

DECISIO CCCCLXXVIII.

Angelus Maria de Medicis præsentatus a Joanne Ambrosio germano Fratre ad simplex Beneficium situm in Capella S. Bartolomæi Oppidi de Ollona reportavit non solum duas sententias de Partibus, sed & tertiam præviis tribus decisionibus coram Rmo D. Meo Decano adversus Gabrielem de Crispis præsentatum a fratribus de Crispis, & de Pallavicinis. Verum quia isti non acquieverunt, causa mihi in quarta instantia commissa fuit: Cumque propter obitum Procuratoris appellantium fuerint expeditæ Litteræ citatoriæ, & in partibus legitimè præsentatæ, nemine comparente per contradictas hodiè proposui dubium – *An constet de causis restitutionis in integrum* -- &
1 DD. attentis validitate, & justitia dd. sententiarum, *negativè* respondere non dubitarunt, *Rot. cor. Royas dec.286. in princip., & in rec. dec.165., & 235. utrobique n. primo p. 13., & dec. 374. num. 2. p. 14., & dec. 556. n. 2. part. 19.*

De validitate enim constat, ex quo fue-
2 runt servata omnia requisita, de quibus *in decis. 262. p. 2. cor. Verall.* Iustitia verò satis superque deducitur ex decisionibus Rmi D. mei Decani, in quibus ad limites *Cap. con-*
3 *sultationibus de jurepatron.* adiudicata fuit Capellania Angelo Mariæ actori ad illam præsentati per Joannem Ambrosium Fratrem, qui dicitur existere in quasi possessione præsentandi eo ipso, quod descendit ab
4 iis, qui in ultima vocatione cum effectu præsentarunt, quia tunc absque nova appræhensione possessio transit in hæredem quoad juris effectum, ut scilicet præsentatus ab hæ-
5 rede possessoris, institutionem obtinere possit, *Lotter de re benefic. lib.2. quest.11. n.118: & seq. Rot. cor. Greg. decis. 339. num. 1. & in rec, decis. 176. num. 4. p. 15., & decis. 7. n. 4. p. 19.*

Excluso Gabriele præsentato à Fratribus
6 de Crispis, & Pallavicinis, qui cum habeat contra se d. ultimum statum deberet concludenter probare statum anteriorem contrarium per claras, & dilucidas probationes innixas publico documento aut confessioni partis, seu rei judicatæ, *Rota cor. Seraph. dec. 555. n. 9., & dec. 575. n. 6., & in rec. dec. 416. num. 7., & seq. p. 9, & decis 472. n. 70. p. 19.* Nul-

Nullum autem ex his concurrere in præsenti iurè, doctèque firmant prædictæ decisiones æditæ coram Rev. D. meo Decano, in quibus cum omnibus preventivè satisfactum fuerit, & nihil in contrarium hodiè deductum appareat ob contumaciam Partis non comparentis, DD. ad illas relativè se habuerunt earum fundamenta approbantes.

Et ità per contradictas &c.

ROMANA, SEU CAMERINEN.
CAUTELÆ ANGELI.

Veneris prima Aprilis 1707.

ARGUMENTUM.

Quia diversa tractantur accipe à Summario.

Super reservatis adest dec.651., & supèr eisdem bonis alia quoque decisio illi sequena.

SUMMARIUM.

1 *Creditor agere potest contra debitorem debitoris pro quantitate ejus debiti.*

2 *Masculus ex fæmina aspirare non potest ad fideicommissum penitus fæminarum exclusivum.*

3 *Nominatio facta vigore Brevis Pontificii subreptitii canonizati habetur ac si facta non fuisset.*

4 *Pro debito fideicommittentis potest agi contra ejus bona apud quoscumque fideicommissarios existant.*

5 *Fideicommisso subici non possunt bona in præjudicium hypothecæ super eis præcedentèr a Creditoribus contractæ.*

6 *Debitum reintegrationis initium sumit à die administrationis.*

7 *Dos censeri debet constituta de tempore contracti matrimonii, & cur?*

8 *Etiamsi restitutio ejusdem promissa appareat in quietantia longè post stipulata, quia retrotrabitur promissio, ut tacitam hypothecam desumat a die contracti matrimonii.*

9 *Pro executione præsumitur, cum non probetur identitas bonorum fideicommissi, in cujus vigorem allegata fuit cautela Angeli, & bona libera adfuerunt.*

10 *Exceptio non productionis actorum, nec dilationem mereatur: cum attenta paupertate adest decretum Auditoris Signaturæ, ut stetur iudicationi.*

DECISIO CCCCLXXIX.

Margherita Morella Creditrix Catherinę suæ Matris in summâ scut. 9360. agens pro sui satisfactione contra hæreditatem Fulchetti de Perbenedictis debitricem Camillæ Bernabeæ Uxoris dicti Fulchetti, qui paritèr erat illius debitor in scutis 4960., & sic contra debitorem suæ debitricis, obtinuit a bo. me. A.C. Areosto mandatum executivum, restrictum tamen ad d. quantitatem debitam ab hæreditate Fulchetti, confirmatum deinde ab A.C. Aldrovando tunc A.C. Locumtenente, modo nostro meritissimo Collega citato Marchione Gaspare Maculano; mortua autèm d. Morella creditrice scripta sibi hærede Margherita Battholotta obtinuit ista præfatum mandatum executioni demandari, sed ob interpositam appellationem devoluta causa ad nostrum Tribunal mediante commissione cum clausula *alteri, qui ad legitimam*; Hodie per me proposito dubio Battholotta tantum informante, DD. ad legitimam exequutionem procedendum esse responderunt.

Supposita namque validitate, justitia quoque resultat ex supra recensita facti serie, quia scilicet Margherita erat creditrix Catherinæ Matris pro augumento dotis sibi promissæ, & illius fructibus ascenden. in totum ad scut 9360.: Catherina autem erat creditrix Camillæ Bernabeæ in scut. 4960. tam pro credito dotali, quàm pro legato scut. 1000. Et Camilla debebat consequi ab hæreditate Fulchetti scut.5500. pro alia dote, & fructibus. Hinc Margherita ex Juribus Catherinæ creditricis Camillæ agere potuit contra hæreditatem Fulchetti debi-
1 tricem dictæ Camillæ, & satisfactionem obtinere pro intranti quantitate, quam Catherina sua debitrix à Camilla Creditrice Fulchetti consequi debebat, *per Text. in L. nomen C. quæ res pignor oblig. poss. Rota post Zacchiam de obligat decis.94.n. 11., & coram Bich. dec. 321. n. 13., & decis. 267. num. 24. p. 17., & decis. 527. n.13.p.19.rec.*

Quoniam vero dicta altera Pars non informabat; nec ideò quidquam super varitate creditorum opponebatur, sibi dumtaxat obyciebant scribentes pro Margherita exceptionem cautelæ Angeli, quam supponebant allegatam a Marchione Gaspare reo convento ex titulo Fideicommissi ordinati per tres Fratres de Perbenedictis, Cardinalem scilicet, Marianum Robertum, & Fulchettum de perbenedictis; ideo examinando juxta deducta vim exceptionis extima-
2 runt DD. illam non obstare, quia præfatum fideicommissum tanquam expressè fæminarum, eiusque descendentium exclusivum purificatum dici nequit favore ejusdem Gasparis, qui per medium Annæ Camillę filiæ Alexandri ultimi masculi a Fulchetto altero ex fideicommittentibus descendit, *Altograd. cons. 96. num. 14. lib. primo Rota coram Baratt. decis. 252. num 12., & coram Priolo decis. 996. num. primo, & seq., & in rec. dec. 309. num. 3. p. x., & in Romana Fideicommissi de Aldobrandinis 20. Junii 1687. §. Et quatenus cor. bo. me. Ursino.*

Et quamvis in Primogenitura prædicta concessa fuerit ultimo masculo facultas alios nominandi; dictusque Alexander mediante Brevi San. me. Alexandri VII. Annam Camillam filiam, ejusque descendentes nominaverit, attamen quia dicta facultas non erat indefinitè, & ad libitum nominantis tributa, sed legitur restricta ad certum perfona-

sonarum genus, de quo non erant nominati. Ideo A. C. Bulgatinus ad instantiam Ioannis Baptistæ Perbenedicti transversalis qui tanquam descendens a Sylvestro à Testatore proveniente nominandus erat, dictum Breve subreptitium declaravit, utpote quia
3 in illo expressum non fuit disponentes fæminas exclusisse, ac eorum descendentes: Undè nominatio habenda est ac si facta non fuisset, *Soccin. conf.* 260. *num.* 2. *Cravett. conf.* 296. *col.* 5. *Rota cor. Dunozet. Jun. dec.* 301. *n.* 3., *& in rec. dec.* 375. *n.* 19. *part.* 19.

Et quomodocumque res se habeat, adhuc negari non posset exequutio contra bona fideicommissaria pro tertia parte, quæ spe-
4 ctabat ad Fulchettum alterum ex fideicommittentibus, qui erat debitor Camillæ Bernabeæ debitricis Catherinæ pariter debitricis Margheritæ, adeout penes quemcumque existant bona fideicommissi, poterit contrà illa agi pro satisfactione quantitatis debitæ à fideicommittente: Maximè quia debitum fuerat per eum contractum occasione dotis receptæ, à Camilla uxore antequam deve-
5 niret cum aliis fratribus ad erectionem primogeniture, itaut non potuerit in præjudicium hypothecæ præcedenter contractæ suam portionem fideicommisso supponere, *ad Text. in L. filiusfamilias* 118. §. *Divi il* 2. *ad finem ff. de legat.* 1. *Peregrin. de fideicommiss. art.* 40. *n.* 18. *&* 21. *Rota cor. Buratt. dec.* 920. *n.* 3. *& cor. S. Mem. Alexand. VIII. dec.* 242. *n.* 8. *& in rec. decis.* 184. *n.* 3. *part.* 16.

Non attenta replicatione, quod restitutio dotis promissa fuerit de anno 1611., & sic longè post primogenituram erectam de mense Decembris 1591., quodque plus est idem Fulchettus erat debitor pro reintegratione illius, ac proindè obligatio facta esset
6 longè posterior; cum debitum reintegrationis initium sumat à die administrationis. Etenim adverterunt DD., quod cum matrimonium contractum fuerit de mense Martii dicti anni 1591., & dos censeri debeat eodem
7 tempore constituta; quia matrimonia sine dote non contrahuntur, *Mantic. de tacit. lib.* 12. *tit.* 3. *n.* 5. *Card. de Luc. de dote disc.* 1. *n.* 9. *in fin. Surd. dec.* 62. *n.* 13. *& seq. Rota cor. Buratt. decis.* 844. *n.* 10. *ibique Adden. n.* 16. *& decis.* 89. *n.* 11. *&* 12. *part.* 1. *divers.*
8 Inde sequitur, quod etsi restitutio promissa fuerit tantummodò in actu quietantiæ stipulatæ de anno 1611., nihilominus retrotrahi debeat promissio, ut tacitam saltem hypothecam desumat à die contracti matrimonii, & sic anteriorem administrationi fideicommissi per Fulchettum incœptæ de mense Decembris dicti anni 1591., *Negusan. de pignor. part.* 2. *membr.* 4. *n.* 37. *&* 77. *Gratian. discept.* 53. *num.* 3. *Merlin. de pignor. lib.* 5. *tit.* 2. *quæst.* 74. *n.* 8.

Quibus omnibus additur, quod Marchio Gaspar adhuc concludenter non probavit, quod bona, super quibus jam facta erat exe-
9 quutio, essent illa, quæ fuerunt subjecta per fratres Primogeniture ab illis erectæ; cum jam Fulchettus tunc temporis haberet alia bona libera, super quibus sustineri etiam posset exequutio, itaut stante hac dubietate præsumendum sit pro exequutione, *Rota cor. Buratt. dec.* 277. *n.* 9. *& in rec. dec.* 730. *n.* 3. *part.* 18.

Cæterùm, quia altera Pars petebat dilationem cum supposito, quod aliqua jura primæ instantiæ transportata non fuerint, DD.
10 non censuerunt illi esse annuendum, attento decreto R. P. D. Auditoris Signaturæ, quod starent Partes indicationi attenta paupertate Margharitæ actricis; propter quam DD. etiam decreverunt esse eidem subministranda scuta 30. pro nunc in causam declarandam, ad exemplum Signaturæ Justitiæ, quæ illi subministrare fecit alia scuta 150.

Et ita Margharita tantùm informante, Marchione Gasparre verò dilationem petente &c.

LEODIEN. BENEFICII.

Ven. 1. *Aprilis* 1707.

ARGUMENTUM.

Subrogatio gratiosa in juribus collitigantis post litem per rem judicatam cum taxatione, & solutione expensarum terminatam non suffragatur: nec si obtenta sit à renunciatario collitigantis succumbentis: cum ille numquam litigaverit: Nec si lis fuerit calumniosa: nec si etiam quoad alia litteræ subrogationis gratiosæ non fuerint verificatæ. Laicus præsentari nequit ad beneficia Ecclesiastica, quamvis postea ordines susceperit, & iterum fuerit præsentatus; si prius comparuerit clericus legitimè ab aliis patronis præsentatus. Consensus Patronorum à Papa requisitus ex sola præsumptione ex temporis lapsu desumpta non probatur.

SUMMARIUM.

1 *Arbitrium regulatur à jure.*
2 *Et intrat pro retardatione litterarum Apostolicarum non justificatarum.*
3 *Lis non est cum per tres sententias, & taxationem, & solutionem expensarum, fuit terminata; nec est appellatum.*
4 *Gratia corruit corruente ejus fundamento.*
5 *Litis reliquiæ prodesse non possunt obtinenti gratiam subrogationis in juribus litigantis: cum ipse non litigavit: secus si litigavit.*
6 *Lis injusta, & calumniosa non prodest obtinenti subrogationis gratiam.*
7 *Laicus ad Ecclesiastica beneficia præsentari non potest: & si fiat, nulliter fit.*
8 *Clericatus superveniens post nominationem, aut altera nominatio post superventum clericatum tali præsentato non prosunt: si ante superventum clericatum, vel secundam nominationem Clericus ab aliis patronis præsentatus, litem fuerat contra alium incapacem contestatus.*
9 *Patronus post primam nulliter actam præsentationem in præjudicium alterius legitimi præsentati, qui jus acquisivit, varia-*

riare non potest : vel de novo præsentare.
10 *Præsertim cum nullitas primæ præsentationis fuit in judicio recognita.*
11 *Res judicata pro veritate habetur:*
12 *Maximè si à Signatura fuit approbata, & suum effectum sortita.*
13 *Patronorum consensus præstitus sola præsumptione ex lapsu temporis non convincitur; sed concludenter est probandus.*
14 *Gratia nullum jus tribuit, non justificatis omnibus conditionibus, à quibus illa pendet.*
Subrogationem gratiosam reportans, & nihil verificans, omni jure destitutus, nec eam potuit obtinere, nec justam litem inchoare.

DECISIO CCCCLXXX.

AD Beneficium ecclesiasticum sub invocatione B. Mariæ, & S. Nicolai de jurepatronatus fuit a medietate Patronorum præsentatus Joannes d' Engis, & ab altera medietate Pascalis Elias, inter quos exorta lite, tandem Elias, qui in ea usque ad refectionem expensarum succubuit, renunciavit suum jus Jacobo Libert, qui postea per mortem Joannis d'Engis sub prætextu durationis litis, subrogationem gratiosam in illius ju-
1 ribus per litteras Apostolicas reportavit, & illarum executionem adversus Petrum Smachers præsentatum a Patronis ejusdem Beneficii obtinuit: Sed habito per dictum Petrum recursu ad Signaturam, ista rescripsit -- *Parito litteris arbitrio* -- propositoque ad formam rescripti dubio, DD. -- *intrare arbitrium* -- responderunt.

Arbitrium enim, cum reguletur a Jure,
2 intrare debet in præsenti pro retardatione executionis litterarum gratiosæ subrogationis Jacobi, cum non sint justificatæ, *Rota coram Buratt. dec. 456. num. primo, & coram Bichio dec. 393. n. 12., & in rec. decis. 482. n. 18. p. 4. tom. 2., & in Crotonen. Beneficii 19. Martii 1698. §. Siquidem cor. R. P. D. meo Ansaldo.*

Et sanè non fuit ullo modo justificatum suppositum existentiæ litis cum defuncto, quæ hoc beneficium litigiosum efficere valuisset, & potius contrarium manifestè re-
3 sultat, ex quo lis fuerat terminata per tres sententias conformes, & cum taxatione expensarum usque de anno 1694., ut *in Sum. Petri n.15.*, itaut neque ab illis fuerit appellatum: & succumbens ad evitandam expensarum solutionem bonis cesserit, ut in eodem *sum. n.17.* Unde corruente fundamento gra-
4 tiæ, illa quoque corruere debet, *Paris. de resignat. lib. 2. quæst. 3. n. 17. Rota coràm Puteo dec. 318. num. 2. & in rec. dec. 42. num. 13. part. 9*

Imò quatenus aliquæ superextarent præcedentis litis reliquiæ, adhuc illæ prodesse non possent Jacobo Libert pro substinenda
5 ejus gratia, cum ipse nunquam litigaverit, nullumque Jus ad beneficium habuerit: quidquid secus dici posset si fuisset reportata à Paschasio, qui litem sublinuit, ut distinguendo firmavit *Rota coram Pamphil. dec. 125. num. 2. & 3., & in rec. dec. 91. n. 5. part. 17.*

Quamvis nec Paschasio, multoque minus Libert poterat lis prædicta ullum præbere
6 fomentum, cum esset injusta, & calumniosa, nam licet à principio Elias duas favorabiles sententias reportaverit, tamen illæ fuerunt postmodum revocatæ per alias tres conformes cum condemnatione ad expēsas, ut mox dictū fuit eo quia sub die 19. Julii 1684., quo fuit præsentatus à Patronis, nondum erat Clericalibus ordinibus insignitus, quos solùm de Mense Augusti subsequentis suscepit: quamobrem præsentatio remansit nul-
7 la, utpote cadens in Laicum, qui de jure ad Ecclesiasticum Beneficium præsentari non potest; *Vivian. de Jurepatr. lib. 6. cap. 1. n. 6., & 26. Rota post eumd. dec. 147. n. 4. Garz. de Benefic. part. 1. cap. 1. n. 31. & sequen. Rota coram Cels. dec. 364. n. 2.*

Nec superventus Clericatus, & alia nominatio reportata de Mense Septembris dicti anni ob nullitatem primæ quidquam
8 relevare possunt, Cum enim clericatus supervenerit, ut dictum fuit, de Mense Augusti, quando jàm comparuerat præsentatus ab aliis Patronis: & contestata reperiebatur lis inter hujusmodi præsentatos, adeòut ampliùs non esset locus novæ præsentationi in præjudicium Juris alteri quæsiti ob incapacitatem alterius compræsentati, *Text. in Cap. Dudum de elect. Rota coram Cavaler. dec. 231. n. 2., & coràm Dunoz. Sen. dec. 258. n. 2.* nec Patronis, qui priùs nulliter
9 præsentarunt, permissum erat variare, vel de novo præsentare, *ad Text. in cap. 1. & 2. ut lit. penden. in 6. Rota dec. 364. n. 3. coram Cels., & dec. 216. n. 7., & 8. part. 6. recent.*

Idque tantò fortius in præsenti procedit, ex quo fuit in Judicio nullitas
10 hujusmodi præsentationis recognita, dum Paschasius per tres Conformes succubuit, itaut per eas efformata fuerit res
11 judicata, quæ pro veritate habetur. *Rota coram Cels. dec. 240. n. 8., & dec. 283. n. 6, & in rec. dec. 465. n. 5. part. 19.* Maximè quia fuit approbata per Signaturam, & suum ef-
12 fectum sortita, dum Joannes D. Engis immissus extitit in possessionem Beneficii, in qua per plures annos pacificè continuavit.

Ex quibus omnibus deducitur etiam defectus justificationis Litterarum Apostolicarum quoad alia, quæ in iis fuerunt expressa, in illis enim leguntur nonnullæ clausulæ videlicet -- *Quatenus Elias resignans Beneficium obtineat, nec ulla lis super eo penderet, & Patronorum, aut illorum Majoris partis accedat consensus, & tempore datæ præsentium non sit alteri jus quæsitum* --, quæ dum nunquam verificatæ fuerunt, ex quo

Elias resignans Beneficium non obtinebat, sed illud à Joanne d' Engis, ut suprà dictum est possidebatur: nec unquam patronorum
13 consensus præstitus apparet, prout concludenter probari debuisset, itaut sola præsumptio ex lapsu temporis non sufficeret, *Rota coram Sa. Mem. Alex. VIII. dec. 223. n. 12., & in rec. dec. 152. n. 20. part. 5.*: Et de tempore resignationis erat jàm favore Joannis d' Engis quæsitum jus, & canonizatum per plures favorabiles sententias, inde sequitur, quod non verificatis omnibus conditionibus, a quibus gratia pendebat, nul-
14 lum Jus ex dicta provisione acquirere potuit Jacobus Libert: Et sic omni Jure destitutus nec litem justam incohare, nec sub-
15 rogationem gratiosam obtinere valuit. *Paris de resignat. lib. 2. quæst 4. per tot. Lotter de re benef. lib. 3. q. 13. n. 76. & seq. Rot. coram Bich. dec. 431. n. 7. & in Monasterien. præpositura 26. Junii 1702. §. minusq. coram R. P. D. Meo Ansaldo.*
Et ita utraque &c.

ROMANA ASSECURATIONIS.

Lunæ 4. Aprilis 1707.

ARGUMENTUM.

Agitur de satisfactione pro assecuratione Navis facta cum casus deprædationis evenerit. Examinatur cum ibidem adesset pactum reportandi, ut vulgò dicitur *il Passaporto*, de quo veniat intelligendum; & cum in forma specifica, ut prætendiur, non fuerit obtentum, declaratur non obesse: cum non obstante, quod fuerit Assecuratori ostensum, tamen postea apocam libere subscripsit; & cum etiamsi illud in eadem forma fuisset impetratum, à deprædando tamen Pyratas Signinos sub nullius vexillis militantes non avertisset (& incidenter quinam isti sint); & cum assecurationis illud causa non fuit.

SUMMARIUM.

1 *Stipulatio obligationis relevationis a quocumque adverso casu, per quem merces onustæ deperirent, cum navis depredata est commissa dicitur pro assecuratario, cujus favore relaxandum est mandatum executivum.*
2 *Proxenetæ fides attendi meretur.*
3 *In conditionibus adimplendis merum, & nundum factum attenditur, licet diversus sequatur juris effectus.*
4 *Obligatus salvum conductum reportare, si illud obtinuit, & præsentari fecit una cum apoca, quæ fuit ab alio contrahente subscripta, suæ satisfecit obligationi, & alius contrahens sibi imputet, si formam ejusdem postea non approbet, & quare?*
5 *Culpa unius alteri contrahenti non præjudicat, sed sibi.*
6 *Subscribens se alicui actui præsu mitur certionatus de illo, & approbare.*
7 *Prætendens Navis deprædationem ex alicujus omissione reportandi salvum conductum sub certa forma præscripta evenisse; debet negativam coarctare.*
8 *Negligentia, & inadimplementum non inducitur ex ommissa diligentia, quæ alias profutura non fuisset.*
9 *Deprædationis navis causa omissioni reportandi salvum conductum sub certa forma, cum tamen fuerit reportatum, tribuenda non videtur.*
10 *Maximè cum agitur de infestissimis Pyratis Signinis, qui sub nullius vexillo militant.*
11 *Et qui nulli reverentiam profitentur, & quorum insidiæ naufragio, & incendio æquiparantur.*
12 *Pyratæ non aliud quærunt, nisi ut in navigantes impetum faciant, & deprædentur.*
13 *Refectionem pro deprædatione ad formam pacti non amittit, qui neglexit salvum conductum sub certa forma reportare, cum illud obtinuit, quando illud assecurationis causa non fuit; nam sine illo, etiam cum minori pretio, fuit alias inita assecuratio.*

DECISIO CCCCLXXXI.

Navis nuncupatur *S. Marco, e S. Giuseppe*, frumentis onusta, fuit favore Leonardi Libri à Philippo Coppetellio, aliisque sociis consortibus usquè ad summam scutorum 2000. assecurata. Cùm autem casus deprædationis facta à Piratis Signinis evenerit, fuerunt ad solutionem conventi coram A. C, qui mantum executivum relaxavit; & Signatura ad eorum provocationem causam mihi commisit cum clausula *Sine præjudicio ad effectum deponendi*: factoque deposito per assecuratores ad formam Rescripti, examinandum dedi dubium — *An sit relaxandum mandatum executivum, & de consignando respectivè* quod in omnibus *affirmativè* resolutum fuit.

Posità namque conventione expressà in
1 apoca assecurationis relevandi Leonardum à quocumque adverso casu, per quem frumentum perire contigisset; indè sequitur, quod cum constiterit de navis deprædatione; commissa dici debeat stipulatio ejus favore: undè pro relevatione damni passi venit relaxandum mandatum executivum, & pro illius effectu mandatum de consignando summam in apoca conventam, & depositatam ex Rescripto Signaturæ Justitiæ; *Card. de Luc. de credit. disc. 106. n. 6. R. P. D. meus Ansaldus in suo tract. de Commerc. & Mercat. disc. 70. n. 1. Rot. cor. Priolo dec. 470. n. 2., & in rec. decis. 58. n. 5. part. 19., & in Romana assecurationis 20. Aprilis 1705. §. Et sanè cor. R. P. D. meo Priolo.*

Nec relevat, quod in apoca assecurationis expressum legatur pactum, quod ea fiebat pro frumento onerando in navi; *Con Passaporto del Signor Ambasciator Cesareo di Roma*: & iste non ostendatur; quoniam in contrarium probavit Leonardus, illum obtinuisse

2 se per organum proxenetæ; itaut de totale
adimplemento suæ promissionis dubitari non
possit; *Gomes. variar. resolut. tom.2. cap.10.
n.6. Torr. de pact. futur. success. lib.2. cap.36.
n.32., Rota dec.619 n.16. part.19. recent.*

Non attenta replicatione, quod ad hunc
effectum fuerint adductæ depositiones ejus-
dem proxenetæ, & alterius testis, qui solùm
testantur salvum conductum fuisse de illis
communibus, & vulgaribus, qui ad securi-
tatem viatorum efformantur impressi, non
autem de illis, qui requirebantur pro securi-
tate navis, quales sunt manuscripti, & in li-
bris secretariæ regillrati: inferendo exindè,
quod pacto in apoca convento non censeatur
satisfactum, cum assecuratores eidem con-
ventioni fidentes non de alio salvoconductu
intellexerint, quàm de eo, qui efficax exti-
tisset ad refrenandas piratarum molestias, &
invasiones, quod haberi non poterat ex alio
simplici, & quibuscumque viatoribus, & pe-
regrinis dari solito.

Pro removenda enim quacumque difficul-
tate adverterunt DD., quod apoca simplici-
ter loquebatur de salvoconductu, absque ul-
la individuatione specialis qualitatis: quam-
obrem restricta dici non potest obligatio
Leonardi potiùs ad unam, quàm ad alteram
speciem: & tradendo unum salvumcondu-
ctum, suæ dici debet complevisse obligatio-
ni, pactoque obtemperasse ex notissima re-
gula, quod in conditionibus adimplendis me-
3 rum, & nudum factum attenditur, licèt di-
versus sequatur juris effectus. Ad *Text. in L.
Qui hæredi l. Mævius 44. ff. de condit., & de-
mon. Ron. disput. Jur.42. n.17., Card. de Luc.
de Feud. disc.65. n.9. in fin., Rota dec.151. n.1.
& seq part.3., & decis.265. num.12. part 13.
recent.*

Fortiùs quia dictus salvusconductus consi-
gnatus fuit proxenetæ, qui assecurationis con-
tractum pertractavit, illumque asserit osten-
disse assecuratoribus unà cum apoca per eos-
4 dem subscribenda: indè enim resultat quod
cum illum sub propriis oculis habuerint, &
recognoverint, nec reclamaverint, dici de-
bet, quod vel de illo contenti, & satisfacti
erant, vel si illius formam, & qualitatem re-
cognoscere non curarunt, sibi ipsis imputent,
si nimium oscitanter contractum propria sub-
scriptione confirmarunt absque recognitione
salviconductus in apoca enunciati; *Rota cor.
bo. me. Emerix dec.1251. n.17. & seq.*

Aliàs sequeretur absurdum, quod negli-
gentia assecuratorum retorqueretur in dam-
5 num assecurati; qui cum diligens fuerit tra-
dendo salvumconductum proxenetæ, ut as-
securatoribus ostenderet, justè, & rationabi-
liter credere debuit illum recognitum, & ab
iisdem pro idoneo approbatum fuisse, dum
6 apocam absque ulla præservativa subscripse-
runt; semper enim urget præsumptio, quod
qui alicui actui se subscribit certiorari priùs
voluerit de omnibus eundem actum concer-
nentibus, *Cravet. cons.25. n.13. lib.1., Rocc.
disp. jur.148. n.20., Rota cor. Duran. dec.136.
n.6., & in Rec. dec.66 n.7. & seq. part.12.*

Confirmantur omnia, ex quo in præsenti per
assecuratores concludenter non justificatur,
quod ex causa non obtenti salviconductus
eo modo, & forma, prout ab ipsis deside-
7 tur; navis depredata fuerit, probando ne-
gativam coarctatam, ita, & taliter, ut si hu-
jusmodi salvusconductus manuscriptus, & in
secretaria Oratoris Cæsarei regillratus ad-
fuisset, piratæ navim prædictam deprædatu-
ri non fuissent. Alioquin si probabiliter credi
posset, quod idem evenisset etiam in casu
existentiæ salviconductus, manifestè sequi-
tur, quod assecuratores de inadimplemento,
& inobservantia ob non perfectam diligen-
8 tiam quæ aliàs profutura non fuisset, recla-
mantes non sint audiendi per *Text. in L. Pa-
ter dotem in prin. ff. de ratiab. Rom. cons.193.
n.2., Card. de Luc. de credit. disc.99. n.9. R.P.
D. meus Ansaldus in suo tract. de commerc.,
& mercat. disc.32. n.9., & disc.63. n.13., Rota
cor. Greg. dec.347. n.11.*

In præsenti autem casu probabiliter sem-
per credendum venit piratas non se retractu-
ros fuisse à deprædatione prædicta, etiamsi
9 navis prætenso salvoconductu munita fuisset,
cum non sit assignabilis ratio disparitatis in-
10 ter unam, & alteram speciem hujusmodi
cautionum; maximè quia agitur de piratis in-
festissimis, qui tanquam sub nullius vexillo
militantes adnotata per *R.P.D. meum An-
saldum in dict. tract. de commerc., & mercat.
disc.14. n.23.*, nulli reverentiam profitentur,
11 & illorum insidiæ naufragio, & incendio
æquiparantur, ad *Text. in L. in rebus ff. com-
modat. Rota Januen. dec.62. n.3., & dec.101.
12 n.1.*: nec aliud quærunt juxta illud Cicero-
nis, nisi ut in navigantes impetum faciant, &
deprædentur.

Tandem adverterunt DD., quod assecura-
tores nec probant, quod causa eorum obliga-
tionis fuerit securitas ex hoc salvoconductu
resultans, quinimò contrarium ex eorum fa-
cto deducitur.

Constat enim, quod alias naves, & fru-
13 menta ejusdem Leonardi assecurarunt nulla
habita mentione de dicto salvoconductu,
quamvis in illis minus præmium habuerint,
videlicet ad rationem sex pro centenario,
quàm in præsenti assecuratio facta fuit ad ra-
tionem septem. Non mirum itaque si illum
recognoscere neglexerunt, licèt penès pro-
xenetam existeret ex allegatis.

Et ita utraque, &c.

ROMANA EMPHYTEUSIS SUPER MELIORAMENTIS.

Lunæ 4. Aprilis 1707.

ARGUMENTUM

Habes in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Manutentio debetur in bonis emphyteuti-
cis, cum emphyteuta admissus fuit ad
dimis-*

dimissionem, refectis, melioramentis, quæ liquidata, & pretium depositum fuit.

2 *Liquidatio cum super ea plures discordantes factæ fuerunt peritiæ, fit per Rotam summas omnes a peritiis resultantes summandò, & repartiendo in tot partes æquales, quot sunt peritiæ; quæ pars congrua, & debita summa censetur.*

DECISIO CCCCLXXXII.

MOnasterium, & Monachi SS. Alexii, & Bonifacii Urbis in executionem Judicati R. P. D. mei Omanna demandantis solutionem scut. 780. per ipsos faciendam pro prætio melioramentorum factorum in Vinea aliàs per eos in emphyteusim concessa,& ad normam rei judicatæ Rotalis per Vannium dimissa, eamdem summam deposuerunt in Sacro Monte Pietatis, ac mandatum de manutenendo in d. Vinea reportarunt, à quo appellante Vannino coram Emo Caprara, illud denuò confirmatum remansit. Verum non acquiescens prædictis duobus contrariis Judicatis, iterum in tertia instantia causam mihi committi curavit, proposito que dubio-- *An mandatum de manutenendo sit confirmandum* -- Comparentibus tantùm Monachis, *affirmativè* resolutum fuit.

Mandatum namque de manutenendo undique validum, & justum recognitum fuit ex decisionibus in præcedentibus instantiis editis coram Eminentissimo Caprara. Cum enim Vannious admissus fuerit ad dimissio-
1 nem Vineæ, de qua agitur, refectis melioramentis liquidatis per nostrum Tribunal in scut. 780., quæ in contumaciam ejusdem depositata fuere, in necessariam consequentiam Monasterio prædicto Domino directo concedi debuit manutentio, *Rota cor. Bich. dec. 402. num. 1., & 2., & in rec. decis. 79. num. 3. p. 5., & in altera decisione præsentis causæ coram Emo Caprara sub die 15. Martii 1706. §. Cum enim.*

Nec quantitas dd. melioramentorum in prædicta summa taxata argui potest de excessu, quia cum super liquidatione tres prodierint Peritiæ inter se difformes, benè DD. ad evitandas inutiles expensas, & ne derur processus in infinitum, coacervatis insi-
2 mul omnibus summis in illis contentis tertiam partem constituentes, istam existimarunt esse congruam, & debitam quantitatem, quæ refici debuisset, *juxta theoricam Scilicet in L. Hac edictali C. de secundis nuptiis*, quam continuo probavit *Rota, ut in decis. 112. n. 17. p. 14., & decis. 114. n. 7., & seqq. parte 17. rec.*, & pienè firmatum fuit *in decisione hujus causæ cor. R. P. D. Omanna 26. Junii 1705. §. Cum itaque, & in altera Emi Capraræ 15. Martii 1706. §. Quoniam liquidatio*: Itaut proindè nequeat de ullo excessu, vel ipsiore quantitas liquidata redargui: præsertim cum tam in d. decisione R. P. D. mei Omanna, quam in altera brevi decisione coram Eminentissimo Caprara occasione expeditionis exarata compensatum fuerit totum id, super quo cadere poterat aliqua discrepantia.

Et ita altera &c.

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE CÆSARINIS.

Ven. 8. Aprilis 1707.

ARGUMENTUM.

Bonorum restitutio fideicommissario ab hærede gravati quomodo facienda fit de mobilibus, eum distinctione differitur, & etiam de fructibus extantibus, quando adest præceptum fideicommittentis dimittendi æs alienum ex fructibus.

In hac causa sunt decisiones omnes notatæ in 326., & infra dec. 573. cum duabus seqq. & decis. 591.

SUMMARIUM.

1 *Hæres cogi non potest ad restituendum bona, quæ ad suum auctorem non pervenerunt.*

2 *Descriptio contra describentem, ejusque hæredem probationem facit.*

3 *Mobilia fragilis materiæ, & quæ facile perire possunt, spatio 80. annorum consumpta præsumuntur, nec sunt restituenda, & n. 11.*

4 *Secus est de illis, quæ servando servari possunt, & quæ ista sint, nam ista non consumi dicuntur, sed veterascere, & talia qualia sunt restituenda.*

5 *Pro mobilibus argenteis, quæ in confuso extitisse constat, & quorum quantitas haberi facile potuisset ab eo, qui restituere tenetur, si libros exhiberet datur juramentum in litem.*

6 *Bona propria gravati non fideicommissi ab ejus hærede, fideicommissario non sunt restituenda.*

7 *Præceptum extinguendi debita ex fructibus bonorum fideicommissi cogit gravatum eidem parere, nec resolvitur in merum consilium, & quare?*

8 *Fructus bonorum fidecommissi extantes post mortem gravati ab ejus hærede sunt fideicommissario restituendi, quando adest præceptum extinguendi æs alienum ex fructibus, non attenta excusatione bonæ fidei.*

9 *Excusatio bonæ fidei non prodest gravato in perceptione fructuum, cum adest in contrariam lex fideicommissi extinguendi æs alienum ex ejus fructibus, quam servare promisit.*

10 *Sed ad summum dicta bona fides prodesset ad effectum vitandi restitutionem fructuum, qui jam fuerunt consumpti.*

DECISIO CCCCLXXXIII.

PRæter bona, quæ tanquam subiecta Primogenituræ Cæsarinæ obtinuit D. Ducissa Livia sibi adjudicari, institit ulterius coram Rev. D. meo Decano contra D. Princi-

pillam Cleriam hæredem ex Testamento Ducis Philippi ultimi possessoris prò restitutione plurium rerum, quæ tamen in die propositionis causæ fuerunt restrictæ ad quatuor species, & prima ad paramenta, gemmas, & argenta, alia quæ mobilia, secundo ad pecunias, quas in quantitate scut. 48.mil. Dux Philippus de tempore sui obitus reliquerat in Banco S. Spiritus, tertiò ad Animalia, & stylia Casalium, & quartò ad libros, & scripturas. Quibus omnibus examinatis reservata disputatione quoad quartam speciem, cum usque tunc temporis fuisset datum dubium super librorum traditione, & exhibitione, quoad reliqua responsum fuit nullum esse relaxandum mandatum, ut ex decisione edita die 11. Decembris 1699., & in illius sequelam lata sententia ab A. C., cui de voto nostri Tribunalis commissa fuerat. Postmodum verò in gradu appellationis coram me antequam assumeretur cognitio circà illius confirmationem, vel infirmationem, disputandum dedi dubium -- *An esset locus exhibitioni librorum* -- : eoque *affirmative* resoluto, D. Principissa Cleria liti cessit, & libros exhibuit. Verum quià non visa fuit sufficiens huiusmodi exhibitio, denuo disputatum extitit -- An constaret de sufficienti exhibitione librorum, itaut esset dandum juramentum in litem, pro qua censuerunt Domini necessarium esse recognoscere fundamenta sententiæ in alia instantia, ut supra lata: Ideoque cum in hodierna audientia alterum contemporaneè proposuerim super juramento in litem, de quo in alia decisione, quæsitum etiam fuit à me- *An Sententia A C. lata de voto Rotæ sit confirmanda*, vel *infirmanda*: Eamque DD *juxta sequentem modum infirmandam esse* censuerunt.

Quatenùs enim pertinet ad mobilia, processerunt cum distinctione, nam respectu illorum, quæ reperiebantur, vel de tempore conditi majoratus iuxta Inventarium confectum anno 1613., vel de tempore obitus Joannis Georgei juxtà aliud Inventarium anni 1635., existimarunt subsistere fundamenta decisionis editæ coram Rev. D. meo Decano, in qua Principissa Cleria ab illorum restitutione absoluta fuit, & signantèr ex quo à d. tempore anni 1613. usque ad diem captæ possessionis per Ducem Philippum immediatum auctorem plura potuerint alienari, & de facto probentur alienata, itaut
1 eum ad eumdem Ducem non pervenerint, nec pervenire potuerint, omnis ratio postulat, ut veniat illius hæres absolvenda, *juxta Consil. Bartol.* 239. *lib.* 1. *Rota decis.* 310. *n.* 6. *p.* 5. *rec.* cum aliis in præfata decisione.

Respectu verò illorum mobilium, quæ fuerunt reperta de tempore, quo Dux Philippus possessionem appræhendit, & in Inventario confecto anno 1665. descripsit, DD. in contrariam ivere sententiam, & in hac
2 parte pro infirmatione præcedentis Judicati respondenrunt, quia sicuti talis descriptio contra il um plenam probationem constitueret, ita idem operatur contra D. Principissam Cleriam illius hæredem, quæ tenetur ad restitutionem eorum, quæ in dicto inventario adnotata leguntur, & reperiuntur etiam descripta in præcedentibus Inventariis annorum 1613., & 1635., *Mascard. de probat. conclus.* 778. *n.* 2. *Spada consf.* 335. *n.* 8. *lib.* 2. *Rota coram Priolo dec.* 374. *n.* 2. *coram Cerro dec.* 272. *n.* 3. *coram S. me. Alex. VIII. dec.* 215. *n.* 8., *& in rec. dec.* 185. *n.* 11. *parte* 11.

Verum quia supradicta mobilia sunt diversæ naturæ, ideo DD. iterum subdistinguendo quoad ea, quæ sunt fragilis materiæ, & de facili perire possunt, confirmantes sententiam, censuerunt, quod attento lapsu
3 80. ferè annorum, qui intercesserunt ab anno 1613. usque ad annum 1675., quo Dux Philippus decessit, cum præsumantur consumpta D. Principissa Cleria ad illorum restitutionem minimè teneatur, *Bardellon. consf.* 135. *n.* 7., *& seqq. lib.* 2. *Peregrin. de fideic. art.* 10. *n.* 38. *Urceol. consult.* 20. *n.* 17. cum aliis cumulatis *in Romana Fideicommissi Mutii de Bubalo super mobilibus* 13. *Januarii* 1702. §. *distinguentes coram Rmo Conchen.*, & probat etiam *Decisio Illmi D. mei Decani* §. *Et licet*.

Quo verò ad alia, quæ sunt diversi gene-
4 ris, & speciei, non solum quia servando servari possunt, prout sunt paramenta sloserica aula, & picturæ, quæ appensæ in parietibus frequenti consumptioni non subsunt, sed etiam quia sunt solidioris materiæ, prout vasa ænea, gemmæ, & argenta, quibus non ita de facili temporis edacitas iniuriam infert, & possunt adhuc existere post cursum 100., & ultra annorum, quia eorum respectu consumptionis præsumptio non militat, & huiusmodi mobilium genera veterascere, non autem consumi dicantur: Ideo talia, qualia sunt D. Ducissæ Liviæ veniunt restituenda, *Castald consult. forens. tom* 2. *consult.* 223. *sub n.* 2. *Cirioc controv.* 16. *n.* 23. *Rota coram Priolo dec* 258. *n.* 11., *& in d. Romana fideicom. Mutii de Bubalo* §. *Distinguentes*.

At quia in sæpedicto Inventario anni 1665. præter argenta in quantitate certa librarum 88., quæ jam per D. Principissam Cleriam restituta fuerunt D. Ducissæ Liviæ; ulterius descripta leguntur nonnulla alia existentia in Palatio Cinthiani, quorum quantitas, & pondus relicta fuerunt in albo, ideo
5 tam ista, quam alia ibidem in confuso descripta censuerunt DD. esse restituenda, sed circa quantitatem, & pondus, quorum notitia de facili potuisset haberi, si fuissent exhibiti omnes libri; DD. existimarunt deferendum esse DD. Ducissæ Liviæ juramentum in litem, juxtà ea, quæ firmantur in alia mea contemporanea decisione.

Non tamen voluerunt admittere prætensionem, quod ipsi restituenda essent omnia argenta, quæ continentur in Inventario anni

ni 1685. facto per D. Principissam Cleriam de bonis hæreditariis Ducis Philippi ascendentia ad libras 1200., quia constitit ex documentis exhibitis præfatum Ducem cum propriis pecuniis emisse quamplurima argenta in summa scut. 8000., quæ ideo tan-
6 quam propria sui auctoris restitui non debent, *L. Cohæredi §. cum filiæ verf. fic nec fideic. ff. de vulgar., & pupillar. Rota cor. Greg. dec. 421. n. 4. coram Celf. decif. 187. & 287. utrobique n. 8. cor. S.me. Alex. VIII. dec. 195. n. 13., & in rec. decif. 259 num. 9. parte 2.*

Transeundo autem ad partitam scutorum 48. mil., quæ post obitum Ducis Philippi repertæ fuerunt ad ejus creditum in Banco S. Spiritus, DD. ponderato præcepto extinguendi debita Primogenituræ ab istius conditoribus iniuncto omnibus vocatis, cen-
7 suerunt, quod præfatus Dux Philippus teneretur fructus provenientes ex bonis Primogenituræ erogare in extinctionem æris alieni, quodque eorum dispositio utpotè respiciens commodum, & augumentum ipsius primogenituræ, resolvi non posset in merum consilium, sed esset obligatoria, *ad text in L. Si ita §. Pegafus ff. de legat. 2. Molin. de Primog. Hispan. lib. 2. cap. 14. n. 17. Antoliu. resol. forenf 100. n. 43.* Inte-
8 rentes exindè, quod si constaret partitam prædictam fuisse constituam ex fructibus dd. bonorum, illa foret in præsenti restituenda; non attenta excusatione bonæ fidei, de qua *in d. decisione Rmi D. mei Decani §. Porrò,*
9 cum illa vel non i. fragetur propter d. legem primogenituræ in contrarium, quam servare promisit, *Salgad. in Labirint. credit. p. 2 cap. 22. n. 11; Rota in Reatina Salviani 16. Junii 1714. §. Secundum cor. Rma*
10 *Conchen.*: vel posset ad summum prodesse ad effectum evitandi restitutionem fructuum, qui fuerunt consumpti, non autem eorum, qui adhuc existunt, *Cirocch difcept. 67. n. 9. Rota decif. 260. n. 21. p. 12., & dec. 95. n. 9., & 10. p. 13. rec.*

Hinc cum totum causæ momentum restringi visum fuerit etiam in præfata decisione Reverendissimi mei Decani ad probationem facti, an scilicet pecuniæ istæ extantes de tempore obitus Ducis Philippi proveniant ex fructibus Primogenituræ, vel potius ex redditibus bonorum patrimonialium ejusdem Ducis, nempe ex fructibus dotis maternæ, & ex aliis perceptis a Clericatu Cameræ, quo ipse condecorabatur ante successionem in Primogenitura, DD. libratis probationibus, quæ ad hunc effectum adducebantur pro resolutione, quoad hanc partitam se relativè habuerunt ad ea. quæ firmata sunt in altera decisione super juramento in litem, hodiè pariter editam.

Tandem circa alteram partitam animalium, & filiorum casalium, quorum restitutio quoque prætendebatur, cum illa pe-
11 rire potuerint: & illa spatio tanti temporis usu consumi, & nihil relevans ex parte D. Ducillæ Liviæ deductum fuerit, inhærentes DD. fundamentis decisionis editæ coram Reverendissimo D. meo Decano, pro confirmatione Sententiæ in hac parte etiam responderunt.

Et ita omnibus DD. suffragantibus juxta hunc modum Sententiam A.C. infirmandam esse, resolutum fuit utraque &c.

ROMANA PRIMOGENITURÆ
DE CÆSARINIS SUPER JURAMENTO IN LITEM.

Veneris 8. Aprilis 1707.

ARGUMENTUM.

Juramento in litem quando fit locus contra non integre exhibentem, & quæ requirantur. & dolus quomodo ad hunc effectum consideretur. Confirmatur deducta aliqua quantitate dec. 528. & 576.

In hac causa sunt decisiones in antecedenti indicatæ.

SUMMARIUM.

1 *Probatio contra exhibere nequeuntem, cum aliundè fieri non potest, adesse dicitur, quoties res petita non extat, nec oculis corporis inspicitur.*
2 *Actori contra exhibere debentem, & nequeuntem succurrendum est deferendo juramentum in litem.*
3 *Juramentum in litem, ut deferri possit, requiritur dolus, difficultas probationis, & certitudo crediti.*
4 *Dolus ex parte exhibere recusantis non adest, cum aliunde probatio haberi potest, vel creditum docetur extinctum.*
5 *Secus in diverso casu, quia tunc sufficit contumacia non parentis mandato Judicis exhibitionem demandantis.*
6 *Secreta domus cum non propalentur, eorum probatio haberi solùm potest ex libris domesticis.*
7 *Juramentum in litem contra exhibere recusantem admittitur; cum probationem ex libris ex circumstantiis tanto meliorem haberi posse convincitur.*
8 *Probatio, quæ incerta, & non tuta aliàs fieri potest non impedit quin detur juramentum in litem contra exhibere recusantem, & n. 10.*
9 *Exitus, & introitus familiarum secundum diversas domus, & temporum circumstantias mutatur.*
11 *Actori permissum est jurare quanti sua interest libros non exhibere, & reus ad summam juratam est condemnandus.*
12 *Declarat taxationem quantitatis pro qua jurandum est religioni Judicis remitti.*

DECISIO CCCCLXXXIV.

Non constare de integra & sufficienti exhibitione librorum responsum fuit coram me sub die 21. Junii præteriti: & quoad alteram dubii partem respicientem juramentum in litem delata resolutione rescriptum fuit, quod

quod caufa reproponeretur unà cum alio dubio -- *An fententia A.C. de voto Rotæ fit confirmanda, vel infirmanda* : -- cumque hodie (edita in decifione fuper ea parte refoluta) in obfequium mandatorum rotalium, dubium propofuerim fuper negocio principali, & pro infirmatione fententiæ ad tenorem contemporaneæ decifionis refponfum fuerit, quæfitum etiam extitit à me - *An fit locus juramento in litem, & pro qua fumma* : -- Et DD. *juramento* in litem *pro nunc pro fcut.*48.*mil. locum effe* cenfuerunt.

Etenim cum D.Principiffa Cleria ad formam rei judicatæ, quæ fuper exhibitione prodiit, libros in hæreditate Ducis Philippi repertos integrè non exhibuerit, ut firmat *d.mea decifio fub die* 21.*Januarii præteriti*;
1 exindè fequitur, quod ficut probatio facienda aliundè defumi non poteft: Ita ftante hujufmodi difficultate, quæ in odium non exhibentis adeffe dicitur, quoties res petita non extat, nec oculis corporeis infpicitur, ad tradita per *Parif.conf.*74.*n* 7.*lib.*1. *Riminald. jun.conf* 43.*n.*34., *Menoch.de arbitr.cafu* 208. *n.*2., *Mafcard.de probat concl.*935. *nu.*8., *Cyriac.contr*, 180.*n.*4., *Ridolphin.in prax.par.*3.
2 *cap.*2. *n.*171., fuccurrendum eft actori deferendo ei juramentum in litem, ad terminos *Text.in L.in actionibus ff.de in litem jurando l.*3. §.*Præterea ff.ad exhibendum, L. non ignorabit* 4.*C.eod.tit.*, *Menoch.de arbitr. lib.*2. *Cent.*3.*cafu* 207.*n.*19., *Cyriac.controv.*544. *n.*9.. *Ridolph.in prax p* 3.*cap.*2.*nu.*173., *Leotard.de ufuris q.*77.*nu.*12., *Rota poft Zacch. de oblig.Cameral,dec.*188.*n.*68., *& cor.Coccin.dec.*2092.*n.*8.

Non obftat, quod ad hoc, ut fit locus ju-
3 ramento in litem, tria concurrere debeant, nempè dolus, difficultas probationis. & certitudo crediti Quoniam & ifta non deficiunt
4 in præfenti; etenim refpectu doli, quidquid fit in aliis cafibus, & præfertim ubi actor aliundè probationes habere poffit; vel creditum doceatur fatisfactum, aut alio modo extinctum; & in quibus terminis procedunt quotquot auctoritates, quæ in contrarium allegabantur, & fignanter *decifiones editæ in Romana Pecuniaria fuper juramento in litem* 11.*Maii* 1699., *&* 4.*Junii* 1700.*cor.bon.me.Muto*. Hoc unum certum eft, quod ad effectum, de quo agitur, fufficit, quod con-
5 currat contumacia non parentis mandato Judicis, qui exhibitionem demandavit; *L.* 3. *Præterea ff.ad exhibendum L.*2. §. *Interdùm ff.de in litem Juran.Douell.in comment.jur. civil lib.*26.*cap.*8., *Plot.de in litem Juran. nu.*568., *Borell.contr.*23.*fub n.*2., *Mancin.de juram.part.*1.*art.*8.*n.*7., *Rota cor. Coccin. d.dec.*2092.*n.*8., & plenè diftinguendo cafus tradit *Phanucc.de jurejurand.in litem part.*2.*cap.*1. *num.*3.

Refpectu verò crediti, & difficultatis illud probandi, de eis fatis conftare vifum fuit, quia fi agitur de mobilibus, & argentis, jam illorum exiftentia habetur ex inventariis, & fignanter ex illo anni 1665. confecto per Ducem Philippum, fed cum plura argenta fuerint in confufo defcripta abfque adnotione quantitatis, & ponderis; remanet difficultas circà iftam probationem. Si verò agitur de partita depofiti fcut. 48. mil. quæ ad creditum præfati Ducis Philippi reperta fuerunt in æde nummularia S.Spiritus, creditum in genere pariter eft certum, quia juxtà legem primogenituræ debet ex refiduo omnium illorum fructuum perfolvi quodcumque æs alienum ejufdem primogenituræ, ut firmatur *in altera mea contemporanea decifione*, in qua refponfum fuit pro infirmatione fententiæ Rotalis; cumque etiam conftet, quod Dux Philippus cumulaverit ingentem fummam fcut. 48. mil., jam indè patet, quod etiam quoad ifta difficultas refidet in cognofcendo, an illa cumulata fuerit ex fructibus primogenituræ, five ex redditibus bonorum patrimonialium Ducis Philippi: quamobrem ut res quoad omnia hujufmodi credita poneretur in claris, d.Duciffa Livia, quæ ob deficientiam probationum fpecialium fuccubuit in alia inftantia, ut fibi eafdem probationes pararet, & oftenderet, quod provenirent ex redditibus primogenituræ, inftetit pro exhibitione librorum. Verùm quia ex illis per d.Principiffam Cleriam nuper exhibitis facti veritas haberi non poteft, quia fumunt initium ab anno 1574., & fe extendunt ufque ad annum 1634., nec percutiunt tempus, quo bona primogenialia fuerunt à Duce Philippo poffeffa, & alios libros eadem d. Principeffa exhibere detrectat; jam indè patet non folùm hic conftare de credito in genere, quod fatis effe plenè firmat *decifio edita coram Me fuper exhibitione librorum*, fed etiam de difficultate probationum, quæ ex dictis libris haberetur, cum fecreta domus non pa-
6 lam proferantur, nec illorum notitia aliundè defumi poffit, itaut proindè verificentur omnia, quæ requiruntur ad effectum deferendi juramentum in litem, ex allegatis.

Concurrente præfertim notabili circumftantia favore actricis, quod fcilicet Dux Philippus fucceffit in primogenitura anno 1665., & tamen pecuniæ cæperunt deponi per ipfum in banco S.Spiritus de anno 1677., & fic poft 12. annos à die captæ poffeffionis; undè aliqualis intrat præfumptio, quod ex effectibus ipfius primogenituræ proveniant. Maximè quia in pluribus partitis in eodem banco depofitis enunciatur, quod pecuniæ proveniunt ex herbis, frumento, & aliis introitibus primogenituræ; *fumm. & calculo d.Duciffæ Liviæ datis* 21.*Januarii* 1707.*n.*5. *lit.S.* Addito etiam, quod d. Dux Philippus clericatum Cameræ vendiderat de anno
7 1666., & fic non poteft allegari, quod pecuniæ ex illius fructibus proveniant; undè tantò melior probatio haberetur ex dd.libris, fi fuiffent exhibiti.

Minufque fuffragari potuit prætenfio, quod hujufmodi probatio defumi poffit ex libris ejufdem d. Duciffæ Liviæ; ex quibus valeat deprehendi, an attento redditu bonorum primo-

primogenituræ, & exitu correspondente,
omnibus oneribus, quæ habebat Dux Philip-
pus, potuerit ipse conflare d. summam scutor.
8 48.mil, quia cum talis probandi modus sit
valdè incertus, nec satis tutus, ex quo juxta
9 diversas domus indigentias, temporumque
varietates, diversi quoque soleant apparere
exitus, & introitus familiarum; ut passim ex-
perientia docet: propterea suppetente alio
modo magis certo, & tuto faciendi proba-
tionem mediante librorum inspectione, qui
tunc temporis à gravatis retinebantur, per
quam edoceri possumus, an reverà d. etiam
pecuniarum cumulus provenerit ex bonis
propriis spectantibus ad Ducem Philippum,
10 recurrendum non est ad alias probationes
minùs certas, & æquivocas; *Rot.cor.Cocc. dec.*
755 n.16. cor.Duran.dec.286.num.2., & dec.
394.n.2, & in rec. dec.30.n.6., & dec.208. n.
17.part.17., & dec.353.n.7.part.18.

Constito ex prædictis locum esse juramen-
to in litem, quoad secundam dubii partem
respicientem summam, pro qua jurandum
est; adverterunt DD. quod licèt actori per-
11 missum sit jurare in litem quantum sua in-
tersit libros exhiberi; & reus ad summam ju-
ratam condemnandus sit ex *dispositione text.*
in l.argentar. § Cum autem ff.de edendo Sa,
lices.in l.1.n.50. Cod.eod.tit., Paris.cons.41.
n.4.lib.1., Pacian.de probat,lib.1.q.66.n.143.
Caball.consil.civil.122.n.24.lib.2., Mans.con-
sul.396.n.9. & 10.; nihilominus quia Doctores
12 conveniunt, & magis tutum probant hujus-
modi taxationem religioni Judicis remitte-
re, qui libratis omnibus facti circumstantiis
ad eam procedat; ut præ cæteris *suadente*
dispositione text.in l.3, ff.ad exhibendum., &
l.2.ff.de in litem jurando, monent *Quæsada*
Pilo controv.forens.cap.24. n.47, Fontanell,
dec.300.n.9., R. P. D. meus Ansaldus in suo
tract.de Commerc. & Merc.disc.73. num.25.
Card.de Luc.de hæred.disc.20.n.14., & in rec.
dec.399. n.41. & 42.p.5. Propterea DD. exa-
minatis iis, quæ fuerunt deducta circa par-
ritas prædictas, existimarunt deferendum
esse juramentum in litem pro nunc pro sum-
ma scut.48.mil.

Et ita omnibus DD. suffragantibus respon-
sum fuit utraque.

FERRARIEN. DOMORUM.

Lunæ 11. Aprilis 1707.

ARGUMENTUM.

In renovationibus emphytheusis est solvendum, quod pactum ab initio, & observantia declaravit: etiamsi jus, & observantia generalis in contrarium starent. Constitutio Bonifacii IX. circa contractus emphytheutico Ferrarien. quid statuat declaratur.

SUMMARIUM.

1 *Conventionibus appositis in prima concessione emphyteusis standum est circa ejusdem renovationes, non attenta dispositione* L. fin. Cod. de jure emphyt.

2 *In renovationibus vigore d. legis solvendum foret ad rationem duorum pro centenario juxta valorem bonorum.*

3 *Beneplacitum Apostolicum ex lapsu 30. annorum intervenisse præsumitur in concessione emphyteusis inter Ecclesias, non obstante constitutione Urbani VIII., & quare?*

4 *Laudemium ex lapsu 100. annorum bis solutum in renovationibus in tot cereis, de quibus Dominus directus se contentum declaravit, validum certè est.*

5 *Centenariæ lapsus facit, ut allegari possit titulus melior de Mundo, quavis Apostolica auctoritate munitus.*

6 *In laudemiorum quantitate est servanda consuetudo antiqua.*

7 *Illatio ab uno ad alium casum fieri nequit.*

8 *Contractus diversi inter easdem partes cum diversis fieri solent conditionibus, & conditiones cujuslibet illorum sunt religiosè servandæ.*

9 *Conventio, & observantia specialis prævalet generali.*

10 *Præsertim in casibus non habentibus particularem legem.*

11 *Constitutio Bonifacii IX pro emphyteuticis contractibus Ferrarien. quid decernat solvendum in novis concessionibus, & quid in renovationibus.*

12 *Et probibet transitum eorum ad manus mortuas.*

DECISIO CCCCLXXXV.

Collegium Patrum Societatis Jesu Ferrariæ pro fundatione novæ Ecclesiæ usque ab anno 1573. reportavit a S. me. Gregorio XIII. indultum ad effectum emendi quasdam domos emphytheuticas spectantes ad Canonicos, & Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Ferrariæ, eoque utentes illas de facto emerunt de anno 1691., & in Instrumento desuper celebrato inter alia convenerunt quod concessio renovari deberet de 29. in 29. annis, & pro qualibet renovatione tradere deberent dd. Capitulo, & Canonicis libras viginti unam, ac uncias novem ceræ albæ, quod successivè pacificè occasione duarum renovationum interim factarum observatum fuit usque ad annum 1693., quo tempore Canonici prætendentes, quod Collegium pro qualibet renovatione solvere deberet vigesimam partem valoris domorum ad formam prescriptam in Bulla Bonifaciana, & juxta stylum, & consuetudinem Civitatis; Judicio contra Collegium instructo, ad hanc solutionem illud condemnari obtinuerunt. Appellavit Collegium ad A. C. cum protestatione suspensionis petitorii, sed ea non obstante super utroque ille processit, concedendo manutentionem Collegio prædicto in quasi possessione obtinendi renovationem cum solutione librarum 21., & unciarum novem ceræ albæ dumtaxat ad formam Instru-

ſtrumenti anni 1601. Hinc reclamantes Ca-
nonici, factaque prius ceſſione litis in poſ-
ſeſſorio, cauſam mihi ſupèr petitorio com-
mitti curarunt, propoſitoque de more du-
bio -- *An, & quomodo facienda ſit Inveſti-
tura, ſeu illius renovatio, & in qua ſumma
ſit ſolvendum Laudemium* -- licet illud ſub
die 8. Maii 1705. reſolutum non fuerit, ho-
diè DD. *Renovationem faciendam eſſe, ac
Laudemium eſſe ſolvendum juxtà conventa
in Inſtrumento anni* 1601. reſponderunt.

Quoad renovationem nulla fuit inter par-
tes controverſia, cum Canonici illam fa-
cere de 29. in 29. annos non detrectarent:
Quoverò ad ſolutionem laudemii funda-
mentum reſolutionis ſtetit in ipſa conventio-
ne inita in eadem prima conceſſione, per
quam dictum fuit, quod in qualibet reno-
vatione deberent tradi prædictæ libræ ceræ
1 albæ, quod eſt religiosè obſervandum, cum
in materia renovationum, ſicut etiam in aliis
unicè ſtandum ſit conventionibus in prima
conceſſione appoſitis circa quantitatem Lau-
demii ſolvendi, non attento, quod de jure
ex diſpoſitione L. fin. Cod. de Jur. emphy-
2 teut., vel alia particulari ſanctione veniret
præſtandum ad rationem duorum pro cen-
tenario juxtà valorem bonorum, *ad tradita
per Burg. de Laudem. p. 2. inſpect. 48. n. 3.
Fulgin. de jur. emphyt. tit. de Laudem. q. 15.
n. 1., & ſequ. Card. de Luc. de emphyt. diſ-
cur. 22. n 6., & ſeqq. Rota cor. Sa. mem.
Alex. VIII dec. 183. n. 21., & ſeqq., & in
Callien. Laudemii* 11. *Maii* 1703. *§. Quia
cum coram R. P. D. meo Kaunitz.*

Nec obſtat, quod pactum prædictum ro-
boratum non ſit beneplacito Apoſtolico.
Quoniam cum contractus initus ſit inter du-
as Eccleſias, ſatis eſſe videbatur lapſus 30.
3 annorum ad inducendam præſumptionem,
quod illud intervenerit: Non obſtante no-
tiſſima conſtitutione Urbani VIII.. Quia
iſto caſu ceſſat præſumptio uſurpationis, *Re-
ſa de execut. lit. Apoſtol. par prima cap. 4.
n. 298. Card. de Luc. de alienat., & contract.
probibit. diſc. primo n. 98. Rota in Avellina
ſeù nullius Præſtationum 29. Aprilis 1697.
§. Tum etiam, & 9. Maii 1698. §. Altera
coram Rmo Conchen.* Ulterius quoque ceſ-
ſare viſa fuit quælibet difficultas, ex quo in
præſenti nedum fluxerunt 30. anni, ſed
4 etiam obſervantia quaſi centenaria concur-
rit, cum per lapſum nonaginta, & ultra an-
norum, in quorum decurſu geminæ factæ
fuerunt renovationes: & in utraque capi-
tulum pro laudemio de prædictis libris
ceræ in conceſſione conventis ſe con-
tentum aſſeruit; quamobrem non ſolum
de validitate pacti prædicti dubitari non
poteſt, *ad text. in cap. de quarta, & in cap.
illud de preſcript. Rota coram Royas deciſ.
63. n. primo in fin., & cor. Emerix Jun.
dec. 281. n. 22., & dec. 307. n. 7., & in Ro-
mana Caſtri Orciani 16. Januarii 1679. §.
Immò adbuc coram Bourlemont.* Cum lap-
5 ſus tanti temporis operetur, ut Collegium
allegare poſſit omnem meliorem titulum de
mundo etiam ex cauſa oneroſa, & cum qua-
vis authoritate Sedis Apoſtolicæ celebra-
tum, & corroboratum, juxtà late deducta
in *Romana augmenti Dotis, & legatorum
4. Martii 1690. §. Quando non competat co-
ram R. P. D. meo Priolo, & in Giennen.
Juris mutandi 28. Junii 1702. § finali cor.
bo. me. Pio.* Verum etiam exindè deducitur
6 conſuetudo ſolvendi in d. quantitate, quam
etiam eſſe ſervandam in hiſcè caſibus tra-
dunt *Urceol. conſult. 56. num. 9., Card.
de Luc. de Paroch. diſc. 42. n. 4. Rota cor.
Seraph. dec. 1432. n. 4., & in Firmana an-
nuæ præſtationis 15. Junii 1705. §. omniſ-
que tollitur cor. Rmo D. meo Decano.*

Non relevante, quod Collegium de an-
no 1680. prò renovatione Inveſtituræ alia-
rum Domorum, quæ fuerant conceſſæ de
anno 1686. cum onere ſolvendi libras decem
ceræ, perſolverit deindè vigore novæ con-
ceſſionis ſcuta 25. monetæ. Etenim hoc eve-
nit, quia ità fuit inter partes conventum in
illo caſu, ità augendo per pactum quantita-
tem Laudemii in prima conceſſione præ-
ſcriptam. Quamobrem cum quoàd Domos de
quibus agitur, nihil fuerit innovatum, imo
ſemper obſervata antiqua conventio, nequit
7 ab uno caſu ad alium fieri illatio, *L. Papinia-
nus ff. de Minor. Rota coram Cerro dec. 126.
n. 10., & coram Buratt. dec. 423. n. 3., & in
recent. dec. 328. n. 17. part. 19.*, cum novum
non ſit, quod inter eaſdem perſonas fieri
8 valeant contractus cum diverſis conditio-
nibus: quodque conditiones à quolibet il-
larum religiosè ſervari debeant, *Rota in
Aſculana Beneficii 5. Martii 1700. §. Pari-
ter coram bo. me. Muto.*

Minus refert aſſerta conſuetudo genera-
lis ſolvendi in renovationibus eandem quan-
titatem, quæ in primis conceſſionibus ſolu-
ta fuit. Tùm quia ubi adeſt ſpecialis conven-
9 tio, & obſervantia, iſta prævalere debet
obſervantiæ generali præſertim in caſibus
non habentibus particularem legem, prout
hic, *Rota coram Bich. dec 452. n. 22., & in
rec. decis. 99. n. 9. part. 19* Tum quia nec dicta
10 generalis conſuetudo probatur: immò po-
tius excluditur ex atteſtationibus cauſidi-
corum, & Notariorum Ferrariæ contra-
rium aſſerentium, itaut tantominùs de ea
haberi debeat ratio.

Denique non adverſatur conſtitutio Bo-
nifacii Noni per Capitulum adducta, dum
11 illa demandat ſolutionem vigeſimæ partis
valoris bonorum in novis conceſſionibus
duntaxat non autem in renovationibus,
pro quibus Laudemium reſtringit ad obulos
viginti ſolum, ut ex illius lectura patet: &
12 licet iſta prohibeat tranſitum bonorum
Emphyteuticorum ad manus mortuas, ta-
men hoc præjudicare non valet Collegio,
quià acquiſitiones ab eodem factæ fuerunt
prævio indulto S: Me. Gregorii XIII. dic-
tæ conſtitutionis Bonifacianæ derogantis.

Et ita utraque &c.

LE-

LEODIEN. SEU AQUISGRANEN. CANONICATUS.
Veneris 6. Maii 1707.

ARGUMENTUM.
Statutum perhibens ne in Ecclesia filii legitimi ab illegitimo parente descendentes beneficia consequantur, est contra jus, & quamvis validum foret pro Ecclesia; provisos a Papa non comprehendit, etiamsi fuerit a Sede Apostolica confirmatum. Confirmatur infra dec....

SUMMARIUM.
1 *Validitas sententiæ resultat ex revolutione actorum.*
2 *Restitutio in integrum non concurrente læsione in præcedenti judicato non conceditur.*
3 *Beneficia consequi de jure non prohibetur natus ex legitimo matrimonio, quamvis ex patre illegitimo descendat.*
4 *Illegitimitas patris non tollit ejus legitimo filio ea quæ proprio jure, & ex propria persona consequi valet.*
5 *Statutum contra juris dispositionem a summo Pontifice non approbatum non meretur attendi.*
6 *Capitulum de per se contra leges Apostolicas disponere non potest.*
7 *Satutum validum factum a capitulo collationes Apostolicas non comprehendit, sed solum illas factas a Capitulo.*
8 *Papa in Beneficiorum collatione sibi reservatorum, & in ejus provisis nemo potest legem imponere.*
9 *Papa confirmando statutum ab eis in illo contentis sibi, suisque successioribus manus ligari noluisse præsumitur, legemque imponi.*
10 *Consuetudo contra jus in qualitatibus admittendorum ad beneficia in casu præciso cum omnibus requisitis probari debet.*

DECISIO CCCCLXXXVI.

NOn acquiescens capitulum Nobilissimæ, & celeberrimæ Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ Virginis Aquisgranæ sententiis latis in nostro Tribunali adjudicantibus canonicatum dictæ Ecclesiæ Jacobo Fibus de eo ab Apostolica Sede proviso, unà cum subsecuta declaratoria ob non paritionem lata, recursum habuit ad signaturam Gratiæ, à qua novam commissionem reportavit cum clausula *de causis restitutionis in integrum suspensis censuris* mihi directam, quam in præsenti audientia Jacobo tantuminformante, & capitulo licèt pluries lacessito, diùque expectato, & comparere detrectante, disceptandum dedi dubium descripto conforme, quod *negativè* resolutum fuit.

Constitit namque de validitate sententiarum, cum ex revolutione processus con-
1 stet fuisse servata omnia ad hunc effectum necessaria, juxta famigeratam *decis.* 260.*par.2.coram Verall.* Illarumque justitia satis superque resultare visa fuit ex rationibus examinatis in pluribus Decisionibus æditis coram Rmo D.Meo Decano, & RR. DD. Meis Priolo, & Scotto dictas sententias præcedentibus, adversus quas cum nihil deducatur ad probandam læsionem, utique ista cessante, cessat quodlibet funda-
2 mentum pro obtinenda restitutione in integrum, cum illa sinè læsione non concedatur, *Rota coràm Emerix Jun. dec.*1242.*n.* 1., *& in rec.dec.*294.*n.*1., *&* 2.*p.*19.

Nec obstare posset aliàs deducta incapacitas Jacobi, ex quo ipse ortum habuerit à Patre illegitimo: Ideoq; cum ipsi repugnent dispositio particularis statuti dictæ Ecclesiæ, & consuetudo ejusdem, nequeat ad controversum canonicatum admitti. Quoniam cum Statutum adversetur dispositioni
3 juris, juxta quam non prohibetur is, qui ex legitimo Matrimonio natus est assequi beneficia, quamvis ex Patre illegitimo descen-
4 dat, cum hoc non tollat ea, quæ proprio Jure, & ex propria persona consequi valet, *Lotter. de re benefic. lib.*2.*quæst.*48. *num.*7. *Gonzal.ad regul.*8.*cancell.gloss.*5. *num.*118. *Pax. Jord.var.elucub.tom.*2. *lib.*10.*tit.*19. *n.*18.*Rot.dec.*45.*n.*6. *post. Vivian.de Jurepatron.* Nec docetur, quod à Summo Pontifice confirmatum fuerit: & sic tanquam
5 nullum non meretur attendi, ex notissimis regulis, juxtà quas certum est, non posse
6 Capitulum de per se contra leges, & constitutiones Apostolicas disponere, *Cap.dilectus de tempor. ordinat. Oldrad cons.*259.*n.* 6.*Frideric.de Sen. cons.*17.*per tot.Rot. dec.* 319.*n.*29., *& dec.*333.*n.*25.*part.*11.*rec.*, & hæc adeò vera sunt, ut ubi etiam posset
7 præsumi validitas statuti, tamen non posset compræhendere provisos Apostolicos, prout est Jacobus, sed illius dispositio restringi deberet ad Collationes ab ipso Capitulo duntaxat faciendas, tum quia nemo habet facultatem imponendi legem Papæ in Col-
8 lationibus Beneficiorum sibi reservatorum, ejusque provisos comprahendendi, *per Text.in cap.cum inferior de major.,& obed. Amayden.de stylo Dataria lib.*1. *cap.*15. §. 3.*n.*4., *& dec.*375.*per tot. part.*4. *tom.*1.*rec.* Tum quia ipsamet confirmatio Apostolica in hisce casibus numquam operatur, ut pos-
9 sint ex ea rejici illius provisiones, quia non præsumuntur sibi, suisque successoribus ligare voluisse manus, & sibilegem imponere, *Cephal.cons.*155.*n.*14.*Rot.dec.*630.*n.*11., *&* 12.*part.*4.*to.*3.,*& dec.*127.*part.*9. *recent.* & probant *omnesdecisiones editæ in hac causa.*

Minusque attendi valet asserta consuetudo, cum numquam probata fuerit, prout ne-
10 cesse erat in casu præciso cum omnibus suis circumstantiis, ut indè cesset etiam prætensæ subreptionis exceptio, ut benè firmat *Decisio Rmi D.mei Decani.*

Et ità approbando in reliquis fundamenta præcedentium Decisionum Jacobo tantum informante resolutum fuit.

PERUSINA FIDEICOMMISSI.

Ven. 6. Maii 1707.

ARGUMENTUM.
Habes in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Sententia transit in judicatum, cum intra legitima tempora non fuerit appellatum.*

2 *Neque restitutioni in integrum locus est, cum est valida, & justa.*

3 *Immissio rectè conceditur vocato, qui impositas conditiones adimplet.*

4 *Filius renuens acceptare onera in testamento imposita solùm consequitur legitimam sine ullo gravamine de jure debitam.*

5 *Legitima etiam non agnita ad quoscumque haredes transmittitur.*

7 *Descendentes cujuscumque sexus aequaliter admittuntur ad fideicommissum cum masculi non fuerunt praedilecti.*

6 *Etiamsi ab initio scripti fuerint haredes filii masculi, cum in substitutione, da quaquaritur, generaliter, & indistinctè descendentes fuerunt vocati.*

8 *Et cum de qualitate masculinitatis, vel conservatione agnationis imentio facta non apparet.*

DECISIO CCCCLXXXVII.

Vespasianus de Massariis institutis haredibus Hieronymo, Joanne Angelico, Joanne Paulo, ac Carolo Antonio filiis, quibus substituit proprios eorum filios ordinando fideicommissum cum lege, quod illud acceptare volentes eidem subjicere debeant suas legitimas, ac omnia bona materna, & quascumque acquisitiones per ipsos factas, & faciendas. Ex praedictis haredibus cum sua prole defunctis, soli Thomas, & Joseph filii Joannis Angelici bona fideicommissi occuparunt posthabitis caeteris filiis, & descendentibus aliorum primorum Æredum: Quapropter coram A. C. Judicium instaurarunt tàm Juditha uti descendens à Hieronymo pro Immissione in bonis fideicommissariis, quàm Francisca Joannis Pauli filia pro legitima Patri dictum fideicommissum non acceptanti debita, & mandatum obtinuerunt: reportataque deindè (ob non interpositam appellationem in tempore) per Josephum, & Joannem Thomam de Massariis commissione appellationis in gradu restitutionis in integrum, mihique directa, in hodierna audientia comparentibus dumtaxat Juditta, & Francisca, disceptandum dedi dubium -- An constet de Causis, seù potiùs de re Judicata -- & DD. non constare de Causis favore Informantium responderunt.

Cùm enim à sententia A. C. intrà tempus ad
1 appellandum designatum non fuerit appellatum, indè sequitur illam transitum fecisse in Judicatum, *Text. in cap. Romana §. Si verò de appellat. Rota dec. 492. n. 2. coram Gregor., & in rec dec. 356. part. 4. num. 1.*
2 Absque eo quod sit locus restitutioni in integrum attenta validitate & Justitia; *Rota coram Emerix Jun. dec. 1242. n. 1., & in Rec. dec. 294. n. 1., & 2. par. 19.*

Validitas namque ex actis, justitia verò, ex Testamento Vespasiani satis resultare visa fuit, in quo vocantur descendentes suorum filiorum primo loco institutorum sub ea conditione, quod acceptando suum fideicommissum omnia sua bona illi per publicum instrumentum supponere debeant: undè cum Judiths descendat ex ?dd. filiis: & conditionem religiosè adimpleverit, rectè eidem
3 concessa fuit Immissio *Vig. Leg. fin. Cod. de edict. div. Adrian. tollen.*: ac benè quoque concessa extitit Immissio Franciscae pro rata legitimae sibi debitae ex persona Joannis Pauli Testatoris filii dictum fideicommissum non acceptantis, cum ille renuens acceptare
4 onera in testamento imposita, possit solùm consequi legitimam praedictam absque ullo gravamine de Jure debitam & ad quoscunq;
5 haredes etiam non agnitam transmittere; *Merlin. de legit. lib. 6. tit. 2. quaest. 20. n. 10. Rota coram Emerix Jun. dec. 185. n. 14., & in Romana legitimae 23. Januarii 1702. §. Nihilominùs coram R. P. D. meo Ansaldo.*

Nec adversus Judittham opponi posset, quod ipsa tanquam faemina censeatur stantibus masculis exclusa. Quoniam cum fuerint à testatore vocati filii, eorumque descendentes, & posteri in infinitum; jam indè pa-
6 tet, quod in concursu faeminarum masculos non praedilexerit: & per consequens omnes descendentes cujuscumque sexus aequaliter ad participationem dicti fideicommissi debent admitti; *Fusar. de substit. quaest. 327. n. 1. Card. de Luc. de Fideicomm. disc. 232. num. 5. Rota coram Merlin. dec. 464. n. 13., & in rec. dec. 308. n. 4. par. 14.*

Absque eo quod juvet replicatio, quod à principio fuerint scripti haredes filii Mascu-
7 li. Qui dum in substitutione vocavit filios, & descendentes nasci turos ex filio praemortuo generaliter, & indistinctè nulla expres-
8 sa qualitate masculinitatis, nec in ulla alia parte testamenti indicata voluntate conservandi agnationem, cessat quaelibet difficultas, & bona etiam ad faeminas in generali expressione conprehensas transire possunt; ex suprà allegatis.

Et ita, altera tantum &c.

EUGUBINA FIDEICOMMISSI.

Luna 9. Maii 1707.

AAGUMENTUM.

Recessus a *consil. 21. Oldradi* non suadetur à ratione conservandi bona in familia, quando stat consecutive, & relativè ad casus expressos, à quibus ad diversos illatio fieri non potest. Gravamen relictum etiam servata *cautela Soccini*, & haereditate à filio minore fine

sine præservatione adita sine solemnitatibus, & decreto Judicis non impedit, quin iste, & ejus hæredes onus renunciare possint, Confirmatur infra dec. 553.

SUMMARIUM.

1 *Institutio facta sub conditione -- Sine filiis-- illis superstitibus, regulariter expirat ad* consl. 21. Oldradi.

2 *Receditur quoties argumenta, & conjecturæ concurrunt convincentes volitam extensionem fideicommissi extra dictum casum.*

3 *Præsertim cum agitur de testamento ascendentis.*

4 *Declara pro suadendo recessu a* consil. 21. Oldradi *non admitti quascumque conjecturas, sed illas dumtaxat, quæ sunt univocæ, & aliquo modo concludunt.*

5 *Conjecturæ, quarum multæ enumerantur desumptæ ex dispositione ordinata ad commodum filiorum, & descendentium ab herede, & quoteunt iste decederet cum filiis, non possunt in diversam casum extendi.*

6 *Fideicommissum in uno casu proximioribus appositum esse, non est novum in altero non adesse.*

7 *Conjecturæ potissimæ pro recessu a* conf. 21. Old. adi, *sunt conservatio agnationis, & digressus ad plures gradus substitutionum.*

8 *Votum agnationis excluditur ex quo filii in conditione positi fuerunt sine qualitate masculinitatis, & sic masculi, & feminæ.*

9 *Et si post obitum filii instituti sine filiis suas filios fœminas vocavit testator.*

10 *Ratio conservandi bona in familia tunc valet prorogare fideicommissum ad casus non expressos, quando in testamento de per se posita legitur.*

11 *Secus cum est posita consecutivè, & relativè ad casus expressos.*

12 *Ratio substitutionis facta favore collateralium in uno casu præciso, non potest producere virtuolem eorum vocationem extra casum expressum.*

14 *Ab exclusione filiarum monialium, feminorum comprehensio induci non potest.*

15 *Votum Testatoris respiciens filios, & descendentes ipsius referri debet ad casus, & conditiones dumtaxat expressas, non autem ad personas, quarum expressa exclusia demandatur, ad celebre* consil. Dec. 636.

16 *Actor ab immissione repellitur exceptione fideicommissum de re non loquitur.*

Fideicommissum relictum a testatore super bonis propriis hæredis, quodillum acceptasse, aut aquivalens emolumentum relictum non constat, robur non habet.

17 *Acceptatio hæredis, & æquivalens emolumentum in fideicommisso super ejus bonis ordinato, probatur, si sit factum servata Cautela Soccini, & hæreditatem adiverit sine ulla jurium præservatione.*

18 *Limita cum hæreditatis aditio facta est à minore sine decreto Judicis, & solemnitatibus: quia tunc testatoris talem dispositionem non revalidat.*

19 *Nec præjudicat primo instituto & ejus hæredibus, quibus licitum est impugnare gravamen in bonis propriis injunctum.*

DECISIO CCCCLXXXVIII.

Decessit Marcus Antonius Janninus, & in ejus testamento, prælegata congrua dote sct. 2500. monetæ Urbini Lucretiæ, & Catharinæ filiabus pro earum qualibet, universalem sibi scripsit hæredem Thomam ejus filium; quo moriente quandocumque sinè filiis legitimis, & naturalibus, substituit vulgariter, pupillariter, & per fidicommissum easdem Lucretiam, & Catharinam æquis portionibus: & subindè disposuit, quod Thomas hæres scriptus fideicommisso supponeret dotem ejus Matris absque ulla detractione Legitimæ; & Trebellianicæ; eumque si recusaret id adimplere, in sola legitima instituit, vocando in reliquis bonis Lucretiam, & Catharinam filias, quatenùs moniales non essent, earumque filios, & in ipsarum defectû, vel Monacatione Hieronymum, aliosqs fratres, & nepotes.

Post testatorem immediatè decessit Thomas ætate minori relicta ex se Rosa Maria unica filia, quæ cum etiam obiisset in pupillari ætate; orta fuit contentio inter Marism Hortentiam Levateliam viduam relictam d. Thomæ uxorem, & respectivè Matrem præfatæ Mariæ Rosæ prætendentem, quod eadem bona tanquam effecta de hæreditate filiæ defunctæ ad ipsam uti proximiorem spectarent, & prædictas Lucretiam, & Catharinam testatoris filias prætendentes, quod succesio vigore prænarrati fideicommissi per earum Patrem prærodinati ad ipsas sinè dubio deberetur: Quapropter introducto judicio in Curia Legationis Urbini ad istarum instantiam super immissione ad controversa bona, duplex prodiit sententia favore d. Mariæ Hortentiæ, super sola tamen manutentione. Sed provocantibus dd. sororibus A.C. hic Immissionem eisdem concessit tàm ad bona Marci Antonii testatoris, quàm ad illa Victoriæ Matris: devolutaque Causa ad nostrum Tribunal, nec sub die 16. Aprilis coram Emo Caprara, nec sub die 14. Maii superioris Anni coram Me in illius locum suffecto ulla capta fuit resolutio: sed in secunda propositione demandatum, quod viderent quiutus, & sextus ex DD. Cum autem hodiè iterùm proposuerim dubium -- *An sit danda Immissio*-- *DD. negativè responderunt.*

Etenim cum sorores prædictæ legantur solùm per testatorem vocatæ sub ea conditione, quatenùs Thomas sinè filiis obiret, eo ipso, quod iste decessit relicta Rosa Maria 1 filia; exindè sequitur, quod Fideicommissum earum favore ordinatùm expiraverit: & bona ad statum libertatis regressa fuerunt, juxtà *vulgatum Consilium* 21. *Oldradi* communiter receptum, & tradunt *Peregr. de fideicomm. art.* 29. *n.* 29. *Urceol. consult.* 81. *n.* 6. *Rot. cor. Cerr. decis.* 442. *n.* 1. *& coram Celso dec.* 335. *n.* 12.

Et quamvis 'ab ista regula recedatur, quoties concurrant argumenta, & conjecturæ
2 suadentes volitam fuisse extensionem fideicommissi extra casum prædictum; præsertim quoties, ut hic agitur de testamento, & dispositione ascendentis; juxta plures aucto-
3 ritates, quæ in contrarium allegabantur. Attamen in præsenti visum fuit, non concurrere tot, ac tantas, ex quibus posset recedi à regula, & à dicto Consilio Oldradi: cum soleant in hac materia Doctores admittere quidem conjecturas, sed non omnes ità generaliter, & indefinitè, sed illas dumtaxat, quæ sunt univocæ, & aliquo modo conclu-
4 dunt, ut distinguendo casum à casu pro norma decidendi distinguit *Card. de Luc. de fideicom. disc. 32. n.6. Rota coram Merlin. dec. 269. n.3. & in rec. dec. 18. par.8. & aliis adductis firmatum fuit in Lauretana Fideicommissi 6. Martii 1702. §. supposito coram Me.*

Accedendo igitur ad cognitionem eorum omnium, quæ incontrarium afferebantur; DD posito ad partes examine illarum conjecturarum, quæ deducebantur ex prohibitione Legitimæ, & trebellianicæ, nec non ex clausula vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum, atque ex alia Clausula in stirpes, & non in capita. Ex onere apposito etiam super bonis propriis hæreditariis, ac tandem ex qualitate fideicommissi realis, aliisque similibus, cum omnes unica responsione submoveantur: & nimis debiles appa-
5 reant; quia scilicet tanquam ordinatæ ad commodum filiorum, & descendentium ab ipso hærede, & quatenùs iste decederet cum filiis; non possunt ad diversum casum extendi. Nec est novum, quod fideicommissi gra-
6 vamen in uno casu adjectum sit proximioribus; in altero verò bona remaneant libera; *Ganaver. cons. 1. n.62. Rodulphin. alleg.4. n.8. cum aliis in dicta Lauretana Fideicommissi §. Minus tertio coram Me.*

Tota difficultas reduci videbatur ad illas
7 geminas conjecturas, quæ considerari solent tanquam potissimæ, videlicet conservatio agnationis, & digressus ad plures gradus substitutionum, quas hic concurrere conabantur probare scribentes pro Sororibus; sed neutram verificari attentè rimato toto testamenti contextu, DD. censuerunt.

Quatenus enim fermo est de conservatione agnationis, ista remanebat exclusa, ex
8 quo filii fuerunt in conditione positi sine qualitate masculinitatis, & sic masculi, & fœminæ sunt æqualiter comprehensæ, ut ad rem observant *Odd. cons. 44. nu. 27. Cafanat. conf. 4. num. 205., & conf. 25. n. 4. Castil. de conject. ultim. volunt. lib. 5. cap. 92. n. 15. Rota coram Peutiug. dec. 258. n.6., & 9., & in rec. dec. 274. n. 30., & seqq. p. 18.* Imo non tantum ex dispositione juris sunt comprehensæ fœminæ, sed etiam ex ipsa voluntate expressa Testatoris

Ipse enim post obitum Thomæ sinè filiis
9 vocavit suas filias fœminas, per quas votum agnationis remanet prorsus exclusum, *Card. de Luc. de fideicom disc. 70. n. 11. Rota cor. Dunoz. jun. dec.30. n. 10., & dec. 648. n.23. in rec. dec. 11. n. 12. part. 13., & in Tiburtina Fideicom. 8 Februarii 1706. §. Utique cor. R. P. D. Ansaldo.*

Non obstat, quod ex post in aliquibus ejusdem testamenti partibus Testator expressiserit votum conservandi agnationem, & signanter in illis verbis -- *perchè bramo, e desidero, che li miei beni passino nelli miei figlioli, e descendenti, e in loro mancanza si conservino nella famiglia Giannina* -- Quia tunc ratio conservandi bona in familia valet
10 fideicommissum extendere ad casus non expressos, quando in testamento legitur posita de per se, & absolutè. At cum in præsenti vila fuerit consecutivè posita, & rela-
11 tivè ad casum obitus hæredis sine filiis, nequit ullum fideicommissum perpetuum inducere favore dd. Sororum, aliorumque descendentium ipsius Testatoris, *ad text. in l. Pater 36. §. fundum ff. de legat. 2. Odd. de fideicom. quest. 12. n. 174., Caren. resol. 605. n. 13. Palm. jun. alleg. 80. n. 40. Rota dec. 40. n. 5. parte prima, & dec 308. n. 7. p. 5. dec. 8. num. 5. p 7. rec. cor. Duran. dec. 126. n. 6. cor. Cerro dec. 325. n. 23., & coram Seraph. dec. 883. n. 4.*

Multoque minus ex aliis verbis, quibus usus fuit idem Testator in exclusione Monialium, ubi post expressam rationem, quod ipse ita non disposuerat propter odium contra monasteria expressit ibi -- *se al tempo della morte di Tomaso senza figli dette mie figlie fussero Monache, s'intendano affatto escluse dalla mia eredità, e in tal caso nè Monastero, o Monasterii, ove si trovassero monacate non possano pretendere Jus, o ragione alcuna, sostituendo in tal caso Giralamo, e Giuseppe miei fratelli &c., e li miei Nepoti, e questo non per odio, che io tenga a' detti Monasterii, ma perchè bramo, e desidero, che li miei beni passino ne' miei figli, e descendenti, e in loro mancanza si conservino nella famiglia Giannini* --. Quoniam cum testator gradum substitutionis ordina-
12 verit favore collateralium in solo casu, quo ejus filiæ effectæ fuissent Moniales ibi - *e in tal caso di monacazione* --, Sicut tota substitutio d. præcisum casum trascendere nequit, ita ratio earum exclusionis - *che i miei beni passino ne' miei figli e descendenti* -- non potest producere virtualem ipsorum vocationem, vel eorum filiorum, tum quia positi-
13 vè excludantur: & ideo non potest ab earum exclusione induci comprehensio fœminarum: Tum quia tanquam Moniales capaces non fuissent habendi prolem, ideoque
14 votum respiciens in hac parte dd. filios, & descendentes Testatoris, per necesse referri debet ad casus, & conditiones dumtaxàt expressos, non autem ad eas personas, quarum expressa exclusio demandatur, *ad celebre consilium Decii. 636.* comuniter approbatum, *Fusar. de subst. quæst. 688. num. 36.* Ur-

Urceol consult forens. cap. 96. n. 13. Mans. consult. 22. sub n. 2. tom. 9. de legat. Rota apud Seraphin. dec. 492. n. 3., & dec. 883. n 45., & decis. 24. n. 7. p. 4. tom. 2. decis. 632. n. 9. p. 4. tom. 3., & dec. 368. n. 7. p. 6. & dec. 16. sub. n. 5. p. 7. rec.

Atque ex his facile fuit denegare immissionem ad bona dotalia Victoriæ communis Matris subiectis fideicommisso per Marcum Antonium Patrem, vel quia illud legitur ordinarum ad commodum filiorum & descendentium ab ipso Thoma, de quo genere
15 cum non sint dd. Sorores, repellendæ sunt exceptione, quod fideicommissum de eis non loquitur, *Soccin. sen. cons. 185. n. 3. lib. 2. Rot. cor. Seraph. dec. 1023. n. 1., & cor.*
16 *Millin. dec. 373. n. 13.* Vel quia cum bona prædicta libere spectarent ad Thomam, nec constet istum acceptasse gravamen à Testatore appositum supèr eisdem bonis, minusque fuisse relictum emolumentum æquivalens gravamini, fideicommissum super eis ordinatum nullius remanet efficaciæ, *de Luc. de fideicom. disc. 33. n. 23., & disc. 59. n. 5. Rota coram Coccin. dec. 1507. n. 31., & in Romana immissionis 7. Maii 1706: §. vel quod coram R. P. D. meo Caffarello.*

Non relevante responsione, quod acceptario hæredis, & æquivalentia emolumenti
17 abunde resultat ex eo, quod Testator gravavit hæredem in bonis propriis servata cauthela Soccini; & ipse hæreditatem adiverit sine ulla jurium præservatione. Quoniam cum usque adhuc de tali hæreditatis aditione nullum fuerit exhibitum documentum, & positivè negetur, quatenus etiam adesse posset tanquam actus gestus a d. Thoma hæ-
18 rede, qui decessit in minori ętate sinè solemnitatibus, & decreto Judicis, revalidare nequit dispositionem Testatoris, minusque
19 prejudicium inferre primo instituto, ejusque hæredibus, quibus ideo licitum est impugnare gravamen in bonis propriis iniunctum, *ad notata per Castrens. in L. mutum n. 8. ff. de acquir. hæredit. Ciroc. discept at. n. 63. Rota coram Celso dec. 129. n. 4., & cor. Merlin. dec. 857. n. 7. 8.*

Et ita utraque &c.

SORANA DIVISIONIS SUPER REMISSORIA.

Veneris 13. Maii 1707.

ARGUMENTUM

Remissoria in profanis, & initio litis concurrente relevantia materiæ articulatæ, & probationis fumo, non negatur. Redditio rationis non debetur cum probata remanet communio, & promiscua bonorum administratio inter eamdem prætendentes.

Est in hac causa super divisione dec. 232. tom. 1. & super redditione rationis dec. 713., & super exhibitione scripturarum dec. 714. tom. 3.

SUMMARIUM.

1 *Remissoria non denegatur cum articuli sunt relevantes, & materiæ articulatæ fumus sufficiens datur,*
2 *Amplia cum versamur in materia profana.*
3 *Et cum admissio articulorum petita fuit in principio judicii.*
4 *Redditionis rationis quæstio cessat, cum probetur communio bonorum inter litigantes cum promiscua administratione per omnes & singulos exercita.*
5 *Fumum sufficientem pro admissione articulorum dant fides testium ad perpetuam.*
6 *Remissoria concedenda est super re, de qua Rota dubitavit.*
7 *Remissoria facilius conceditur, cum probationes pugnantes hinc indè exhibentur.*

DECISIO CCCCLXXXIX.

Completa in executionem sententiæ hujus sacr. Tribunalis latæ coram me divisione illorum bonorum, quæ tunc in communione retineri non controvertebatur per fratres de Tutiis, Abbas Joannes Honuphrius alter ex dd. fratribus redditionem rationis administrationis bonorum, quæ per cunctos fratres promiscuè, & indistinctè sine ulla confectione librorum executa fuit: undè Abb. Fabius, & Capitaneus Petrus de Tutiis, aliique fratres prætendentes ad id non teneri, eo quia communio non fuerit restricta ad certa bona particularia, sed fuerit generalis, & universalis quoad omnia bona: & sic etiam quoad illa, quæ ex particulari nomine fuerunt acquisita; institerunt pro admissione articulorum ad effectum examinandi testes formiter aliàs ad perpetuam examinatos, qui de prædicta universali communione deponerent: & *DD. pro concessione remissoriæ*, responderunt.

Articuli namque cùm sint relevantes, &
1 fumus materiæ articulatæ sufficiens exhibeatur, petita remissoria denegari non debet. *Rota cor. Coccin. dec. 568. n. 1., & coram Bich. dec. 437. n. 6., & cor. Cavaler. dec. 232. n. 2. & seq., & cor. sa. me. Alex. VIII. dec. 119. n. 9., & in rec. dec. 453. n. 5. part. 19., & dec. 150. n. 6.*
2 *part. 15.* Maximè quia versamur in materia
3 prophana, & admissio articulorum petita fuit in principio judicii; *Rota cor. Cerro decis. 286. n. 6., & cor. Gregor. dec. 124. nn. 3., & cor. Emerix jun. dec. 227. per tot., & dec. 1063. num 6.*

Relevantia autem manifestè ex eorumdem tenore resultat, cum in substantia articuletur, quod inter ipsos fratres colligan-
4 tes communio universalis servata fuisset, ut supra dictum fuit cum promiscua bonorum administratione per omnes, & singulos fratres exercita, quæ si in facto probetur, cesset quæstio super redditione rationis nupèr excitata; *Card. de Luc. de credit. disc. 37. nu. 3. R. P. D. meus Ansaldus in suo tract. de commerc. & mercat. disc. 52. n 13., Rota dec. 164. n. 4. & 5. part. 12., & dec. 323. num. 3. part. 19. recent.*

Fumus autem talis communionis, & promis-

miscuæ administrationis satis superque depromitur ex nonnullorum testium depositio-
5 nibus ad perpetuam, hoc ipsum præseferentibus, quod ad hunc effectum sufficere respondit *Rota cor.Gregor. dec.163.n.1.,& cor. Buratt. dec.1024.n.8.,& dec.123. n.5.par.19. recent.* Et de facto fuit de hac communione
6 dubitatum in mea præterita decisione præsentis causæ sub die 26.Junii 1703., in qua illius cognitio ad particulare examen remissa fuit: ideòque tanto magis expectandæ sunt novæ probationes prævia concessione remissoriæ faciendæ.

Non obstat, quod integra administratio per longissimum temporis spatium penès alios fratres minores residuit. Quoniam probationes, & conjecturæ ad hunc effectum adductæ non fuerunt omninò concludentes & adeò invincibiles,ut refelli,& destrui non possint ex formali testium examine. Quin-
7 imò cum probationes hinc indè deductæ, apertam inter se repugnantiam præseferant; & hoc ipso faciliùs pro concessione remissoriæ respondendum venit, ut per illam factum eo modo, quo se habuit, clarius, nitidiusque eluceicat.

Et ita utraque &c.

ROMANA FIDEICOMMISSI DE AVILA SUPER FRUCTIBUS.

Lunæ 16. *Maii* 1707.

ARGUMENTUM.

Traditur regula juxta quam liquidandum veniat multiplicum ex pretio fundi vendendi, & investiendi demandatum; à quo scilicet tempore primum investimentum sit incipiendum, & fundi ad talem effectum destinati pretium à quo tempore dimetiendum, & fructuum investimentum pro multiplico, à quo tempore pariter considerandum, & quæ impensæ ab eis prius detrahendæ. Pater non habet usumfructum, cum una cum filiis succedit in eorum bonis adventitiis, & etiam durante obligatione multiplicandi.

Confirmatur infra dec. 670. & 671. & 659. & 670. juxta tamen modos in illis expressos. In hac causa in 1. tom. adest dec. 181. Et super reservatis dec.671. & alia 21. Junii 1715., & super restitutione in integrum dec. 672., & alia 21. Junii 1715. & super fructibus, & super noviter reservatis 17.Junii 1715.

SUMMARIUM.

1 *Sententia, quæ in judicatum transiit pro veritate habetur, nec amplius valet impugnari.*

2 *Rota solet perito normam dare pro fructuum liquidatione.*

3 *Multiplicum à testatore demandatum, ut quantocitius fieri debeat, debetur à die ejus obitus, & n.9., ubi declaratur conclusionem intelligi ad effectum excludendi dilationem provenientem ex sopina negligentia hæredis, non ad effectum excludendi congruam dilationem à prudentia Judicis pensandam, quæ procedit à qualitate negocii, & natura rei vendendæ.*

4 *Limita conclusionem quando res, quæ vendi demandata fuerat ad effectum faciendi investimentum effecta est litigiosa.*

5 *Bona acquisita cum redditibus Ecclesiasticis, ad Reverendam Cameram pertinent.*

6 *Limita quoque conclusionem n.3., quando agitur de vendenda vinea ad effectum ejus pretium investiendi.*

7 *Vineæ difficiliter emptor citò invenitur.*

8 *Investimentum demandatum à testatore, si neglectum fuerit, calculatur pro facto biennio à die obitus testatoris, quod tempus habetur pro congruo, & habili pro vendenda re investienda, investimentumque parandum.*

10 *Multiplici quantitas, ut liquidetur pro basi requiritur firmatio certæ quantitatis capitalis multiplicandi.*

11 *Capitale multiplicandum firmatur electione periti, qui referat de valore rei ad hunc effectum investiendæ de tempore mortis testatoris demandantis.*

12 *Æstimatio fundi fieri debet habito respectu ad ejus locationes, quæ summoperè conferunt pro habendo rei valore.*

13 *Pretia rerum temporis decursu immutata præsumuntur.*

14 *Æstimatio longè post testatoris mortem facta, rei valorem de tempore ejus mortis non convincit, nec illum potest regulare.*

15 *Multiplicum cum est exequendum cum certa lege datà à testatore, illa adamussim est servanda.*

16 *Loca montium omnia non sunt ejusdem valoris, & datur magis, & minus ob periculum proximæ, vel mag s remotæ extractionis.*

17 *Loca montium. in quibus multiplicum erat faciendum, & fuit neglectum, ut illud æstimetur consideranda sunt de tempore investimentum, quo faciendum fuisset investimentum, cum moderamine, ut non calculentur illa, quæ sunt de melioribus, neque illa, quæ sunt de pejoribus.*

18 *Fructus locorum montium in illis multiplicandi, si investimentum omissum fuerit, pro ejus reintegratione non statim sunt computandi, sed post sex menses à die maturationis, & quando devenerint ad quantitatem aptam pro emendo uno loco montis, & quare?*

19 *Hæres qui multiplicum in locis montium ex fructibus conficere tenetur, nisi adimpleverit, cum illi ad quantitatem pro emendo uno loco montium pervenerint, ut proximè dictum est, in posterum damnantur ad illius interesse.*

20 *Fratri ab intestato defuncto, singuli fratres, & communis pater æqualiter succedunt.*

21 *Usufructus in bonis adventitiis filii ad patrem spectat.*

22 Li-

22 *Limita in bonis, in quibus pater succedit una cum filio.*
23 *Pater usumfructum consequi non potest in fructibus multiplicandis.*
24 *Strenæ, quæ quot annis ex bimestri Novembris, & Decembris dari solebeant depositariis montium, subtrahendæ sunt à calculo multiplici faciendi, & quare?*
25 *Item expensæ pro effectuanda distractione rei demandata, ut investiretur ad effectum multiplicandi sunt detrabendæ.*
26 *Item expensa pro exactione fructuum.*

DECISIO CCCCXC.

PRæceperat bo. me. R. P. D. Hieronymus Avila in suo ultimo testamento Jacobo Hæredi, & ex sorore Nepoti, quod vineam suam cum Mobilibus in ea existentibus quantocitius venderet, pretiumque retrahendum investire teneretur in locis montium ad favorem Didaci, & Hieronymi ejusdem Jacobi filiorum, ut ex eorum fructibus multiplicandis alia loca montium vocabilia acquirerentur, ea tamen adjecta lege, quod completa ætate annorum 20. ea loca montium, quæ provenirent tam ex pretio vineæ, & mobilium, quàm ex illorum fructibus liberè spectarent pro medietate ad Didacum, & pro altera medietate ad Hieronymum, & cum facultate illa vendendi, pretiumque redigendi in emptionem Officiorum vacabilium, vel bonorum stabilium, aut alias ad libitum disponendi.

Hujusmodi dispositionem executioni demandare neglexit Jacobus hæres: ideoque, nec vinea, nec mobilia vendita fuerunt quinimo, nec ex eis loca montium comparari, & multiplicari valuerunt. Quamobrem Lucas Antonius Ciccaporcius donatarius universalis præfati Didaci Judicium introduxit contra Petrum Paulum Avila hæredem Jacobi ad effectum consequendi damna passa propter non factum multiplicum, & investimentum, delataque controversia ad nostrum Tribunal præviis geminis decisionibus æditis coram bon. mem. Pio sub diebus 13. Februarii 1696., & 2. Maii 1698., lata fuit sententia rotalis, qua Jacobi hæreditas condemnata extitit ad fructus, seu damna, & interesse pro multiplico non confecto usque ad ætatem annorum 20. etiam quoad mobilia pro summa liquidanda; sed commissa Causa Emo Caprara tunc in nostro Auditorio consedenti prodiit sententia indefinitè condemnans hæreditatem Jacobi ad fructus, & damna prædicta a qua non solum non reclamavit Petrus Paulus, sed immò consensum præstitit, quod in illius sequelam eligeretur peritus Curialis ad effectum liquidandi prædicta damna, cujus relatione tandem in actis exhibita, quæsitum hodiè fuit à me *An, & in qua summa sint liquidanda damna*, & DD. *esse liquidanda juxtà modum infra exprimendum*, responderunt.

Quo enim ad primam dubii partem respicientem obligationem reficiendi damna in genere, non fuit ulla difficultas, attenta dicta sententia a Partibus acceptata, quæ cum
1 ideo in Judicatum transierit, pro veritate habetur, nec amplius hodiè valet impugnari, *ad Text. in cap. quod semel de regul. Jur. in 6. l. Pompon. ff. de Negoc. gest. Rota coram Emerix dec.1259. num.2., & 3., & in rec. dec.316. num.13. & seq. par.19.*

Quovero ad alteram partem respicientem quantitatem damnorum, eorumque liquidationem, cum peritus in sua relatione nonnulla in suspenso reliquerit, quæ indigent præambula nostri Tribunalis declaratione, ideo
2 ut ille valeat certa sibi præscripta norma, & metodo legitimum calculum damnorum conficere, & ad eorum liquidationem devenire, prout alias servatum fuit *in Romana redditionis rationis 26. Martii 1703 §. fin. coram Emo Caprara*, propterea DD. Singularum difficultatum examen aggredientes, illas distinctè, ut mox dicetur, determinarunt.

Et primo loco sese obtulit inspectio circa tempus, a quo metienda sit obligatio Jacobi in faciendo investimentum, & multiplicum, quia cum testator obierit die 12. Junii anno 1610. prætendebat Lucas Antonius ab illa die, vel paulo post debuisse incipere investimentum pro multiplico, attenta dispositione, quod illud quantocitius conficeretur
3 & per consequens ab eodem tempore liquidanda esse damna, & interesse. Verum DD. ponderando circumstantias facti, advertetunt, quod vinea non ita de facili vendi potuisset, vel quia omnia bona hæreditaria te-
4 statoris erant effecta litigiosa propter prætensionem à R C. excitatam, quod nempe ea fuissent acquisita cum redditibus eccle-
5 siasticis, & sic tanquam talia ad eamdem pertinere deberent, pro qua compescenda necesse fuit ad amicabilem transactionem
6 devenire. Vel quia cum ageretur de vinea attenta qualitate rei vendendæ, difficilius
7 emptor reperiri potuisset, ut adverrit *Rub. de validit. legal. cap.2. à num.51. ad 64. Rota coràm Priolo dec.416. num.17., & in rec. dec.203. num.5. par.17.* Quamobrem utriusque partis indemnitati consulentes, existimarunt calculum esse incipiendum biennio
8 post obitum testatoris, cum intrà illud tempus potuissent haberi emptores, & ipse Jacobus venditor investimentum parare, adeo ut solum post dictum tempus tanquam congruum, & habile investimentum haberi pro facto decreverint.

Non attento, quod testator præceperit venditionem fieri quantocitius. Quoniam
9 hujusmodi expressio censetur adjecta ad effectum excludendi dilationem provenientem ex supina negligentia, & incuria hæredis, non autem ad finem denegandi congruam illam dilationem resultantem ex qualitate negocii, & ex natura rei vendendæ, ac proindè intelligendum est illum sensisse de celeritate juxtà subjectam materiam, quæ citrà culposam moram prudentis Judicis arbitrio commodè haberi potest, *ad Text. in L. quod dicimus ff. de solut. gloss. in cap. non est*

est nobis verb. celeritas de regular. Decian.
resp.3. num.120. tom.4. Altograd. cons.84.,
& seq. num. 16. lib.1. Pax Jordan. var.
lucubrat. tom.2. lib.7. tit.14 num.134. Leo-
tard. de usur. quæst.18. nu.40. Rota dec.62.
num.15., & seq , & dec.156. nu.3. par.18.,
& in Romana hæreditatis 28. Junii 1697.
§. Nec minus coram Reverendissimo D. meo
Decano.

Quia, verò tota basis memorati multipli-
ci consistit in decernendo ultrà tempus cer-
tum valorem Vineæ, sine quo tanquam sine
10 præcisa quantitate capitalis multiplicandi
imposibile redderetur liquidare illius quan-
titatem, cum usque adhuc non fuerit quid-
quam deductum, nec ullum exhibitum
documentum super probatione valoris,
supplentea DD. hujusmodi deficientiam,
mandarunt, quod eligatur peritus ad effe-
11 ctum æstimandi vineam, ejusque pertinen-
tias juxtà valorem currentem de tempore
obitus, Testatoris, ut fuit praticatum *in*
Ferrarien Fideicommissi 14. Maii 1700. co-
ram Rmo D. meo Decano 13. Februarii
1702. coram R.P.D. meo Scotto, 27. Apri-
lis 1703. coram R.P.D. meo Priolo, & 4.
Julii 1704. coram R. D. Kaunitz. Addito
12 etiam, quod haberi debeat respectus ad
locationes, quia istæ summoperè conferunt
pro augendo rei valore, *Rota coram Cava-*
ler. dec 387. in fin , & in rec. dec.544. n.12.
& seq. part.5., & dec.186. n.9. & 11. par.6.
& dec.668. n.1. par. 18.

Absque eo quod mereatur attendi valor
desumptus ex instrumento divisionis stipu-
latæ anno 1670. post obitum Jacobi commu-
nis Patris inter Didacum, & Petrum Pau-
lum filium, & Nepotem respectivè, in quo
dicta vinea una cum Domo, & Mobilibus
in ea existentibus, apparet æstimata in
summa scutorum 4200. Quia cum id evene-
rit post lapsum 60. annorum à die obitus
Testatoris, quo temporis decursu pretia
13 rerum immutata præsumuntur, *ad Text.*
in L. prætia rerum §. ultimo ff. ad leg falcid.
Rot. dec.46. n.9., & 10. part.6. recent., &
in Asculana Dotis 22. Junii 1699. §. His
positis coram R.P.D. meo Scotto, quæcum-
que probatio ex ea desumatur, remanet
14 inefficas ad constituendam concludentem
probationem valoris de dicto tempore, quo
venditio explenda erat: unde eruitur,
quod peritus aliàs electus non benè se gessit
efformando calculum damnorum juxta va-
lorem in dicto instrumento divisionis ex-
pressum, ex deductis *per Gratian. disc.766.*
n.40. Palm. alleg.28. n.5. Rota coram Eme-
rix dec.1022. n.6. in rec. dec.548. n.38. part.
19. tom.2. & in Reatina Fideicommissi 7.
Martii 1704. §. propterea que coram Rmo
D. meo Decano.

Firmato valore Vineæ, præscriptoque
tempore, quo venditio expleri debuisset,
postquam pretium ex ea retractum median-
te lapsu duorum annorum ad manus Jacobi
hæredis pervenisse, supponendum est, non
dubitarunt DD. declarare, quod peritus
calculator procedere debeat cum supposi-
to, quod respectu pretii ex Vinea retracti
Investimentum factum fuisset in locis Mon-
tium non vacabilibus; respectu vero fru-
ctuum multiplicandorum in locis Montium
vacabilibus, attento, quod Testator ità fieri,
& servari mandavit ibi -- *Ex integro pretio*
Vineæ, & bonorum emantur tot loca Mon-
tium de urbe non vacabilium &c., ità ta-
men, quod Didacus, & Hieronymus non
possint fructus exigere, donec ad ætatem 20.
annorum pervenerint, & interim fructus,
decurrendi investiantur in aliis locis Mon-
tium vacabilium -- Unde cum agatur de
multiplico executioni demandando cum
15 certa lege ex præcepto, & præcisa volun-
tate Testatoris præscripta, illa adunguem
intrà illud tempus servanda est, *per Text.*
in L. non aliter 67. §.1. ff. de legat.3. Rota
coram Dunoz. Jun. dec.814. n.5., & 6., &
coràm Sau. Mem. Alex. VIII. decis.254. n.
15. sed quia non omnia loca Montium sunt
16 ejusdem valoris: & inter illa datur magis,
& minus ob periculum proximæ, vel magis
remotæ extractionis, propterea servato mo-
17 deramine, neque de illis, quæ sunt de
melioribus, ac prætiosioribus, neque dè
pejoribus, & infimi valoris a Perito ratio
ulla erit habenda, ità servando de tempore
in tempus faciendi investimenti, ut passim
in similibus Judices attendendo æquitatem
praticare solent, ad tradita *per Corneum*
cons.282. num.3. lib.1. Melin. de legit. lib.5.
quæst.11. n.3. Rot. coram Bich. dec.372. n.10.

Quin immo non illico maturatis fructi-
bus supponendum erit illos fuisse multipli-
catos, & conversos in alterum investimen-
18 tum, sed post sex menses a die maturatio-
nis: & quando devenerint ad quantitatem
aptam pro emendo unum locum Montis,
tùm quia, ut notum est, fructus non solent
immediatè post singulos bimestres exigi:
tum quia prorsus impossibile redditur, quod
ex singulis exactionibus tanta pecuniæ
quantitas retrahatur, quæ illico converti
possit in capitale, & tota ad unguem corres-
pondeat alicui investimento, itaut nec ali-
qua modica summa deficiat. Et ideò ne Jaco-
bi hæreditas obligetur ad interesse pro qua-
libet tenui summa, mandarunt DD. quod pe-
ritus Calculator tunc supponat, ex fructibus
factum fuisse multiplicum, & investimentum
quoties ex illis judicio ipsius cumulari po-
tuit tanta quantitas pecuniarum, quæ suf-
ficens reputata fuisset pro comparando uno
loco montis vacabilis, quo supposito, in
19 posterùm obligabit hæreditatem Jacobi ad
illius interesse, juxtà censuram *Text. in L.*
Ita autem in princ. ff. de administ. Tutor.,
gloss. in l. fin. verb. Prædiorum C. eodem, &
tradunt *Leotard. de usur. quæ. 20. n.20 Gut-*
tierez de tutel., & cur. part. 2. cap.9 n.25.
Montan. de tutela cap.33. n.207. Cyriac. con-
trov.163. n.21 Roderic. de ann. reddit. lib.
7. quæst.10. n.14.

Hac metodo præscripta, poterit Peritus suum incohare calculum, illumque continuare usque ad annum 1666., quo decessit Hieronymus alter ex eis, quorum favore fuit demandatum multiplicum;relictis post se Jacobo Patre, & Didaco, ac Petro Paulo ejus germanis fratribus: nàm ab indè citrà, tàm respectu capitalis, quam fructuum multiplicatorum spectantium ad eumdem Hieronymum, faciendæ veniunt tres partes, quorum altera assignanda erit Jacobo Patri, altera Didaco, & altera Petro Paulo: attento, quod fratri ab intestato defuncto Pater una cum filiis, & fratribus respe-
20 ctivè, in solatium amissi pignoris, æqualiter succedit ad celebrem *Text. in auth. defuncto C. ad Senat.consult.Tertull.*,quem latè exornat *Rota in Romana Immissionis 9. Aprilis 1699.§.Quoniam coràm R.P.D. meo Ansaldo*. Et licet fructus hujusmodi
21 portionum ad Jacobum communem patrem spectasse prætenderetur, tanquam habentem usumfructum in bonis adventitiis filiorum, ex dispositione *Text. in L. cum oportet C. de bonis, quæ liberis*; quia ta-
22 men,quando pater succedit una cum filiis, ut hic, usum fructum non habet in ea portione, quæ ad illos obvenit *auth. Item hæreditat Cod. de bonis queliber*, & *auth. de hæred. ab Intestato venien. §. Si vero eum col.* 9. *cap.* 2., fructus dd. portionum ascribendi erunt ad commodum Didaci, & Petri Pauli, non autem Jacobi. Potissimè quia Testator instituit hæredem d.Jacobum cum onere pretium Vineæ investiendi, & multiplicandi ad commodum propriorum
23 filiorum: undè si fructus erant multiplicandi, nullo modo poterat Jacobus super eis consequi usumfructum juxta ea, quæ fuerunt firmata *in dec.* 445. *n.*5., & *seqq. part.* 14. *recent.*, & ita præcise respondit *Rota in hac Causa sub die* 2. *Maii* 1698. §. *Minusque cum duobus seqq. coràm bon.me. Pio*.

Prosequendo autem d. Calculum usque ad annum 1669, quo decessit Jacobus; magna fuit inter partes contentio, an ille esset ultrò protrahendus usque ad diem, qua cum effectu sequatur solutio dd. damnorum, ut prætendebat Lucas Antonius; vel potiùs dicto anno terminare debeat, ut è converso probare conabantur scribentes per Joannem Baptistam plures hinc indè allegando rationes, in quarum conflictu DD. non fuerunt pro nunc circa resolutionem concordes, interim verò pro instructione eorum animi mandarunt, quod fiat duplex calculus ad utramque rationem juxtà utriusque partis sensum,& prætensionem.

Absoluto calculo erunt per Peritum ex multiplico subtrahendæ non solum strenæ,
24 quæ ex generali consuetudine, & Principis tollerantia, quot annis tunc temporis dari solebant depositariis Montium, qui illas penes se retinent in quolibet bimestre Novembris, & Decembris: verum etiam
25 merces debita pro effectuanda solicita distractione Vineæ, necnon justa, ac rationabilis recognitio pro Exactore cujus opera indiguiffet Jacobus ad effectum exigendi fructus multiplici, & locorum Montium diversarum specierum; quas omnes expensas tanquam omninò necessarias, & onera intrinseca, bonificandas esse ab eo, cui fructus sunt restituendi, firmavit *Rota dec.* 174. *n.*9. *part.* 19. *coram R.P.D. meo Ansaldo dec.*66. *n.*2. & *in Romana Multiplicorum* 3. *Aprilis* 1699., & 25. *Junii* 1700. §. *Neque coràm Rmo D. meo Decano*, & 6. *Junii* 1702. *coràm Rmo Conchen.*, & *in Ferrarien., seù Anconitana super fructibus* 9. *Junii* 1704. §. *Hinc. discurrendo coràm R.P.D. meo Ansaldo*.

Cœteræ verò deductiones, quæ per eumdem Joannem Baptistam opponebantur tàm respectu extractionum locorum Montium,quæ pluries evenerunt quinquaginta septem annorum, & ultrà, usque ad obitum dicti Jacobi, quam respectu decoctionum depositariorumMontium,cum usque adhuc nihil fuerit concludenter justificatum: & eorum veritas ignoretur; demandarunt DD., quod coadjuventur probationes.

Et ità juxtà hunc modum liquidationem damnorum faciendam esse resolutum fuit utraque &c.

ROMANA PECUNIARIA.

Lunæ 16. *Maii* 1707.

ARGUMENTUM.

Deperditio mercium facta ex alicujus baratteria ejus damno cedit, & quomodo ex sententia criminali in Judicio civili probetur?(Error in solidatione computorum concludenter est probandus: præsertim cum solidatio vel ex) computatio facta fuit sine relatione ad libros; quia tunc potuit provenire ex aliis negociis. Nec ex unico teste convincitur, nec contra propriam confessionem datur remissoria.

SUMMARIUM.

1 *Mandoti validi*, & *justi executio retardari non debet*.
2 *Creditum ab apoca resultans turbidum est, cum ei sunt contraponendæ partitæ in eadem apoca præservatæ*.
3 *Secùs cum de dictis partitis ratio habita est*.
4 *Res sine alicujus culpa deperdita ejus damna non cadit*.
5 *Amissio mercium ob baratteriam probatur à Sententia, in qua Reus ad Triremes fuit damnatus*.
6 *Sententiæ criminali in alio Tribunali latæ deferendum est: cum agitur de probando facto in ea non controverso*.
7 *Sententiæ sola exhibitio sufficit ad probandum*

dum casum barattariæ: cum non agitur de ejus executione.

8 *Error quacumque possibilitate in contrarium excluditur.*

9 *In solidatione facta generaliter sine ulla relatione ad libros, & partitas debitum provenire dici potest ex aliis, cum alia negotia intercesserint: quod idem procedit de excomputatione, seu bonificatione,*

10 *Error concludenter est probandus, ut evitetur executio pro credito liquido, & per confessionem Partis probato.*

11 *Testis unicus, & extrajudicialis non probat.*

12 *Testis cum inverisimilia deponit non attenditur.*

Heres non cogitur exhibere libros familiares, & sic pandere secreta domus.

13 *Præsertim cum solidatio, pro qua infirmanda, exhibitio librorum petitur, non est facta relativè ad eos.*

14 *Positiones non admittuntrr, quoties producuntur contra propriam confessionem.*

DECISIO CCCCXCI.

FActa generali computorum solidatione inter commendatorem Antonium de Gama, & Petrum Gamam de Sylveria, iste per apocam se debitorem remanere in scu. 1598. 60. fassus fuit, reservando sibi utilia ex pretio nonnullarum capsarum Saccari. Cumque Philippus, aliique de Gama dicti Commendatoris interim defuncti filii, & hæredes prædictæ summæ satisfactionem consequi vellent; mandatum ab A. C. pro scu. 1285. 91. reportarunt, ex quibus scu. 203. deponi deberent ad effectum illa consignandi cui de jure; reliqua verò ipsismet liberè persolverentur; devolutaque postmodum controversia ad nostrum Tribunal proposui dubium -- *An prædictum mandatum esset exequendum* -- & affirmatiuum habui responsum.

Cum enim illud undique validum, & justum recognitum fuerit; ex quo validitas non controvertatur; justitia verò resultet ex apoca generalis solidationis computorum inter Petrum, & Commendatorem initæ cum præcisa, & clara confessione de-
1 biti in supradicta summa: indè sequitur, quod ejusdem mandati executio retardari non debeat. *Gratian. discept.* 391., *Rota post moder. Asculan. ad Stat. Urb. dec.* 59. *n.*1., *& coràm Bich. dec.*597. *n.*1., *& coràm Celso dec.*64. *n.*8.

Nec obstat, quod dictum creditum turbidum remaneat; eo quia ad favorem Petri
2 contraponi debeat valor sexdecim capsarum Saccari in eadem apoca præservatus. Etenim quoad illarum undecim jàm reddita
3 fuit sufficiens ratio, earumque valor pro rata ad Petrum spectante jàm relatus extitit ad ipsius creditum: fuitque excomputatus à debito in apoca confessato, mandatumque relaxatum fuit facta priùs detractione illius: Et sic quoad istam partitam nullatenùs per Petrum crediti turbiditas opponi valet.

Quo verò ad alias capsas quinque istæ non veniunt bonificandæ cum deperditæ fuerint ex causa baratteriæ per Navarcum commissæ, dùm illas à Portu Januæ ad Urbem transuehebat: undè cessante culpa, & dolo commendatoris, pretium dicti Saccari
4 ri deperditi ad illius debitum calculari non debet, *ad Text. in L. Adeò ff. de acquir. rer. domin. Rota dec.*93. *n.*19. *part.* 19. *rec.*

Absque eo quod de præfata deperditione dubitari valeat; dùm super dictæ baratteriæ delicto jàm adest sententia Magistratus Conservatorum Maris Januæ, per quam Navarrus cum sociis baratteriam prædictam
5 ad triremes condemnatus fuit: & sic casus amissionis superlativè probatus remanet. *Rota coram Emerix Jun. dec.* 222. *n.*3., *& dec.*337. *n.* 14.. Cum procul dubio eidem
6 sententiæ in præsenti deferendum veniat; Tùm quia agitur de probando facto in eo Judicio non controverso, ut observat *Card. de Luc. de Regal. disc.* 161. *n.* 76.; Tùm
7 quia non agitur de illius executione, in quibus terminis sola exhibitio sententiæ sufficit ad probandum casum Baratteriæ. *Card. de Luc. de Judic. disc.*36. *n.* 33. *Rota coram Duran dec.*7. *n.*21. *& seqq.*

Minusque ad retardandam executionem mandati allegari valet erroneitas prætatæ generalis solidationis, desumpta ex eo, quod in illa ad debitum Petri adscripta fuerit partita scu. 800. auri conflata ex octo annatis solutis occasione expeditionis coadiutoriæ favore Antonii de Castro, pro qua summa Commendator se creditorem constituit; quando sex annatæ solui solent, quas non constat eumdem soluisse: Quoniam ultra quod Judex primæ instantiæ ad tollendum omne dubium relaxavit mandatum ad effectum liberè solvendi pro scu. 1082., & pro reliquis scutis 203. ad effectum deponendi; quo casu superfluum esset de asserto errore disputationem assumere; difficultas in universum cessare visa fuit, animadvertendo, quod nulla datur concludens justificatio ad probandum dictum errorem in casu expeditionis coadiutoriæ quoad annatas, & quoad solutionem; ulteriùs constat ex *Sum. Responsionis Auctorum n.*4., quod Petrus non octo, sed 12. exegit annatas, & sic ex-
8 clusus remanet prætensus error, licèt ad illum excludendum sufficeret quæcumque possibilitas in contrarium. *Rota dec.* 373. *n.*2. *part.*15. *rec.*

Quinimò cum inter istas partes plura negocia intercesserint spatio multorum annorum extrà Urbem, & unius integri anni hic in Urbe, adhuc non ostenditur, quod unquam Petrus de hac solutione excessiva con-
9 questus fuerit. Sed e converso de venir ad solidationem, in qua generaliter sine ulla relatione ad certos libros, & partitas, expressit se concordasse computa, ibi -- *Havendo aggiustato li Conti*, adeò ut debitum

ex

ex aliis causis provenire possit, vel dicendum sit, quod computatio, & bonificatio dictæ partitæ controversæ fieri potuerit, & per consequens non constat concludenter de errore, prout omnino probandum esset ad
10 evitandam executionem pro credito undequaque liquido, & claro, & per confessionem partis probato *Rota dec.*318. *num.*16. *coram Celso*.

Non attenta quadam depositione unius testis. Etenim ultrà quod est unicus, & ex-
11 trajudicialis, *Rota dec.*132. *num.*8. *coram Emerix jun.*, ulterius si ejus dictum subsi-
12 steret, inverisimilia deponeret, dum Petrus remaneret creditor in maxima summa, quando ipse in apoca falsus fuit se esse debitorem in sc.1598. 60. *Rota dec.*132. *num.*10. *& dec.*153. *num.*2. *coram Emerix jun.*

Quod benè agnoscendo Petrus debitor institit pro exhibitione librorum, & responsione ad positiones, cui tamen Instantiæ DD. annuere non placuit, quia non sunt co-
13 gendi hæredes ad exhibendum libros familiares, & ad pandenda secreta domus, *Ridolphin. in prax. par.*2. *cap.*3. *num.*5. *Rota dec.*1091. *num.*18. *in fin. coram Coccin.*

Eoque magis, quia, ex supradictis, solidatio facta non fuit relativè ad libros, nec
14 admittendæ sunt positiones, quoties, ut hic, producuntur contrà propriam confessionem per Petrum in apoca exaratam. *Urceol. de transact. quæst.*98. *num.*42. *Rota decis.*61. *num.*3. *cor. Emerix jun.*, *& dec.*18. *post Michalor. de posit.*

Et ita utraque &c.

IMOLEN. FIDEICOMMISSI.

Ven. 3. *Junii* 1707.

ARGUMENTUM.

Retentio bonorum fideicommissariorum a transversali provenientium non datur pro dote, quam ex fructibus assignari præcepit Neque pro illius fructibus, cum dilatio satisfactionis sine illis in constitutione fuit conventa, quos in fideicommissariorum præjudicium gravatus posteà pacisci nequit: Præsertim cum ex culpa Viri, cui dos promissa fuit, ejus inexactio provenit, & alias cum illis fideicommissum, quod integrum conservari voluit testator extraneus, everteretur. Sed hæc actio pro fructibus dotis contra gravati promittentis hæredes poterit intentari.

SUMMARIUM.

1 *Testatoris præceptum est religiosè servandum.*

2 *Præceptum dotandi ex fructibus, eo magis est attendendum, si injunctum fuerit ab extraneo, nam ille dotare non tenebatur.*

3 *Retentionis titulus cessat postquam retinens de suo credito est satisfactus*

4 *Fructus dotis prætendi non possunt, si ejus rata fuerint promissa solvenda de anno in annum sine fructibus.*

5 *Fructus dotis solvendæ ex fideicommisso, quos non deberi pro ratis de anno in anno solvendis in ejus constitutione fuerat conventum, in assignatione bonorum, pro eadem non possunt conveniri in præjudicium succedentium ad fideicommissum.*

6 *Vir negligens in procuranda satisfactione capitalis dotis promissi ex sua negligentia commodum consecutionis fructuum reportare non debet.*

7 *Fructus dotis ex quibus absorbetur totum fideicommissum contra voluntatem extranei testatoris, qui expressè voluit dotes assignari ex fructibus, & bonorum propietatem a fideicommisso non distrahi, poterunt peti contra bona hæredis gravati promissoris, nunquam contra bona fideicommissi in præjudicium ulteriorum vocatorum.*

DECISIO CCCCXCII.

Immissionem, quam R.P.D. meus Aldrovandus tunc A.C., nunc emeritissimus noster collega concesserat Joanni Alexandro Vandino vocato ad fideicommissum Alexandri senioris ad duo prædia, & ad Molendinum eidem fideicommisso subjecta, iterum hodie coram me in gradu appellationis disputato de more in presenti audientia congruo dubio, *dandam esse* DD. responderunt.

Cum enim dubitatum non fuerit de existentia fideicommissi, ejusque purificatione, ac de Identitate bonorum, cum neque istà à possessoribus controverteretur, tota difficultas restricta fuit ab Informantibus ad objectum retentionis excitatum, eo sub fundamento, quod prædicta bona fuerint assignata favore Petri Leghæ, donec reportaret satisfactionem capitalis dotis libr. 12000., & fructuum debitorum Annæ Vandinæ, cui ex hoc fideicommisso licet transversali, attenta testatoris permissione poterat assignari.

Sed perpensis facti circumstantiis agnita fuit prorsùs irrelevans hujusmodi exceptio; etenim testator concesserat quidem facultatem assignandi dotem, sed ex fructibus tantum non autem ex bonis ibi -- *comandò, che le figliuole femine nate, e da nascere &c. si debbano dotare, & estrarre le loro doti conforme alla quantità, che parerà al detto suo erede dall' entrate di detti sui beni, e non de*
1 *beni stabili &c.* Cumque præceptum hujusmodi sit religiosè servandum, *ad Text. in l. cum quæstio in fin. C. dè legat.*, *& §. Disponat auth. de Nupt. Rot. cor. Emerix dec.*927. *num.*2., *& dec.*1042. *num.*8; attento præsertim, quod injunctum fuit a testatore extraneo,
2 qui non tenebatur dotare, & ideo tanto magis in hac re poterat legem sibi benevisam imponere. *Vasques de success. creat lib.* 1. §. 9. *num.*8. *Surd. dec.*28. *num.*9. *Rota cor. Cerr. dec.*36. *num.*39.

Indè sequitur, quod dùm assignatio facta fuit

fuit anno 1665., & ab eo tempore, usque ad præsens bona possessa fuerunt per dictum Petrum, illiusque hæredes de dicto credito dotis satisfacti remanserint tanto temporis decursu ex pingul. dd. bonorum redditu, & per consequens cessat titulus retentionis,
3 *Rota penes Mangil. de Subhast. dec.54. nu.8. coram Cavaler. dec.579. nu.2., coram sa. me. Alex. VIII. dec.201. nu.18., & in rec. decis.324. num.31. par.9.*

Absque eo quod suffragari valeat prætensio retinendi pro fructibus. Quia ex Instrumento constitutionis dotis de anno 1647. dato per actores *in Summario num.3.* apparet dotem fuisse incontinenti solutam pro rata libr.2. m. pro reliquis vero libr.10. m. fuisse promissam quantitatem libr. mille quolibet anno solvendam sine fructibus, ideoque isti
4 nullo modo prætendi possunt, & licet de dicto anno 1665. in actu assignationis bonorum fuerint promissi fructus, tamen cum in constitutione dotis expressè conventa fuerit
5 dilatio satisfactionis absque illorum solutione, ut mox dictum fuit, non poterant illi deindè conveniri in præjudicium vocatorum ad fideicommissum, & in illius eversionem, *Bolognet. in L. fin. nu.36. C. de pact. Peregrin. dec. Patavin. 106. n.17. vers. post hæc, Rota coram Priol. dec.417. num.18.*

Tantoque magis, quia in Instrumento dotali anni 1647. facta fuit promissio assignationis bonorum ad hoc ut conjuges ex fructibus eorumdem perciperent lib.1000. in diminutionem dotis constitutæ juxtà præceptum testatoris: undè cum vir negligens fuerit in procuranda satisfactione capitalis promissi,
6 non debet ex hujusmodi negligentia commodum aliquod reportare, *Text. in L. Sive hæreditaria ff. de negot. gest. Rota decis.135. num.10. par.16., ac dec.372. nu.16., & 17. par.18. rec.*

Cum agatur de fructibus annorum ferè 30. quibus Petrus Alexander dotis promissor supervixit, antequam fieret effectiva bonorum assignatio, quo circa tot fructus hoc medio tempore cumulati fuerunt, ut ferè desperata reddatur reversio bonorum ad fideicommissum contra voluntatem testatoris,
7 qui expressè noluit bonorum proprietatem à fideicommisso distrahi, undè si qui fructus prætendi possunt ex dicta promissione, poterunt quidem actionem dirigi contra assignantes, & contra hæredes, nunquam tamen contra bona fideicommissi in præjudicium vocatorum, qui proprio Jure succedunt, *ad Text. in L. 3. ff de Transact. Peregrin. de Fideicom. art.52. num.8., Rota dec.553. num.1. par.19. rec.*

Et ita utraque &c.

MAJORICEN. COLLEGIATURÆ.

Veneris 3. Junii 1707.

ARGUMENTUM.

Parentelæ ad effectum admissionis ad Collegium requisitum probatur, si admittendi Patruus talis fuit: requisitum Peritiæ in cantu ob admissionem quomodo probetur, & qualis peritia in eo sufficiat. Electio facta vel post inhibitionem, vel etiam post terminum in ea datum ad docendum alteri prælecto de requisitis, cum id fecerit, est nulla, si acta sit sine citatione, & decreto.

SUMMARIUM.

1 *Eligendus pollens qualitatibus à Testatore præscriptis, & de parentela in fundatione volita dicitur expressè vocatus, & cæteris hit qualitatibus destitutis præferendus.*
2 *Parentela a fundatore probata remanet in electione, in qua eadem requiritur, cum eligendus probat se nepotem ex fratre illius, qui ex eodem motivo parentelæ fuit admissus.*
3 *In cantu plano quis mediocriter eruditus præsumitur, ex quo fuit beneficiatus in Cathedrali.*
4 *Testes causam scientiæ reddentes probant.*
5 *Testibus pro affirmativa in concursu magis creditur, quam pro negativa.*
6 *Testes deponentes super imperitia cantus organici, & musicalis non excludunt peritiam cantus plani totaliter diversi.*
7 *Cantus requisitus, ut quis valeat Ecclesiæ juxta ritum canonum inservire, vel theoricè, vel praticè habeatur valet.*
8 *Finis in fundatione exoptatus, dummodo habeatur, non est curandum de modo.*
9 *Qualitas hortative in fundatione apposita, illa carentem incapacem beneficii non reddit.*
10 *Electio facta in spretum præsentatæ inhibitionis Ordinarii est attentata.*
11 *Amplia etiam si facta sit post terminum in inhibitione appositum concessum eam petenti, ut doceret de suis qualitatibus, & intra illud docuit: nam tunc nihilominus requirebatur Ordinarii decretum.*
12 *Præsertim si sit præsentata alia inhibitio, postquam ad electionem fuerit deventum.*

DECISIO CCCCXCIII.

Franciscus Antich tanquam de parentela Gabrielis Vaquer prænoscens se qualificatum ad obtinendum locum in Collegio per Balthasarem Thomas in ecclesia, seu Capella B. Mariæ Virginis de Lluch fundato pro Presbyteris sæcularibus eligendis a Priore, aliisque Collegialibus d. Collegii, præferendo semper illos de parentela tam d. Balthasaris, quàm Gabrielis Vaquer tunc Prioris, obtinuit a Vicario generali majoricen. plures inhibitiones contra Priorem, & Collegiales, ne sub pena attentatorum, & nullitatis

tatis alium Collegialem auderent eligere. Quibus non obstantibus illi in Collegialem elegerant Bartholomaeum Fenollar, eidemque possessionem tradiderunt. Undè instructis per Franciscum coram Vicario judiciis tàm super adiudicatione Collegiaturæ, quam super attentatis, in utroque favorabilem sententiam reportavit, a quibus appellante Bartholomæo causa mihi directa fuit, propositoque dubio -- *An, & de cujus bono jure constet ad effectum attentatorum* -- favorabile in omnibus Francisco responsum emanavit.

Cum enim ipse omnibus polleat qualitatibus in fundatione Collegii requisitis, sitque etiam de parentela Gabrielis Vaquer, & per
1 consequens uti expressè in eadem fundatione vocatus cæteris omnibus venit præferendus, & sic clarum remanet illius bonum jus ad controversam Collegiaturam obtinendam ad quam a Collegialibus admitti debuerat, non verò Bartholomeus dicta qualitate destitutus, *ad text. in cap. Monasterium 16 p. 7. cap. cum Bertoldus, ibique Abb. n. 12. de re judic. Rota cor. Bich dec 188. n. primo, & in rec. dec. 337. n. primo p. 2., & dec. 557. n. 2. p. 18.*

Quodque revera idem Franciscus sit de parentela Gabrielis manifestè deducitur, ex quo ipse docet se esse nepotem ex fratre Gabrielis Antich, per cujus obitum ad præsens Collegiatura vacat, qui ex eodem mo-
2 tivo parentelæ ad eamdem admissus fuerat: Unde attenta hac præcedenti admissione Patrui, plenè dici debet justificata parentela etiam respectu Francisci illius ex fratre nepotis, *ad text. in L. ingenuum ff. de stat. Homin. Rota cor. Caril. dec. 117. n. 5., & 6., & in rec. dec. 81. n. 2. p. 3., & dec. 348. num. 10. p. 5.*

De cæteris qualitatibus in fundatione requisitis non fuit questio, quæ solum restricta fuit ad unicam exceptionem, quod nempe Franciscus non sit mediocriter in cantu plano eruditus, ad quem effectum ex parte Collegii, & Bartholomei ab eo nominati adducebantur Testes, qui deponunt se nunquam vidisse Franciscum addiscere rudimenta Musicæ, minusque d. studium professum fuisse, quodque potius de auditu, quàm ex peritia canebat.

Objectum autem ex lectura fundationis corruere visum fuit, cum in illa non demandetur, quod eligendi per sua principia cantum didicerint, sed tantummodo requiratur mediocris peritia cantus ad effectum, ut Collegiales divina officia valeant explere: Et quia Franciscum pollere constitit, tum quia ipse est Beneficiatus in Cathedrali, quod fa-
3 cit presumere, quod sit mediocriter in cantu plano eruditus, tùm etiam quia ex parte Francisci adducuntur testes deponentes, quod ipse sit in eodem cantu versatus, eo quia illum pluries canere audiverunt Divina Officia, Responsoria, & Lectiones laudabiliter, & cum satisfactione adstantium. Ex quibus profecto depositionibus satis superque probata remanet d. mediocris peritia
4 Francisci in cantu plano, cum optimam eorum scientiæ causam reddant, *Rot. decis. 126. n. 2. p. 19. rec.*

Quin urgeant Testes in contrarium adducti deponentes de omnimoda, & totali imperitia cantus. Non solum quia in concur-
5 su magis credendum venit Testibus pro affirmativa deponentibus, *Farinac. de Testib. quest. 65. n. 200. Rota coram Greg. dec. 449. n. 3., & cor. Dunoz. sen. dec. 207. n. 8., & in rec. dec 719. n. 8. p. 18. tom. 2.* verum
6 etiam quia dicti testes deponunt super cantu organico, & musicali, & sic non excludunt peritiam cantus plani totaliter ab illo diversi. Qua diversitate attenta curandum non est, quod d. Franciscus potiùs ex praxi, quam ex arte canere consueverit. Quoniam sivè quis habeat practicè cantus peritiam, sivè illam habeat theoricè, aut sub
7 magistro apprahensam, utroque modo semper erit d. Collegiaturæ capax, cum idem semper sequatur effectus, quod Collegiales valeant Ecclesiæ juxtà ritum canonicum in-
8 servire, qui est finis primarius in fundatione exoptatus, & qui dummodo obtineatur, non est curandum de modo.

Nec substitit, quod peritia in cantu debeat esse talis, ut pueros in cantu figurato, & in pulsandis instrumentis valeat erudire, quia hoc nullatenus in fundatione pro requisito necessario præscriptum legitur, sed potius ad evitandum otium, & cum clausula ibi -- *si videretur* --: ac proindè cum id po-
9 tius hortative iujungatur, qui caret ista qualitate incapax reputari non debet, ut in his terminis respondit *Rota dec. 557. num. 16. p. 18. rec.*

Ex quibus omnibus constare visum fuit de bono jure Francisci etiam ad effectum attentatorum, cum electio Bartholomæi facta
10 fuerit in spretum litis pendentiæ, & positivæ inhibitionis Ordinarii per Franciscum præsentatæ, *Rota in Giennen. erectionis Collegiatæ super attentatis 2. Junii 1704. §. primo cor. R. P. D. meo Kaunitz, & in Senogallien. Canonicatus de Luchis 6. Junii 1704. §. de attentatis coram me.*

Non relevante, quod dicta electio expleta fuerit post terminum quindecim dierum ab eodem Ordinario præfixum Francisco ad docendum de suis qualitatibus. Etenim præfixio termini evenit sub die 9. Decembris 1701., documenta vero, & articuli pro justificatione suarum qualitatum fuerunt per Franciscum producta sub die 16. Decembris ejusdem anni. Quamobrem cum intra dictum terminum fuerit facta productio, non debebant sine novo Judicis decreto Colle-
11 giales ad electionem Bartholomæi devenire, eidemque citra attentatorum vitium possessionem tradere, *Rota decis. 67. n. 8. p. 18. & in placentina præcedentiæ super attentatis 7. Decembris 1703. §. Non obstat coram R. P. D. meo Scotto, & in Illerden. Juris* vo-

votandi super novissimis attentatis 27. Martii 1705. §. Tertia demum coram eodem. Potissimum quia ultima Inhibitio præsentata
12 etiam fuit immediatè post ejusdem termini præfixionem, scilicet sub die 12. Decembris 1701., quod multo magis notabilem reddit Collegialium contumaciam, ut de se patet.
Et ita utraque &c.

BONONIEN. HOSPITALIS.

Lunæ 6. Junii 1707.

ARGUMENTUM.

Hospitalia fundata auctoritate Episcopi habentur tamquam spiritualia & beneficia ecclesiastica, præsertim quando conferuntur ad vitam; & ideò subjecta regulæ 26. Cancellariæ. Affectio S. Sedi quomodo proveniat, ilgetque manus inferiorum collatorum? Et quid operetur decretum consistoriale, in quo regimen alicujus hospitalis alicui ad vitam conceditur? etiam si appositum minimè sit, quod non nisi à Papa postmodum disponi possit. Unio ab Episcopo facta ex indulto hospitalis, in quo Pontifex manus apposuit, est nulla. Et dictum indultum si non extendatur ad unionem, & suppressionem beneficiorum multo minus hospitalia comprehendit. Unio hosp talis facta ab Episcopo Seminario est nulla, quia non est facta ad usum proximum illi à testatore hospitalis erectore volito. Et etiam si fit facta perpetuo, & cur? juxta sanctionem *S. Conc. Trid. sess. 25. de Reform. cap.* 10. Et hic instituta hospitalium, & seminatiorum examinantur.

SUMMARIUM.

1 *Litteræ justificatæ sunt exequendæ.*
2 *Appositio manuum Papæ pro ea vice impedit cuicumque inferiori collatori beneficii collationem, quæ ab ipso tantùm petenda est.*
3 *Hospitalia fundata auctoritate Episcopi habentur tanquam officia spiritualia, & beneficia ecclesiastica.*
4 *Et comprehenduntur sub* regula 26. Cancell. de Beneficiis vacaturis per promotion.
5 *Præsertim cum illa conferuntur ad vitam.*
6 *Affectio non provenit à spiritualitate rei, sed à reverentia debita summo Pontifici, qui manus apposuit.*
7 *Summum Pontificem plus est negocium ad se avocare, quam quemquam ad eum super aliquo negocio provocare.*
8 *Collator inferior vel agatur de officio, vel de beneficio, eum Summus Pontifex manus apposuit, debet se abstinere.*
9 *Text. in cap.* ut nostrum de off. Arch. *est altera pars* Text. *in cap.* ut nostrum de appell.
10 *Officium Cancellarii nec est spirituale, nec spiritualitati annexum, & tamen cum Papa manus apposuit inferior collator non potest conferre.*
11 *Beneficii Ecclesiastici qualitas, si cesset, illud per assumptionem ad Episcopatum non vacat.*
12 *Papa concedens retentionem, & suspendens vacationem beneficii, illud sibi affectum voluit.*
13 *Juspatronatus laicale non cadit sub reservationibus Apostolicis: & tamen si Papa apponendo manus decernat illud vacare, à se solum per ea vice potest conferri.*
14 *Appositione manus Papæ beneficium affectum declaratur, si illud postea in administrationem alicui commisit.*
15 *Vacatio juxta decretum non dicitur, si in illo non exprimatur, quod nullus præter Papam possit conferre.*
16 *Contrarium verius, quia sufficit sola appositio manus Papæ, ut ex Decreto Pauli III. impresso post ejusdem* Regul. Cancell.
17 *Beneficium per appositionem manus Papæ affectum ab inferiori collatore, nec conferri, nec uniri potest.*
18 *Amplia etiam si Ordinarius Collator sit Cardinalis, qui habeat indultum conferendi beneficia reservata, & affecta etiam per modum unionis; attenta constit. Urbani VIII.*
19 *Indultum non compre hendens facultatem uniendi, & supprimendi beneficia, multo minus afficit hospitalia, super quibus Papa manus apposuit.*
20 *Indultati potestas tanquam delegata non extenditur ad casus, & ad res in delegatione non expressas.*
21 *Hospitalis fructus in alium pium usum proximiorem tamen, nempè simillimum institutioni, & intentioni fundatoris, possunt applicari, si personæ juxta illius institutum contemplatæ defecerint, vel perpaucæ reperiantur.*
22 *Ab ultimis piis voluntatibus Ordinarii quantominus fieri potest recedant, quia eas mutare non possunt.*
23 *Commutationes ultimarum piarum voluntatum soli Sanctæ Sedis arbitrio reservantur.*
24 *Seminaria ad quid instituta?*
25 *Unio hospitalis ab Ordinario facta favore Seminarii est insanabiliter nulla; utpote incongrua fini, ad quem hospitale fuit institutum; ex dispositione Sacri Concilii Tridentini.*
26 *Unionem, seu incorporationem extinctivam fundi uniti facere non potest Episcopus, sed solùm applicationem fructuum temporaneam pro loco, & tempore utiliorem, juxta Sacrum Concilium Tridentinum.*
27 *Hospitale nulliter seminario unitum dicitur vacare, ac si nunquam fuisset unitum.*

DECISIO CCCCXCIV.

Administrationem perpetuam hospitalis S. Nicolai de Ponticulo, vacantem per obitum R.P.D. Muotti olim Episcopi Triternatis, sibi à Sanctissimo Domino nostro committi obtinuit R.P.D. Alexander Tanari, sub

sub duplici narrativa, altera quod hospitale
prædictum juxta decretum sa. me. Alexan-
dri VIII. vacasset; altera, quod Eminentis-
simus Archiepiscopus illud nulliter univerit
Seminario puerorum civitatis Bononiæ.
Cumque executio literarum suæ provisionis
mihi directa fuisset, quæsitum hodie fuit à
me -- *An Literæ Apostolicæ sint exequendæ* --
& DD. *affirmativè* responderunt, quia cum
1 in omnibus visæ fuerint justificatæ, debent
omnimodè executioni demandari; *ad vul-
gat. text in cap. super literis de rescript.*, *&
in cap. Si Capitulo ubi gloss. in verb. exequa-
tur de probat. in 6. Rot. dec. 30. n. 1. part. 19.
recent.*

Et sane de vacatione juxta dictum decre-
tum, quæ fuit primo loco expressa, consti-
tit ex eo, quod cum sa. me. Alexander VIII.
promovendo d. R.P.D. Musotium ad Episco-
patum mediante consistoriali decreto decla-
raverit per hujusmodi promotionem cessasse
administrationem hospitalis prædicti; eique
solummodò retentionem ad vitam permise-
rit, ita demandando suspensionem vacatio-
nis usque ad ejus obitum, eo ipso, quod cum
tali decreto Papa manus apposuit, ligatæ re-
2 manserunt manus cujuscumque inferioris
Collatoris, & provisio pro ea vice à Summo
Pontifice petenda erat propter efficaciam
appositionis manus ejusdem Summi Pontifi-
cis. Ad *Text. in extravag. ad Romanos §. Ro-
mani de præbend. Marchesan de commiss.
part. 1. n. 191. cum seq.*, *Gabr. cons. 166 n. 6.
lib. 1.*, *Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. gloss. 52.
n. 6.*, *Pax Jordan. Lucubrat. Eccles. tom. 2.
lib. 10. tit. 2. n. 3.*, *Rot. cor. Capataquen. dec.
282. n. 5. part. 3.*, *& coram Coccin. dec. 2245.
num. 16.*

Non attento quod agatur hic de hospitali,
quod in titulum Ecclesiastici Beneficii con-
firmari non consuevit, nec est subjectum re-
servationibus Quoniam omissa responsione
adducta per scribentes favore provisi Aposto-
lici, quod scilicet non subsistat, omnia hos-
pitalia esse tantùm officia laicalia, cum ubi
sunt fundata auctoritate Episcopi, habean-
3 tur tanquam spiritualia, & Beneficia Eccle-
siastica reputari debeant, ad tradita per *Lot-
ter. de re benef. lib. 3. quæst. 6. n. 14. cum seqq.*
ubi etiam quod ex hac ipsa ratione compræ-
henduntur hospitalia sub Regula Cancella-
4 riæ 26. de Beneficiis vacaturis per promo-
5 tionem, præsertim quando conferuntur ad
vitam, ut sese limitando, & explicando tra-
dit *Marescott. var. resol. lib. 2. cap. 5. n. 18.*,
6 *& seqq.* Cessare visa fuit difficultas, ex quo
affectio non provenit à spiritualitate rei, sed
à reverentia debita ipsi Summo Pontifici,
7 qui manus apposuit; ut enim inquit *Text. in
cap. ut nostrum de appellat.*, plus est, Ro-
manum Pontificem ad se aliquod revocare
negotium, quàm quemquam ad eum super
8 aliquo negotio provocare: quapropter sive
agatur de officio, ut hic, sive de beneficio,
debet utroque casu se abstinere quicumque
alius collator, juxta dispositionem ejusdem
decretalis, cujus altera pars habetur in *cap.
9 ut nostrum de Offic. Archidiac.*, in quo age-
10 batur de officio Cancellarii, quod ibi dici-
tur non fuisse spirituale, nec spiritualitati
annexum, ut etiam fusius habetur apud *Gon-
zal. in cap. ad nostrum de offic. Archidiac.*

Hæc autem ratio eo fortiùs procedit in
11 præsenti casu, ex quo cessante qualitate
Beneficii Ecclesiastici, administratio non va-
casset per assumptionem ad Episcopatum: &
tamen Summus Pontifex contrarium decla-
12 ravit, & vacationem dumtaxat suspendit
quoad viveret dictus Episcopus Musottus,
& ad hunc effectum eodem contextu dispen-
savit, signum evidens, quod noluit posse ab
alio provideri; nam aliàs decretum vacatio-
nis, & dispensationis retinendi superfluum
13 fuisset, ut in simili de jurepatronatus laica-
li, quod non cadat sub reservationibus apo-
stolicis, nihilominus si Papa apponendo ma-
nus decernat illud vacare, Ordinarius insti-
tuere non potest, sed illius institutio ab ipso
Summo Pontifice petenda est, ad tradita per
*Massobrium in prax. habendi concursum
prælud. 7. dubit. 2. n. 9.*, *Vivian. de jurepatr.
lib. 5. cap. 5. n. 159.*

Et ita rem se habere declaratum remansit
ex facto subsequuto, dum exposito Sanctis-
simo Domino nostro integro tenore d. de-
14 creti consistorialis, regimen prædicti hos-
pitalis R.P.D. Tanario commisit; hoc enim
maximè deservit saltem ad declarationem
actus, si aliquam dubitationem involveret;
Ancaran. cons. 293. nu. 1. & 2., *Lotter. de re
benef. lib. 4. quæst. 28. n. 96.*, *Card. de Luc. de
benef. disc. 75. n. 15.*, *Rota dec. 69. n. 22. p. 12.
recent.*

Atque ex his cessat objectum, quod cum
15 in præfato decreto consistoriali deficiat ex-
pressio, quod nullus præter ipsum Summum
Pontificem potuisset de dicto hospitali dis-
ponere, non possit inferri ad vacationem
juxta d. decretum. Etenim ipsa sola appositio
16 manus Papæ operatur, ut ipso facto sint li-
gatæ manus cujuslibet inferioris, nec opus
est ullo decreto irritante, aut inhibitione
speciali, quæ virtualiter, & implicitè ex di-
cta appositione manus promanat, ut defini-
tum legitur *in decreto sa. me. Pauli III. im-
presso post regulas Cancellariæ dicti Pontifi-
cis*, & probat *Gaspar. de Perus. de reservat.
quæst. 10.*, *bo. me. Paulutius olim nostri Tri-
bunalis emeritus Collega in tract. de Juris-
prudentia sacra tom. 2. lib. 6. tract. 10. cap. 4.*,
*Grimon. de Indulto Cardinalium §. Alio-
quin*, *Pax Jordan. lucubrat. Eccles. tom. 2.
lib. 10. tit. 2. num. 3.*, *Murga de benef. quæst. 3.
n. 316.*, & firmatum fuit *cor. Coccin. dec. 2245.
num. 16.*

Verificata ex prædictis narrativa vacatio-
nis juxta dictum decretum, remanet in ne-
cessariam consequentiam comprobata altera
narrativa nullitatis unionis factæ seminario,
quia si mediante appositione manus Summi
Pontificis non poterat de controverso hospi-
17 tali ullus disponere; ita nec minùs illud
unire

18 unire permissum erat. Non obstante indulto Eminentissimi D. Cardinalis Ordinarii conferendi etiam beneficia reservata, & affecta etiam per modum unionis attenta *Constitutione sa.me. Urbani VIII.impress.apud Corrad.in prax. benef. lib.14. cap.8.n.44*, & notant *Card. de Luc. de benef. disc.7. per tot.*, *Rota dec.307.n.11.part.13.dec.*

Fortiùs quia in indulto non continetur facultas uniendi, & supprimendi beneficia:
19 ideòque tantò minùs comprahenduntur Hospitalia, super quibus Papa manus apposuit, & de quibus non legitur in illis facta mentio; quoniam cum isto casu Indultarii conferant Jure delegato *ex Constitutione 59. san. mem. Urbani Octavi*, hujusmodi po-
20 testas delegata non extenditur ad casus, & ad res in Delegatione non conprahensas; *Rot. dec. 518.n.13. part.19. & in Corduben. Beneficii 18. Februarii 1704. §. Pro non comprahensione coram Rmo D. meo Decano, & 12. Decembris ejusdem anni §. Sese coram R.P.D. meo Omanna.*

Cæterùm etiam de stricto jure censuerunt DD. ex aliis pluribus deduci posse nullitatem unionis, & signanter ex eo, quod juxta dispositionem *Sac.Concilii Tridentini Sess. 25. de Reformat. cap.8.*, decernitur, quod
21 si personæ juxta institutum Hospitalis contemplatæ omninò defecerint, aut perpaucæ reperiantur; tunc illius fructus converti possint in alium pium usum proximiorem, nempè simillimum intentioni, & institutioni fundatoris, ut explicando litteram Concilii advertunt *Nicol. instit can. de relig. dom. n.5. Moneta de commut. ult. volunt. cap. 3. n.82.*, *& cap.5.n.327 Zypæus consult. Canon. lib.3. tit. de Relig. Domib. Consult.1. n.14. §. Sed demus & consult. 2. in fin*: Ea quidem solidissima ratione, ut quanto minùs fieri potest
22 à Testatorum voluntate recedatur; quia in Ordinarii facultate non est illorum dispositiones immutare, quæ unicè supremo S. Se-
23 dis arbitrio remissa est. *Clem. quia contingit. de Relig. domib. Rota in Cæsaraugustana portionis 2. Julii 1701. §. Licitum coràm bon. mem. Muto, & in Gerunden. Applicationis 14. Junii 1706. coram Rmo D. meo Decano.*

Quoniam cum institutum Seminarii præcipuè erecti pro alendis pueris, qui in Eccle-
24 siasticis Ministeriis instruantur, Sacros Ritus addiscant, & in studiis exerceantur, longè distet ab iis pietatis operibus, quæ exhibentur viatoribus sacras peregrinationes su-
25 scipientibus, idcirò hæc Hospitalis unio, & incorporatio tanquam facta in favoremSeminarii, & in usum omninò distinctum, & diversum à suo primæuo instituto contrà expressam literam Sac. Concilii insanabili nullitatis vitio laborat: ut in proximis terminis probat *Zypæus consult 1. sub n.14. de Relig. domib.*, & respondit *Rota coram Cels. dec. 260. n.12., & 13., & in rec. decis. 290. n. 9. part.17.*

Fortiùs quia Hospitale predictum fuit unitum, & perpetuò incorporatum Seminario
26 contrà formam Concilii, quod noluit incorporationem, & unionem extinctivam fundi uniti; sed solùm applicationem fructuum temporaneam ibi -- *pro loco, & tempore utiliorem*; -- ita ut variari posset juxtà temporum contingentias, ut benè advertit *Zypæus resp. Canonic. d. lib.3. resp.1. nu.4.*: Undè quocumque modo consideretur hæc unio, semper apparet illius nullitas, qua stante
27 Hospitale dicitur vacare, ut priùs, ac si nunquam fuisset unitum, & consequenter valida est provissio de eo facta. *Gabr. cons.188. n.7. in fin. lib.2. Lotter. de rec. benef. lib.3. quæst. 8. n.86., & seq. Rota coràm Seraph. dec.1309. n.2. & cor.Cels.decis. 260., n.16. & dec. 282. num.6.*

Et ita utraque &c.

TYBURTINA BONORUM SUPER BONO JURE.

Ven. 10. Junii 1707.

ARGUMENTUM.

Circa confinia plurima adducuntur, quod scilicet de mandato terminos apponentium constet in antiquis ex eorum assertionibus & mandantis Epistolis; de scientia Domini ex ipso facto permanenti: neque eorum situationem esse potius desumendam ex congruentia, & situatione loci. Quid, ex destinatione Domini, territorio adiectum, & in venditione comprehensum censeatur perpenditur. Cætera in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Expressio ab auctore facta ab hærede impugnari non potest, & contra illum plenè probat.*
2 *Error non præsumitur; sed est ab allegante probandus.*
3 *Prædiorum, & tenutarum unitas, vel divisio tota dependet a destinatione Patris famil.*
4 *Terminus est diversus à re terminata, eamque excludit.*
5 *Pertinentia loci ad unum potius, quam ad aliud territorium, quibus modis probetur?*
6 *Deputatio pro finibus dividundis probatur ex assertione deputatorum, & antiqua epistola deputantis.*
7 *Scientia probatur ex longo temporis cursu cum acquiescentia.*
8 *Præsertim cum agitur de facto permanente, & publicè, & interveniente judici facto.*
9 *Primogenitus successoribus præjudicare nequit in ponendis finibus.*
10 *Declara non eis præjudicari, cum agitur de hercisćundis fundis primogenituræ tunc temporis æquè subiectis.*
11 *Territorii terminus non ab ultima potius montis extremitate, vel fovei, vel Rivo interfluente constituitur; sed à termino, qui uti divisorius à longissimo tempore reputatur.*

12 Ter-

12 *Terminatio cum generali expressione ad tenutam facta, ab ejus finibus fit, non verò foveit, & rivit.*

13 *In venditione fundi eo modo, & forma quibus à venditore possidebatur, venit id quod ex destinatione venditoris fuerat eidem annexum.*

14 *Omnia, quæ sunt de territorio, & tanquam de eo administrantur, etiamsi ex destinatione Patrisfamilias talia effecta non fuissent, veniunt sub venditione; cum contrahentes voluerunt comprehendi ea, quæ de facto, & ex sola detentione de eo territorio sunt.*

15 *Verba in instrumento de contrahentium voluntate, non de stylo Notariorum apposita cognoscuntur; cum illa non in sola narrativa, sed etiam in parte substantiali contractus inserta leguntur.*

16 *Relatio ad instrumentum contractum ad relati terminos non limitat; cum non ad illum limitandum, sed ad alium finem fuit emissa.*

17 *Pretia rerum temporis decursu mutantur.*

18 *Identitas pretii non concludit eadem, quæ in longè antecedenti venditione comprehendebantur, in secunda longè posteriori tantum venire.*

DECISIO CCCCXCV.

A Sententia Rotali lata per Reverendissimum D. meum Decanum, qua declaratum fuit Terrenum di Valle mola esse de jurisdictione, ac Dominio Terræ S. Gregorii spectantis ad D. Principem Franciscum Pium de Sabaudia, non autem de pertinentiis Tenutæ S. Joannis in Camporatio Emi D. Cardinalis Francisci Barberini, fuit ad ejus instantiam in gradu appellationis mihi commissa Causa. Sed antequam illius merita discuterentur, institit idem Eminentissimus Dominus pro accessu ad locum differentiæ, ut oculari inspectione dignoscere posset, quod Terrenum di Valle mola juxtà suam naturalem situationem spectaret ad d. Tenutam Camporatii. Quamobrem facto per DD. accessu, proposui dubium super confirmatione, vel infirmatione dictæ sententiæ, illam *esse confirmandam*, responsum extitit.

Validitas in dubium revocata non fuit; justitia verò benè resultat ex fundamentis Decisionum editarum in præcedenti instantia sub diebus 9 Februarii 1705., & 26. Februarii 1706., quæ non potuerunt everti ex objectis denuò repetitis per informantes prò D. Cardinali: & signanter, quod cum antiquo tempore orta fuerit lis in nostro Tribunali coram bo. me. Cæsare de Grassis circa pertinentiam Terreni controversi; fuerit per rem judicatam declaratum, illud fuisse de Territorio, & Jurisdictione Monialium S. Silvestri, quæ tunc possidebant Tenutam S. Joannis in Camporatio, & à quibus causam habet D. Cardinalis mediante cla. me. Principe D. Maffeo Barberino: quodque in executionem dictæ Rei Judicatæ actus Jurisdictionales fuerint deindè gesti à possessoribus ejusdem Tenutæ, cujus etiam naturalis situatio hanc pertinentiam suadet,

Etenim loquendo de re judicata, illa mirabiliter retorquetur, dum tantum abest, quod locus di mola fuerit declaratus de pertinentiis S. Joannis in Camporatio, ut è converso in Ipsimet litteris Executorialibus illius vigore reportatis à Monialibus S. Silvestri exprimatur illum reperiri in Territorio S. Gregorii, ibi -- *de, & super spolio nonnullorum bonorum terrarum, & possessionum, ac parte ejusdem casalis positum, ac situm in Territorio Castri S. Gregorii* --: quæ sane expressio sicuti facta fuit ab ipsis Moniali-

1 bus, ita impugnari non potest à D. Cardinali ab eisdem causam habente, & contra ipsum plenè probat, ut advertit *prima Decisio* §. *ultra quod, & secunda* §. *Et primum*.

Absque eo quod hujusmodi expressionem

2 erroneè factam fuisse dici valeat; omisso enim quod error non præsumitur, sed esset concludenter probandus, *Rota dec.* 256. *n.* 2., 4. *coràm Priolo, & dec.* 649. *n.* 12. *coràm Bichio*: remanet ille omnino exclusus per eamdem sententiam, & rem judicatam Rotalem, in quibus nullum fuit verbum de territorio, ac Jurisdictione. Et licet inter bona, ad quę Monialibus concessa fuit reintegratio, exhoc dici posset à feudo S. Gregorii fuisse detractum jus territoriale, cum nulla sit implicantia, quod una tenuta, partim sit in uno territorio, partim in alio, quia Prædiorum

3 & Tenutarum unitas tota dependet à destinatione patrisfamilias, qui facere potest, ut ea, quæ separata sunt unum corpus constituant, ducto argumento *a Textu in L. Patronus* 35. §. *Sempronius ff. de legat.* 3., & *probat. Capyc. Galeot. lib.* 1. *contr.* 25. *n.* 9. & 15.

Eoque magis error excluditur, tàm ex subsequuta reintegratione, quæ fuit concessa sine ulla præcedenti probatione alicujus actus possessionem jurisdictionis respicientis, & cum simplici exhibitione Testium de sola fructuum perceptione deponentiū, quam ex Instrumento possessionis captæ a Monialibus in executionem d. judicati Rotalis, in quo locus controversus expressè asseritur confinare cum territorio Casalis S. Joannis ibi -- *che confina con Colle longo, e col Territorio del Casale di S. Giovanni* --. Atque ideo cum pro fine vocetur Casale S. Joannis, non

4 possunt controversa bona esse de ipsius Territorio, quia terminus est omnino diversus à re terminata, eamque excludit, *ad text. in L. eum Servo* 63. *ff. de contrahen. empt. Bald. in L. si cod. de evict. Rota dec.* 139. *n.* 18. *p.* 11. *rec.*, & *dec.* 1. *n.* 15. *p.* 17. *rec.*

Si vero sermo est de actibus, qui supponuntur gesti in executionem d. rei judicatæ, & illi mirificè comprobant quod spectat ad Territorium S. Gregorii: Nunquam enim Moniales Jurisdictionem exercere potuerunt in terreno controverso, quia prius erat de Territorio Poli, ut convincitur ex instrumento emptionis Terræ S. Gregorii fact. ab Excel-

Excellentissima Domo Barberina ibi.. *ab alio eum Tenuta S. Joannis vocat. Camporatii Territorii Poli..* : & in ea jurisdictionem exercuit D. Dux Poli, donec de anno 1635. illam dismembravit a suo Territorio,& prævio Apostolico assensu donavit Principi Taddeo Barberino ;

E converso actus jurisdictionales apparent semper gesti a possessoribus Terræ S. Gregorii, ut probatur primo ex duplici descriptione facta in catastro ejusdem Terræ paulo post d. Rotalem sententiam de annis scilicet 1590., & 1601. Secundo ex nonnullis enunciativis emissis in Instrumentis de tempore proximo eidem sententiæ, & usque in præsens continuatis præseferentibus, quod controversum Terrenum sit de Territorio d. Terræ. Tertio ex pluribus accusationibus damnorum datorum in illiusCuria, exactione pœnarum, collectarum, omniumque proventuum, & redditum in controverso loco tanquam de de parte integrali,& portione ejusdem Territorii. Quarto ex geminis descriptionibus confinium factis de anno 1636., & 1639. cum interventu Gubernatoris, & opera Peritorum ab ipsomet Principe Barberino electorum, qui describerunt controversum locum intra fines Territorii. Et quinto tandem ex pluribus testibus deponentibus de moderna, & antiqua pertinentia loci, de quo agitur, ad terram

5 prædictam. Quæ omnia sicut per se sufficerent ad destruendam quamcumque probationem in contrarium, ita multo magis sunt efficaces ad ostendendam pertinentiam loci prædicti ad Territorium memoratæ Terræ S. Gregorii, ut firmat prima decisio §. Secundo vigebat.

Et licet contra prædicta plures iterum repeterentur exceptiones aliàs etiam in præcedenti Instantia appositæ, tamen cum illis fuerit sufficienter satisfactum in decisionibus Rmi D. mei Decani, superfluum visum fuit etiam modo in earum examine immorari: Maxime quia, vel non probantur, prout est illa, quod Curia S. Gregorii processerit jure delegato, quia de tali delegatione nunquam fuit doctum, vel prorsus excluduntur, prout est supposita prohibitio in Instrumentis affictus de non accedēdo pro damnis datis adCuriam loci vicini,cum talis prohibitio in instrumento anni 1639. non legatur, & de facto constat, quod pro damnis datis in Valle *mola* accusationes delatæ fuerunt ad Curiam S. Gregorii.

Et quoad descriptionem confinium frustrà allegatur defectus mandati in Officialibus, qui interfuerunt, & ignorantia Prin-

6 cipis Barberini, quia deputatio resultat nedum ex ipsorum met hominum assertione facta in dd. descriptionibus, verum etiam ab Epistola ipsius D.Principis deputantis registrata in antiquo libro Communitatis, qui oculis DD. subiectus,cum nullo defectu laborare visus fuerit, de falsitate redargui non potest. Scientia vero D. Principis ex longi

7 temporis decursu juncta longeva ejusdem acquiescentia præsumenda est. Præsertim quando agebatur non de facto momentaneo,

8 sed adeo permanente, quod habuit effectum successivum, & descriptiones toto spectante populo, & authoritate Gubernatoris peractæ fuerunt à Peritis ad hunc præcisum effectum electis.

Replicatio autem, quod D. Princeps Bar-

9 berinus non potuerit descriptionem Confinium in præjudicium vocatorum ad Primogenituram approbare, visa fuit cessare, ex quo ante alienationem nullum præjudicium

10 illi irrogabatur, cum uterque locus esset eidem Primogenituræ subiectus; post alienationem verò omnem potestatem supplent amplissimæ derogationes Primogenituræ Sa. me. Innocentii X., & Alexandri VII.

Argumentum tandem, quod desumebatur ex congruentia, & situatione loci, quasi hæc digito monstraret, terminationem Ter-

11 ritorii haberi non posse in vertice montis, sed in illius ultima extremitate, & pendice, ubi adest foveus, seù rivus perennis, qui inter utrumque locum interfluit, nimis levè visum fuit, quia non omne flumen, vel foveus judicari debet pro confine, sed ille terminus, qui uti talis a longissimo tempore reputatur, ut in specie respondit *Surd. consf. 429. num. 20. Sperell: decis. 170. n. 3. Rota coram Emerix decis. 1080. num.5* Et de facto habetur, quod in venditione Feudi SanGregorii, de qua mox erit agendum, nihil de foveo dictum fuit, multoque minus pro termino allegatus, sed solum legitur expressum, quod confinabat ex illo latere cum

12 Tenuta S. Joannis in Camporatio, quæ generalis expressio benè ostendit continuationem Territorii usque ad verticem montis, in quo terminat d. tenuta S. Joannis. Addito etiam,quod ultra foveum D.Princeps non alio titulo, quam d. venditionis possidet plura bona in proprietate, & in fructu, prout etiam admissum fuit in prima sententia, in qua nonnulla ex eis reservata leguntur ibi.. *Reservato solum ipsi Excellentissimo D. Principi jure si quod illi competit ex titulo particulari dominii super Molendino, Valcheria, & quibusdam petiis Arundineti prope dicta bona, & terrena, atque in eodem loco existentia.*

Cum igitur ex prædictis constet nullatenus subsistere exceptiones adductas ad excludendum, quod terrenum controversum esset de pertinentiis S. Gregorii, quinimò ex descriptionibus confinium, actibus gestis, aliisque supra ponderatis convincatur illud

13 etiam ex destinatione D. Principis Barberini fuisse annexum d. Territorio, inde sequitur, quod dicatur comprehensum in venditione per ipsum facta,in qua expressè professus fuit, quod feudum vendebat eo modo, & forma, qua ipse possidebat, *ad text. in L. creditor §. fin. ff. de act. empt. Scoppa ad Merlin. Pignattel. contr. 183. sub n. 5. in fin. Centur. 2. cum aliis cumulatis in secunda decis. §. Ex quo ampla.* For-

Fortius quia in conventionem deduci voluit, quod vendita intelligerentur etiam ea, quę competiebant, & competere poterant — *ratione solius possessionis, vel juris etiam litigiosi, & tàm de jure, quam de consuetudine, & stylo, & alias quomodolibet spectan., & cum quibus in presens d. Excellentissimus D. Maffeus, & ejus authores jure, & consuetudine, & alias ut supra quomodolibet, usi, & gavisi fuerunt &c., & demum cum omnibus iis, quibus &c. Castrum ut supra venditum tenuerunt, & possederunt, & cum omni, & toto eo, quod ad d. terram &c. tàm de usu, quam de consuetudine, & alias quomodolibet, & quovis jure spectat, & pertinet nihil penitus excepto* —: Ex quibus verbis manifeste deprehenditur contrahentes in venditione vendere voluisse etiam ea, quæ de facto, & ex sola detentatione tanquam de Territorio Terræ S. Gregorii debebantur: ac per consequens etiam Terrenum, de quo agitur, etiamsi ex destinatione patrisfamilias talem effectum non fuisset, cum tunc tanquam de Territorio administretur, ut concludunt *Marcian. disput. 92. n. 8 & 9. Capyc. latr. consult. 65. n. 40. 41. ad 51. lib. primo, & latiùs firmat prima decisio §. Cui juste, & secunda à §. primo cum seq.*

14

Absque eo quod obstare valeat animadversio, quod vere istamet verba contineantur etiam in instrumento venditionis primo loco factæ per D. Ducem Po i favore D. Principis Barberini, & in quo certum est non potuisse contineri Terrenum controversum, cum jam fuisset postea emptum per Dominum Barberinam a Monialibus S. Silvestri. Unde inferebant informantes pro D. Cardinali, quod dd. verba generalia censeri debeant potius adiecta de stylo Notarii, quam ex particulari conventione. Maxime quia in hac ultima venditione facta D. Principi Pio fuit habita expressa relatio ad d. præcedens instrumentum cum constitutione ejusdem pretii, quod utique factum non fuisset, si hoc terrenum in primo instrumento non comprehensum, in hoc secundo contineretur.

Etenim quod verba adeo effrenata in hoc instrumento fuerint verè apposita ex contrahentium voluntate, non de stylo Notarii,
15 satis deduci visum fuit, ex quo illa non in sola narrativa, sed etiam in parte substantiali contractus inserta leguntur, ut in similibus dixit *Rota dec. 186. n. 5., & seq. part. 18, & dec. 128. n. 3. p. 16.* Quod vero fuerit habita relatio ad præcedens instrumentum, in quo hujusmodi terrenum non continetur,
16 bene tollitur, ex quo relatio non fuit facta ad limitandum contractum ad res solummodo comprehensas in antecedenti venditione, sed demonstrative ad enunciandum, quod terra prædicta fuerat empta per DD. Barberinos venditores a D. Duce Poli, & ex aliis latiùs deductis in decisionibus editis coram R̃mo D. meo Decano. Quinimo hæc circumstantia mirifice retorquetur, quia dum ut supra dictum fuit in hoc loco di *Vallemola* semper jurisdictione in exercuit D. Dux Poli tanquam de Territorio terræ S. Gregorii, relatio habita ad d. primam venditionem potius ejusdem loci comprehensionem ostendit, quam illius exclusionem, & semper augetur bona fides D Cardinalis Pii Emptoris, quod locus esset de hoc territorio, quæ sufficeret, ut etiam firmatur in dd decisionibus. Et tandem quoad identitatem pretii, pro quo utraque venditio facta dicitur, omisso, quod vere non est omnino uniformis, cum in secunda venditione in aliquo excedat, adhuc cum a primo contractu us-
17 que ad secundum intercesserint 43. ann. quo tempore potuerunt pretia rerum mutari, *ad text. pretia rerum ff. ad leg. falcid.*, bene dari potuit casus, quod pretium terræ San-
18 cti Gregorii fuisset interim diminutum: Et sic in venditione subsecuta etiamsi additum fuerit controversum Terrenum, adhuc expleta fuerit pro eodem pretio.

Et ita utraque &c.

TYBURTINA BONORUM SUPER MANUTENTIONE.

Veneris 10. Junii 1707.

ARGUMENTUM.

Habes in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Manutentio concedenda est probanti possessionem.*

2 *Fortius si concurrat bonum ejus in decisionibus recognitum, & emanans ab instrumentis.*

3 *Actus super alio loco gesti non turbant alterius loci possessionem.*

DECISIO CCCCXCVI.

Mandatum de manutenendo in possessionem Terreni *Valli Molæ*, quod prævijs geminis Decisionibus a dictis coram R̃mo D. meo Decano sub diebus 9 Februarii 170., & 26. ejusdem Mensis 1706. obtinuerat Excellentissimus D. Princeps Franciscus Pius de Sabaudia contra Eminentissimum D. Cardi-
1 nalem Franciscum Barberinum, hodie in hac ulteriori instantia coram Me DD. exequendum esse, censuerunt; Quia cum de illius diuturna possessione constiterit nedum ex dicto plurium testium deponentium, quod tàm cl. me. Cardinalis Carolus Pius Emptor Feudi S. Gregorii, quàm modernus D. Princeps illius Successor semper Controversum Terrenum tanquam de pertinentiis dicti Feudi usque in præsens possidere continuarunt: Verùm etiam ex innumeris actibus possessoriis ab ipsis gestis in exercitio Jurisdictionis, exactione responsionum, & receptione accusationum pro damnis datis, aliisque similibus latè examinatis in altera contemporanea Decisione hodiè pariter edita coram Me super bono Jure: Quæ omnia sicut sunt talis naturæ, ut per necesse inferunt qualitatem Terreni *Vallis Molæ* esse de pertinentiis Feudi S. Gre-

S. Gregorii: & nimis apertè convincunt possessionem dicti D. Principis, ità per necesse concludunt, quod eidem omni Jure concedenda erat Manutentio; *Leg. 1, & toto tit. ff. uti possidetis, & L. unica Cod. eodem Rota dec. 182. n. 1. part. 17. dec. 271. n. 5. part. 18., & dec. 284. n. 1., & seqq. part. 19. rec.*

Fortius quia præter possessionem concurrit etiam bonum Jus dicti D. Principis resul-
2 tans ex geminis Decisionibus illius favore editis super bono Jure, & ex claro, & limpido Instrumento venditionis verbis generalibus, & amplissimis concepto, quo mediante cl. me. Princeps Maffæus Barberinus venditor, & auctor dicti D. Cardinalis Francisci transtulit in Emptorem totum id, quod erat de Feudo S. Gregorii; quodue ipse possidebat: & proindè cum ante venditionem hoc Terrenum possederit tanquam spectans ad Fæudum S. Gregorii, ut ex geminata recognitione Confinium, descriptionibus factis in Catastro, & aliis circumstantiis ponderatis in altera mea Decisione; pernecesse dicidebet in venditione sibi facta comprahensum; ut firmatum fuit *coram Rm̃o D. meo Decano*, & prosequitur *altera mea Decisio edita super bono Jure §. Fortius cum seqq.*

Non attentis nonnullis actibus in contrarium gestis per dictum D. Cardinalem Barberinum; Quia isti tanquam respicientes te-
3 nutam S. Joannis in Camporatio, super qua nulla est Controversia, nihil concludunt ad intentum ejusdem D. Cardinalis.

Et ità utraque &c.

VERULANA ABBATIÆ SUPER INSTITUTIONE.

Ven. 17. Junii 1707.

ARGUMENTUM.

Gratiose in alterius loco subrogatus adeo illius personam subingreditur, ut ejus nominatio usque ad subrogati obitum continuasse dicatur, De pertinentia juspatronatus cum constat ex brevibus Apostolicis post centenariam pacificam possessionem ampliùs dubitari nequit. Testamento cujus exemplum in judicio criminali falsum fuit declaratum non talè esse ipsum contu, ut: præsertim cum omnia in eo contenta verificentur, & hæredis favore substitutorum ad est confessio seria, & in actu proportionato, & non suspecto emissa, quæ quod operetur declaratum habes. Conjecturæ pro recessu à *cons. 21. Oldradi* enumerantur: præsertim cum agitur de inducto fideicommisso decurando posta in vocatione Ecclesiæ post omnes descendentes; & onere perpetuo eisdem adjuncto, & cum defectus sine filiis consideratus fuit cum clausula *quandocunque*, & nomen appellativum filiorum est expressum in parte conditionali. Quomodo Notarius sucessor antecessoris acta possit ætrahere. Et Epistolis antiqui recognitis quando fides aliqua præstanda. Et quomodo filiatio probetur?

SUMMARIUM.

1 *Præsentato à patrono in quasi possessione in ultima vacatione existente ad limites, & statũ præcedentẽ, concedenda est institutio.*
2 *Prima præsentatio dicitur continuare usque ad obitum gratiosè subrogati in locum præsentati interim defuncti.*
3 *Subrogatio statum præcedentem, & præsentationem jam efformatam non immutat, sed subrogatum transformat in locum illius, cui fuit subrogatus.*
4 *Juspatronatus titulus verus efformatur ex præsentationibus per centum annos ab una linea factis, & executioni demandatis.*
5 *Falsitas testamenti omnibus requisitis muniti, & ab omni visibili vitio immunis non arguitur, & quo aliud ejus exemplum pro falso est judicatum.*
6 *Testamentum plenarie, & ad unguem observatum de falsitate redargui nequit.*
7 *Substitutionis probatio quomodò ex confessionibus primi hæredis probetur? cum non constat de legalitate testamenti exhibiti.*
8 *Fideicommisum conceptum per vulgarem, & restrictum ad vocasi obitum sine filiis expirat ad celebre* Cons. 21. Oldradi.
9 *Limita quando testator ulterius progredi voluit.*
10 *Progressivitas fideicommissi à testatore volita conicitur, si ille in casu obitus omnium substitutorum Eccl. siam substituit.*
11 *Et cum ulterioribus descendentibus onera perpetua imposuit.*
12 *Confessio progressivitatis fideicommissi facta à primo gravato, qui testatoris voluntatis conscius presumitur, eamdem comprobat.*
13 *Nepotes faciliut sub nomine filiorum veniant, cum non agitur de inducendo fideicommisso illorum favore: sed de jam inducto declarando.*
14 *Clausula* quandocomque *denotat tempus futurum, & perpetuum.*
15 *Nepotes, aliique descendentes veniunt sub vocatione filiorum, quando ejus defectus à Testatore consideratus fuit non simpliciter, sed cum clusula* -- quandocumque --
16 *Filiorum appellativum nomen quando fuit expressum in parte conditionali libentius admittit comprehensionem cæterorum descendentium.*
17 *Gravatorum factum cæteris verè ad fideicommissum, vel juspatronatum vocatis præjudicare nequit.*
18 *Decisiones aliàs editæ de stylo Rotæ supponuntur.*
19 *Probationis insubsistentiam fatetur, qui ad eumdem effectum remissoriam, vel compulsoriam petit.*
20 *Notarius sui prædecessoris instrumentum extrahere, & in publicam formam potest redigere.*
21 *Filiationem in antiquis probant enunciativæ in publici instrumentis.*
22 *Caracter denegatus, formali indiget recognitione.*
23 *Epistolæ antiquæ aliunde comprobatæ, & per solo adminiculo adductæ formali non indiget caracteris recognitione.*

DE-

DECISIO CCCCXCVII.

Responsum fuit in decisione edita sub die 23. Aprilis 1706. coram Eminentissimo D. Cardinali Caprara, institutionem ad controversam Abbatiam S. Petri de Babuco dandam esse Petro Philippo de Sanctis præsentato ab Alphonso, & Julio Cæsare de Philonardis, rejectis Joanne Baptista Liberato, Josepho Ressio, & Joanne Baptista Martiale præsentatis per Felicem Columnam R. P. D. Petram, & Nicolaum ejus nepotem per medium Septimiæ descendentes à Saturno Philonardo, ac Cinthium, & Philippum de Philonardis; ex quibus cum Liberatus, & Ressius non compareant, solusque Martialis fuerit ad novam audientiam admissus. Hinc ego in promoti Collegæ locum suffectus dedi dubium -- *An sit standum, vel recedendum à decisis* -- & DD. *in decisis* standum esse, responderunt.

Etenim cum Petrus Philippus fuerit præsentatus ab Alphonso, & Julio Cæsare de Philonardis, quorum primus existit in quasi
1 possessione præsentandi: & in ultima vacatione, quæ evenit per obitum Petrucci, præsentavit Nicolaum Brancam ab Ordinario per sententiam institutum, jure merito eidem ad limites, & statum præcedentem concedenda erat institutio, ut præter allegatos in *decisione quæ revidetur* §. *Aggrediendo*, tradunt *Ripa in cap. cum Ecclesia Sutrina n. 53 & 90. de caus. possess. propriet. Vivian. de Jurepatr. p. 2. lib. 11. cap. 6. n. 12 & 13., Gratian. discept. 577 n. 13., & Rota dec. 72. n. 2. p. 18., & dec. 252. n. 4. part. 16., & in Mediolanen. Capellaniæ 23. Martii 1702.* §. 1. *in fin. cor. Rmo D. meo Decano, & in Beneventana Beneficii 25. Junii 1703.* §. *Institutio enim cor. me.*

Nec ad intervertendum hujusmodi ultimum statum opponi valet, quod verè, & realiter Abbatiam non obtinuerit Branca, sed Martialis, per cujus obitum modò vacat. Quia cum in locum ejusdem Branchæ interim defuncti gratiosè fuerit subrogatus prædictus Martialis, & hoc jure Abbatiæ possessionem apprahenderit, ut firmant *decisiones in hac causa editæ sub die 20. Martii* §. *In hoc, & 28. Junii 1679.* §. 1. *& finali cor bon. me. Rondanino*, & refert *decisio quæ revide-*
2 *tur* §. *Causa devoluta*; prima præsentatio per Alphonsum facta in persona Branchæ, semper continuavit usque ad præsentem vacationem ex vi, & potentia subrogationis,
3 quæ statum præcedentem ex præsentatione jam efformatum non immutat, & subrogatum transformat in locum illius, cui fuit subrogatus, ut præter adductos in *decisione, quæ revidetur* §. *Quin obstet*, firmavit *Rota cor. Dunozect. jun. dec. 495. n. 16 & seqq. coram Peuting dec. 320. n. 6. cor. sa. me. Alexandro VIII. dec. 122. n. 14., & in rec. dec. 74 num. 4. part. 18.*

Præter ultimum statum concurrit etiam bonum jus Alphonsi, & Julii Cæsaris de Philonardis præsentantium resultans nedum ex testamento Cardinalis Ennii de Philonardis, in quo jus patronatus quod illius favore, ejusque hæredum & successorum sive personæ de sanguine ab eo nominandæ à sa. me. Clemente VII. fuerat reservatum post deficientiam lineæ Saturni nepotis primo loco vocatæ deferri voluit cum universa hæreditate ad descendentes masculos Marci Tullii Philonardi pronepotis, de quorum numero fuere Alphonsus, & Julius Cæsar, quorum favore, (cum sine controversia defecerit descendentia masculina Saturni) purificatus fuit casus vocationis: & per consequens juspatronatus transitum fecit in illos tanquam descendentes per lineam masculinam à Marco Tullio, ut firmatum fuit in *Verulana fideicommissi 13. Junii 1692.* §. *Deficit confirmata 8. Martii 1706.* §. *Etenim coram Eminentissimo Caprara.*

Verum etiam ex literis Apostolicis sa. me. Julii III., in quibus idem Pontifex ad petitionem Antonii, & Saturni primorum hæredum confirmando juspatronatus præcedenter reservatum à sa. me. Clemente VII., illud de novo aliquibus immutatis concessit, mandans præ cæteris, quod deinceps succederet non primogenitus Sacerdos ex descendentibus dd. Saturni, & Marci, ut in dicto testamento recensebatur; sed major natu ex successoribus hæredum dicti Cardinalis Ennii per lineam masculinam descendentibus. Cumque vigore dd. literarum apostolicarum spatio centum quinquaginta, & ultra annorum continuò præsentaverint, eorumque præsentationes ab Ordinariis pro tempore fuerint semper executioni demandatæ, ut fuit firmatum in *decisione hujus causæ edita 23. Februarii 1680.* § *Tale autem coram bo. me. Rondanino*; post lapsum tanti temporis hæsitari non potest de pertinentia jurispa-
4 tronatus favore dd. Alphonsi, & Julii Cæsaris, qui ab illis descendunt, quando etiam minoris temporis cursus sufficit ad inducendum titulum verum, & incontrovertibilem; ad firmata per *Rot. dec. 218. num. 51. & 53. part. 6. dec. 29. num. 2. p. 7. rec., & in decis. quæ revidetur* §. *Sed ulterius.*

Absque eo quod mereantur attendi quamplures exceptiones contra dictum testamentum deductæ, & signanter quod aliud consimile, sive illius exemplum, olim in hac causa productum per sententiam in judicio criminali latam anno 1688. fuerit declaratum pro falso. Quoniam præmisso quod sententia criminalis non loquitur de hoc publico testamento, quod nuper anno 1705. à persona incognita stimulo conscientiæ ducta sub sigillo confessionis exhibitum fuit, ut testatur R. P. D. Zaulus Vicesgerens in Urbe; sed dumtaxat de altero exemplo tunc in Archivio
5 Urbano reperto: ideòque falsitas dictæ scripturæ, quæ potuit provenire ex ejus suppositione, non est apta ad induendam falsitatem præsentis testamenti, quod tanquam solemne præseferens faciem publici instrumenti singulis requisitis munitum, & ab omni visibili vitio

vitio prorsus alienum, redditur immune à quacumque suspicione falsitatis; *Bartol. in l.2. sub n 1. vers. Si enim ff. Quemadmodum testamenta aper. Decian. cons.79.n.18.lib.5. Rota post Bonden. collect. legal. dec.23.n.16. cor. Duran. dec.180. sub n.6., & cor. dec.87. num.27.*

Obiectum cassare visum fuit ex eo, quod omnia legata contenta in hujusmodi testamento, & quæcumque alia, quæ leguntur in
6 eo ordinata plenariè, & ad unguem juxta modum, & qualitates ab Antonio, & Saturno primis hæredibus fuerunt executioni demandata, itaut nefas esset hodie dubitare de illius legalitate, quando in singulis ejus partibus reperitur uniformis observantiæ munimine roboratum, ut fuit firmatum in *Romana, seu Verulana fideicommissi* 15. *Junii* 1682. §. *Sed quatenus cor. bo.me. Rondanino.* Im-
7 mò admisso etiam testamento dicti Cardinalis solùm in genere, de quo scribentes hinc indè non dubitarunt; necnon vocatione Antonii, & Saturni nepotum, quæ resultat ex literis apostolicis fa.me. Julii III., in quibus expresso tenore Bullæ, seu concessionis fan. me. Clementis VII recensita legitur tota litera d. testamenti; cum enim habeamus confessionem ejusdem Saturni in actu proportionato, & tempore non suspecto emissam circa substitutionem factam favore descendentium à Marco Tullio in defectum lineæ Saturni, super qua versatur præsens controversia, curandum non est de supra enunciatis exceptionibus contra testamenti veritatem oppositis: vel quia ex prædicto testamento comprobata remanet illius existentia; vel & fortius quia etiam ab illo præscindendo mediante dicta confessione satis superque resultat probatio vocationis, quæ ad favorem Alphonsi, & Julii Cæsaris ad præsens exuberat, juxta plenè firmata in *decisione quæ revidetur edita* 23. *Aprilis* 1706. §. *De testamento cor. Emo Caprara.*

Posita autem dicta vocatione descenden-
8 tium à Marco Tullio non subsistit, quod fideicommissum utpotè conceptum per vulgarem, & restrictum ad obitum Saturni sine filiis *ex celebri consilio* 21. *Oldradi* extinctum remanserit, & expiraverit in persona Silvii dicti Saturni filii, à quo mediante fideicommisso conventionali de anno 1577., inito cum Paulo Emilio hæreditas transitum fecit in Cinthium & Philippum descenden-
9 tes ab illo, quia testator sub filiorum Saturni, & Marci vocatione non restrinxit ad filios ab eis immediatè tantùm descendentes, sed intellexit comprehendere eorum nepotes, prout patet, cæterosque descendentes, & ordinare continuationem fideicommissi
10 inter omnes descendentes. Tum quia in casu obitus omnium hæredum institutorum substituit Ecclesiam B. Mariæ Gratiarum Babu-
11 ci. Tum quia onus perpetuum eisdem descendentibus injunxit solvendi stipendium Concionatori, Medico, & Præsidi hospitalis. Tum denique quia hujusmodi fideicom-
12 missi continuationem fassus fuit ipse Saturnus in dd. contractibus per eum celebratis, qui tanquam primus gravatus conscius præsumitur de voluntate testatoris, ut præter alias conjecturas cumulatas advertit *decisio quæ revidetur* §. *Nec obstat cum tribus seqq.*
13 Verùm cum non agatur de inducendo novo universali fideicommisso, sed de eodem jam inducto declarando; tali casu faciliùs appellatione filiorum veniunt nepotes, & descendentes, juxta *Theoricam Bartol. in l. liberorum n.5. & 6. ff. de verb signif.* quam sequitur *Peregr. cons.132. num.5.lib.5., Barry de success. lib.8.tit.7.n.2.in fin., Andreol.contr.82. n.16, Fusar.de substit q 268. n.11., Card.de Luc.de fideic. disc.71.n.13.*

Certius quia defectus Saturni sine filiis
14 non fuit simpliciter consideratus, sed cum clausula -- *quandocumque* -- denotante tempus futurum, & perpetuum, per quam sub
15 vocatione filiorum comprehenduntur nepotes, pronepotes, aliique descendentes, ut de veriori testantur *Fusar.de substit.quæst. 321.n.28.. Mart. Med.dec.1.n.84., Rota dec.*
16 *6. n.34. & 35. p.5. recent.* Maximè quando nomen appellativum filiorum legitur expressum, ut hic, in parte conditionali, quo casu libentiùs admitti solet comprehensio cæterorum descendentium, ut probant *Mans. consult.346 n.28. tom.4., Rota coram Bich. dec.252.n.8., & in rec. dec.84 n.1. & 2. p.10., & dec.168 .n 6.p.17.*

Quæ omnia tanto magis stringere visa fuerunt in præsenti, quia Cinthius, & Philippus de Philonardis, qui præsentarunt Martialem, & possident quoque bona hæreditaria Cardinalis Ennii ex persona Pauli Emilii eorum auctoris, non sunt vocati, nec in testamento Cardinalis, nec in literis apostolicis Julii III.: undè (præter animadversiones explicitas in decisione quæ revidetur §. nullum pariter) juspatronatus in illis transire minimè valuit. Non obstante fideicommisso conventionali ordinato inter Silvium de linea Saturni, & Paulum Emilium, à quo
17 ipsi descendunt, quia illorum factum non poterat Alphonso, & Julio Cæsari verè vocatis præjudicium irrogare, ut firmat *decisio quæ revidetur* §. *Nullum pariter, & sequen.* cui consonat *Text.in cap. Sæculum, & in cap. illud de jurepatr., Rota dec.26. n.16. coram Zarate, & dec.12.n.15.coram Ninot, & dec. 258.n.5.p 9 recent.*

Descendentia autem Alphonsi, & Julii Cæsaris per lineam masculinam à Marco Julio comprobata jam extitit à nostro Tribunali in *Verulana fideicommissi* 13. *Junii* 1692. §. *Deficit, confirmat.*8. *Martii* 1706. §. *Etenim cor. Emo Caprara*, ideòque illa non est
18 amplius in dubium revocanda, cum de stylo nostri Auditorii dd. decisiones veniant præsupponendæ, ut concludit *decisio, quæ revidetur* §. *Quod autem.* Et quidquid opponitur per collitigantes contra defectum natalium non meretur attendi: vel quia fuit aliàs rejectum; vel quia hujusmodi exceptionem

19 tionem oon adhuc probatam impliciiè fateoturs dùm hodiè conremporaneè sub dispararo dubio remissòriam, & compulsoriam petunt ad effectum iustificandi assertam illegitimitatem.

Neque probatio dictæ Descendentiæ redargui valet ex quo non benè legitimetur persona Aotonii filii Joanois Mariæ Philonardi mediante fide natiuitatis ejusdem exarata per eumdem Joannem Mariam anno 1559., quæ supponitur extracta per Gosium Caocellarium Curiæ Episcopalis Verulanæ de anno 1621. quando ille ortum duxit valdè post, nempè anno 1628. Quoniam etsi in extractione reperiatur subscriptus idem Gosius; tamen hoc non evenit ex quo primordialis extractio fuerit ab ipso facta; sed quia remanente in Archivio Episcopali eodem originali extracto per Fatium antecessorem de anno 1621. ejusdem exemplum, sive transumptum raotummodo exaratum fuit à Gosio tempore quo ipse anno 1676. erat Cancellarius, qui rectè valuit sui prædecessoris scri-

20 pturas extrahere, & in publicam formam redigere, *juxtà monitum Bartol. in l. si quis ex argentariis §. Cogentur n 3. ff. de eden., Rota cor. Verall. dec. 244. n. 3. part. 2. coràm Ubaldo dec. 60. n 1. & cor. Pamphil. dec. 202. num. 2.* Maximè quia quando etiam dicta fides natiuitatis non prodesset; adhuc tamen aliundè resultat probatio filiationis dicti Antonii ex Joanne Maria, & de ea mentionem

21 faciunt quamplura publica Instrumenta, quæ in antiquis filiationis plenam probationem constituunt, *Rot. cor. Cerr. dec. 803. n. 9., & in rec. dec. 368. n. 6. part. 13., & dec. 133. n. 6. part. 15.*

Accedentibus etiam noonullis Epistolis exaratis per bon. mem. R. P. D. Marcellum de Philonardis, Joannem Petrum, aliosque Prædecessores Cinthii, & Philippi in actis productæ ad finem probaodi prænarratam descendentiam, & filiationem. Non obstante quod fuerit ab istis controversæ, illarumque Caracter denegatus; adeo ut formali re-

22 cognitione indigeant quia, ultrà quod ex iisdem Epistolis nihil aliud elici præteodiiur, quam generica probatio circà tractatus familiæ de Philonardis; animadversum fuit, quod

23 agitur de Epistolis antiquis, & pro solo adminiculo, ut præfertur aliundè comprobatis: & proindè supervacanea est formalis recognitio; ad firmata *per Rotam coram Verallo decis. 208. n. 8. part. 2. coram Pamphil. dec. 7. n. 7., & 12., & in Tudertina Pecuniaria 2. Julii 1700. §. Quarto non minus coram R. P. D. meo Ansaldo.*

Et ità utraque parte informante resolutum fuit.

VERULANA ABBATIÆ SUPER REMISSORIA.

Ven. 17. Junii 1707.

ARGUMENTUM.

Remissoria, & compulsoria in beneficialibus, cum iis est inter præsentatos pro probanda illegitimitate, & sic non jure alterius ex præsentantium Auctoris, oon concediiur, cum de ea fumus non solum non datur; quinimò ex contrariis probationibus excluditur.

In hac causa sunt decisiones in proxime superiori notatæ.

SUMMARIUM.

1 *Remissoria sine præcedenti fumo materiæ articulatæ concedi ex inconcusso stylo Rotæ non solet in causa beneficiali inter præsentatos vertente; & idem de Compulsoria* num. 7.

2 *Illegitimitatem non concludit publica vox, & fama, quæ potuit provenire ex principio incerto, & fallaci testium judicio, cum ad hoc constans, & invariabilis debeat esse.*

3 *Illegitimitatis suspicio quæcumque cessat; cum constet ex legitimo matrimonio filium susceptum, & pro legitimo, & naturali habitum, tàm in successione, quàm in divisione bonorum, & à consanguineis, & aliis in actibus proportionatis uti talem recognitum*, & num. 5.

4 *Quasi possessio præsentandi ad beneficium de jurepatronatus descensivo ejus Patris illegitimitatem excludit, & quare?*

6 *Filius non eo ex quo genitus non est ex secunda uxore articulari potest illegitimus, cum à prima fuit editus.*

8 *Compulsoriæ specialis requisita sunt, quod constet de existentia, & relevantia scripturæ compulsandæ, & absit calumniæ suspicio.*

9 *Et nisi copulativè concurrant non conceditur.*

DECISIO CCCCXCVIII.

PEtierunt Cinthius, & Philippus de Philonardis sibi concedi remissoriam, & compulsoriam ad effectum probandi ass. illegitimitatem Alphonsi, & Julii Cæsaris: quamobrem absoluto altero dubio super negotio principali, quæsitum fuit à me: *An esset locus petitæ concessioni*, & DD. *negativè* responderunt.

Respectu enim remissoriæ animadversum fuit, quod cum hic versemur io causa beneficiali

1 inter præsentatos vertente super institutiooe ad controversam Abbatiam S. Petri de Babuco, ex inconcusso stylo nostri Tribunalis sinè præcedenti fumo materiæ articulatæ remissoria concedi oon solet; ad tradita per *Card. de Luc. de benefic. disc. 99. nu. 9. Rota cor.*

*cor Coccin. dec.*167. *n.* 6. *cor. Dunozett. jun. dec.*552. *n.*1. *&* 2. & tamen in præsenti nec unus testis, nec aliud genus probationum fuit exhibitus; itaut deficiente fumo ad hunc effectum requisito, veniat omninò Instantia rejicienda, ex allegatis.

Immò nec ipsi articuli exhibiti quidquam ad intentum concludere possunt; in illis enim illegitimitas probari prætenditur ex publica voce, & fama, quæ in omnibus articulatur, quando ad effectum prædictum sola fama, quæ provenire potest ex principio incerto,
2 & fallaci testium judicio, & opinione, non sufficit, cum debeat esse constans, & invariabilis, ad *Text. in l. neque Natalis C. de probat.*, *& l. non hoc C. undè legitimi Bald. in l. Conventiculam n.*8. *C. de Episc. & Cleric. Surd. cons.*151. *nu.*74. *Rota cor. Coccin. dec.*68. *n.*18. *& in rec. dec.*178. *nu.*3. *part.* 10. Multòque minùs quia resistunt publica Instrumenta, ut infrà, *Rota cor. Seraphin decis.*155. *n.* 5. *coràm Gregor. dec.*321. *n.* 17 *& in rec. decis.*318. *n.* 6. *part.*17. *& in Romana legati super Articulis* 10. *Decembris* 1694. §. *Quæ eo fortiùs coràm R. P. D. Scotto.*

Et sanè cum tota probationis machina consistuatur in eo, quod Antonius, à quo Alphonsus descendit, & Claudius senior, à quo Julius Cæsar ortum non duxerint ex legitimis nuptiis; ad destruendam huiusmodi prætensionem, quoad Antonium exhibita fuerunt plura documenta, ex quibus constat Joannem Mariam de Philonardis, de cujus legitimitate non dubitatur contraxisse ma-
3 trimonium cum Margarita, & ex istis nuptiis susceptum fuisse Antonium prædictum, qui semper fuit reputatus filius legitimus, & naturalis Joannis Mariæ tàm in successione ad hæreditatem, quàm in divisione bonorum; ac tandem etiam uti talis fuit recognitus à consanguineis, & ab aliis in actibus proportionalis, itaut cesset omninò quæcumque illegitimitatis præsumptio quoad illum, *Rot. cor. Seraph. dec.*1331. *num.*8 *in rec. dec.*409. *num.*9. *part.*5 *& dec.*125. *num.*11. *cum seqq. part.* 15. *& dec.*44. *n.*2. *& seq. part.*19.

Accedit, quod Alphonsus, qui descendit à dicto Antonio, & præsentavit Petrum Philippum est in quasi possessione præsentandi; quia in vltimo statu anni 1676. præsentavit
4 Brancam: Quamobrem ista quasi possessio magnum præbet argumentum illius legitimitatis, quodque de ea nunquam fuit dubitatum: nàm aliàs fuisset ab aliis contradictoribus exclusus.

Quo verò ad Claudium justificatum fuit, quod ille natus est ex Marco Antonio, cujus legitimitas non controvertitur, & ex Elisa-
5 beth Buttacone prima legitima uxore, & tanquam natus ex isto matrimonio fuit recognitus à Parentibus, & à consanguineis: pluresque actus gessit tanquam filius legitimus, & naturalis dicti Marci Antonii plenè justificatos in Summario, & quos præsertim in antiquis, ut hìc, exuberare notum est, ex suprà firmatis; itaut etiam ex hac circumstantia tanto minùs sit habenda ratio de illis tribus articulis, ex quibus illegitimitas Claudii probari prætenditur, cum supposito, quod non fuerit genitus à Gregoria Pelona uxore dicti Marci Antonii. Quoniam iste duas successivè habuit uxores, quarum prima fuit Elisabeth, ex qua suscepit Claudium, secunda verò per obitum primæ fuit dicta Gregoria:
6 Undè stant benè simul, quod Claudius non sit genitus ex matrimonio cum Gregoria; & tamen sit legitimus, & naturalis filius Marci Antonii tanquam ex alia prima uxore procreatus.

Respectu verò compulsoriæ non minori facilitate censuerunt DD. illam esse denegandam ex eisdem rationibus, quibus denegata
7 fuit remissoria; cùm pro ea eadem requisita sint necessaria in beneficialibus, vt probat *Scacc. de Judic. lib.* 2. *cap.* 2. *n.*803. *&* 852. *cum aliis adductis cor. Celso dec.*299. *num.* 4. *&* 5. Potissimè si petatur specialis, pro qua
8 copulativè requiruntur; nimirum, quod constet de existentia scripturæ compulsandæ, illiusque relevantia, quodque omnis absit calumniæ suspicio, *Scacc. ubi suprà nu.*840. *& seqq. Rota cor. Duran. decis.*376. *n.*1. *& cor. Bich. dec.*471. *n.*1. Undè quidquid sit de
9 existentia, cum ex suprà firmatis alia requisita deficiant, hoc sufficit pro denegatione, *Vestr. in prax. lib.*6. *cap.*1. *n.*12. *Rota coràm Buratt. dec.*555. *num.*1. *& in rec. decis.*115. *num.*1. *part.*17.

Et ita utraque &c.

VERULANA ABBATIÆ SUPER LITTERIS APOSTOLICIS.

Lunæ 20. *Junii* 1707.

ARGUMENTUM.

Impetrans sub narrativa, quod juspatronatus laicale sit gratiosè per privilegium concessum, hoc probare debet, ut intret regulæ reservatoria mensium: nec tamen suffragatur cum Patroni non fundant se in privilegio, sed in centenaria quasi possessione præsentandi. Juspatronatus per brevia concessum, in quibus decernitur eidem per S. Sedem derogari nequire, & quod titulo oneroso augumenti dotis conceditur, reservationibus Apostolicis subiectum non remanet. Et tunc an hoc sufficiens augumentum dotis, vel dotationem Patronis, vel impetranti contrarium probandi onus incumbat, distinguitur. Actus præsentationis, qui per unicam decisionem Rotalem, absque subsecuta sententia, approbatur, cum præsentatus in Beneficii possessione continuat, nec ad aliam deventum fuit provisionem, approbatus dicitur in contradictorio judicio, nec potest controverti.

In hac causa sunt decisiones in superiori 497. indicatæ.

SUM-

S V M M A R I V M.

1 *In jurepatronatu gratiotè a Papa per privilegium concesso intrat regula olim 8., nunc 9. Cancellariæ reservatoria mensium.*

2 *Impetrationis litteræ non justificatæ executioni demandari non possunt.*

3 *Patronus habens centenariam observantiam allegare potest titulum onerosum, qui supervenisse præsumitur, etiamsi constaret a principio juspatronatum acquisitum ex gratioso privilegio Apostolico.*

4 *Juspotronatus, quod in Brevi a Summo Pontifice volitum fuit habere naturam jurispatronatus laicorum ex fundatione, & quod ex titulo oneroso augumenti dotis cum bonis ibidem descriptis concessum dicitur, est exemptum a regula reservatoria mensium. Et sub ejus narrativa impetrans quid debeat concludenter probare docemur.*

4 *Augumentum dotis, ad effectum obtinendi jaspatronatum, debet æquivalere medietati antiquæ.*

6 *Augumenti dotis congruitas probanda est a Patronis non existentibus in continuata pacifica quasi possessione præsentandi etiam in mensibus Sanctæ Sedis reservatis, ut excludant mensium reservationem.*

7 *Contrarium cum sunt in continua, & pacifica quasi possessione præsentandi, etiam in mensibus reservatis: Sed tunc contraria probatio spectat ad provisum apostolicum.*

8 *Præsertim quando ex præsentationibus antecedentibus convincitur, cum in eis facta est mentio, quod juspatronatus est ex fundatione, vel dotatione.*

9 *Et cum adest ultimus status contrarius.*

10 *Ultimus status jurispatronatus attenditur cum agitur inter solos præsentatos.*

11 *Status per unam licet decisionem firmatus sine subsecuta sententia, cum tamen victor in possessione continuavit usque ad obitum sine alia nova provisione controverti subinde non potest.*

DECISIO CCCCXCIX.

Litteras Apostolicas, quas Paulus Moraglia obtinuerat sub narrativa, quod controversa Abatia S. Petri Babuci esset Sedi Apostolicæ reservata in vim regulæ octavæ hodie nonæ Cancellariæ exequendas non esse ad instantiam Petri Philippi de Sanctis præsentati ab Alphonso, & Julio Cæsare de Philonardis patronis, respondit Rota sub die 23. Aprilis 1706. coram Emo D. Cardinali Caprara: cumque fundamenta istius decisionis hodie coram me fuerint ad examen revocata, DD recognita eorum subsistentia *in decisis* standum esse censuerunt.

Etenim cum Moraglia impetrator debuisset concludenter justificare, quod Abbatia prædicta sit de jurepatronatus gratiosè per
1 privilegium concesso a S. me. Clemente VII. & Julio III., prout ipse narravit, ut intret regula reservatoria mensium, eo ipso, quod
2 talis probatio deficit, non potest esse locus executioni Litterarum Apostolicarum, ut firmavit *Rota dec. 472. n.68, & 69. p. 19., in Parmen. Beneficii 28. Januarii* 1701. *§. cum enim coram R. P. D. meo Scotto, & in Cremonen. Beneficii 3. Decembris* 1706. *§. Præmisso coram me.*

Et sanè tantum abest, quod tàm Petrus Philippus, quam alii præsentati se fundaverint in privilegio, ut non solum illud nunquam allegaverint, vel exhibuerint, sed è converso unicè ostenderint quasi possessionem centenariam, juxta quam d. Abbatia continuo collata fuit ad præsentationem fa-
3 miliæ Philonardæ. Stante autem hac longæva observantia, exinde sequitur, quod etiamsi constaret a principio juspatronatum prædictum acquisitum fuisse ex privilegio gratioso in vim Brevium Apostolicorum Clementis VII., & Julii III., adhuc allegari possit titulus onerosus, & fundatus in dotatione, qui alias nihilominus supervenisse præsumitur, *ad tradita per Card. de Luc. de jurepatr. disc. 91, sub n.4. Rota dec. 218. p. 6., & dec. 29. utrobique num. primo p.7. in Januen. Abbatiæ 4. Maii* 1693. *§. Adhuc coram bo. me. Benincasa, in Florentina Canonicatus* 8. *Maii* 1705. *§. Etenim coram me* & alias favore eorumdem de Philonardis dictum fuit 23. *Februarii* 1680. *§. Non obstante cor.* bo. *me. Rondanino.*

Cæterum ubi etiam examinanda essent prælata Brevia, adhuc ad effectum, de quo agitur, possent patronis suffragari, quia in illo Sa. me. Clementis VII. expressum legitur, quod reservatio haberet *vim, & naturam jurispatronatus laicorum ex fundatione, & dotatione, & illi nullatenus per Sedem Apostolicam derogari, & si derogaretur, talis derogatio suffragari non posset.* Et quod magis est, in altero Sa. me. Julii III. dicitur fuisse de novo concessum ex titulo oneroso augumenti dotis cum specifica enumeratione bonorum certos annuos fructus reddentium, quæ fuerunt a Cardinali Ennio assignata, necnon expensarum erogatarum pro reparatione Ecclesiarum, & in comparandis ornamentis, & Sacris Supellectilibus, ut distinctè advertitur occasione alterius vacationis *in decis. ædita 23. Februarii* 1680 *§. Nihil dubitari cor. bo. me. Rondanino, & in alia, quæ prodiit inter istasmet partes 23. Aprilis* 1706. *cor. Emo Caprara.* Et consonat assertio ipsius Cardinalis Ennii, qui in suo Testamento expressè declaravit plura supplevisse ad finem acquirendi Iuspatronatus, suisque hæredibus iniunxit onus perpetuò providendi Ecclesiam de omnibus ad cultum divinum necessariis. Ex quibus omnibus cum Abbatia, de
4 qua agitur, non remaneat subiecta reservationibus Apostolicis, certum est, quod impetranti, cui obstat utrumque Breve incumbit onus concludenter probandi, vel d. fundationem, & dotationem effectum sortitam
5 non fuisse, vel augmentum non fuisse sufficiens,

ciens, nec æquivalere medietati antiquæ do-
tis ad effectum inducendi reservationem
Apostolicam, *Rota coram Dunoz. sen. dec.*
302. n. 12. Seraph. dec. 518. n. primo, & se-
quen., & in rec. dec. 725. n. 6., & seqq. p.
18., & dec. 472. n. 69. p. 19.

Absque eo, quod illud onus possit refundi
in patronos, eorumque præsentatum juxtà
6 auctoritates ad id allegatas. Etenim quidquid
sit in casu, quo Patronus non existat in quasi
possessione præsentandi, & agatur de benefi-
cio, quod alias fuerat per S. Sedem collatum;
in quibus terminis procedunt quotquot in
contrarium adducuntur Authoritates. Hoc
unum certum est, quod ubi, prout hic, ver-
7 samur in altero casu, quo patroni ab anno
1580. fere usque in præsens sine ulla inter-
ruptione sunt in quasi possessione pacificè
præsentandi tam in mensibus ordinariis, quam
reservatis præsumptio est, quod augumentum
dotis fuerit sufficiens, ut apud provisum Apo-
stolicũ remaneat onus probandi contrarium,
juxta distinctionem communiter receptam,
de qua *Rota d. decis. 472. n. 66. p. 19., &*
in Asculana Beneficiorum S Mariæ 24. Feb.
1680. §. Dotationes cor. bo. me. Rondanino.

Fortius quia hæc ipsa veritas convincitur
ex ipsis præsentationibus tanto temporis de-
cursu factis, prout signanter eruitur tam ex
institutione anno 1617. per Episcopum con-
cessa præsentato a Germanico Philonardo,
quam ex provisione Apostolica, & gratia
pro præsentato, quam Jacobus Petruccius
reportaverat anno 1634., in quibus fuit fac-
ta mentio, quod controversa Abbatia esset
de jurepatronatus illorum de Philonardis ex
fundatione, vel dotatione, quod sufficit ad
hunc effectum, ut probant *Card. de Luc. de*
jurepatr. disc. 2. n. 8. disc. 10. n. 3. 4., &
disc. 65. n. 26. Rota cor. Coccin. decis. 753.
n. 9., & in rec. dec. 218. n. 12. p. 6.

Immò in alia vacatione, quæ evenit anno
1676. licet Summus Pontifex hanc Abatiam
contulisset Candolphino tanquam de reser-
vato, attamen lite introducta in nostro Tri-
bunali partibus hinc indè contradicentibus,
fuit resolutum contra provisum Apostoli-
cum, ut plene colligitur ex *d. decisione*
edita anno 1680. cor. bo. me. Rondanino,
9 Unde etiam resultat ultimus status, qui ve-
10 nit unice attendendus in hoc judicio, in quo
agitur inter solos præsentatos, *ad text. in*
cap. consultationibus de jurepatr., & passim.

Replicatio autem, quod d. decisio fue-
rit unica, nec subinde ulla prodierit senten-
tia, nullam meruit animadversionem, quia
satis est, quod postquam præsentatus a pa-
tronis favorabilem obtinuit decisionem, in
11 sua possessione permansit usque ad obitum,
& Summus Pontifex non devenit ad aliam
novam provisionem, iste actus tanquam ap-
probatus in contradictorio judicio contro-
verti non potest, *Rota cor. Ubald. dec. 555.*
n. 4. coram Emerix dec. 357. n. 1., & in Are-
tina Beneficii 21. Januarii 1701. §. Suffa-
catu cor. R. P. D. meo Aosaldo.

Et ita utraque &c.

ROMANA IMMISSIONIS.

Mercurii 22. Junii 1707.

ARGUMENTUM.

Renunciatio, quod sit realis, & abdicativa non restricta ad solos renunciatarios convincitur ex ipsis renunciationis verbis, & acceptatione pro se, & hæredibus quibuscumque a renunciatario facta contextualiter, & extense in eodem folio omnimodè a renunciante approbato, & subscripto. Et ista comprehendit renunciationem successionis etiam fratri renunciatario, cum ille veniat sub nomine collateralium, quorum hæreditatibus est renunciatum.

In hac causa super fructibus est decisio 580.

SUMMARIUM.

1 *Proximiores intestato decedenti succedunt.*

2 *Proximitas per gradus distinctos est probanda.*

3 *Proximior præjudicari nequit in successione ab intestato per transactionem inter alios, ipso inscio, actam.*

4 *Renuncians realiter, & abdicativè pro mortuo habetur, & jus succedendi aliis proximioribus defert.*

5 *Renunciatio Religionem ingredientis ad differentiam illius emissæ a nubente in sæculo, præsumitur abdicativa.*

6 *Renunciatio est abdicativa, & comprehendit successiones de futuro, cum est amplissima, & continet generalitatem verborum extensam ad quæcumque titulum, & causam.*

7 *Et cum renuncians reservavit sibi annuam præstationem sua vita naturali durante tantum ex vi istius dictionis.*

8 *Renunciatio realis nec ad renunciatarii personam restricta demonstratur, cum ab isto est acceptata pro se, & suis hæredibus quibuscumque.*

9 *Renunciatio acceptata pro hæredibus demonstrat factam fuisse pro hæredibus etiam extraneis.*

10 *Acceptatio a renunciatario facta pro se, & hæredibus quibuscumque ex voluntate renunciantis quoque dicitur, cum est extensa in eodem instrumento, & contextualiter ad renunciationem in tota sui latitudine, & continentia a renunciante approbatam, & in fine subscriptam.*

11 *Renunciatarii hæreditas non censetur in donatione, seù renunciatione comprehensa.*

12 *Limita cum renunciatio est abdicativa, & amplissimis clausulis refecta, & expressam habet mentionem renunciationis hæreditatibus transversalium, & collateralium sub quibus fratres renunciatarii comprehenduntur.*

DECISIO D.

Monasterium, & Monachi S. Pudentianæ Urbis ex persona P. Hjeronymi non ob-

obstante ampla renunciatione ab eodem favore Caroli Antonii fratris, ac Elisabethæ Matris emissa, cum adhuc bona renunciata retinerent: nec illa favore proximiorum succedentium ab intestato d. Carolo. Antonio dimitterent, pulsati fuerunt a Fausta, & Susanna Sororibus, ac Filiabus respectivè Margharitæ d. Elisabettæ renunciatariæ Sororis, quæ judicium immissionis vigore interdicti *quorum bonorum* instaurarunt, & favorabilem sententiam in Tribunali Emi Vicarii Urbis reportarunt, a qua causa appellationis ad me devoluta proposui dubium -- *An sit danda immmissio* -- *& concedendam esse* responsum fuit.

Actrices namque cum tam ex persona Margaritæ eorum Matris, quam ex propria abundè probaverint se esse in gradu proxi-
1 miores Carolo Antonio renunciatario, de cujus intestata successione agitur, cum ille nullos alios in gradu proximiores præter prædictas Sorores reliquerit, ideoque eisdem ex intestata successione debetur immissio, *ad text. in l. prima, & toto tit. ff. & Cod. quorum bonorum, & in l.* 1. *§. Proximos ff. unde cognati Rot. in dec.* 115. *n,* 1.*, & dec.* 415. *n.* 2. *p.* 5. *rec., & dec.* 133. *num.* 5. *cor. Card. Cerro*,

Non attenta exceptione transactionis per Monasterium reum conventum initæ cum quadam Anna Gribella, quæ eadem Caroli Antonii renunciatarii bona hæreditaria ad comodum d. Monasterii dimisit. Etenim cum nullo modo in facto concludenter probetur eamdem Annam transigentem hæredem extitisse præscripti Caroli Antonii, quinimo nec constet quonam in gradu cum defuncto coniuncta fuisset, prout per gradus distinctos probari debuisset, *Rot. cor. Pamphil. dec* 54. *n.* 9.*, & in rec. dec:* 156-
3 *n.* 5. *p.* 13. inde manifeste sequitur, hujusmodi transactionem nullum præbere obstaculum immissioni ab actricibus intentatæ tanquam proximioribus in gradu, quibus eadem transactio inter alios expleta præjudicare non valet, *L. Imperatores* 3. *ff. de transact. L.* 3. *C. res inter alios acta, Rota cor. S. me. Greg. XV. dec.* 418, *sub n.* 9.*, &* 10.*, & dec.* 379. *n.* 13. *p.* 5. *rec., & dec.* 102. *n.* 13. *cor. S. me. Alex. VIII.*

Pariterque non relevat, quod de tempore obitus d. Caroli Antonii adhuc in humanis esset P. Hieronimus jam professus in Religione S. Bernardi illius Germanus frater, cæterisque proximior. Quoniam cum ipse ante emissam professionem amplissimam fecerit renunciationem, & donationem omnium bonorum, nil aliud sibi reservando, quam aonua scuta sex, quousque naturaliter vixerit. Hinc est, quod non poterat am-
4 plius in dd. bonis succedere, nam posita renunciatione reali, & abdicativa, prout hic, renuncians pro mortuo venit reputandus. & jus succedendi aliis proximioribus, uti sunt actrices, defertur, *Rota cor. Mastrill. dec.* 65. *n.* 11.*, & cor. S. me. Alex. VIII. dec.* 10. *n.* 4.*, & in Romana hæreditatis* 3. *Julii* 1684. *§. Quoniam cor. Rmo Turonen., & in Bononien. Trebellianicæ, & melioramentorum* 15. *Martii* 1688. *§. Altera decidendi coram bo. me. Benincasa.*

Absque eo quod in dubium revocari possit prædictam renunciationem fuisse realem, & abdicativam, non autem personalem, ac dumtaxat restrictam ad matrem, & fratres expresse in ea nominatos, prout à scribentibus pro monasterio allegabatur. Realitas
5 namque illius manifestè deprehenditur, non solum quia ea facta fuit intuitu ingressus in Religionem; quo attento ad differentiam renunciationis emissæ per nubentem in sæculo, præsumi debet abdicativa, *juxta communem Doctorum distinctionem, Gratian. discept.* 96. *n.* 40.*, & seqq., Merlin. Pignatell. cont.* 5. *n.* 4. *lib.* 1. *de Marin. quotid. resol. lib.* 2. *cap.* 189. *n.* 22.*, Conciol alleg.* 50. *n.* 40., & firmavit *Rota coram sa me Alexand. VIII. dec.* 10. *n.* 38.*, & in rec. dec.* 207. *n.* 6 *p.* 16.*, & in Romana legitimæ* 17. *Junii* 1701. *§. Quibus tamen cor. Emo Caprara.*

Verùm etiam quia renunciatio est amplissima uti continens *omnia, & quæcumque bona &c. ad ipsum spectantia, & quæ spectare possunt, & poterunt &c.*, nec non *jura succedendi tam ex testamento, quàm ab intestato in hæreditatibus ascendentium collateralium, & transversalium tam ex causa de præterito, quàm de præsenti, & futuro, & vigore quorumcumque jurium*: -- Ex quibus
6 profectò clausulis benè perpensis apertè resultare visum fuit, prædictam renunciationem fuisse penitùs abdicativam, & comprahendere successionem sibi deferendam etiam ex jure de futuro, videlicet ex præmorientia germani fratris, quæ sub generalitate verborum supra relatorum extensa ad quemcumque titulum, & causam jure optimo comprahendatur: *Galerat. de renunc. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 1. *in fin., Card. de Luc. de renunc. disc.* 8. *n.* 6.*, & de legitim. disc.* 33. *n.* 12.*, Rota cor. Bich. dec.* 631. *n.* 8. *& in Romana hæreditatis de Lauvriis* 18. *Junii* 1685. *§. Leguntur cor. Rmo Turonen., & in dicta Romana legitimæ §. Hic idem cor. Eminentissimo Caprara.*

Accedente præsertim reservatione facta per renunciantem annuorum scutorum sex monetæ sua vita naturali durante tantùm,
7 quæ dictio *tantùm* pariter suadet realitatem renunciationis. *Peregrin. de fideic art.* 52. *n.* 74. *in fin. vers. Item realis, Rot. dec.* 306. *nu.* 14. *&* 15. *part.* 13. *recent., & in dicta Romana hæreditatis de Lauvriis §. Idem similiter cor. Reverendissimo Turonen.*

Quibus omnibus adstipulatur acceptatio dictæ renunciationis in dicto Instrumento facta
8 per renunciatarium tam pro se, quàm pro suis hæredibus quibuscumque, quod similiter demonstrat renunciationem fuisse realem, nec restrictam ad personas renunciatariorum, cum ipsa hæredum mentio convincat
9 renunciantem nedum pro matre, & fratribus renunciasse, sed etiam pro hæredibus extraneis

tianeis; *Rocc.disp.jur.cap 56 num.18.& seq.*, *Rota cor.Emerix dec.1256. nu.10.. & in rec. dec.269.n 4 & 5 part.17.,& in dicta Romana hæreditatis de Lanvuiis 18. Junii 1685. §. Quamobrem cor Reverendiss.mo Turonen.*, *& in dicta Romana legitimæ § Hic idem coram Eminentissimo Caprara.*

Nec relevat, quod hæredum vocatio ex-
pressa legatur dumtaxat in acceptatione re-
10 nunciatarii. Etenim cum illa extensa repe-
riatur in eodem instrumento renunciationis,
& contextualiter ad ipsam renunciationem
in tota sui latitudine, & continentia per P.
Hieronymum approbatam, & in fine subscrip-
tam, hæredum mentio, & contemplatio re-
ferenda proindè non venit dumtaxat ad ac-
ceptantem, sed ulterius censenda est ex vo-
luntate quoque renunciantis in instrumento
apposita. *Rocc. d.disput.56.n.26.ad 32.*, *Ro-
ta cor.Bich.dec 632.n.1. & seq.,& cor. Eme-
rix dec.1256.n.10.*

Minusque juvat, quod agatur de succe-
11 dendo ipsi renunciatario, cujus hæreditas
non censetur in donatione, seu renunciatione
12 comprehensa. Etenim cum constet renun-
ciationem esse abdicativam ex effrenatissimis
clausulis, & verbis, dum fuit facta expressa
mentio de hæreditate fratris renunciatarii
per illa verba transversalium, & collatera-
lium, ambigi non potest, hæreditatem quoque
Caroli Antonii fuisse comprehensam tan-
quam à transversali provenientem, ut in spe-
cie firmant *Menoch.cons 335.num.15., & seq.
lib.4., Honded.cons.49.n.14.lib 1., Surd. cons.
562 n.2.4..cum duob.seqq., Rocc.disp. jur.se-
lect.cap. 56 n.61.*

Et ita utraque &c.

PERUSINA FIDEICOMMISSI SUPER EXPENSIS.

Merc. 22. Junii 1707.

ARGUMENTUM.

Taxatio in expensis facienda est in judicio nullitatis per rem judicatam terminato, etiamsi pendeat super eadem causa; quia in illa non proceditur per viam confirmationis, sed ex integro. Neque eam impedit renunciatio liti ab alio facta cum clausula de rato, nisi fuerit ratificata.

In hac causa sunt decisiones notatæ in...

SUMMARIUM.

1 *Expensarum taxatio quoad vivas integrè est facienda, quoad extrajudiciales in scutis decem pro qualibet instantia.*

2 *Sentential licèt ex solo capite nullitatis per rem judicatam sit sublata, judicium terminatum dicitur, & locus est expensarum toxationi.*

8 *Sententia declarata nulla per rem judicatam nomen sententiæ amplius non meretur: adeout si idem, quod in ea fuit concessum, sit iterum concedendum; non per viam confirmationis, sed tanquam in prima proceditur.*

4 *Renunciatio non libera sed sub conditione, non liberat à refectione expensarum post ipsam factarum.*

5 *Præservatio in renunciatione liti super invaliditatione sententiæ facta cum clausula sine præjudicio prosequendi causam quoad justitiam, vel injustitiam judicati est indebita, & cur?*

6 *Renunciatio liti facta nomine alterius, pro quo de rato, si non constat de ratificatione, vel mandato procuræ ad renunciandum, non impedit, quin debeant refici expensæ expeditionis postea secutæ.*

7 *Causa est expedienda, & expensæ reficiendæ, cum renunciatio liti non est profutura.*

DECISIO DI.

Concessa fuerat per sententiam latam à R. P.D. meo Priolo Camillo, aliisque de Valentinis immissio vigore *L fin. C.de Edict.D. Adr. tollen.* ad diversa prædia, & signanter ad hæminas octo cum dimidia prædii dicti *del Prepo* per Dionisium, aliosque de Crispoltis possessas; sed in gradu appellationis primò coram me, & deindè coram R. P. D. meo Scotto, fuit dicta sententia revocata, itaut supervenerit res judicata, in cujus executionem idem R.P.D. meus Scottus ad expensarum taxationem processit, a qua tamen appellarunt Valentini, & institerunt per me proponi dubium, super illius excessu; quod DD. *negativè* resolverunt.

De nullo namque excessu redargui valet
taxatio prædicta, cum in illa expensæ judi-
2 ciales, & vivæ, quæ a victo integrè, & us-
que ad obolum refici debent, certificentur
ex factis; extrajudiciales verò taxatæ fuerint
in scut.10. pro qualibet instantia juxta stylum
nostri Tribunalis; undè dicta taxatio nun-
quam redargui valet de excessu. *Rota dec.
622 n.5. part 18. rec., & in Alexanen.manu-
tentionis 15 Januarii 1703. §.Cedula coram
R.P.D.meo Caprarello.*

Nec obstare valuit exceptio, quod intempestiva fuerit taxatio expensarum factarum in causa coram me, quando judicatum R. P. D mei Prioli ex capite nullitatis & injustitiæ infirmatum remansit, & deindè coram R. P. D. meo Scotto nihil quoad justitiam determinatum fuit, sed ex capite nullitatis dumtaxat ntpote decisionibus non conformis sententia R P. D. mei Prioli revocata fuit: exindè inferendo, quod dum lis super justitia dicti judicati nondum erat terminata, expensę taxari non potuerint.

Etenim eo ipso, quod sententia præfata
successivè fuit per rem judicatam de medio
sublata, licèt revocatio illius processerit ex
2 capite nullitatis; id tantùm sufficit ad effe-
ctum, ut dictum judicium immissionis vigo-
re *Legis fin.* ad prædium *del Prepo* termina-
tum dici debeat, itaut omnes expensæ sint
victori reficiendæ, & contra succumbentem
taxandæ

taxandæ, *Rota dec.239.num.1., & dec.1293. pariter n.1.cor.bo.me. Emerix, & in rec. dec. 134.n.6.p.16.*

Quodque adeò verum est, ut si imposterum appareret, quod ad d. prædium debita sit immissio, quæ fuit per rem judicatam denegata, non ideò procedendum esset per viam confirmationis sententiæ R. P. D. mei Prioli; sed ex integro, & tanquam in prima veniret concedenda immissio, ex quo senten-
3 tia prædicta declarata nulla per rem judicatam, nomen sententiæ ampliùs non meretur, nec numerum facit *Rota cor. Royas dec. 311. n.7., & cor. Bich. dec.408. n.14., & cor. bon. me. Emerix dec.141.num.8., & in rec.dec.308. n.12.p.12.*

Minusque taxatio prædicta de excessu redargui valet quoad expensas factas coram R.P.D.meo Scotto sub prætextu, quod illæ fuerint voluntariæ, ac superfluæ utpotè factæ post renunciationem litis sub die 3.Augusti 1703. per Valentinos emissam. Tum quia dicta renunciatio non fuit libera, ut requiritur, sed sub conditione videlicet -- *sine præjudicio prosequendi causam quoad justitiam*
5 *vel injustitiam judicati* --: quæ præservatio nimis indebitè adjecta fuit, ex quo partes causam ampliùs super confirmatione sententiæ R. P. D. mei Prioli prosequi non poterant; sed ex integro lis erat introducenda. *Scacc. de appell.quæst.17.limit.19. n.11.* Tum
6 etiam quia renunciatio facta fuit à solo Camillo nomine etiam Jacobi fratris, pro quo promisit de rato; de cujus tamen ratificatione seu mandato procuræ nunquam, prout omninò necessarium erat doctum fuit. *Rot. dec.92.n.16.p.10.rec., & in Tarraconen.juris punctandi super expensis 14. Januarii 1704 §. prout in princ.cor. R.P.D. meo Omanna, & in Lucana præheminentiarum super expensis 4.Maii 1705. §. Magis verò, & seq. cor.eod.* Undè cum dicta renunciatio ex præ-
7 dictis non esset profutura, semper causa erat expedienda, & expensæ in ea factæ non sunt voluntariæ; ac propterea nullum inducere valent excessum, ex allegatis.

Et ita utraque &c.

ROMANA SECRETARIATUS APOSTOLICI SUPER FRUCTIBUS.

Merc. 22. Junii 1707.

ARGUMENTUM.

Habes in Summario,

SUMMARIUM.

1 *Condemnatus ad relevationem si sententiis non acquieverit, & relevandus interea damna patiatur, debeat eidem illa reficere.*

2 *Præsertim si idem relevans ab alio relevationem obtinuit.*

DECISIO DII.

CUm d. Princeps Pamphilius vigore duarum sententiarum conformium concedentium restitutionem pretii secretariatus apostolici per Flaminium Morolum d. Principi venditum, exequi fecerit mandatum contra nonnulla loca montium hæreditaria d. Moroli per Capitulum S. Eustachii Urbis tetenta; ideò Capitulum prædictum post obtentas alias binas sententias condemnantes Julium Cæsarem hæredem Francisci Votalarcæ (qui d. officium antea emptum à bo.me. Cardinali Francisco Barberino, deindè Morolo vendiderat) ad relevandum Capitulum à molestiis per d. Principem Pamphilium illatis, eumdem Julium Cæsarem interpellavit pro refectione damnorum, quæ occasione translationis dd. locorum passum fuerat.

Verùm post editam tertiam sententiam coram Reverendissimo Episcopo Conchen. super relevatione pariter Votalarcæ contrariam, impugnavit iste coram R. P. D. meo Priolo restitutionem fructuum dd. locorum montium loco damnorum, & interesse: sed adhuc per sententiam condemnatus fuit ad restitutionem fructuum in summ.scut. 707. à qua interposita appellatione obtinuit unico contextu aliam causam super articulo relevationis à Signatura committi in gradu restitutionis in integrum: & utraque controversia ad R.P.D. meum Caffarellum devolutam remansit, coram quo denuò Votalarca in utroque succubuit; & in gradu ulterioris appellationis causa quoad relevationem tanquam in judicatum transacta fuit commissa cum clausula -- *S. P.* --: & Votalarca illam ampliùs prosequi non curat: quo verò ad restitutionem fructuum commissa simpliciter fuit; quamobrem proposui -- *an sententia rotalis sit confirmanda* -- & informante dumtaxat Capitulo *affirmativa* prodiit resolutio.

Sententia namque undiquè valida, & justa recognita fuit ex fundamentis, & rationibus expressis in decisionibus, quæ præcesserunt sententias condemnantes Votalarcam ad relevandum indemne Capitulum à molestiis sibi illatis à d. Principe Pamphilio, & pro effectu hujusmodi relevationis eidem solvendum certam summam unà cum damnis & interesse forsan patiendis: undè cum Votalarca sententiis prædictis non acquieverit, & sic ob illius causam Capitulum usque de mense Junii 1701. coactum fuit pati translationem locorum montium in summa scuto-
1 rum 8191. eorumque fructus ferè per triennium deperdere; indè sequitur, quod omni jure teneatur Votalarca tales fructus loco damnorum, & interesse eidem Capitulo restituere, ut plenè firmatum fuit in *decisionibus præsentis causæ, altera sub die 26. Junii 1703. cor. R.P.D. meo Priolo, & aliis duabus sub die 8. Maii 1706. cor. R. P. D. meo Caffarello*, cum quibus DD. hodie in omnibus pertransierunt.

Tantoque magis, quia idem Votalarca agnita veritate non se opponit, sed ex istis-

met

met rationibus similem relevationem pro sui indemnitate reportavit à d. Principe Barberino hærede bo.me. Cardinalis Francisci. qui dictum secretariatum apostolicum auctoribus Votalarcæ vendiderat, prout apparet ex altera huic contemporanea decisione.

Et ita Capitulo tantùm informante &c.

ROMANA SECRETARIATUS APOSTOLICI SUPER RELEVATIONE.

Mercurii 22. Junii 1707.

ARGUMENTUM.

Habes in Summario
Confirmatur infra decis. 515.

SUMMARIUM.

1 *Molestias passus, & qui mandatum habuit pro damnis expeditum, est relevandus pro eadem summa ab eo, qui eumdem relevare tenetur.*

2 *Obligatus relevare tenetur ad fructus expostulatos pro relevatione damni ab eo qui relevandus est passi, & pro quibus obligatus ad relevandum fuit per rem judicatam condemnatus ex causa molestiarum illatarum: etiamsi ille esset debitor pecuniarius. Ad differentiam casus in quo molestias passus peteret fructus pro summa ab eo persoluta, ad effectum illos sibi appropriandi independenter à damnis.*

3 *Obligatus ad relevationem, qui unicè molestias passo causam damni dedit, illud reficere debet.*

4 *Damnum suum sequi debet auctorem.*

5 *Intimatio distractionis capitalis facta molestias passo à tertio creditore, non est ab isto intimanda obligato ad relevandum, qui de suo debito, & de obligatione relevandi à molestiis passis notitiam habuit, & tamen adimplere distulit.*

6 *Vel ex interpellatione pro relevatione, & notitia successivæ litis continuationis, & succumbentiæ, est supleta per æqu pollens.*

DECISIO DIII.

Sicuti Capitulum S. Eustachii per plures sententias obtinuit contra hæreditatem Francisci Velatarcæ relevari à molestiis per dictum Principem Pamphilium illatis, ita & Julio Cæsari Votalarcæ hæredi dicti Francisci per plures pariter sententias usque ad rem judicatam concessa fuit relevatio contra hæreditatem cl.me. Cardinalis Francisci Barbarini: undè cum Votalarca condemnatus fuerit, ut ex facti serie in mea contemporanea decisione relata, ad restituendum Capitulo S. Eustachii fructus locorum montium translatorum ex causa non restitutionis pretii dicti officii, & etiam ad refectionem expensarum occasione præsentis litis factarum. Ideò institit coram me in eadem audientia proponi dubium -- *An Julio Cæsari competat relevatio contra bona hæreditaria cl.me. Cardinalis Francisci Barberini pro fructibus liquidatis, & expensis taxatis favore Capituli S Eustachii* -- : Et DD. non attenta dilatione per hæreditatem clr. mem. Cardinalis Francisci petita *pro Informante* responderunt.

Etenim Julio Cæsari assistit res judicata, in qua hæreditas Cardinalis Francisci condēnata fuit non solùm ad refectionem pretii controversi secretariatus, verum etiam ad omnia damna per ipsum forsan patienda: ideòque cùm Julius Cæsar passus fuerit contra se ipsum relaxari mandatum ad instantiam Capituli S. Eustachii in summa scutorum 767 pro fructibus locorum montium à dicto
1 Principe Pamphilio avocatorum; congruum & omni jure consonum est, quod pro eadem summa in vim dictæ rei judicatæ teneatur hæreditas Julium Cæsarem relevare. *Rot. cor: Emerix dec. 1170. num. 1., & in Bononien. Pecuniaria 15. Januarii 1581. §. Exequendum cor. bo. me. Rondinino, & in Romana, seu Neapolitana liberationis à molestiis 15. Junii 168 . §. Quæ sanè verba cor. bon. mem. Albergato.*

Nec obstare posset si diceretur, quod dicta hæreditas Cardinalis Frrncisci sit debitrix pecuniaria dumtaxat: ideoque condemnari nequeat ad fructus locorum montium.
2 Objectum namque locum haberet, quotiès Julius Cæsar peteret fructus pro summa ab eo persoluta, ad effectum illos sibi appropriandi independenter à damnis. Verùm cum illos expostulet pro relevatione damni à se passi ex causa molestiarum sibi à Capitulo S. Eustachii illatarum, ad quam hæreditas tenebatur, ut fuit judicatum per tres sententias conformes; indè sequitur non intrare in præsenti objectum ductum ex qualitate crediti; sed unicè attendendam esse legem rei judicatæ, quæ ad omnium damnorum refusionem hæreditatem condemnat, *Text. in L. unica Cod ne liceat in una eademque causa Rot. cor Coccin. dec. 620. per tot., & in recentior. decis. 519. n. 14 p18.*

Maximè quia damnum principaliter ex culpa hæreditatis provenire visum fuit; ex quo si D. Princeps Prænestinorum dictæ hæreditatis possessor satisfactionem pretii controversi Secretariatus tamdiù non distulisset; utique D. Princeps Pamphilius non avocasset loca Montium Capitulo: ac propterea in eadem satisfactione deficiente D. Principe
3 hærede, eidem unicè causa damni venit imputanda: & per consequens ad relevationem
4 est condemnandus; cum omnis ratio postulet, quod damnum suum sequatur authorem; *Rot. in Romana Reintegrationis Primogenituræ 13. Junii 1698. §. fin. coram Me.*

Non attento quod D. Princeps Barberinus non fuerit interpellatus à Julio Cæsare de distractione dd. Locorum Montium Capituli facta ad Instantiam D. Principis Pamphilii. Etenim cum ille notitiam habuerit de

suo

5 suo debito, & de obligatione relevandi à molestiis passis, & tamen distulerit relevationem, vel solutionem; utique vel non erat necessaria interpellatio pro relevatione damni provenientis ex retardata solutione, ad illud reparandum destinata, vel per æquipollens adimpleri posset; ità ut debitor suf-
6 ficienter dici debeat interpellatus ex petitione relevationis circà damnorum refectionem emissa in Monitorio, ac ex successiva illis substentatione, ac succumbentia Votalarcæ, & Capituli bene D. Principi Barberino nota, ut advertit *Card. de Luc. de usur. discurs. 34. n 6.7.*, & plenè *firmatum* fuit *in aliis Decisionibus hujus Causæ tàm super fructibus, quàm super restitutione in integrum editis sub die 8. Martii 1706. coram R.P.D. mea Caffarello*.

Ultrà relevationem prædictam in summa scut.707. tenetur quoque D. Princeps Barberinus relevare Julium Cæsarem ab expensis; cum ille stet sub executione imminenti alterius mandati scut. 218.relaxati ad Instantiam Capituli pro expensis, cum jam habeatur casus decisus in eisdem terminis contra D. Principem favore Julii Cæsaris, ut patet *ex lectura Decisionis editæ in præsenti Causa super expensis sub die 4. Decembris 1705. coram R.P.D. meo Omanna*; cujus fundamenta hodiè iterum DD. approbatunt.

Et ita altera &c.

ROMANA, SEU FIRMANA IMMISSIONIS.

Lunæ 27. Junii 1707.

ARGUMENTUM.

Habes in superiori Dec.449. cujus hæc est confirmatoria.

SUMMARIUM.

1 *Dimissio rei probatur ex declarationibus factis illam non possidere; nec possidere prætendere.*

2 *Et ex declaratione alterius partis, quæ ad divisionem promptam se dicit.*

3 *Ad divisionem devenire non potest, nisi præcedenter adsuerit communio.*

4 *Divisio supponit possessionem bonorum, quæ dividi debent.*

5 *Contra factum proprium venire quis nequit.*

6 *Aditio hæreditatis non probatur, si fiat apprehensio bonorum ex alio titulo, & num. seq.*

8 *Qualitas hæreditaria Patris legitimè non inducitur ex possessione bonorum ejusdem; si filii sint minores.*

9 *Præsertim si desint solemnitates Ægidianæ constitutionis, & Carpensis, & hæreditas potius sit minori damnosa.*

Exceptiones turbidæ, & altioris indaginis in judicio immissionis ad aliud separatum remittuntur.

DECISIO DIV.

Adversus Decisionem editam coram Me sub die 10. Decembris proximi preteriti, in qua concessa fuit Annæ Catharinæ, & Cajetano de Brunettis immissio ad duas ex sex partibus bonorum fideicommissariorum Joannis Dominici de Imperatoribus consistentes in Horto hic in Urbe existente, una cum condemnatione ad restitutionem fructuum à die abitus Josephi Octavii Patris auctorum, obtinuit Dominicus Brunettus dicti Josophi frater, & reus conventus denuò audiri: Ideò examinatâ iterum controversia, DD. perstiterunt in *Decisis*.

Nec ad retardandam immissionem, Actoribus, extrema in hoc judicio necessaria probantibus debitam, ut in alia mea Decisione §. Existentia, satis fuerunt objecta iterum repetita, & in præterita Decisione sublata, videlicet, quod illi prius dimittere teneantur Prædium S Luciæ, quod penès se adhuc retinent, quando illud in totum ad dictum Dominicum spectare prætenditur:

Etenim cum in Confesso sit inter partes, quod dictum Prædium veluti antiquitùs spectans ad communem Patrem pro medietate ad quemlibet ex fratribus devenerit; Indè sequitur, quod dum Actores medietatem illius jam dimiserunt Dominico; tota difficultas reducatur ad aliam medietatem, quam isti adhuc retinent.

Absque eò quod possit in Dubium revocari dimissio facta de medietate prædicta; cum illa probetur ex replicatis declarationibus, quod illam non possident, nec possidere præ-
1 tendunt; imò quod illam relaxant eidem Dominico. Atque ità rem se habere consti-
2 tit etiam ex ejus Epistolis, in quibus se ad divisionem promptum esse dicit, ad quam sicuti
3 devenire non poterat, nisi præcedenter ad fuisset communio; ità convincitur, quod Dominicus post obitum Josephi Octavii possessionem suæ medietatis realiter asseruerit; cum
4 divisio supponat possessionem bonorum quæ dividi debent. *ad Text. in L prima in fin. ff. com. divid. Fenzon. ad Stat. Urb. cap. 101. Rota dec. 432. n. 1. par 19. rec.*

Tantoque magis, quia usque ab obitu Josephi Octavii, Dominicus renuens persistere in Conventione de anno 1685. secum inita persolvendi scu. 25. annua; dictam medietatem propriam sibi retinuit, ut plenè habetur in alia præcedenti mea Decisione: Ideoque cum à primo ad ultimum undique probata remaneat possessio medietatis dicti Prædii penès Dominicum; indè sequitur, quod nil habeat, de quo ulteriùs quoad eam conqueri possit: Et in omnem Casum DD. ad tollendam omnem difficultatem demandarunt, quod in actis de novo fiat ejusdem medietatis dicti Prædii dimissio.

Quoverò ad aliam medietatem spectantem ad Josephum Octavium Actorum Patrem: & ad quam restringebatur difficultas; censuerunt DD. non esse illam dimittendam Quamvis prætenderet Dominicus, quod sibi in solutum

lutum tradita fuerit per Josephum Octavium, dùm viveret, ad effectum dimittendi Creditores. Etenim quidquid sit de assignatione hujusmodi, hoc unum certum est, quod cum ipsemet Dominicus demandaverit, quod non modica pars istius traderetur in Dotem Annæ Catharinæ, ut patet ex *Summ. Actorum n.3.*, non potest modo ipse quo Actores
5 agunt pro vindicandis bonis fideicommissariis; illius retentionem impugnare, & sic contra factum proprium venire; *Rot. dec.22. n.1. par.1.*, *& dec. 110. part. 2. divers.*, *& in rec. dec.403. n.7. part.* 19.

Addito præsertim, quod rata dicti Prædii in Dotem tradita pro scu. 400. est integra Prædii medietas, ut controverti nequit: cum hoc resultet ex prædicta datione in solutum, in qua valutata fuit medietas Josephi Octavii in scu. 375.: & sic cessabit quæcumque difficultas; vel superexcedit in aliquo; & adhuc quantitas excedens poterit retineri ex alio titulo Dotis maternæ, pro qua Prædium erat obligatum ante ipsam dationem in solutum.

Non revelante, quod bona dotalia Matris absorbeantur à debitis. Quia præter corpora, quæ per Dominicum enumerantur; ad sunt mobilia solidioris materiæ, & credita per Josephum Octavium recuperata; quæ proindè ab istius hæreditate bonificari debent.

Minusque juvat recursus ad aliud repetitum obiectum, quod Actores sint hæredes Josephi Octavii Patris. Quoniam aut sermo est de Anna Catharina, & quoad illam tale quid non verificatur; cum unius actus possessionis dictæ ratæ Prædii processerit ab illius
6 assignatione in Dotem de expresso præcepto ejusdem Dominici facta, ut mox dictum fuit: & propterea nullum ex eo induci potest aditionis argumentum; *Adden. ad Buratt. dec.207. n.7. Rota coram eodem dec.523. n.1.*, *& coràm bon. mem. Emerix dec.157. n. 2. 3.*

Aut verò talis qualitas prætenditur verificata in Cajetano; & neque quoad istum nullus datur actus, qui hæreditariam qualitatem inducere per necesse valeat: Nam si quæ Præ-
7 dii rata apud ipsum reperitur, illa referibilis est ad Jura dotalia suæ Matris, ut supra notatum fuit. Assignatio verò facta in dotem Sororis alterius partis dicti Prædii, tanquam facta ex præcepto Dominici, reputari nequit pro alienatione ad inducendam qualitatem hæreditariam.

Cæterùm hæreditatis aditio penitùs excluditur attenta minoritate Actorum, in quibus
8 ex possessione bonorum Patris qualitas hæreditaria ejusdem legitimæ inducta censeri non potest; *Gratian. discept.706. n. 36. Rot. coram Buratt. dec. 207. n.4. & in Rer. dec.142. num.16. part.19.*

Præsertim quia ex facto constat dictam hæreditatem potiùs esse damnosam quàm opu-
9 lentam; in quo casu ad inducendam validam hæreditatis aditionem requirebantur solemnitates requisitæ à Constitutionibus Ægidiana, & Carpensi; quæ cum in præsenti non intervenerint, aditio probata non dicitur; *Thomat. dec.231. n.80. Rota coram Celss. decis. 129. n.4.*, *& in rec dec.678. n.9. part.18.*

Ex quibus omnibus cum manifestè resultet quod exceptiones omnes, quæ per Dominicum ad retardandam petitam immissionem adducuntur, vel non subsistant, vel saltem altiorem requirant Indaginem; illas DD. rejecerunt ad aliud separatum judicium examinandas, in quo Dominicus sua jura poterit experiri; absque eo quod in præsenti immissionem favore actorum valeat impedire, ut firmatur *in mea præcedenti Decisione §. Additio etiam*.

Et hæc quoad Immissionem: quoverò ad restitutionem fructuum, aliaque obiecta iterum repetita, cum ad illa nihil novi deductum fuerit, DD se remissivè habuerunt ad d. Decisionem, cujus fundamenta denuò approbarunt.

Et ità utrsque &c.

POLYCASTREN. SUBVENTIONIS.

Lunæ 27. Junii 1707.

ARGUMENTUM.

Taxam, seu annuas prestationes, aut subventiones personales excedentes Episcopus a suis Clericis exigere nequit de jure, & ex Clementis XI. decreto consistoriali, nisi adsit Immemorabilis; & ista per testes, & scripturas quomodo sit probanda, vel quadragenaria cum titulo, & ista pariter quomodo per testes concludatur: Neque titulus hujuscemodi desumi potest ex Synodali constitutione omnibus necessariis requisitis, quæ hic recensentur, destituta, vel quæ hoc onus Clericis sinè licentia S. Sedis imponit, vel si constet onus hoc fuisse temporale, quia ea necessitate defecta nequit prorogari.

SUMMARIUM.

1 *Episcopus singulis annis exigere non potest exorbitantem taxam, seu annuas præstationes, vel subventiones personales a Clericis, cum sit improbata a jure, & damnosa.*

2 *Et Clemens XI. in Consistorio secreto diei 21. Julii 1704. confirmavit contra electum Episcopum Caputaquen.*

3 *Conclusionem limita cum adest in contrarium immemorabilis, vel quadragenaria cum titulo.*

4 *Immemorabilem non convincunt testes, qui non deponunt cum requisitis* Glos. in cap. primo de prescription. in 6.

5 *Immemorabilem, ut probent testes, de forma requiritur, quod recenseant actus particulares, deponendo de visu per 40. annos ante motam litem, & quod audierint ab eorum majoribus, excludantque famam, & rumorem contrarium.*

6 *Testes singulares in materia probationis immemorabilis non junguntur, sed in omnibus*

bus contestes, & univoci esse debent.

7 *Sumptum de sumpto fidem non meretur in judicio.*

8 *Immemorabilis per scripturas, ut probetur illę debent esse antiquæ, & enunciativæ in illis existentes saltem duæ, emissæ a diversis personis non suspectis, & cum requisito immemorabilis, juncto* n.sequenti.

10 *Immemorabilis præsumptio requirit probationem completam, nec attenditur vaga, & æquivoca.*

11 *Testes quadragenariam probantes debent ponere de visu per quadraginta annos ante motam litem cum omnimoda actuum uniformitate.*

12 *Synodalis informis constitutio titulum quatragenariæ præsumptioni tribuere non potest.*

Synodi nomen non meretur, cum caret requisitis de jure servandis in ejus convocatione.

13 *Convocatio Capituli, & subscriptio sunt inter necessaria requisita synodi.*

14 *Episcopus in Synodo decernere non potest sine licentia Papæ in gravamen Subditorum, quæ adversantur Sacris Canonibus.*

15 *Constitutio edita a non habente facultatem non potest præbere titulum coloratum, & bonam fidem ad præscribendum.*

16 *Synodales constitutiones recentes referentes aliam antiquam invalidam obligationem non inducunt.*

17 *Immemorabilis ab initio certa, destruitur. Taxa, seu subventio ob causam ab Episcopo imposita, ea cessante, non amplius debetur.*

18 *Scientia taxæ, seu subventionis ob causam impositæ, si ex defectu Episcopi in exactione continuetur, efficit ne immemorabilis, vel quadragenaria cum titulo inchoari, aut perfici possit.*

19 *Assertioni Episcopi creditur. cum diligens præsumatur in servandis juribus propriæ Ecclesiæ.*

20 *Testes licet ad perpetuam examinati, cum sunt plures, Sacerdotes, & adminiculati a testibus ab altera parte productis, omnino sunt attendendi.*

DECISIO DV.

Annuam præstationem titulo subventionis hactenus exactam, & quam etiam in posterum exigere contendebat Rmus Episcopus Polycastren. a Clero Civitatis Lacus liberi, & Terrarum Triclinæ, & Turracæ in quantitate carolenorum duodecim a quolibet Præsbitero, & carolenorum sex ab uno quoque Diacono, per sententiam non deberi declaravit R.P.D. Cerrus Judex ab A. C. deputatus, a qua delata mihi appellationis causa, licet pluries quesiverim -- *An subventio debeatur* -- Tamen per tres vices nulla capta fuit resolutio, sed sub die 16. Decembris 1704. dictum fuit, quod viderent quintus, & sextus ex DD.: Cumque in repropositione habita die 16: Februarii 1705. exhibita fuisset copia cujusdam assertæ Synodi celebratæ per Episcopum Messanellum de anno 1549., in qua præfertur fuisse adnotatam controversam subventionem, cum expressione, quod ab antiquo, & immemorabili tempore deberetur, mandarunt DD., quod iterum causa proponeretur, & interim extraheretur Synodus citata parte præfixo termino. Quamobrem in executionẽ hujusmodi rotalis rescripti fuit a me subdelegatus Judex in partibus, coram quo tamen nihil gestum fuit ob nonnullas controversias occasione hujus subdelegationis inter partes exortas. Interim verò, quia supervenit obitus d. Episcopi fuit a moderno Antistite illius successore transportata Synodus ad Urbem, eaque oculis Dominorum subiecta, iterum fuit reassumptum examen dubii aliàs propositi, & Clericis solum informantibus, *subventioni non deberi* responsum fuit.

1 Agitur enim de taxa personali, quam singulis annis in exorbitanti summa exigere intendit Episcopus, contra quam stat clara dispositio juris *in cap.conquerentur de Offic.Ordinarii in cap. cum Apostolus* §. *Prohibemus de censib.*, & *in cap. primo de excessib. Prelat.* Itaut proinde exigi nec possit, nec debeat tanquam improba, & damnosa, ut comuniter tradunt Doctores, & signantèr *Joannes Andreas in cap primo n. primo*, & *secundo de excess. Prelat. Hostien. ibid. n* 1. & *seq. Zarabel. in cap. cum Apostolus* §. *Probibemus de off. Ordinar. n. primo de censibus*, *Gonzal. Tellez in cap. conquerente n.* 5. *de offic. ordinar Navar. cons.* 7. *n.* 1. & *per tot. lib.* 3. *de censib. Bellett. disquis. Clerical* §. 12. *de Clericis debitoribus n. primo Barbos. de offic.*, & *potest Episcopi p.* 3. *alleg* 85. *a n.* 12. *ad fin.*. & articulo examinato firmavit *Rota in Caputaquen subventionis super bono jure* 26. *Junii* 1702. *per tot coram Eminentissimo Tremouille*, quam

2 resolutionem speciali decreto mandavit exequi Sanctissimus D. Noster feliciter regnans in Consistorio habito die 21 Julii 1704. dum prohibuit electo Episcopo Caputaquen. ne prætensas annuas præstationes, & subventiones exigeret, & ita etiam novissime resolutum fuit *a Sac. Congregatione Concilii in Anglonen prætensarum exactionem* 20. *Decembris* 1704.

Agnita difficultate per informantes pro Episcopo in omnibus hujus causæ propositionibus, allegarunt ad sui favorem prescriptionem immemorabilem, aut saltem quadragenariam cum titulo in quibus termi-

3 nis hujusmodi subventiones posse prætendi, admittunt Doctores, & nostrum Tribunal juxta authoritates cumulatas *in d. Caputaquen subventionis* §. *sublata vero*. Sed neutrum ex his probatum fuit, quia si respicicimus immemorabilem testes ad ejus favorem adducti ultra exceptiones personales,

4 quas patiuntur, non deponunt cum requisitis *notissimæ Glosæ in cap. primo de prescript. in* 6. Testantur namque vel de auditu, vel de exactione per 20. annos solummodò, quan-

5 quando ad probandam consuetudinem im-
memorabilem de forma est, quod recenseant
actus particulares deponendo de visu per
40. annos ante motam litem, & quod audi-
verint ab eorum majoribus excludendo fa-
mam, & rumorem in contrarium, *Marescot.*
lib. 2. *cap.* 100. *n.* 10. *Probat. de effect. im-*
memorab quæst. 5. *n. primo*, *& seq. Rota*
coram Greg. dec. 434. *n.* 12. *coram Emerix.*
dec. 33. *n.* 6., *& decis.* 1296. *n.* 12., *& in*
rec. dec. 421. *num. primo p.* 2., *& dec.* 152.
n. 14., *& seq. p.* 12. cum aliis cumulatis *in*
d. Caputaquen. §. *Neutrum.* Et si fortè ali-
quis ex dd. Testibus temporis requisitum
concluderet, est in eo singularis, quia defi-
cit in altero: & e converso si aliquis de aliis
requisitis deponeret, non testatur de tem-
pore sufficienti, nec de auditu a majoribus
qua singularitate attenta non probant, cum
6 in hac materia dicta Testium non jungantur,
sed opus sit, quod in omnibus contestes,
& univoci esse debeant, *Rot. cor. Manticha*
dec. 269. *n.* 4 *cor. Greg. dec.* 252. *n.* 5. *cor.*
Bich. dec. 328. *n.* 9 *post Vivian. de jurepatr.*
dec. 11. *n. primo cor. Emerix. dec.* 188. *n.* 3.,
& in rec. dec. 201. *n.* 15 *p.* 13.

Multoque minus hæc immemorabilis
præscriptio deduci potest ex scripturis.
Transumpta enim Platearum, seu inventa-
riorum confectorum super redditibus men-
sæ Episcopalis, quæ dicuntur asservata in
quodam antiquo regestro Archivii Episco-
palis Polycastren. tanquam sumpta de sum-
7 pto nullam fidem merentur in Judicio, *per*
text. in cap primo de fide instrum. Auth si
quis in aliquo Cod. de eden. Martin. An-
dreat dec. 65. *n* 9 *Rot. cor. Coccin dec* 1867.
n. 79., *& cor. Emerix dec* 478. *n.* 5. Et cum
non doceatur a quo fuerint compilata, suf-
ficit posse intrare suspicionem, quod potue-
rint ad placitum componi ante, vel post mo-
tam litem, quando ad effectum, de quo agi-
tur, scripturæ non solum debent esse anti-
quæ, sed ulterius enunciativæ existentes in
illis debent esse saltem duæ, & quidem
emissæ a diversis personis non suspectis, *Pas-*
serin. in cap. primo n. 59 *de prescript. in* 6.
Antonell. de temp. legal. lib. 2 *cap.* 112. *n.* 5.
Fontanell. dec. 105. *n.* 7. *Adden. ad Greg.*
dec. 51. *n.* 11. *Rota cor. Coccin. dec.* 1102.
n. 3. 4. Quinimo esto etiam, quod essent in
forma probanti, adhuc non relevarent, quia
8 illa enunciant subventionem, sed non cum
requisito immemorabilis, prout esset opus
ad celebre cons. Soccin 140. *lib. primo Ma-*
rescot. var. resol. cap. 109. *n.* 17. *Rot. decis.*
201. *n.* 22 *p.* 13. *rec.* Et respondendo hujus-
modi documentis *in d Caputaquen.* §. *Prout*
etiam.

Mandata vero expedita contra non sol-
ventes subventionem, aliaque documenta
ad hunc effectum adducta respiciunt alios
particulares Cleros, qui modo non sunt in
causa, nec probantur effectuata. Et asser-
tæ confessiones de recepto initium sumentes
ab anno 1529. percutiunt subventionem in
9 genere, ideoque cum possint verificari de
aliis subventionibus, & collectis, quibus
Clerus gravatur, remanent vagæ, & æqui-
10 vocæ, & per consequens non constituunt
probationem completam, prout requiritur
ad effectum prescriptionis immemorabilis,
But. in cap. illud n. 3. *vers. nota* 4. *de præs-*
cript. de Luc. de Jurisdict. disc. 12 *n.* 10.,
& 11. *Rota cor. Bich. dec.* 128. *n.* 23., *&*
in rec. dec. 474. *post num.* 29. *p.* 19 *tom. primo.*

Deficiente ex prædictis probatione im-
memorabilis, facilius fuit excludere qua-
dragenariam cum titulo, quia testes non de-
11 ponunt de visu per 3. annos ante motam li-
tem cum omnimoda actuum uniformitate,
ut requiritur *Castill. de testibus lib.* 2. *cap.* 2.
post num 24 *Thomat. dec.* 184. *n.* 9. *Rota*
cor. Mellin: dec. 156. *in fin.*, *& in rec. dec.*
12 23. *sub n.* 4. *p.* 6. Et quod plus est, deficit
titulus; ille enim desumebatur ex asserta
constitutione synodali Episcopi Missanelli
edita anno 1549., & tamen caret omnibus
13 requisitis de jure servandis in celebratione
Synodi, & signanter subsciptione, & convo-
catione capituli, idenque tale nomen non
meretur, *juxta text in cap. novit. cap quan-*
to, & cap. fin. de his, quæ fiunt a Prælat.
sine consensu capituli Ciarlin. cons. 61. *n:* 11.
cum aliis cumulat. per card. de Luc de juris-
dict disc. 56. *per tot.*

Et in omnem casum data etiam veritate
Synodi, non per hoc permissum erat Epis-
14 copo sine licentia Sedis Apostolicæ decer-
nere in gravamen propriorum Subditorum
ea, quæ habent contra se resistentiam Sac.
Canonum, & per consequens tanquam edi-
ta a non habente facultatem non potuit præ-
15 bere titulum coloratum, & bonam fidem
ad præscribendum, *Rot dec* 238. *n.* 5. *p.* 8.
dec. 21. *p.* 14., *& dec* 152. *n.* 21 *p.* 17. *rec.*

Reliquæ vero constitutiones synodales
annorum 1632., & 1674. sunt recentes, nec
possunt præferre titulum, quia in eis solum-
modo d. antiqua Synodus enunciatur, &
suppositivè de illa fit mentio, quo casu nul-
16 lam obligationem inducunt, ut respon-
dendo similibus Synodis dictum fuit *in dicta*
Caputaquen. §. *Minorit autem.*

Sed in universum cessare visa fuit tam
prætensa consuetudo immemorabilis, quam
asserta quadragenaria cum titulo ex aperta
& nimis clara confessione Episcopi Rosæ
olim Polycastren. Antistitis, qui anno 1683.
in relatione directa Sac. Congr. Episcopo-
rum, & Regularium sic ait — *Rispondo, che*
la tassa fu imposta sono già 80 *anni dalla bo.*
me. del Signor Cardinal Spinello allora Ves-
covo di questa Città —. Unde cum ex ea
habeatur initium certum, quod suaptè na-
tura immemorabilem destruit, *Rot. dec.* 489.
n. 5. *cor. Dunozett: jun. dec.* 587 *n.* 7. *cor.*
Cerro dec. 11. *n.* 16 *coram Zarat in rec. dec.*
22. *n.* 7. 8 *p.* 10., *& dec.* 120 *n.* 8. *p.* 17. Et
ex depositionibus nonnullorum testium ha-
beatur causa temporalis debiti contracti a
d. Cardinali Spinello olim Episcopo Poly-
cas-

castren, qui videns mensam multo ære alieno gravatam subventionis remedium petiit à Clero cessurum in extinctionem 600. locorum montis fidei, exinde sequitur, quod cum cessaverit causa impositionis ob totalem præfati debiti extinctionem, cessare quoque debeat obligatio solvendi taxam correspectivam, in cujus exactione si fortè
18 continuarunt Episcopi successores, malafides exoriens a scientia temporalitatis dictæ subventionis obstaculum præbuit, quin immemorabilis, aut quadragenaria inchoari, vel perfici non potuerit, *Panimoll. dec. 3. n. 29., & 30. cum ibi relatis Rota cor. Cerro dec. 469 n. 14. dec. 544., & 572. utrobique n. 12.*

Eoque fortius confessioni prædictæ deferendum esse censuerunt DD., quia ultra
19 Juris præsumptionem, quæ stat pro assertione Episcopi, qui diligens præsumitur in servandis juribus propriæ Ecclesiæ, *juxtà text. in cap. Præsumitur de regul. jur. in 6. Rot post Viviau. de Jurepatr. dec. 26 n. 12. dec. 111. n. 7. cor. Buratt., & in rec. dec. 5. 317. n. 11 p. 16.* confirmatur depositione
20 quamplurium testium, qui licet ad perpetuam examinati, tamen veniunt omnino attendendi, cum sint numero plures, & caracthere sacerdotali insigniti, & adminiculantur a depositionibus aliorum testium examinatorum pro Episcopo, *Gabriel. de sett. concl. 4. n. 71. Rota coram Pamphil. decis. 375. n. 3., & coram Priolo dec. 31. n. 6., & in rec. dec. 669 n. 10. p. 19.*

Et ita Clero solum informante, Episcopo verò remissoriam petente, & quinto, & sexto ex DD. suffragantibus resolutum fuit &c.

POLYCASTREN SUBVENTIONIS SUPER REMISSORIA.

Lunæ 27. Junii 1707.

ARGUMENTUM.

Denegatur remissoria ad effectum probandi subtractionem synodus à protocollo, attento quod sit materia obiectiva, & quod ejus existentia excludatur à lite diu continuata absq; eo quod exhibita fuerit; & quod de pretensa materia loqui nequeat, & quod etiam si de ea loqueretur, immemorabilem concludere non potest ad effectum sustinendi annuas personales subventiones, quas Episcopus à clericis debitus in eadem enunciari prætendit quia enunciativa illa non est in geminatis instrumentis, & provenit ab Episcopis, quorum favore agitur.

In hac causa est proxime superior Decisio,

SUMMARIUM.

1 *Remissoria in materia obiectiva, ut est subtractionis synodi a protocollo non conceditur; nisi concurrente magno fumo materiæ articulatæ, & num. 13*
2 *Exhibitio retardata scripturæ post plures instantias, & obtentas compulsorias, argumentum præbet contra ejus existentiam, quæ posteà supponitur subtracta.*
3 *Præsertim cum adsit in contrarium ejus inverisimilitudo.*
4 *Et quando cum exhibitione illius scripturæ cum minori expensarum jactura ab initio probatio fieri potuisset, & fuit omissum.*
5 *Probatio generalis existentiæ scripturæ non sufficit, ut remissoria concedatur ad probandam ejus subtractionem; nisi constet facere mentionem de re, ob quam petitur produci, & de ejus necessariis requisitis.*
6 *Cartulæ in forma probanti non exhibitæ, non attenduntur.*
7 *Compulsationis actus attentatè, & sine requisitis necessariis (qui exprimuntur) factus dicitur clandestinus, nec præjudicat.*
8 *Subventio perpetua Episcopo à sacris canonibus improbata debet justificari ab immemorabili tempore exacta, ut sustineatur.*
9 *Immemorabilis probatur ex enunciativis antiquis à centum annis, geminatis tamen in diversis instrumentis, & originem habentibus à personis non suspectis.*
10 *Enunciativa facta in synodo de subventionibus à clero Episcopo præstandis venit pensona suspecta, & cur? & ideò non attendenda ad probandam immemorabilem.*
11 *Remissoria pro habenda probatione non profutura est deneganda.*
12 *Subtractum non præsumitur documentum, quod contra prætensum subtrahentem non facit.*

DECISIO DVI.

Occasione, qua in ultima hujus Causæ Propositione examinabatur Articulus annuæ subventionis prætensæ per Episcopum Polycastren. contra Cleros, & Præsbyteros Civitatis Lacus Liberi, & Terrarum Triclinæ, & Turracæ; fuit exhibita per Informantes pro Episcopo quædam synodus celebrata per Episcopum Mellanellum anno 1549, in qua continentur descriptiones controversæ Subventionis, cum expressione, quod ab immemorabili tempore debeatur. Verùm quia Præsbyteri acriter impugnarunt illius legalitatem; DD. ad faciliùs detegendam veritatem mandarunt, quod exhiberetur dicta Synodus citata parte, ad quem effectum cum fuisset subdelegatus in Partibus Rmus Episcopus Marsicen; Iste in sui locum deputavit Sacerdotem Odoardum de Caro Priorem S. Spiritus, qui non attentis reclamationibus Præsbyterorum assertam Synodum recognovit: & coram Testibus compulsavit. Sed cum hoc nostrum Tribunal inhibuisset, ne procederetur ad ulteriora coràm Judice subdelegato per dictum Episcopum Marsicen.: benè tamen vel coram eo, vel alio Episcopo concordando, vel quod Synodus transmitteretur ad Urbem; Hinc in istius Decreti executionem fuit compilatus Processus: sed nihilominùs ipsa Synodus consignata non extitit; donec defuncto Episcopo reassumpta fuit

fuit Causa per illius successorem, & transportato Prothocollo, in quo supponitur alligatam fuisse dictam Synodum; cæpit iste prætendere, quod eadem Synodus fuerit ex dicto Prothocollo subtracta; & illius loco fuerit alligata: ad quod probandum, cum præter Dubium super negotio principali favore Præsbyterorum hodiè ipso non Informante resolutum, alterum disputari curavit -- *An sit concedenda Remissoria* -DD. *negativè* respondendum esse, censuerunt.

Agitur enim de probanda subtractione Synodi originalis ex suo Protocollo, quod sapit materiam obiectivam, & criminosam; in quibus terminis nunquam concedi solet Remissoria, nisi concurrente magno fumo veritatis materiæ Articulatæ, ad firmata *per Rotam coram Bich. dec.* 14. *n.* 1. *Adden. ad Pamphil. dec.* 42. *n.* 10. *in fin. & in Rec. dec.* 354. *n.* 7. *& seqq. part.* 15. *& in Asculana Dotis, & Legitimę* 16. *Januarii* 1699. §. *Certum coram Me.*

1 Tantum autem abest, quod fuerit hic datus sufficiens fumus, ut potiùs existentia Synodi in dicto Protocollo excludatur: & per consequens eo minus illius subtractio probari possit; Advertendo, quod licèt præsens lis circa prætensam solutionem hujus subventionis fuerit diù agitata inter Cleros, & Episcopum in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium; nunquam tamen mentio facta fuit de d. Synodo: eademque postmodum prosecuuta in Tribunali A.C. occasione qua vigore litterarum compulsorialium extracta

2 fuerunt ex Archivio Polycastren omnia documenta conferentia ad intentum Episcopi; nec minùs prodiit in lucem præfata Synodus: quod certè non evenisset, si illa verè tunc temporis extitisset; cum hæc retardata exhibitio præbeat validum argumentum contra suppositam illius existentiam. *Ad Text. in L. si quis fusè.* 6. §. 1. *ff. de pœnis Ccravett. cons.* 28. *n.* 6. *Plot. cons.* 79. *n.* 15. *Rot. dec.* 59. *part.* 13. *rec.*

Maximè quia ex ipsa copia exhibita per Episcopum jam defunctum resultat Synodum concernere correctionem, & reformationem morum. Quamobrem inverisimile visum fuit, quod in eadem fieri potuerit mentio de controversa subventione; quando de aliis oneribus, & taxis solui solitis à Sacerdotibus, nec ullum fit verbum: undè stante hac inverisimilitudine augetur Dubium

3 quoad ejus existentiam, saltem eo modo, quo exhibetur: tantoque minùs illi fides præstanda est; *Rot. coram Zarat. dec* 30. *n.* 5., *& coram Cels. dec.* 280. *n.* 3., *& in rec. dec.* 452. *n.* 5. *part.* 3. Attenta signanter animadversione, quod Episcopus defunctus ad probandam consuetudinem immemorabilem exigendi d. annuam subventionem potius subire voluit expensas examinandi decem & septem Te-

4 stes, quando illam explere potuisset cum minori jactura mediante exhibitione dictæ Synodi.

Quibus additur, quod nec in receptis originalibus reportatis ab Episcopo, nec in

5 copia authentica illius Synodi à Præsbyteris exhibita fit mentio predictæ subventionis; adeout, nec sufficeret generalis probatio illius existentiæ; cum non justificetur, quod disponat circa subventionem etiam cum enunciativa Immemorabilis.

Hinc non est habenda ratio de citatione facta per Episcopum Messanellum in exequutionem dicti Synodi, ac solutione subsequuta & de recognitione, & compulsatione novissimè facta per Judicem sobdelegatum ab Episcopo Marsicen. coram Notario, & Testibos. Quoniam respectu dictę Citationis, & subsecutæ solutionis satisfecit responsio;

6 quod illæ non exhibentur informa probanti, sed in mera cartula non recognita, imo in numero Abacali alterata: Quodque plus est; non verificatur quoad Cleros, qui hodiè sunt in lite. Quo verò ad compulsationem, & recognitionem Synodi nuper factam constitit, quod omnia fuerunt attentatè gesta post interpositam appellationem, & subsequutam inhibitionem nostri Tribunalis à Judice nullum habente jurisdictionem: ulterius caret die, & ignorantur nomina Testium: ac tandem citatio fuit execura per affixionem in janua Ecclesiæ Rocchæ Gloriosæ distantis per triginta milliaria à Cleris citandis, quando exequi debuisset pro die, & hora certa, ut Testes, aliique interesse habentes commodè intervenire possent com-

7 pulsationi: ideoque cum tunc temporis non fuerint servata de Jure servanda; actus compulsationis, & recognitionis prædictæ remanet clandestinus, nec ullum præjudicium inferre potest, ut respondit *Rota coram Bich. dec.* 246. *per tot.*

Tanto magis quia esto millies quod de existentia controversæ Synodus nulla esset controversia; adhuc tamen cum Episcopus ad

8 substinendam hanc Subventionem à Sacris Canonibus improbatam debeat concludenter justificare illam ab immemorabili tempore exactam fuisse: & ad hujusmodi effectum licet admittatur probatio resultans ex

9 enunciativis antiquis metam centum annorum excedentibus; requiritur tamen, quod illæ sint geminatæ, & quidem emissæ in diversis Instrumentis: quodque originem habeant à personis non suspectis; ad firmata per *Rot. in Caputaquen. Subventionis* 26. *Junii* 1702. §. *Nihilque refert coram Em̃o Tremoille*: Undè cum enunciativa contenta in controversa Synodo Episcopi Massanelli sit uni-

10 ca: & quod magis est, proveniat à persona interesse habente, & suspecta, qualis erat ipse Episcopus, cui valdè intererat sibi annuam præstationem stabilire: ea remanet inefficax, & propterea constat de irrelevantia probationis, quam ex Testibus adducere intendit Episcopus sicque, tanquam non profutura venit deneganda, & respondit *Rota in Cracovien. Decimarum* 6. *Aprilis* 1699. §. *Versamur coram Rm̃o Conchen.*, *& in Urgellen. Servitutum* 1. *Iulii ejusdem Anni* §. 1.

§. 1. *coram Rmo D. Cardinali Caprara*.

Cum igitur ex dictis excludatur existentia Synodi, per Episcopum articulata; in necessariam consequentiam excluditur etiam
12 qualibet præsumptio, quod fuerit à Clero, & Præsbyteris subtracta, & tamen cum neque circa hanc subtractionem ullus detur fu-
13 mus; tanto minùs concedenda est Remissoria ad probandum hoc crimen ex supra allegatis. Maximè quia etiam ab his omnibus precindendo, adhuc si omne exhiberetur ipsa Synodus in suo Originali non relevaret; nec conduceret ad intentum Episcopi ob plures rationes deductas in alia mea Decisione hodiè ædita super negotio principali, ad quam hic DD. remissivè se habuerunt.

Et ita suffragantibus 5., & 6. resolutum fuit utraque &c.

ROMANA FIDEICOMMISI SUPER EXPENSIS.

Lunæ 27. Junii 1707.

ARGUMENTUM.
Habes in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Expensæ vive justificantur ex actibus et sunt integraliter reficiendæ victori per victum*.

2 *Expensæ extrajudiciales in Rota de stylo taxantur in scut. 10 pro qualibet instantia*.

DECISIO DVII.

CUM Constantia, Theophilus, aliique de Coccapanibus succubuerint per rem Judicatam Rotalem resistentem, ex duabus sententiis latis tàm ab Emo D. Caprara olim nostro emeritissimo Collega, quàm à R. P. D. meo Ansaldo denegantibus immissio em per ipsos intentam super quadam domo hæreditaria quon. Julii Perez Falconii modo per Gasparem Plantanidum possessa; Ideo idem R. P. D. meus Ansaldus devenir ad taxationē expensarum in Causa factarum, à qua tanquam excessiva cum appelaverint illi de Coccapanibus; Causa ad me devoluta fuit; quamobrem proposito dubio, informante duntaxat Gaspare, illud *pro non excessiva* resolutum fuit.

Expensæ siquidem in hac Causa factæ in utraque instantia, quatenùs sunt judiciales; constant in Citationibus, regestris, transportatione actorum, & propinis, quæ cum ju-
1 stificentur ex actis: & dicantur expensæ vivæ, integraliter, & usque ad obulum veniunt per victum Victori reficiendæ; prout quotidiana praxis edocet; *Rota coram Bratt. dec. 174. n. 2. & coram Bich dec. 73. n. 2., & in Perusina Fideicommissi super Expensis 22. Junii 1707. §. De nullo coram Me*.

Quatenus verò sunt extrajudiciales consistentes in Honorariis Procuratorum, & Advocatum, cum istæ taxatæ fuerint juxta notissimum stylum in scut. 10 pro qualibet instantia practicari solitum per nostrum Tribunal, ut habetur *in dec. 384. n. 6. part. 14 rec.*, & alibi passim; indè sequitur, quod nullibi de excessu redargui possit expensarum taxatio per R. P. D. meum Ansaldum expleta.

Et ita altera &c.

RAVENNATEN. FIDEICOMMISSI HIERONYMI DE ABBIOSIS.

Veneris 1. Julii 1707.

ARGUMENTO.
Non indeget.

Confirmatur in inferiori dec. 522. Et super eisdem bonis est decisio sequens cum ejus confirmatoria decisione 523.

SUMMARIUM.

1 *Immissio non denegari potest verificatis extremis*.

2 *Existentia fideicommissi, & verificatio probatur per instrumenta confessionis gravatorum, & sententias, quæ ad hunc effectum faciunt probationem probatam*.

3 *Fæmina ex masculo est incapax succedendi ad fideicommissum, in quo vocantur descendentes masculi*.

DECISIO DVIII.

CUm inter alia bona subjecta fideicommisso per Hieronymum de Abbiosis ordinato reperirentur tornaturæ 32. sitæ in territorio Ravennæ in loco, seu villa Spadularii, & aliæ tornaturæ 77. pariter in dicto territorio positæ cum domo, & columbaria in loco, seu villa *Gambellare*, quæ post transitum ad diversas manus vocatorum ad fideicommissa, tandem pervenerunt ad Carolum, & Pomponium de Abbiosis ultimos superstites. Ideò cupiens Carolus sorores suas Dominicam, & Hieronymam congruè dotare eisdem cessit pro sua medietate jura fideicommissi quondam Hieronymi ad effectum vindicandi à Com. Nicolao de septem Castellis dd. tornaturas, quarum fructus eisdem in dotem assignavit; instructoque judicio per sorores contra Comitem favorabilem sententiam obtinuerunt, reservata medietate Pomponio tangente. Et deindè per transactionem Comes prædictus loco restituendi dd tornaturas tradidit nonnulla bona propria æquivalentis valoris.

Cum autem fato cesserit Pomponius, & tota ejus portio devoluta remanserit ad Carolum unicum superstitem; idcircò Octavius & Aurelius, ac Dominica ab eo causam habentes judicium immissionis instaurarunt contra Com. de septem Castellis retinentem adhuc medietatem tornatorarum ad Pomponium spectantem, & contra Lauram Abbiosam dicti Pomponii sororem pro restitutione pretii bonorum Villæ Arcquæ sitæ in territorio Patavii dicto fideicommisso subjectorum

rum in summa scutorum 500., & annua responsione ducat. 30. monetæ Venetæ, permutata postea cum censu scut. 327. 45. imposito per fratres de Forasteriis, & ab eisdem redempto; cujus pretium reinvestitum fuit cum fratribus de Manzonis: & contrariam passi sunt sententiam à Locumtenente Legationis Ravennæ, quam successivè revocavit A. C. Aldrovandus nunc Collega emeritissimus, à qua appellante Comite, & litis &c. consului DD. -- *An sit danda Immissio* -- Et favore Octavii, Aurelii, ac Dominicæ tantùm informantium, responsum fuit.

Verificatis enim extremis ad obtinendam
1 immissionem necessariis, illa denegari non potest. *Rot. cor. Bich. dec.* 606. *num.* 20., *& in rec. dec.* 108. *n.* 2. *p* 16., & alibi passim Existentia namque fideicommissi, ejusque purificatio per obitum Pomponii sine filiis in persona Caroli, & postea Octavii Aurelii, aliorumque ejus filiorum, ac bonorum identitas
2 satis superque probatæ, visæ fuerunt ex testamento fideicommittentis, & reiteratis confessionibus per hæredes gravatos emissis, & ulterius ex sententia promulgata de anno 1666. favore Caroli, & sororum de Abbiosis super immissione ad medietatem dd. terrarum contra ipsummet Com. Nicolaum de septem Castellis cum subsequuta ejus probatione per transactionem ab eodem initam: quæ omnia ad hunc effectum faciunt probationem probatam; *Peregrin. consf* 51 *n. fin. vers. in suc cess. lib.* 3. *Rota in Romana, seu Reat na fideicommissi* 23. *Januarii* 1697. §. *His accessit cor. Rm̃o Turronen.*

Nec ullum impedimentum petitæ immissioni praestare valet Laura soror Pomponii; cum illa à successione semper veniat exclusa
3 ex testamento fideicommittentis, in quo vocati reperiuntur descendentes masculi, inter quos connumerari nullo modo potest Laura, quæ licèt descendat ex masculo, tamen cum sit fæmina, incapax succedendi dicto fideicommisso reperitur. *Rota dec* 203 *nu.* 3., *& seq. part.* 2., *& dec.* 400 *n* 6. *part.* 1. *recent.*, *& in Ariminen. fideicommissi* 4. *Maii* 1693. §. *fin. cor. Rm̃o Turonen.*

Et ita actoribus tantùm informantibus &c.

RAVENNATEN. FIDEICOMMISSI JULII CAMILLI DE ABBIOSIS.

Veneris 1. *Julii* 1707.

ARGUMENTUM.

Reciproca linealis inducitur, cum testator voluit integrum fideicommissum in perpetuum ad proximiores agnatos deferri, & quare? Fæminarum exclusio tacita inducitur à voluntate testatoris vocandi proxiores masculos in linea, & quare? præsertim cum adest contemplatio agnationis, & masculinitatis repetitio.

Confirmatur dec. 523. Et insuper his bonis, est proximè superior decisio cum ejus confirmatoria 522.

SUMMARIUM.

1 *Immissio concedenda est ad fideicommissum vocatis.*

2 *Fideicommissum perpetuum reciprocum ordinatum dicitur à testatore; dum voluit quod hæreditas semper ad descendentes proximiores de sua agnatione perveniret.*

3 *Appellatione proximiorum de agnatione veniunt etiam agnati de linea contentiva testatoris, & hæredum institutorum.*

4 *Et sic comprehendi debent proximiores de lineis effectivis hæredum*

5 *Testator cum voluit, quod quoties extaret aliquis de agnatione sua hæreditas in illo inviolabiliter in perpetuum conservaretur, ultimus de una linea non fit liber dominus; sed unus habet restituendi alteri proximiori de agnatione.*

6 *Conservatio perpetua integræ hæreditatis volita in agnatione obtineri nequit, nisi adsit perpetuum, & reciprocum fideicommissum.*

7 *Nec intelligi debet de fideicommisso inducto discretivè in unaquaque linea, & non discretivè in omnibus, & quare?*

8 *Observantiæ, ut optimæ dispositionum interpreti, standum est.*

9 *Fideicommissum perpetuum discensivum cum agitur non de reciproca lineali, sed de descendentibus ab eadem linea, unus alteri restituere debet.*

10 *Fideicommissum in una linea ingressum, ex non evacuata alteri non deletur.*

11 *Vocatio proximiorum in linea masculina, quid quid sit, cum vocati sunt descendentes de linea masculina, fæminas tacitè excludit.*

12 *Fæmina licèt descendens à linea masculina, nihilominus non dicitur esse in linea masculina, in qua tantum sunt masculi ex masculis.*

13 *Fæminæ in concursu masculorum ex masculis censentur exclusæ, cum est contemplata agnatio, & repetita qualitas masculinitatis.*

DECISIO DIX.

Julius Camillus de Abbiosis in supremis tabulis hæredem sibi scripsit Marcum Antonium ex Sigismundo fratre nepotem, demandando, quod post lapsum 12. annorum hæreditas inter Marcum Antonium prædictum, & Curtium testatoris germanum fratrem divideretur, perpetuumque fideicommissum favore descendentium proximiorum de agnatione masculina ordinavit, & in istius voluntatis executionem peracta postmodum fuit inter hæredes divisio, in qua inter cætera Marco Antonio obvenit portio domus magnæ sitæ in Civitate Ravennæ.

Sed quia ipsius masculina linea defecit aperta extitit successio favore Caroli, & Pomponii descendentium ex Columnello Curtii, ut supra hæredis instituti. Volens autem Carolus Dominicæ, & Hieronymæ sorori-

sorotibus dotes constituere, eisdem cessit commoditatem medietatis dictæ domus magnæ, pro qua recuperanda instruxere judicium adversùs Andream de Venochis, & Com. Nicolaum de septem Castellis d. Andreæ auctorem, & favorabilem reportarunt sententiam, in cujus executionem per peritos judiciales dicta domus divisa fuit.

Verùm quia interim fato cessit etiam Pomponius prædictus sine masculis, fideicommissum integrum, & sic etiam super alia medietate dictæ domus consolidatum fuit in Carolo superstite; hinc est, quod tàm ille, quàm Dominica soror cessionaria judicium immissionis instaurarunt adversùs Lauram de Abbiosis, quæ reperiebatur in possessione dictæ alterius medietatis domus ex causa donationis à Pomponio reportatæ, & coram Locumtenente Legationis Ravennæ per sententiam succubuerunt, quæ in gradu appellationis coram R.P.D. meo tunc A. C. Aldrovando revocata remansit, à qua commissa mihi appellationis causa, examinandum dedi dubium -- *An sit danda immissio* -- quod *affirmativè* favore Octavii, & Aurelii, ac Dominicæ à dicto Carolo causam habentium, & hodie tantùm informantium resolutum fuit.

De existentia enim fideicommissi dubitari nullo modo potest, cum testator instituto Marco Antonio, mandaverit deindè, quod post lapsum 12. annorum medietas hæreditatis Curtio fratri restitueretur, declarando -- *Che sempre la sua eredità vada alli suoi descendenti più prossimi dell' agnatione sua in linea masculina per fideicommisso* -- : Ex quibus non remanet hæsitandum perpetuum fideicommissum volitum fuisse in omnibus descendentibus ex utraque linea tam Marci Antonii nepotis, quàm Curtii fratris: ideòque cum Octavius, & Aurelius, ac Dominicæ actores sint descendentes à Curtio: & per
1 consequens ad fideicommissum vocati, eisdem concedenda venit immissio: ad *Text. in L penult. §. Cum autem, ubi gloss & Bartol. ff. ad Trebell., Gabr. cons.* 44. *n.* 8. *lib.* 2., *Rota dec.* 31. *n.* 2., *& seqq., &* 347. *num.* 1 1. *part.* 14. *recen.*

Minùsque de reciproca substitutione inter præfatos descendentes dubitari valet, adeò ut per extinctionem lineæ Marci Antonii bona devolui deberent ad alios descenden-
2 tes ex linea Curtii; illa enim elicitur ex verbis testamenti, dum testator voluit ut supra, quod hæreditas semper ad descendentes proximiores de sua agnatione perveniret: ex quo sequitur, quod inter omnes descendentes dd. duarum linearum volitum fuit perpetuum, reciprocum fideicommissum; cum
3 appellatione proximiorum de agnatione veniant etiam agnati de linea contrentiva testatoris, & hæredum institutorum; & sic per-
4 necesse sub illa comprahendi debent proximiores de utraquè linea effectiva ipsorum hæredum: *Fusar. de substitut. quæst.* 345. *n.* 13. *Rot. dec.* 193. *n.* 10. *p. t. recent., & in Bononien. fideicommissi* 17. *Junii* 1697. *§. fin. coram Reverendissimo D. meo Decano.*

Maximè quia hoc ex subsequentibus verbis declaratum remansit, ibi -- *Perche non vuole, che mai per tempo alcuno si possa alienare detta sua eredità, ma che inviolabilmente si conservi nella descendenza de suoi più prossimi dell' agnatione in infinito per linea masculina perpetuamente* -- : quæ profectò verba benè ostendunt, quod donec extarent sui proximiores de agnatione, tota
5 hæreditas in illis inviolabiliter, ac perpetuò conservari deberet: ac propterea citra manifestam violationem hujusmodi adeò enixæ voluntatis, admitti non potest, quod ultimus de linea sit liber dominus absque onere alteri proximiori de agnatione restituendi;
6 aliàs non sequeretur perpetua conservatio hæreditatis in familia, & agnatione, nisi per necessarium antecedens inter omnes de familia, & agnatione adesset perpetuum, & reciprocum fideicommissum, per quod impediretur scissura bonorum, illorumque transitus ad extraneos; *Card. de Luc. de fideic. disc.* 101. *n.* 3., *Rot. disput jur* 16. *n.* 21., *Rota dec.* 467. *n.* 1., *& seq. part.* 1. *rec*, *& in Hortana bonorum* 6. *Junii* 1698. §. *Requisita cor. R P D. meo Preolo.*

Neque meretur attendi, si diceretur, quod
7 fideicommissum perpetuum intelligi possit inductum discretivè in unaquaque linea, non autem discretivum in omnibus lineis. Nam si hoc admitteretur, non tota hæreditas juxta votum testatoris supra expressum, sed sola medietas conservaretur in proximioribus de agnatione testatoris; quia alia medietas ad extraneos transiret libera: quod cum sit contra voluntatem testatoris, nunquam permittendum venit, *Rodolphin. alleg.* 196. *num* 5. *Rot. dec* 464. *n.* 4. *& c. p.* 14 *rec.*, *& in Romana fideicommissi* 26. *Decembris* 1695. §. *Quod maximè cor. Eminentissimo Caprara.*

Accedente præsertim observantia, dum defuncto Leocadio ultimo de linea Marci Antonii, Dominica ex juribus Caroli fratris tunc superstitis, & succedentis in fideicommisso, obtinuit immissionem ad medietatem domus magnæ, quæ Carolo per obitum Marci Antonii obvenerat: alia verò medietas, de qua est sermo, utpotè spectans ad Pomponium alterum consuccedentem cum Carolo favore ejusdem dimissa fuit à Com. de septem Castellis, qui illam occupabat; cui
8 observantiæ, uti optimæ interpreti dispositionum standum est *Rota coram Mantic. dec.* 129 *nu.* 1., *& seq., & in rec. dec.* 184. *num.* 15. *part.* 13.

Ex quibus omnibus manifesta visa fuit purificatio fideicommissi favore actorum in alia medietate, quæ dicto Pomponio obvenit; ut per illius obitum illa devoluta remaneat ad actores ab eodem Curtio primo instituto descendentes ex supra deductis. Maximè quia hic non agitur de inducenda reciproca
9 de una linea ad alteram, sed de iisdem descendentibus ab uno eodemque stipite Curtii, inter quos data perpetua fideicommissi des-

censi vi exilientia, dici debet, quod unus alteri restituere teneatur *Roland. conf.23. nu. 23.lib.4., Peregrin. conf.108. n.9. verf. Hæc sanè verba, lib.3, Rot.cor.Cerr.dec.803.nu. 1.,& dec.30.n.5.part 14. recent.*

Nec purificatio dicti fideicommissi valet
impediri per Lauram d.Pomponii sororem,
quasi quod, donec ipsa vivit, repelli ne-
10 queat à possessione dictæ medietatis, uti
capax hujusmodi fideicommissi: & evacuata
dici non possit linea Pomponii fratris, in
quam dict. fideicommissum erat ingressum.
11 Quoniam, licèt non adsit expressa fæmi-
narum exclusio, illa tamen clarè deducitur,
ex quo testator in suo testamento vocavit
proximiores -- *dell' agnatione in linea maf-
colina* --: quidquid enim sit, quoties vocati
reperientur proximiores de linea masculina,
hoc unum certum est, quod in præsenti nul-
lo modo venire potest Laura, quæ licèt sit
12 descendens à linea masculina, nihilominus
dici non potest esse in linea masculina, in
qua solùm masculi ex masculis existunt. *Fu-
sar.conf.14.n 19.& 20., Rot.cor.Arguell dec.
65.num.8.,& in Ariminen. fideicommissi 19,
Junii,& 1. Decembris 1690.cor. Reveren-
13 dissimo Turonen.* Accedente præsertim
contemplatione agnationis, & sæpiùs repe-
rita qualitate masculinitatis, quo casu fæmi-
næ concursu masculorum ex masculis cen-
sentur exclusæ; *Torr.de primogen. Ital.p.1.
cap.38.n.305., Rot dec.133. n.9 & 14. cum
seqq.p.9 rec.*

Et ita Octavio, & Aurelio, ac Dominica tantùm informantibus, Laura verò, & Com. Nicolao de septem Castellis frustra dilationem petentibus, resolutum fuit.

PACEN. DECIMARUM.

Veneris prima Julii 1707.

ARGUMENTUM

Habes in Summario.

Confirmatoria est ista decisio Superiorum 215. 231., & 241. tom. 1.

SUMMARIUM.

1 *Moniales privilegio exemptionis a decimis concesso propter paupertatem, si monasterii redditus congruam excedant pro eo, quod superest, eodem non potiuntur.*

2 *Declara tamen reservandum esse eisdem jus petendi novam liquidationem, in casu, in quo monasterii redditus minueretur.*

DECISIO DX.

PUgnantibus inter se geminis decisionibus editis coram me sub diebus 10. Februarii, & 26. Junii 1702. super modo faciendi liquidationem redditiuum Monasterii S. Claræ de Zafra, ad effectum dignoscendi, an illi excedant congruam annuorum Ducatorum 25. auri de Camera, ex constitutione S.me. Gregorii XIII. singulis monialibus in causam alimentorum præscripta, ut ex summa excedente possent condemnari ad solutionem decimarum favore Capituli Cathedralis Ecclesiæ Pacen: altera calculante congruam etiam pro novem personis inservientibus ad rationem realium 760. pro qualibet altera vero illa denegante, & calculante ducat. 25. prædictos in realibus 600. Tandem quia sub die 15. Decembris ejusdem anni visum fuit, ut quoquo modo fieret liquidatio redditiuum, adhuc illi semper excedebant congruas alimentarias etiam pro personis inservientibus, quocumque valore considerato, ideò Moniales ad decimarum solutionem condemnatæ fuerunt, ut ex decisione d. die edita. Sed iterum illius fundamentis ad examen revocatis sub die 2. Julii 1706. placuit DD. causæ resolutionem differre ad aquas, ut interim dilucidaretur quantitas redditiuum Monasterii, & Monialium, & ad quam summam ascenderet portio pro decimis per Capitulum pretensa, ad effectum capiendi aliquod temperamentum in casu, quo progressu temporis Monasterii redditus diminuerentur. Cumque hodie reproposita causa ad instantiam Capituli censuerint DD. posse utriusque partis Juribus consulere, ut infra non dubitarunt stare *in decisis*.

Posito enim, quod exemptio a solutione
decimarum Monialibus concessa fuit ex cau-
sa earum paupertatis, ut videre est in ipsis
privilegiis Apostolicis, exinde sequitur,
quod si probari posset redditus Monasterii
1 excedere congruam Monialibus præscrip-
tam pro ipsarum substentatione, cessata paupertate pro eo, quod superest, privilegia prædicta amplius suffragari non possent. Nos autem in hoc casu versari constitit tàm ex probationibus factis in partibus, quàm ex relatione periti Curialis per nostrum Tribunal electi, quibus remanet in comperto, quod hujusmodi Monasterium ex suis redditibus habet congruam substentationem nedum pro 38. Monialibus professis, verum etiam pro aliis novem Laicis inservientibus ad rationem 25. ducat. auri de Camera, etiamsi calculentur in realibus 760. juxtà prætensionem ejusdem Monasterii, quodque bonificatis omnibùs expensis ad formam notulæ ab ipso traditæ eidem supersint quot annis annua 135. 97., itaut perindè ex dicta summa Capitulo Cathedralis decimæ juxtà Juris præscriptum solvendæ sint.

Fortius quia animadversum fuit in præsenti, quod Ordinarius in sententia de partibus confirmata a Reverendissimo Hispaniarum Nuntio, & in judicatum transacta declaravit, quod dd. Monialibus censeretur semper reservatum jus salvum, & integrum petendi novam liquidationem in casu, quo redditus Monasterii diminuerentur, ad hoc, ut privilegiis ipsis concessis gaudere possint: idcirco DD. eidem reservationi inhærentes existimarunt, opus non esse aliud temperamentum superaddere, dum mediante illo in

In d. sententia contento sane consultum remanet indemnitati utriusque partis.

Et ita Capitulo solum informante, Monasterio vero dilationem iterum usque ad aquas petente resolutum fuit.

AVENIONEN. EXPENSARUM.

Veneris prima Julii 1707.

ARGUMENTO
Non indiget.

SUMMARIUM.

1 *Restitutioni in integrum viam aperit injustitia.*

2 *Expensæ a victo in tantum victori reficiuntur, in quantum fuit in sententiis condemnatus.*

3 *Auctor laudatus ad refectionem expensarum condemnari non potest, instante domino bonorum, qui ab eo aliis fuerant concessi, contra possessorem, quem obtinuit condemnari, sed contra auctorem laudatum datur reo convento actio pro relevatione.*

4 *Mutatio nominis in citatione, cum ad verum Procuratorem fuerit transmissa, nullitatem non causatur.*

5 *Et cum constat de persona certa citati.*

DECISIO DXI.

Marchio Joannes de Tulles uti hæres fideicommissarius Joannis Sen. de Tulles Judicium immissionis in Salviano instauravit ad quandam Domum per fideicommittentem venditam, & nunc possessam à Laurentio Rossi, & super qua favore illius impositus erat annuus census scut. 30., & sententiam favorabilem in Curia Generali Aven. reportavit, confirmatam deinde per aliud Tribunal de partibus; interpositaque appellatione per succumbentem ad nostrum Tribunal, disceptatum fuit, an constaret de duabus, & affirmativè coram bo. me. Muto responsum fuit: Hinc expedita causa, deventum fuit ad taxationem expensarum, quarum solutionem cum reportare prætenderet Marchio prædictus a Francisca de Seguina, quæ d. Domum Laurentio vendiderat, ista recursum habuit ad Signaturam justitiæ, quæ rescripsit *de causis restitutionis in integrum ab excessiva*, de qua dubio hodie per me proposito Francisca tantum informante -- *constare* -- responsum fuit attenta injustitia, quæ semper aperit viam restitutioni in integrum, *Rota cor. Baratt. dec. 464. n. 7., & in rec. dec. 649. n. primo, & dec. 676. n. 2. p. 19., & alibi passim.*

Hæc autem injustitia resultare visa fuit ex sententiis tàm de partibus, quam nostri

1 Tribunalis, in quibus semper condemnatur Laurentius Rossi possessor Domus controversæ, non autem Francisca, ideoque non possunt contra eamdem taxari expensæ, quæ

2 in tantum victori reficiuntur, in quantum quis in sententiis fuit condemnatus, *ad text. in L. Properandum §. Sin autem Cod. de judic. Rota cor. Cerro dec. 348. n. 4., & cor. Emerix. dec. 1300. n. 5.*

Et quamvis Francisca esset authrix lauda-

3 ta Laurentii, cui domum vendiderat, nihilominus nisi prius præcessisset condemnatio in sententiis, non poterat contra eam ad condemnationem expensarum deveniri favore Joannis Antonii, qui actionem direxit contra Laurentium tanquam tertium possessorem domus, non vero contra Franciscam: benè tamen Laurentius reus conventus suam habebit actionem pro relevatione adversus Franciscam exercibilem.

Quibus ita positis, circa injustitiam DD. non curarunt de ass. nullitate, ex quo in citatione ad videndum taxari expensas fue-

4 rit variatum nomen Franciscæ, & citata appareat Catharina. Tum quia fuit citatus Procurator Franciscæ, undè patet citationem ad ejus manus pervenisse, *Rota decis. 112. n. 7, & 8. p. 10. rec.* Tum, & fortius quia sola Francisca erat in lite, & ad defen-

5 sionem Laurentii comparuerat: Ideoque constito de persona certa, variatio, & error in nomine non mutat substantiam actus, nec illius validitatem turbat, *Bald. in L. si in nomine C. de Testib. Posth. de manut. observ. 119. n. 11. Rota dec. 310. n. 3. p. 10. rec.*

Et ita Francisca tantum informante, Marchione autem dilationem petente resolutum fuit.

ROMANA SALVIANI SUPER FRUCTIBUS.

Veneris prima Julii 1707.

ARGUMENTUM

Habes in superiori decisione 471., quæ hic confirmatur. In hac causa sunt decisiones in d. notatæ.

SUMMARIUM.

1 *Fructus licet non petiti veniunt restituendi ex natura intentatæ immissionis.*

2 *Peritia contra producentem est attendenda.*

DECISIO DXII.

Fuit resolutum coram me sub die 25. Februarii proximi præteriti, quod Antonio Pierleono in sequelam immissionis obtentæ super Palatio, & Apothecis hæreditatis quondam Francisci Scappucci per Archiconfraternitatem Confalonis earumdem posseditricem essent restituendi fructus percepti, & respectivè decursi a die latæ primæ sententiæ in summa scut. 6767., ut ex decisione, quæ prodiit d. die. Cumque hodie illius fundamenta fuerint ad examen revocata, DD. *in decisis* juxta modum standum esse responderunt.

Posito enim, quod respectu debiti in genere inter partes nulla fuerit controversia,

cum fructus licet principaliter non petiti,
1 veniant tamen per Archiconfraternitatem in consequentiam restituendi ex natura intentatæ immissionis.

Quoad illorum quantitatem, circa quam in præsenti tota quæstio versabatur, quamvis ex parte d. Archiconfraternitatis exhibita fuerit quædam peritia Equitis Fontanæ Architetti, qua mediante prætenderet ipsa memoratum Palatium melioratum fuisse in scutis 13. mil., ideoque pensiones pro rata scut. 369. correspondente capitali ass. meliorationum adscribendę forent d. Archiconfraternitati, nec quoad eas teneretur ad restitutionem Pierleono, cui remanere deberent solummodo annua scuta 521. Nihilo-
2 minus cum ex mox enunciata peritia, quæ contra Archiconfraternitatem producentem venit attendenda, *Gratian. cap.* 502. *n.* 7. *Rota cor. Baratt. dec.* 160. *n.* 7., *&* *dec.* 611. *n.* 11., *&* *in rec. dec.* 174. *n.* 14. *p.* 17. resultet, quod Palatium juxta antiquum statum, & antequam fuissent factæ assertæ meliorationes locabatur pro annuis scutis 192.; Apothecæ vero pro scut 420., & sic in totum pro scut. 612., existimarunt DD. opus non esse immorari pro nunc super examine quantitatis erogatæ in prætensis melioramentis, quæ solum respicere possunt augumentum pensionum a dd. scut. 612. usque ad summam scut. 881., pro qua de præsenti totum Palatium in locationem retinetur, hinc DD. modum adijciendo resolutioni quoad restitutionem annuorum scutor. 612., dumtaxat decisionem præcedentem pro nunc approbarunt.

Itaque summa calculata pro annis novem, & mensibus decem, decursis a die latæ primæ sententiæ constituit scut. 5406., a quibus detrahenda sunt scut. 1230. pro reaptationibus hoc tempore per Archiconfraternitatem factis, juxta ea, quæ firmata fuerunt in decisione, quæ revidetur §. Posita restitutione, summa liquida, quæ remanet restituenda, est scut. 4176., a qua sicut ad amputandas omnes lites, & controversias non dissentitur Pierleonus, ita DD. citra tamen approbationem ass. melioramentorum, quæ erunt probanda ad effectum dignoscendi non solum quid impensum, & quid melioratum, verum etiam, an augumentum pensionum usque ad summam scut. 881., quæ modo retrahuntur ex Palatio, potius processerit ex melioramentis, quam ex beneficio temporis, & cum expressa reservatione jurium utriusque partis, & exceptionum respectivè deducendarum contra eadem melioramenta, mandatum pro d. summa scut. 4176. contra Archiconfraternitatem prædictam, relaxandum esse censuerunt.

Et ita omnibus DD. suffragantibus responsum fuit utraque.

MELEVITANA IMMISSIONIS.

Veneris prima Julii 1707.

ARGUMENTUM.

Documenta in actis ad fundandam actoris intentionem non producta non probant, licet in alio judicio in manibus Judicis extrajudicialiter fuerint exhibita. Præsertim si non solum non constat tunc fuisse legalia, sed insuper ex confessione ipsius auctoris habetur esse informia, & non recognita.

Super remissoria est in hac causa dec. 535.

SUMMARIUM.

1 *Documenta non exhibita habentur, ac si essent extra mundum.*
2 *Amplia etiam si in alio judicio extrajudicialiter in manibus Ponentis fuerit relicta, & de eis fiat mentio in decisione, & cur?*
3 *Illatio de uno judicio ad aliud fieri non potest.*
4 *Documentum in alio judicio extrajudicialiter in manus Ponentis relictum actori ad suam intentionem probandam non suffragatur: præsertim cum non constet tunc exhibitum originaliter, & in forma probanti.*
5 *Judex non potest ex inconcussa opinione Rotæ moveri ex probationibus extra acta.*
6 *Super documento non producto in actis eo minus judicium fieri potest, si alias ex confessione partis constat esse informe, nec recognitum.*

DECISIO DXIII.

NON esse dandam immissionem ad tertiam partem bonorum, ut prætenditur donatorum a quondam Leonardo Xara Antonio Callar ejus Nepoti, responderunt DD.

Moti ex eo, quod supposita donatio non reperitur in actis exhibita, & per conse-
1 quens nulla de ea ratio haberi potest, cum habeatur ac si esset extra mundum, juxta notissima principia, de quibus *in Rota cor. Cavaler dec.* 203. *n.* 6., *&* *coram Coccin. dec.* 1704 *n.* 12., *&* 13., *&* *in rec. dec.* 523. *n.* 24., *&* 552. *n.* 13. *p.* 19.

Non attenta responsione, quod alias exhibita fuerit extrajudicialiter in manibus bo.
2 me. Pii, ac de ea mentionem faciat decisio coram eodem edita sub die 28. Novembris 1696 §. finali, & in vim ejusdem Vincentia usumfructum obtinuerit. Quoniam ultra quod etiam usque tunc impugnata fuit, & in
3 omnem casum non juvat illatio de uno judicio ad alterum, dum in illo potuerunt partes convenire cum sola comunicatione copię, & in isto possunt dissentiendo legitimam productionem prętendere, *Rota dicta dec.* 203. *n.* 2. *coram Cavaler.*, semper ur-
4 get responsio, quod non constat apocam tunc exhibitam fuisse originalem, & in forma probanti, adeout semper remaneat necessitas illam producendi in actis pro fundanda intentione actoris, ad quem effectum non sufficit d. simplex exhibitio copiæ, cum

sit actus merè extrajudicialis, & Rota semper rejecit illam opinionem, quod Judex possit moveri ex probationibus extra acta, cum honestati Tribunalis conveniat, quod semper appareat de justitia, ut per hæc versa respondit *Rota coram Cavaler. d. decis. 203. n. 6.*

Nec meretur attendi replicatio, quod Catharina actrix illam amplius producere non possit, ex quo reperiatur penès Bonicios reos conventos. Id enim non solum non probatur, sed potius excluditur, dum ipsa de anno 1689. in partibus originaliter apocam controversam produxit, instando, ut in publicam formam redigeretur, prout resultat *ex Summario n.* 4. Imò ex hoc actu ulterius resultat, ut eo minus super dic-
6 ta apoca nullum ferri possit Judicium in præsenti, dum ex confessione actricis constat, quod illa erat informis, nec usque tunc apparet, quod subindè unquam recognita fuerit, *Rot. dec.* 143. *n.* 3. *p.* 2., *& decis.* 498. *n.* 59. *p.* 19. *tom.* 2. *recent.*

Et ita utraque &c.

LEODIEN., SEU AQUISGRANEN. CANONICATUS.

Veneris 25. Novembris 1707.

ARGUMENTUM

Accipe a superiori dec. 486. hic confirmata.

SUMMARIUM.

1 *Legitimitas ad obtinenda beneficia nonnisi impetrantis requiritur.*
2 *Illegitimi nati solum de jure ab obtinendis beneficiis excluduntur.*
3 *Statutum juris dispositionem circa legitimos ad obtinenda beneficia innovans, & contrarium disponens non attendendum est.*
4 *Amplia conclusionem procedere non attento an statutum sit favorabile, an odiosum.*
5 *Dispositiones Statuti per Capitulum facti nequeunt comprehendere provisum Apostolicum.*
6 *Legitimi, licet ex illegitimis parentibus ex eo ad beneficia admitti de jure debeant, quia de jure excluduntur solum illegitimi.*
7 *Et inde statutum excludens legitimos ex illegitimis adversatur juri comuni.*
8 *Capitulum statuere nequit, ut legitimi ex illegitimo ad beneficia non admittantur, cum hoc contrariatur constitutionibus Apostolicis, & super hoc istæ afferuntur pro celebri regali Ecclesia B.M.V. Aquisgranæ, in qua etiam non nobiles admittuntur.*
9 *Statutum reiciens a beneficiis legitimum ex illegitimo, ut ex lapsu temporis a S. Sede Apostolica confirmatum præsumatur quid requiratur? Et n. sequenti.*
11 *Statuti contraria dispositio, cujus scientiam Papam habuisse non constat, etiam si sit ab illo confirmatum ei non obest.*
12 *Papa in collationibus beneficiorum solet observare illius leges.*
13 *Declara de illis ex Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, vel in limine fundationis appositis: Non de illis, quæ proveniunt a statutis inferiorum ab ipsa non confirmatis.*
14 *Confirmatio statuti a Papa facta non præsumitur, cum ab ipso Capitulo petatur.*

DECISIO DXIV.

Sicuti in præterita hujus causæ propositione coram me sub die 6. Maii labentis anni informante dumtaxat Jacobo Fibus, ejus favore resolutum fuit, ita & in hodierna audientia deducente sua jura Capitulo antiquissimæ, & celeberrimæ regalis Ecclesiæ B.M.V. Aquisgranæ, DD. idem responderunt, & approbando fundamenta decisionis in d. die editæ persliterunt *in decisis.*

Attenta namque Juris comunis dispositio-
1 ne, nulla alia pro obtinendis beneficiis legitimitas requiritur, nisi propria impetrantis, ut præter relatos in meâ præterita decisione, probant *Bellet disquisit. Clerical. §. 3 tit. de disciplina Cleric. n. 55. Corrad. in prax benef lib. 2. cap. 12. n. 107. Rota in Tirasonen. Elemosinariæ 14. Novembris 1603. coram Lancellotto impress. post Consil Spadę 35. tit 2. n. 8.*

Cumque hac propria legitimitate Jacobus non careat, ut est in confesso apud partes, nihil officere DD. existimarunt, quod in prædicta Ecclesia Aquisgranen. fuerit aliàs conditum Statutum, quod ulterius exposcat legitimitatem Parentum, qua caret Ja-
2 cobus. Etenim cum de jure solum excluduntur illegitimè nati, *ut in cap primo, & ultimo de filiis Presbiterorum*, ideo attendi nequit statutum hanc Juris dispositionem
3 innovans, & contrarium disponens, ut toties firmatum fuit *in pluribus decisionibus hujus causæ editis in aliis instantiis tàm coram R.P.D. meo Scotto, quàm coram R.P.D. meo Priolo, & postea coram Rmo D. meo Decano*, in quibus etiam plenè responsum fuit obiecto, quod id procedat, non atten-
4 to, an statutum sit favorabile, vel odiosum.

Præsertim quia Jacobus habet provisionem a Summo Pontifice, cum certi juris sit,
5 quod hujusmodi dispositiones per Capitulum factæ nequeant comprehendere collationes Apostolicas, *ut per text. in Cap. cum inferior de majoritate, & obedientia, probant relati in mea præterita decisione §. Neque obstare.*

Quibus non obstitit duplex repetita obiectio, prima scilicet, quod non reperiatur in jure cautum, quod filii legitimi ex Parentibus illegitimis sint necessario admittendi ad beneficia Ecclesiastica, & ideo statutum dici nequeat contra jus. Et secunda, quod statutum præfatum fuerit a S. Sede confirmatum. Quoniam respectu primæ advertebant DD., quod cum de jure reijciantur illi, qui non sunt legitimi, indè necessario se-

quitur, quod admitti debeant ii, qui sunt legitimi, licet parentes legitimos non habeant, ut præter supra allegatos probant *Lotter de re benef. lib.2. quest. 48. num.* 10. *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. gloss.* 5. *n.* 118.

7 Et propterea benè convincitur præfatum statutum adversari dispositioni juris communis. Imo etiam in præsenti adversatur constitutionibus Apostolicis, cum enim alias usque de tempore Joannis XXIII. prætensionem fere similem excitassent Canonici volentes coarctare provisionem ad solos nobiles, Summus ille Pontifex disposuit, quod etiam simplices Clerici non graduati, nec nobiles, aut de militari genere procreati aliàs habiles, & idonei admitti possint, & debeant. Verum quia in hac generalitate erant comprehensi etiam illegitimi, quoties dispensationem obtinerent, ideo supplicarunt Sa. me. Martinum V. pro declaratione, quod scilicet admitti non possent, nisi illi, qui fuissent de legitimo matrimonio progeniti, & ita declarari obtinuerunt, ut in ejus constitutione relata *Summario Jacobi* 8 *n.* 4. Quibus stantibus, non poterant deinde Canonici propria authoritate decernere quod nec admittuntur ii, qui licet sint legitimi, ortum tamen ducant a parentibus illegitimis.

Respectu vero secundi objecti ducti ex supposita confirmatione Apostolica bene fuit semel responsum, quod de explicita confirmatione non docetur, & tota probatio, quæ desumitur ex simplici præsumptione ex lapsu temporis cum observantia subsecuta resultante, exclusa prorsus remanet ex tot rationibus ponderatis in omnibus hujus causæ 9 decisionibus, & signanter quod non constat, quod aliquis legitimus ortus ex parentibus illegitimis, ut in casu, de quo agitur, fuerit rejectus, & rejectioni acquieverit, prout omnino in isto casu requiritur, ad *text. in cap fin de consuetud. in* 6. *L. quod contra ff. de legib.* Et egregiè *Decisio R. P. D. mei Prioli ædita sub die* 20. *Januarii* 1702. §. *Sed quatenus*.

Ulterius nullus ex dd. actibus verificatur 10 de proviso apostolico, quæ circumstantia est omnino ponderanda, ut advertitur in præfatis decisionibus, & rejectio unius provisi non potest ad hunc effectum adduci, cum si semel esset illegitimus, cæteri vero actus, ex quibus deducitur, quod provisi apostolici probarunt non solum propriam legitimitatem, sed etiam suorum Parentum nihil proficiunt in casu præsenti. Quoniam sunt omnes facultativi non coactivi, ut requiritur; provisi enim, qui præfatis qualitatibus pollebant noluerunt prætendere se exemptos a probatione, quæ in illorum decus, & honorem resultabat: Et de facto constat fuisse ab illis factas probationes nobilitatis, sanitatis, & alias similes a statuto non requisitas, ideoque cum totum provenerit ex arbitrio illorum, qui fuerunt provisi, non confert ad probandam observantiam statuti ex allegatis.

Et tandem concurrit alia animadversio, quod non constat de scientia Summi Pontifi-11 cia in cujus præjudicium tanto minus considerari potest contraria dispositio statuti, etiamsi ab ipso confirmati, ut pariter confirmatur in omnibus precedentibus decisio-12 nibus, adeout nihil prosit replicatio, quod Summi Pontifices in collationibus beneficiorum servare soleant illius leges. Quoniam hoc intelligitur de legibus contentis, 13 vel in sac. Canonibus, & constitutionibus apostolicis, vel in limine fundationis, non autem de illis, quæ proveniunt a statutis, & legibus inferiorum non confirmatis, ut prosequuntur decisiones præfatæ, & signanter *illa coram R. P. D. meo Priolo §. Sed quatenus, & §. finali, & alia cor' Rm̃o D. meo Decano §. Certius quia*.

Quibus hodie additum fuit. quod ipsum met Capitulum agnoscens subsistentiam, & pondus tot rationum petiit ultimo loco a Sanctissimo D. N. in Signatura Gratiæ confir-14 mationem Statuti controversi: Unde ex illius facto, & confessione nimis clarè convincitur defectus præcedentis confirmationis.

Et ita omissis aliis, vel tanquam irrelevantibus, vel tanquam plene sublatis in tot præcedentibus instantiis DD. responderunt utraque parte acriter informante.

ROMANA SECRETARIATUS APOSTOLICI SUPER RELEVATIONE.

Lunæ 28. Novembris 1707.

ARGUMENTUM.

Accipe supra à dec. 503. quæ hic confirmatur. Super fructibus est decisio 502.

SUMMARIUM.

1 *Interpellatio necessaria non est contra obligatum relevare eum qui fuit monitus litemque assumpsit.*
2 *Litis introductio deservit loco interpellationis, eamque supplet.*
3 *Damnum reficiendum est, quod unice ab obligati protracta satisfactione provenit.*
4 *Præsertim cum id petitur ad effectum se relevandi à totidem fructibus, quos ex dilatione obligati relevare ipse creditori persolvere debuit.*
5 *Et pro eis nec interpellationis, nec requisitorum Castrensis necessaria probatio est.*
6 *Investimentum statim fieri non potest.*
7 *De minimis ratio non est habenda.*

DECISIO DXV.

Responsum fuerat coram Me in Decisione edita 22. Junii præteriti, quod Julio Cæsari Votalarchæ tunc solùm informanti competeret relevatio contra bona hæreditaria clar.mem. Cardinalis Francisci Barberini pro fructibus contra eumdem Julium Cæsarem liquidatis ad Instantiam Capituli S. Eustachii in summa sc. 707. ratione damni passi ob avo-

eæ-

... locorum Montium dicti Capituli per D. Principem Pamphilium expletam, nec non pro expensis taxatis in scut. 218., ad quas reficiendas fuit pariter condemnatus Votalarca favore dicti Capituli. Cum autem fuerit ex post concessa nova Audientia D. Principi Barberino hæredi dicti Cardinalis Francisci, DD. approbantes fundamenta præfatæ Decisionis steterunt *in Decisis*.

Posita enim obligatione relevandi, de qua nec inter partes dubitatum fuit, non obstitit exceptio defectus interpellationis in præsenti propositione opposita. Illa namque eo ipso, quod Princeps monitus fuit ad liberandum à
1 molestiis: ac in sequelam dictæ Monitionis fuit ad eamdem liberationem condemnatus (prout ipse propriam obligationem recognoscendo de facto molestias in se assumpsit) necessaria utique non erat; cum ipsa litis intro-
2 ductio deserviat loco interpellationis, ejusque vices suppleat; *Rot. coram Merlin. dec.* 584.*n.*3. *& coram Pamphil. dec.*592. *nu.*13., *& coram Priolo dec.*246. *n.* 3. *& dec.*87. *n.*3. *coram fau. mem. Alexandro VIII.*. Et quemadmodum si prontè sicut debebat, idem Princeps propriæ satisfecisset obligationi solvendo, seù restituendo statim pretium Secretariatus: avocatio locorum Montium se-
3 cuta non fuisset, & sic nec damnum Votalarcæ fuisset illatum; ità nec ipse potest eximi ab emendatione illus damni, quod unicè ab illius protelata satisfactione provenit; *Leotard. de usur.quæst.*71. *n.*4. *&* 6. *Rota coram Coccin. dec.* 498. *n.*3., & firmat *Decisio, quæ confirmatur* §. *Maximè cum sequenti*.

Tanto magis, quia Votalarca non intendit pro se retinere fructus de quibus agitur: nec illos consequi supra sortem, & pretium Secretariatus, quod exbursare coactus fuit Capitulo S. Eustachii, ac Principi Pamphilio respectivè; sed illos petit ad effectum se
4 relevandi à todidem ad quos condemnatus fuit pro damnis passis à Capitulo S. Eustachii occasione distractionis locorum Montium, ut dimitteret D. Principem Pamphilium; dum hæreditas Cardinalis, & pro ea Princeps Barberinus propriam obligationem solvendi pretium Secretariatus explere recusavit: in his
5 enim terminis opus non est, ad hoc ut fructus hujusmodi restitui debeant, docere de ulla interpellatione, minusve de ullo concursu requisitorum Castrensis: *Cravet. consf.*64. *nu.*2. *Mangil. de Evict. quæst.*5.*n.*18. *Viv. dec.*510. *n.*6. *Muta dec.* 59. *n.*6. & occurrendo obiecto plenè satisfecit altera *Decisio in hac eadem Causa edita coram R. P. D. meo Priolo sub die* 26. *Junii* 1705. §. *Tale enim*.

Minusque attendi meretur quidam calculus per D. Principem exhibitus ad demonstrandum, quod pretium ab eo tandem persolutum in duabus vicibus, nempè sub diebus 3. Julii 1703., & 8. Octobris 1704. eidem Votalarcæ, non fuerit ab isto statim, nec integre traditum Capitulo S. Eustachi. Etenim quod intermitentiam temporis ab uno actu solutionis factæ à D. Principe ad alium actum satisfactionis factæ per Votalarcam Capitulo prædicto, compertum fuit, non adesse aliam dilationem, quam 28. dierum respectu unius ratæ & undecim respectu alterius summæ solutæ, quod nullo modo considerandum venit, cum jam tunc temporis esset sequutum damnum locorum Montium Capitulo, & ulterius nec de hujusmodi temporis intervallo erat habenda ratio respectu fructuum locorum Montium, in quibus pecuniæ
6 erant investiendæ; ex quo illæ fuerunt solutæ in fine bimestris; quo tempore non ità de facili exigi, & investimentum fieri poterat; prout docet experientia, & dixit *Rota in Romana Fideicommissi de Avila super fructibus* 16. *Maii præteriti* §. *Quinimo coram Me*.

Quoverò ad integritatem solutionis pecuniarum pariter recognitum fuit variationem consistere in solis scu. 23., ut ex ipso Calculo:
7 undè, non est habenda ulterior ratio de tam parva summa, quando præsertim damnum originatum ab avocatione locorum Montium ut supra dictum fuit, jam diu evenerat, antequam Princeps dictum pretium exbursaret: & ulterius si dicta residualis summa remansit, illam penès se Votalarca retinere debebat in restitutionem expensarum à se cum Principe factarum, pro quibus mandatum in summa scut. 237. reportaverat. Ultra quas expensas teneri etiam Principem ad restitutionem illarum per Capitulum S. Eustachii factarum cum Votalarca, DD. ex iisdem rationibus de quibus in præterita decisione §. fin. responderunt.

Et ita utraque &c.

ROMANA SEU LEODIEN.
PECUNIARIA.
Lunæ 28. *Novembris* 1707.

ARGUMENTUM

Quia agitur de redditione rationis, & ideò diversæ cadunt inspectiones super legalitate librorum, super recta solutione uni ex constituentibus facta, etiam si adesset onus investiendi ex testatoris voluntate super pecuniis ab administratore exactis; & super diligentia, quæ in exigendo est adhibenda, & aliis: ideò vide in Summario.

Adest infra hujus confirmatoria 622.

SUMMARIUM.

1 *Solutio cadit in causam antecedentem, dum nullum aliud inter partes aderat interesse.*
2 *Libris inordinatè retentis fides non adhibetur.*
3 *Libri pro affine scribentis, contra tertium non probant.*
4 *Solutio facta non creditori non suffragatur.*
5 *Solutio honorum extradotalium ad mulierem spectantium facta viro sine speciali mandato non suffragatur.*
6 *Librorum illegalitas excluditur à compulsatione, & exhibitione coram testibus cum ju-*

juramento deponentium illos esse mercatorum, & ut legaliter tentis plenam fidem in judiciis adhiberi.
7 *Librorum fides comprobatur, quorum pleræque partitæ ex publicis privatisque documentis justificantur.*
8 *Et tunc legales di untur etiam aliæ modicæ partitæ verisimilis non aliundè, quàm ex dictis libris verificatæ.*
9 *Libris fidem de jure merentibus sola sanguinis conjunctio inter scribentem, & cum cujus favore sunt partitæ eam non minuit.*
10 *Verba in mandato procuræ* -- constituerunt, & quilibet eorum constituit --, *cum à duobus factum est, secumferunt eamdem naturam dictionis* -- in solidum.
11 *Alteri ex constituentibus Procurator persolvens bene solvit.*
12 *Gesta cum viro de pecuniis extradotalibus cum interveniat tacitum mulieris mandatum ex longissima acquiescentia donec vixerit, de nullitate redargui non possunt.*
13 *Procurator cui adjectum non est onus investiendi pecunias exactas, licet ex præcepto Testatoris, essent investiendæ, potest libere constituenti solvere, nec de tali investimento tenetur esse sollicitus.*
14 *Sed actio fideicommissarii remanet contra constituentem.*
15 *Translationes Locorum Montium cum expensa semper fieri solent in mutatione personarum.*
16 *Administratoris dicto standum non est deficiente aliqua probatione.*
17 *Administrator nonnisi de effective exactis tenetur.*
18 *Negligentia administratoris in exigendo, nisi concludenter probetur, ad quidquam de inexactis ille non tenetur.*
19 *Declara etiam cum adest mala qualitas debitorum, etiamsi diligentiæ factæ non fuissent non obesse administratori.*
20 *Quantitas locorum montium facile probari potest ex libris secretariæ.*

DECISIO DXVI.

CUm in decisione edita coram bo.me. Muto die 12. Februarii 1703. firmatum fuisset constare de credito Vbertinæ Linchet hæredis Elizabethæ matris in summa scut.1400., & pro illa relaxandum esse mandatum contra Franciscum Stambier debitorem ex causa administrationis per eum gestæ quartæ partis bonorum hæreditariorum quondam Leonardi Brissonii, quæ in dictam Elisabetham ex cessione per Henricum illi facta pervenerant: hinc ad evitandum ulteriorem processum obtinuit Franciscus prædictus electionem periti curialis, & sibi concedi curavit compulsoriam specialem ad effectum extrahendi, & compulsandi nonnullas partitas solutionum factarum Urbano Fenart Elisabethæ viro, resultantes ex libris mercantilibus Matthiæ Clerex, aliaque instrumenta, & jura in causa opportunitatem conferentia. Et absoluta compulsatione, editaque per peritum relatione, ego in defuncti Collegæ locum suffectus quæsivi à DD. -- *An sit standum, vel recedendum a decisis* -- Et pro recessu juxta modum prodiit resolutio.

Præmisso enim, quod partes hinc indè concordant, quod summa per Franciscum debita occasione totius administrationis ascendit ad scut. 2706. 40.; quodque sola contentio versatur super illa, quam Franciscus prætendit esse integrè ad sui creditum adscribendam in scut. 3041. 66., quando è converso nostrum Tribunal in decisione, quæ revidetur, tantum bonificari jussit scut. 1280., ita ut illis subductis fuerit declaratus debitor in scut. 1400. circiter; totum causæ momentum pendet à cognitione, an assert. creditum à Francisco prætensum in dicta summa scut. 3041. 66. sit bonificandum nec ne. Propterea DD. pro faciliori causæ resolutione illud in tres partes dividendo.

Quoad primam scut. 1150. 98. tangentem tempus, quo vixit Elisabetha, censuerunt illam esse bonificandam, & ideò in hac parte recesserunt à decisis, quia cum ex libris Matthiæ Clerex ultimo loco compulsatis resultet Vrbano Elisabethæ viro hujusmodi sum-
1 mam persolutam fuisse; utique ista in causa debiti administrationis adscribenda venit, dum nullum aliud inter partes aderat interesse; *ad servata per Rot. cor.* Greg. *dec.62. n.9. & 10. in rec.dec.347.n.7.p.19., & in Romana, seu Tusculana Pecuniaria* 10. *Januarii* 1689. *§. Et licèt cor.bo.me.Ursino.*

Non obstat, quod hujusmodi quantitas non sit calculanda ad creditum Francisci; vel
2 quia probetur ex libris inordinatè retentis absque quietantiarum exhibitione, qui ulterius tanquam conscripti à Matthia ex sorore
3 nepote ipsius Francisci reddantur suspecti, & sufficientem probationem facere non possint pro tertio, & affine scribentis contra
4 alterum tertium. Vel quia fuerit facta solutio personæ minùs legitimæ, hoc est Urbano viro Elisabethæ creditricis; cum ad eum non
5 spectarent bona, & redditus extradotales, quæ jure proprio erant ejusdem Elisabethæ uxoris, sine cujus expresso mandato ad eorum exactionem vir devenire non poterat.

Quoniam si loquimur de asserta librorum
6 illegalitate, omnia suspicionis umbra fugata remanet non solùm mediante eorum recognitione, & compulsatione facta coram testibus, quorum juramento comprobatur, illos de Clerex esse mercatores nobiles Civitatis Leodien., eorumque libris utpotè legaliter tentis plenam fidem in judiciis adhiberi. Verùm etiam ex eo quod, dum ex 67. partitis solutionum ab eisdem libris extra-
7 ctis ferè omnes aliundè justificantur cum publicis, pivatisque documentis, & quietantiis, illorum fides remanet comprobata; *Rota dec.263.nu.7.10.11.p.14., Rubeus ad dec.345. n.10.p.9.,dec.11.n.15.,& dec.587.n.3.par.18.*
8 *rec.* Et quidem non solùm quoad prædictas partitas, verùm etiam quoad alias modicas, quæ nullam aliam habent justificationem,

præ-

prætet descriptionem in dd. librit, cum aga-
tur de partiis verisimilibus, & exiguis res-
pectu totius administrationis, ac quoque ad-
miniculatis cum aliarum partitarum verifi-
9 catione: ita ut sola sanguinis conjunctio apta
non sit ad minuendam fidem, quam de jure
merentur etiam quoad istas *Rot. cor. Bich. dec.
135. n. 22. in rec. dec. 285. n. 6. p. 13. dec. 347. n. 4.
p. 19., & in Asculana Dotis 25. Junii 1700.
§. Neque obstare cor. Rmo Conchen.* Et for-
tiùs, quia versamur in libris publici mercato-
ris omnibus requisitis munitis. *Rot. dec. 195.
n. 5. & 6., dec. 11. n. 5., & dec. 587. nu. 8. part. 18.
recent.*

Si vero loquimur de altera obiecti parte,
constitit ex facto, quod Franciscus fuit con-
stitutus Procurator ad exigendum quartam
partem bonorum hæreditariorum Leonardi
tam ab Elisabetha vera creditrice, quàm ab
Urbano Coniugibus: unde quidquid sit, an
iste se subscripserit in d. mandato Procuræ
potius ad integrandam personam uxoris,
quam uti habens interesse, hoc unum certum
est, quod cum mandatum procuræ fuerit
conceptum cum verbis ibi -- *Constituerunt,*
10 *& quilibet ipsorum constituit* -- secumse-
rentibus eandem naturam dictionis in soli-
dum, ex plene relatis *per Tiraquell. de re-
tract. lignag. §. 31. Gloss. unica n. 11. Osae.
dec. 23. n. 11. Rota post Zacch. de oblig. Ca-
meral dec. 22. n. 2., & dec. 23. n. 3.* Eo ip-
so, quod Franciscus summas exactas Urba-
11 no alteri ex constituentibus persolvit, qua-
liscumque ille fuerit, semper bene solvit, *ad
text. in L. Si Urbana ubi communiter Docto-
res ff. de condit. indebit. Ciriac. controv. 123.
n. 2 Cancer. var. resol. p. 2. cap. 6. num. 37.
Palm. nep. alleg. 133. n. 13., & 14. Card. de
Luc. de credit. disc. 55. n. 3., & 4. Rot. cor.
Ubald. dec. 283 n. primo.* Maxime quia Eli-
sabetha, de cujus interesse agebatur, quous-
que vixit per tot, tantosque annos nunquam
conquesta fuit, quod bona sua extradotalia
per Virum exigerentur, cujus propterea in-
tercedente consensu tum expresso relultante
ex mandato procuræ, tum etiam tacito ex
12 illius acquiescientia, quidquid cum eo ge-
stum fuit, de nullitate redargui non valet.

Haud suffragante, quod etiamsi Urbanus
fuisset persona legitima, adhuc solutiones
non veniant approbandæ, tanquam ei libe-
rè factæ, quando pecuniæ uti provenientes
ex capitalibus repertis in hæreditate, de
qua agitur, erant reinvestiendæ ad commo-
dum ipsius Ubertinæ vocatæ ad fideicommis-
sum ejus favore ordinatum per Henricum
avum maternum, quod administratori iam
innotescebat, utpotè relatum in calce man-
dati procuræ in illius personam exarati.
Nam cum mandatario nullum fuerit adiec-
13 tum onus investiendi pecunias exigendas,
potuit ipse libere solvere uni ex constituen-
tibus ex supra allegatis. Et damnum ex non
facto investimento proveniens reficiendum
non venit ab eo, qui cum nullam legem ha-
beret, nullamque obligationem in se susce-
pisset favore vocatorum in fideicommisso
Henrici, non tenebatur esse sollicitus de il-
lo, *Rota coram Cerro dec. 260. n. 10., & se-
quen., & co. Cels. dec 277. n. fin.*: Sed ab
14 Urbano, contra quem remanet actio Uberti-
næ recuperandi totum id, quod fuit resolu-
tum, *ad tradita per Afflict. dec. 147.* bene
Rota dec. 487. n. 2., & seq. p. prima rec.

Et hoc sanè bene agnovit Laurentius Uber-
tinæ actricis Vir, qui illius nomine egit co-
ram Officiali Leodien. contra Urbanum, &
successivè cum eo transegit usque de anno
1684. super hiscemet solutionibus, & exac-
tionibus reportando ex hujusmodi causa pro-
missionem scut. 50. Non attento, quod in
contrarium asseratur transactionem non com
prehendere administrationem gestam per
Franciscum, solumque initam fuisse super
jure legitimæ per Ubertinam prætensæ con-
tra hæreditatem Leonardi, & Henrici, quia
constitit fuisse inter partes concordatum su-
per bonis, & redditibus spectantibus ad hæ-
reditatem Leonardi: unde sicut sub ea com-
prehenduntur omnes illæ pecuniarum sum-
mæ, quæ fuerunt a Francisco persolutæ,
ita exindè sequitur, quod eo ipso, quod
fuit in debitorem recognitus Urbanus, &
illius favore exarata quietantia, aut Fran-
ciscus liberatus remansit, aut Ubertinæ ob-
stat transactio, per quam impeditur agere
contra illum attenta approbatione quoad so-
lutiones factas ab Elisabetha dum viveret.

Absoluto examine circa partitas in prima
classe contentas, succedunt aliæ respicien-
tes summam scut 1709: 90. pro totidem a
Francisco solutis post obitum Elisabethæ dd.
Laurentio Modave, & Ubertinæ Coniugibus
toto tempore, quo duravit administratio,
super qua, cum nulla fuerit controversia
favore administratoris, idcirco persistentes
DD. in decisis ex eisdem fundamentis, de
quibus in decisione, quæ revidetur, tran-
sierunt ad ultimam classem partitarum as-
cenden. ad scut 380. 88., & ex istis nedum
ad creditum Francisci existimarunt ponen-
dam esse summam scut 31. 25. impensam pro
translationibus locorum montium hæredita-
riorum de persona Henrici in illam Elisabe-
thæ, & de ista in Ubertinam: quia continua
15 praxis nos edocet, quod in mutationibus
personarum hujusmodi translationes semper
fieri solent. Et est valde verisimilis, & Pe-
ritus qui illam ulterius recognosci curavit a
persona experta, pro congrua reputavit.
Verum etiam & alteram pro expensis factis
in litibus pro defensione rerum hæreditaria-
rum, quam tamen ad scut. 58. reduxerunt,
cum de existentia dd. litium non fuerit du-
bitatum.

Benè tamen verum est, quod tam respec-
tu alterius duplicis partitæ, primæ videli-
cet scut 150., & alterius scut. 101. 70. DD.
persistentes in decisis, fuerunt in sensu,
utramque ex eis delendam esse, cum mode-
ramine tamen respectu primæ per Francis-
cum petitæ titulo mercedis pro agentia, quæ
fi-

sicuti eidem debetur pro eo tempore, quo continuavit in administratione, ita DD. libratis viribus hæreditatis, ac tenuitate laboris, illam reduxerunt ad summam scut.60. prout taxaverat R.P.D. meus Aldrovandus dum esset A C. Locumtenens, & in reliquis delendam esse, ut firmatur *in decisione, quæ revidetur §. minus obstat*. Quo vero ad secundam prætensam titulo cambiorum solutorum pro transmissione pecuniarum ab urbe ad Civitatem Lendii, præterquam quod ista in hoc casu non debentur, ut firmat *sæpe d. decisio §. insubsistens*. Accedit ulterius, quod cum omnes solutiones expletæ fuerint per manus Sororis ipsius Francisci commorantis in Civitate Lendii, nullum cambium subire coactus fuit pro transmissione pecuniarum.

Atque ex his efformando calculum, & præter partitas in prima, & secunda Classe examinatas, bonificando etiam tertiam, deletis tamen tam sc.29. ab expensis litium, quæ à summa scut.87. 95. fuerunt modo redactæ ad scut.58. quam 101.70. prætensis pro cambiis, & aliis scut.90. petitis ultra mercedem agentiæ mox reformatam, remanet in comperto quod cum totum creditum Francisci consistat in scut.2811 6. ab istis subducto integro debito scut.2706. 40. ipse non solum non est debitor in ulla quantitate, sed imò è converso detegitur creditor in scut.114. 66

Quibus ità firmatis, supersunt, & aliæ prætensiones discutiendæ per Ubertinam promovendæ, & sanè prætendit ista, addendam esse debito Francisci summam sc.6. pro duodecima parte sibi tangente ex sc.72., quorum ipse rationem non reddidit sub prætextu, quod illam persolverit cuidam personæ ignotæ in præmium notitiæ, quam dederat depositi scut.280. existentium in Banco S. Spiritus ad creditum hæreditatis: Verum quia hujusmodi solutionis nulla exhibita fuit recepta, aut alia æquivalens probatio, cum unicè
16 ipsius Administratoris dicto standum non sit, deficiente quocumque probationis principio, hæc imaginaria, & idealis solutio ad ejusdem Francisci debitum adnotanda venit.

Non putarunt tamen admittendam esse alteram prætentionem fructuum censuum per Franciscum non exactorum. Quis regulariter administrator non tenetur nisi de effe-
17 ctivè exactis, ex firmatis *per Rotam coram Peutinger. dec.203. num.2. 3., & in rec. decis 158. nu.3., & 8. par.11., & dec.625. n.6. par* 19. Quinimò Negligentia administratoris in exigendo debet concludenter probari;
18 alias ad quidquam non tenetur, *Escobar. de ratiocin. Cap.19. n 27. Salgard. in laberint. Credit. part.3. cap.11. n.105. Rota coram Royas dec.189. num.9. coram Dunozzett. dec.926. num 3. in rec. dec.61. num.8. par.11., & decis 2. num* 10. 12. *par.*14. Et facilius in præsenti hoc dicendum venit, quia contrà debitores fuerunt factæ diligentiæ judiciales, ut convincitur ex attestatione Procuratoris, & actis respectivè indicatis: undè stante mala

qualitate debitorum, quatenus etiam diligentiæ ab initio factæ non fuissent, adhuc
19 non sufficerent, ad tradita *per Episcopum Roccam disput. Jur. cap.129. num.15. cum seqq.*

Pari responsione rejecta fuit pretentio circà fructus vineæ, quos repetere contendebat Ubertina. Nam cum agatur de vinea modici valoris scut.330., & in locationem retentâ pro solis scut.30., ex quibus tria erant impendenda pro propaginibus, alia verò scutorum 17. 50. pro canone utique residuum, deductis expensis factis pro cultura, vel ad nihilum reducebatur, vel divisum in duodecim partes parum prodesset, unde dùm ex relatis in peritia fol 30. vinea non fuit administrata per Franciscum nisi spatio brevissimi temporis trium annorum, ideò cum dicto Calculo Expensæ ferè coæquarent redditus, consultius putarunt DD. ant hanc partitam præterire, cum utilius sit Ubertinæ de redditione rationis hujusmodi fructuum non curare, quam longam, & dispendiosam litem pro eis sustinere: Aut illam alteri disputationi reservare, quatenus hoc non obstante Partes velint eam examinare.

Tandem quoad numerum Locorum Montium hæreditariorum dicti quondam Leonardi ad saturitatem probatum fuit, illa non esse nisi undecim, & 100. 78., ut refert peritus, nec de majori numero potest constitui debitor Franciscus, quia si alia adfuissent in hæreditate, de facili potuissent probari ex
20 libris Secretariæ, in quibus describuntur Loca Montium, & personæ, in quarum facie cantant. Quo verò ad partitam scut 116. pro rata duplarum 2000. per Franciscum exactorum à Natali, de illis reddita fuit ratio, dum constitit Franciscum præventivè d. summam persolvisse.

Reliqua verò, quæ dici possent circa tres partitas, de quibus in peritia fol.32. respicientes nonnullas pecuniarum quantitates provenientes ex hæreditate, de qua agitur, antequam Franciscus fuisset deputatus Procurator, cum hodiè unice agatur de firmando credito promanante ex causa reliquatus administrationis; DD. censuerunt non esse in præsenti examinandas. Consulentes tamen indemnitati Ubertinæ, reservarunt eidem actionem pro aliis creditis, si quæ habet extra administrationem in suo judicio promovendam.

Et ità juxtà hunc modum resolutum fuit utraque &c.

TARENTINA PRÆTENSÆ SANATIONIS CENSUS.

Veneris 2. Decembris 1707.

ARGUMENTUM.

Census sanatio non datur cum narrativa, quod nihil de eo in judicium actum esset & realitatis crediti facta Pontifici pro ea obtinenda, non justificantur.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Gratia subreptitiè obtenta nullam executionem meretur.*

2 *Narrativa pro sanatione census, quod nihil in judicio desuper introductum fuerit, corruit, quando lis etiam contra supplicantis patrem in aliquo tribunali sit instaurata, etiam si lata non sit sententia.*

3 *Instrumentum impositionis census certitudinem crediti pro obtinenda sanatione non probat.*

4 *Præsertim dum alteri contrariatur.*

5 *Sanationi census locus est attenta certitudine crediti: secùs contra.*

6 *Sanationi locus non est, si creditum integrè non probetur: cum Pontifex mandavit censum integrum sanari.*

7 *Gratia individua si deficit in parte, deficit in totum.*

8 *Præsertim cum sit concepta sub unica verborum structura.*

9 *Census creatus non dicitur cum prætio frumenti percepti: cum hoc in Instrumento impositionis non fuit expressum, ut expressum fuit postea pro obtinenda sanatione, & dictum frumenti pretium longè census sortem excedit.*

DECISIO DXVII.

CEnsum in sorte Ducat.800. imposuerunt favore Fælicis Ungare tam Lucretia Artemisia, & Lucretia Montefuscolo, quàm Dominicus Lubello pro Guidone, Francisco Antonio, & Thoma de Aquino earum Viris in carcere retentis sub narrativa, quod rata Duc.600. mediante littera Cambii Neapolim transmissa fuisset ad dd.Viros, altera verò rata Ducat. 200. Ipsismet mulieribus pro earum victu, & bonorum cultura subministrata fuisset. Verùm quia Joannes Babtista Galeata Fælicis hæres hujusmodi censum agnovit nullitatis vitio laborare propter defectum substantialissimi requisiti interventus pecuniæ numeratæ pro forma volita in Constitutione Sa. Me. Pii V., idcircò supplicem dedit Libellum Sa.Me. Innocentio XI. tunc Regnanti, in quo expressit, quod contra validitatem dicti census nihil hactenus in Judicio deductum fuerat: quodque Felix Ungara cum esset Creditrix illorum de Aquino in ducat. 800. partim in frumento, partim in pecunia traditis, Censum in eadem quantitate ejusdem favore creatus fuisset: Et Breve reportavit pro sanatione cum clausula -- constito de narratis, & præsertim de veritate crediti dd.800. Ducatorum, Censum sanes, & convalides -- In cujus executionem lata fuit in Partibus sententia pro sanatione Census, qua perventa ad notitiam Guidonis, & aliorum de Aquino Debitorum, obtinuerunt isti committi Causam Appellationis bo me. R. P. D. Scarincio, qui sententiam præcedentis infirmatoriam protulit: Sed in ulteriori gradu Appellationis controversia ad nostrum Tribunal delata, dedi dubium -- An sit locus sanationi Census, itaut sit danda associatio, seu immissio, -- & *negativa* in omnibus prodiit resolutio.

Breve enim obtentum super sanatione controversi Census duo principaliter continet; Alterum, quod contrà illius validitatem nihil hactenùs in Judicio deductum fuisset: Alterum, quod de veritate Crediti 800 Ducatorum non dubitaretur: sed neutrum ex eis verificari visum fuit in præsenti, non quidem primum, quia nullitas de tempore obtenti Brevis jam fuerat præventivè in Judicium deducta per Guidonem Aquinum coram Regio Neapolitano Consilio, ideoque stante hujusmodi falsa expressione, gratia sa-
1 nationis tamquam subreptitia nullam executionem meretur, *per Text. in cap. super Litteris, & in Cap. postulasti de rescriptis Paris. cons. ult. n.13. & 14 lib.1. Rota coràm Coccin. dec.328. n.1., & 2., & dec.365. n.6.*

Parum relevante, quod dicta lis non fuisset introducta contra hodiernum possessorem, bonorum, sed contrà illius Patrem nullum interesse tunc habentem in d.Censu, quoniam quidquid sit de hoc, certum est, quod nunquã dici potest verificata narrativa illa -- *Nihil hactenus, in Judicium deductum fuisse* --
2 quod sufficit, ut per eam Impeditus remaneat effectus gratiæ, etiamsi ultrà litem non concurrat sententia super nullitate lata, ex firmatis *per Rot. dec. 356. n.9. p.18. rec.*

Minusque verificatur secundum circà veritatem, & certitudinem Crediti. Quoniam si ista eruenda est ex Instrumento Impositionis census, hoc certè aptum non est ad illam
3 justificandam, quia licet ibi asseratur pecunias fuisse mutuo receptas, à Felice in tribus vicibus, tamen in eo nulla datur probatio, minusque docetur, quòd pecuniæ verè fuissent consignatæ illis de Aquino, quia nulla eorum exhibetur recepta, vel saltem confessio, quinimmo hujusmodi assertivæ contradicunt expressè, tum regius assensus in
4 eodem Instrumento insertus, in quo datur facultas imponendi censum pro frumento debitori tradito, ut solveretur illius prætium, tum etiam ipsa præcedens traditio tumulorum 500. frumenti.

Si verò desumenda est ex commissione Santissimo porrecta pro obtinendo Brevi sanationis, & ista potius crediti certitudinem excludit; in ea enim exponitur, censum fuisse creatum ex credito Ducat.800. partim ex frumento, partimque ex pecuniis provenientе, Quæ sanè narrativa non correspondet, nec Instrumento census, quia in eo totum creditum asseritur provenire ex mutuo pecuniarum, nec etiam præcedenti consignationi frumenti, undè absorbetur totum creditum, & excluditur suppositum, quod partim ex pecunia provenerit. Unde quomodocumque res se habeat, semper veritas est in incerto, an creditum promaneat ex mutuo, seu potiùs ex frumento: itaut benè retorqueantur firmata *in Cornetana Census 20. Junii 1701. coràm*
5 *R. P. D. meo Ansaldo*, cum in illius casu fuerit pro sanatione responsum attenta certi-

 tudine

tudine crediti; qua sclusa ibidem firmatur non esse locum sanationi.

Minusque certitudo crediti deprahendi potest, ex partitis extractis è Libris Angeli Lucritani Mercatoris, per quem pecunias ad Debitores transmissas fuisse asserebatur. Illæ enim præseferunt quidem eumdem Angelum traxisse Ducat. 615. Silvestro, & Marino de Vitalibus Mercatoribus Neapolis ad finem solvendi Joao. Paulo Nannio, non autem concludunt tractam factam fuisse de pecuniis Mulierum: easque illarum viris fuisse persolutas, quemadmodum narratur in Instrumento. Immo esto etiam quod dictæ partitæ verificare possent creditum pro hac summa Ducat. 615., adhuc tamen, cum deficiat justificatio quoad reliquos Ducat. 185. utique sana-
6 tioni locus non est, quia Summus Pontifex voluit sanari censum ducat. 72. annuorum: propterea si illa in parte deficiat, gratia tan-
7 quam individua deficit in totum: signanter quia concepta legitur sub unica verborum
8 structura, plenè *Rot. cor. Merlin. dec. 478. n. 5., & dec 626. n 4. p. 1. diversf. in rec. dec 68. n. 4. p. 4. tom. 2. dec. 375. n. 12. p. 19. & in Romana Pecuniaria 1. Decembris 1692. §. Quoniam coram bo. me. Benincasa.*

Absque eo quod dici possit, quod non valentibus fortasse Debitoribus restituere frumentum Felici in tempore inter eos statuto, voluerint mediante dicti census impositione sese ad illius pretii restitutionem obligare.
9 Nam si revera Mulieres prædictæ voluissent censum imponere cum pretio frumenti, facile ipsis fuisset id exprimere in Instrumento quemadmodum expresserunt Proregi Neapolis pro obtinenda licentia, & in commissione Sanctissimo porrecta: undè cum hoc dictum non fuerit, fateri oportet, censum non provenire ex frumento Maxime quia illud reducendo ad monetam, eoque calculato ad rationem Ducat. duorum pro quolibet Tumulo, juxta partitas extractas ex Libris ejusdem Lucritani per Galeatam exhibitas, frumenti pretium ascendisset ad Duc. mille quando in substantia census non excedit Duc. 800.

Et ita utraque &c.

ROMANA ASSOCIATIONIS.

Ven 9. Decembris 1707.

ARGUMENTUM.

Contractus merè voluntarius vel acquiescentia, vel non adminiculata confessio debitoris creditoribus non prejudicant. Medicis pro salario quando competat prælatio! Cætera in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Mandatum in rem judicatam transit, cum post integrum annum ab interposita appellatione, & rescripto Signaturæ causa appellationis commissa non fuit.*
2 *Læsio mandati cessat concurrentibus ejusdem validitate, & justitia, & inde locum non habet restitutio in integrum.*
3 *Associatio pro credito census cum clausula constituti, & auctoritate capiendi fundi censiti possessionem creditori competit etiam contra tertium.*
4 *Contractus merè voluntarius debitoris creditoribus non præjudicat*, & num. sequenti.
5 *Et multo minus simplex acquiescentia.*
6 *Et nec confessio, nisi sit aliunde verificata.*
7 *Privilegium prælationis, quod pro medicorum opera tribuitur, locum dumtaxat habet respectu ultimæ infirmitatis, non aliorum casuum temporis præcedentis.*
8 *Juxta quam opinionem majori DD. calculo roboratam* Zach. de Salar. Romaguer. ad Conciol. ad Statut. Eugub., *& cæteri de medicorum Salario in genere loquentes intelligendi sunt.*

DECISIO DXVIII.

IN satisfactionem crediti sortis principalis census, ejusque fructuum decursorum, quod Dux Joseph Maria ab Altemps habebat contrà cla. mem. Principem Nicolaum Ludovisium, in concursu efformato coram Illustrissima Congregatione Baronum obtinuit idem Dux sibi consignari summam scut. centum, & ultra millium sub alterna cautione de restituendo prioribus, & potioribus creditoribus. Cum autem Marchio Rinuccinus creditor anterior supradicti Principis Nicolai in vim rei Judicatæ nostri Tribunalis avocasset, ex pecuniis dicto Duci consignatis ratam sc. 29. mil. idcirco prædictus Dux in sui reintegrationem agendo ex primævis juribus sibi competen., in vim instrumenti census rogati anno 1639. reportavit ab A. C. mandatum de associando ad possessionem Palatii modò possessi per Archiconfraternitatem sacrarum Stigmatum S. Francisci positum propè illius Ecclesiam jamdiù spectan. ad d. Principem debitorem, pro rata tamen scut. mille ab eadem Archiconfraternitate titulo posteriori retentio. Sed interposita appellatione per dictam Archiconfraternitatem sub die 21. Januarii 1706. fuit per Signaturam Justitiæ signata commissio cū clausula *Si quid exequendum*, & ab ea die lapso jam anno ad committendam Causam à Jure præfinito, cum nihil gestum fuerit, illa transitum fecerit in rem judicatam. Quamobrem directa mihi altera Commissione executoria i præfixo termino ad transportandum acta, cum illa tandem fuerint transportata, contigit hodiè examinare dubium *An constet de re judicata, seù potius de causis restitutionis in integrum. & affirmativè quoad primam, negativè quoad secundam*, prodiit resolutio.

Et sanè de re indicata dubitatum non fuit, quia eo ipso, quod post interpositam appel-
1 lationem, & editum rescriptum Signaturæ Justitiæ. Archiconfraternitas elapso integro anno nihil egit: minusque causam appellationis committi curavit, mandatum prædictum transitum fecit in rem judicatam, ad tradita

per

per Rotam dec.425., dec.444., & dec.491. ubique num.1. par.19. rec. Nec locus est petitae restitutioni in integrum attenta validita-
2 te, & justitia recensiti mandati, quibus concurrentibus, sicut cessat quaecumque laesio, ita restitutio in integrum concedi non potest. l. quod si minor 25. §.1., & l. non omnia 45. ff. Si minor, Rota dec.175. n.1., & dec.176. num.2. part.16., & dec.207. num.2. part.17. recentior.

Et sanè supposita validitate, quae non controvertitur, justitia resultare visa fuit, ex eo; quod palatium, de quo agitur, provenit à Principe Ludovisio, qui super eo anno 1638. censum imposuit favore auctorum Ducis: Cumque subindè anno 1641. illud d. Princeps vendiderit Gabrieli Fonsecae auctori Archiconfraternitatis pretio scut.11.mil., & ex istis solum pret. scut. 10.mil. pervenerit ad manus creditorum anteriorum dicti D. Ducis, hinc proindè clarum fit, quod pro residuali rata
3 scut.1000. vigore clausulae Constituti, & facultatis capiendi possessionem fundi censiti in instrumento impositionis census appositae, jure optimo in reintegrationem dicti Ducis creditoris detecti, eidem concessa fuit associatio ad dictum palatium censitum etiam contra Tertium, ad tradita per Urceol. consult. 34. num.1., & per tot. Rota coram Bichio dec.31.nu.9. cum aliis relatis in dec.659. n.7. par 19. rec.

Haud relevante, quod dicta summa residualis scut.1000. relicta fuerit in manibus Fonsecae emptoris. ad effectum, ut ipse loco pretii servitium praestaret dicto Principi per decennium in qualitate medici, cujus salarium, cum asseratur privilegiatum, nequeat propterea Archiconfraternitas retinens ex eodem jure Fonsecae ab aliis creditoribus molestari, sed quibuscumque sivè anterioribus, sivè hypothecariis pro dicta rata veniat praeferenda. Quoniam objectum non regit in facto: minusque subsistit in jure.

Et quidem non regit in facto, quia ultra quod praenarratus contractus initus fuit nulla
4 impellente necessitate, & tanquam proveniens à pura voluntate debitoris, praejudicare non poterat creditoribus anterioribus; Usque adhuc exhibita non fuit concludens probatio, quod Fonseca per decennium inservierit Principi Ludovisio, operasque suas uti Physicus praestiterit. Et ea quae eruitur ex lapsu temporis 27 annorum, quibus supervixit idem Fonseca, cum acquiescentia dicti Principis, nihil valet concludere, vel quia est nimis aequivoca, vel quia sicut, ut mox dictum fuit, factum positivum debitoris praejudicium inferrre non potuisset creditoribus
5 anterioribus, ità multominùs simplex ejusdem Principis acquiescentia, ut benè firmavit Rota coram Coccino dec.228.nu.21.

Parumque refert, quod idem Fonseca anno 1668., & sic post lapsum decennii dederit ad censum eidem Principi scut.6500., cum quibus verisimiliter iste compensasset ratam dd. scut.1000., quatenus de dicto tempore

Fonseca eidem servitium non praestitisset. Quoniam hujusmodi factum nihil ultra operari potest, quam simplicem confessionem Principis communis debitoris: Unde sicuti
6 illius confessio nocere non potest, nisi aliundè sit verificata, ità ex tali facto nullum damnum irrogari potuit d. Duci creditori anteriori, ex supra allegatis.

Neque pariter subsistit in Jure, quia privilegium, quod pro medicorum opere per doctores tribuitur, locum dumtaxat sibi vindicat respectu ultimae infirmitatis, non autem respectu aliorum casuum temporis praecedentis, nàm quoad istos nulla competit praelatio, ut distinguendo probant Surd. decis.255 num.5. Hodier. ad eumdem dec.112. num.12. Mart. Medic. dec.21. n.6., & seq.
7 Zanl. ad Stat. Faventiae lib.7. rubr.7.nu.16. & seq., pro qua opinione cum assistat major
8 numerus Doctorum, juxtà eam quoque veniunt intelligendi Zacch. de Salar. qua.99. Romaguer. ad Statut. Eugub., caeterique alii tanquam loquentes in genere de Salario Medicorum.

Et ita utraque &c.

ROMANA QUINDENNIORUM.

Veneris 16 Decembris 1707.

ARGUMENTUM.

Agitur quindennia quid sint, & quando etiam non conventa, cum emphitheusis ad manus mortuas devenit debeantur? Et ex unica solutione etiam sine speciali mandato observantia interpretativa pro non eorum solutione excludatur, & quando pro illis competat via executiva?

Confirmatur in posteriori dec. 587.

SUMMARIUM.

1 *Mandati validi, & justi executio retardari nequit.*
2 *Via executiva competit pro quindenniis cum obligatione Camerali liberè suis loco, & tempore promissis, cum agitur vigore instrumenti centum annos non excedentis.*
3 *Obligatio Monasterii non ultronea, sed necessaria etiam sine assensu Apostolico sustinetur.*
4 *Quindennia solvere tenetur monasterium, ut manus mortua pro emphytheusi, quae in ipsum transivit, pro qua debebantur laudemia.*
5 *Quindennia quid? & cur solvantur?*
6 *Quindennia etiam conventa in praestatione consensus domini directi cum emphytheusis ex emphyteuta facto ad manus mortuas devenit, debentur. Secus si in prima investitura a domino directo non fuit conventa.*
7 *Quindennia sunt subrogata in locum laudemiorum debitorum cum emphyiheusis ad manus mortuas devenit.*

8 *Solutio quindenniorum etiam unica, & sine speciali mandato facta sufficit, ut excludatur observantia interpretativa non solutionis quindenniorum.*

DECISIO DXIX.

REnventibus Patribus S. Honofrii persolvere quindennia Archiconfraternitati Santissimæ Annunciationis de urbe dominæ directæ cujusdam situs positi in via Lungariæ, reportavit ista a R. P. D. Vicesgerente favorabile mandatum, cujus executionem evitare cupientes PP. prædicti curarunt in gradu appellationis per me proponi dubium -- *An mandatum sit exequendum* -- illudque *affirmativè* resolutum fuit.

Concurrentibus namque illius validitate,
1 ac justitia, executio retardari nequit, *Rota coram Emerix jun. dec.* 304. *n. primo*, *& in rec. dec.* 527. *n.* 1. *p.* 19.

Frustraque validitas impugnatur, ex quo post lapsum centum annorum agi non potuerit via executiva vigore instrumenti stipulati de anno 1577., in quo non apparet, quod Patres prædicti se obligaverint favore Antonii Formicini ad controversa quindennia persolvenda. Quoniam Archiconfraternitas mediatam causam habens a d. Formicino non agit vigore dicti instrumenti anni 1577. dumtaxat, sed vigore etiam alterius celebrati de anno 1673., in quo monasterium, & Patres in forma Cameræ promiserunt suis loco, & tempore solvere quindennia tàm præterita, quam futura ad ratam valoris liberè. Unde cum a die conditi instrumenti non effluxerint centum anni, & obligatio
2 suam habeat subsistentiam, inde sequitur, quod ex ea oritur actio executiva pro controversis quindenniis, itaut mandatum executivum R. P. D. Vicesgerentis sit omnino exequendum, *Rota cor Cerr. decis.* 936. *n.*1. §. *primo*, *& in rec. dec.*369. *n* 4. *p.* 19.

Justitia vero ex prædicto instrumento manifestè resultare visa fuit, cum in eo Monasterium recognoscendo in dominam d. Archiconfraternitatem, quindennia, de quibus agitur solvere se obligavit, etiamsi in illo
3 non interfuerit beneplacitum Apostolicum, quia cum obligatio per Monasterium emissa non fuerit ultronea, sed necessaria, ideo etiam sine Apostolico assensu substinetur, *Rota cor. Bich. dec.* 525. *n.* 17., *& coram Emerix jun. decis.*1264. *n.* 5.

Necessitas autem obligationis patet, ex quo ut inter partes controvertitur, domus emphytheutica controversa mediante Catherina Parda, titulo donationis de anno 1574. transivit in d. monasterium, & Patres: ideoque cum
4 res emphytheutica translata fuerit in manum mortuam, sequitur, quod loco laudemiorum, qui præcedenter solvebantur, teneatur manus mortua persolvere quindennia, quæ nihil aliud sunt, quam solutio, quæ fit
5 de quindecim in quindecim annis illius quantitatis laudemio æquivalentis, quod fit sub ea verisimilitudine, quod intra d. tempus, si res emphytheutica esset in commercio, sequi posset alienatio, per quam Domino directo deberetur laudemium, *Card. de Luc. de emphyt. disc.* 50. *n.*7. *Rota dec.* 474. *n.*15. *& seqq.*, *& dec.* 494. *n.* 12., *& seqq. p.* 9. *& dec.* 198. *n.*4. *p.* 19. *recent.*, *& in Romana quindenniorum* 13. *Maii* 1689. §. *Præmisso coram bo. me. Benincasa*.

Nec relevat, quod Formicinus Dominus directus, & auctor Archiconfraternitatis præstando consensum retentioni d. Domus Emphytheuticæ favore dd. PP. non convenerit solutionem quindenniorum in futurum, inferendo exinde, eum non curasse, ac condonasse damnum, quod sibi per hujusmodi transitum ad manus mortuas evenire poterat. Quia obiectum procederet, quo-
6 ties ab initio Formicinus directè domum Monasterio in emphytheusim concessisset, secus autem quando mediante persona emphytheutæ res emphytheutica ad manum mortuam, seu Ecclesiam devenit, in his enim terminis sicuti emphitheuta teneretur ad solutionem laudemii, ita & Ecclesia ad quindennia quamvis non conventa in præstatione consensus, cum illa sint subrogata in locum
7 laudemiorum, quæ solvenda erant ab investitis, ut distinguendo tradit *Card. de Luc. de emphyt. disc.* 50. *n.*5., *&* 6., *& de regal. disc.* 162. *n.* 5., & sic remanet inapplicabilis decisio in Avenionen. Novenniorum 26. Junii 1699. coram bo. me. Pio in obiecto allegatæ, dum in eius casu agebatur de concessione ab initio manui mortuæ facta.

Quin juvet observantia interpretativa desumpta ex lapsu temporis centum, & ultra annorum, quo quindennia non fuerunt exacta. Quia illa cessat ex facto, dum Monasterium ab anno 1659. laudemia persolvisse apparet, ut habetur *ex Summario Archiconfraternitatis n.* 2. Non attento, quòd solutio sine speciali mandato procuræ facta fuerit. Quia in præsenti non quæritur de validitate, vel invaliditate solutionis, sed so-
8 lum ex dicta solutione educi prætenditur actus d. observantiæ interpretativæ per Monasterium allegatæ destructivus, ad quem effectum sufficit unicus actus sufficeret, *Rota in Calaguritana decimarum S. Petri Manrique* 14. *Aprilis* 1698. §. *Unicus cor. R̃mo Concheu.*, *& in Colonien. Canonicatus primæ gratiæ* 13. *Junii* 1699. §. *Ad excludendam coram R. P. D. meo Scotto*.

Et ita utraque &c.

PERUSINA CENSUS.

Veneris 13. *Januarii* 1708.

ARGUMENTUM.

Fundus censitus sciente creditore auctoritate Congregationis Baronum etiam vigore hypothecarum posteriorum alienatus, est redimibilis nec amplius, neque ratione damnorum, & interesse fructus parit: etiamsi illi in

in casu evictionis in instrumento impositionis sint conventi: Et quando secus Bulla Baronum respectu extinctionis, & translationis hypothecarum quid disponat? Notitia creditoris ex quibus inducatur?

SUMMARIUM.

1 *Fructus census postquam Congregatio Baronum, cum scientia illius creditoris, manus apposuit, & bona deliberari fecit, cum census sit factus repetibilis, neque ratione damnorum, & interesse debentur, & n. 9.*

2 *Scientia deliberationis certa probatur in eo, qui fuit citatus ad recipiendum pecuniam ex deliberatione retractam.*

3 *A scientia Procuratoris post intimationem summam specificantis infertur ad scientiam principalis.*

4 *Intimationis original aliàs in Signatura datum, si Notarii incuria deperditum fuit, non præjudicat.*

5 *Scientia certa deliberationis fundi censiti habetur cum in intimatione exprimitur vocabulum, quod idem sonat cum illo fundi censiti.*

6 *Et cum in eadem habetur relatio ad instrumentum deliberationis, in quo d. fundum exprimitur.*

7 *Expressum satis dicitur, quod habetur per relationem.*

8 *Scientia deliberationis fundi ex mandato Congregationis Baronum arguitur ex secunda deliberatione omnium bonorum, in qua idem, qui ignorantiam allegat, aliquid exigit.*

9 *Fructus non currunt in creditore census, cum eo sciente fundus censitus auctoritate Congregationis Baronum fuit deliberatus, quando tamen non fuit impeditus a multiplicitate anteriorum creditorum censum repetere, etiamsi comparuerit, & fuerit graduatus.*

10 *Fructus vero census non currunt, cum potuit satisfieri, vel novum fundum ex debitoris bonis peti, ut subrogaretur, & non factum fuit.*

11 *Census non remanet extinctus, cum fundus censitus non est evictus de jure, sed ex voluntaria alienatione debitoris, etiam sciente creditore.*

12 *Evictio licet secuta pro hypothecis posterioribus, dicitur necessaria, cum est secuta auctoritate Congregationis Baronum.*

13 *Hypothecæ omnes in vim Bullæ Baronum remanent resolutæ, & translatæ in pretium fundi censiti.*

14 *Census post deliberationem fundi censiti auctoritate Congregationis Baronum, sciente creditore, remanet extinctus a die scientiæ.*

15 *Quidquid sit, ista scientia deficiente.*

16 *Et tunc census est redimibilis, & remanet purum creditum pecuniarum fructus non pariens.*

17 *Neque ratione damnorum, & interesse conventorum in instrumento impositionis in casu evictionis, & cur?*

DECISIO DXX.

IMposuerat Com. Adrianus Montemellinus super prædiis in vocabulo *le mole, & il Palazzetto* censum in sorte scut. 1600. favore sodalitatis SS. Andreæ, & Bernardini nuncupat de justitia Perugiæ, sed illis positis authoritate Congregationis Baronum dumtaxat ex pretio retracto scut. 2432. Quamobrem pro satisfactione reliquorum fructuum decursorum egit contra Marcum Antonium Florentinum, aliosque mediatos heredes perithei Montes Perelli, quinti principalis principaliter, & in solidum in impositione prædicti census se obligavit, & mandatum coram A.C Thomato reportavit, quod tam per A. C. Petra successorem, quam per hoc S. Tribunal coram R. P. D. meo Muto (sodalitate tantum informante) executioni demandandum esse responsum fuit. Interposita vero per hæredes prædictos appellatione & commissione mihi directa cum clausula *alteri, qui ad legitimam*, in hodierna audientia comparentibus etiam creditoribus qui prætium dictorum bonorum consecuti fuerânt, proposui dubium - *An sit procedendum ad ulteriora in executione mandati*, quod *negativè* resolutum fuit.

Illud enim relaxatum apparet pro fructibus controversi census decursis postquam Congregatio Baronum cum scientia dictæ sodalitatis creditricis manus apposuerat super Bonis Com. Adriani debitoris, dum signanter usque de anno 1658 fundi censiti fuerant illius authoritate deliberati, & tamen stante
1 huiusmodi necessaria illorum evictione cum scientia creditoris, census effectus fuerat repetibilis: Ideoque incapax pariendi fructus, qui neque loco damnorum, & interesse peti valent, ut firmavit *Rota post Cenc. de Cens. decis. 304. n. 7., & in recent. dec. 336. n. 7. 8. p. 19., & in Firmana Census 9. Junii 1698. §. pari modo coram bo. me. Muto, & in Romana Salviani, seu Canonum 20. Februarii 1699. § his itaq. coram Emo de la Tremoille, & in Lycien. Salviani 8. Maii 1706. §. & in re, & §. adversus cor R. P. D. Meo Ansaldo.*

Quod autem sodalitas prædicta notitiam habuerit dd. deliberationum nullo modo controverti potest, cum illi, & aliis Creditoribus cor. Congregatione Baron. fuerit ad notitiam deducta mediante speciali intimatione cum citatione ad recipiendas pecunias ex deliberatione retractas, ut in *sum. actor.*
2 *n. 3.* per quam scientiam probari non dubitatur, *Rota in Regina Census 2. Martii 1693. § probat cor. Rmo Decano, & in Romana Salviani, seu Canonum 20. Februari 1699. §. Scientia autem cor Emo della Tremoille.*

Absque eo quod obstare possit animadversio, quod in præsenti non exhibeatur original dictæ intimationis. Tum quia constat, quod biduo post illam comparuit Procurator sodalitatis, & specificavit in actis creditum: unde

3 de bene ex hac ſcientia Procuratoris infertur
ad ſcientiam principalis: tum quia hujuſmodi
intimationis copia fuit aliàs in plena ſignatura
data per Marcum Antonium de Florentiis
repræſentantem perſonam fidejuſſoris in præfato
cenſu: Et ſic ſi per incuriam Notarii
4 deperdita fuit id obſtare nequit aliis creditoribus,
Rota dec.418. n.5. p 2., & dec.201. n. 2. p.15. recent., & in Ariminen. Manutentionis ſuper præd. di. Garuffa 28. Februarii 1707.§. ſed quod coram R.P.D. meo Scotto.

Replicatio autem, quod ex dicta Intimatione
non eliciatur certa ſcientia, dum ibidem
non ſpecificantur fundi cenſiti, ſed an-
5 nunciatur dumtaxat predium de *Molini*, faci-
liùs ſubmovetur, quia vocabulum prædictum
verificatur, & idem ſonat, ac prædium *le Mole*,
quod una cum predio *il Palazzetto* reperitur
ſitum in eadem tenuta *Montemellino*;
Unde cum in dicta intimatione enuncietur
prædium *de Molini* cum illius pertinentiis,
6 & cum relatione ad inſtrumentum delibera-
tionis, in quo etiam expreſſum legitur prædium
del Palazzetto, exinde reſultare viſa
fuit ſpecifica ſcientia fundorum deliberato-
7 rum; ſatis enim dicitur expreſſum id, quod
habetur ex relatione, *Rot. poſt Modern. Aſculan. ad ſtat. Urb. dec. 64 n.15., & coram Gregor. dec.66. n.12.*

Sed quælibet difficultas circa predicta ex
alia quoque circumſtantia ſublata remanſit,
quippe quia poſt dictam deliberationem eadem
Congregatio Baronum anno 1674. generaliter
ſubhaſtare fecit omnia bona Com.
Adriani debitoris, & per eum poſſeſſis in
agro Peruſino, & ex pecuniis ab ipſo retractis
præfata ſodalitas per Procuratorem
ſpecialem exegit ſcut. 1864. ita ut proinde
8 etiam ex ſola ſcientia iſtius ſecundæ delibe-
rationis confirmetur ſcientia evictionis fundi
9 cenſiti, & ſic incapacitas pariendi fructus, ex
ſuprà allegatis.

Non obſtat, quod prædicta procedant,
quoties creditum ſuper effectibus debitoris
ſortem ſui cenſus conſequi poſſet, ſecus autem
ſi non obſtante, quod comparuerit in
concurſu: & fuerit etiam graduatus, adhuc
ob multiplicitatem creditorum anteriorum
nihil conſequi potuit, juxta diſtinctionem caſuum,
de qua *in d. Lycien. Salviatii 8. Maii 1706. §. fallentc coram R.P.D. Meo Anſaldo*
Quoniam ex facto conſtat, quod ſodalitas
ſi voluiſſet, potuiſſet integrè de ſuo cenſu
ſatisfieri, ex quo prima deliberatio ſecuta de
anno 1658. facta fuit pro ſc.10.m., & cenſus in
ſorte non excedebat ſcut.1600. & ſi replicaretur,
quod integrum prætium abſorbebatur
à creditoribus anterioribus, ceſſat pariter
ex facto difficultas, quia ſuper extabant
alia bona Co. Adriani communis debitoris,
quæ ſucceſſivè de anno 1674. fuerant
quoque deliberata in univerſum: & ſic ſuper
10 iſtis ſtatim ac expleta fuerat prima delibe-
ratio vel conſequi poterat ſatisfactionem ſui
cenſus, vel obtinere ſubrogationem novi fundi,
ad hoc ut cenſus fructus reddere poſſet.

Et ex his omnibus ceſſat etiam aliud objectum
quod non probetur, fundos cenſitos
11 fuiſſe evictos, prout de jure requiritur,
cum alias cenſus non remaneat extinctus ex
alienatione voluntaria debitoris provenien-
te ex aliquo ejus facto poſteriori, etiam ſi
de illa notitiam habuerit creditor cenſuarius.
Etenim in caſu præſentis controverſiæ
negari nunquam poteſt, quin evictio fuerit ne-
12 ceſſaria, quamvis ſecuta eſſet vigore hypo-
tecarum poſteriorū, cum omnia geſta fuerint
authoritate Congregationis Baronum, & in
vim Bullæ S. Me. Clementis VIII., cujus vir-
13 tute omnes hypotecæ remanent reſolutæ, &
translatæ in prætium fundi cenſiti, *Card. de Luc. de Feud. diſc.73. n.10., & diſc.81. n.4., & & diſc.82. n.4. Rota coram Buratt. dec.482. n.4., & coram Emerix dec.1159. n 8., & in recentior. deciſ 260. per tot., & in Romana Cenſus 20. Aprilis 1703. §. cum etenim coram R.P.D. Meo Anſaldo.* Adeout à die
14 habitæ ſcientiæ per creditorem, quod fun-
dus cenſitus deliberatus fuerit, remaneat
15 cenſus extinctus; quidquid ſecus dici poſſet
deficiente iſta ſcientia, ut diſtinguendo caſſus
egregiè firmavit *Rota coram Priolo d. dec.242. n.16.*

Quibus ita firmatis, inutile eſt recurrere ad
pactum, ſeu expreſſam ſtipulationem damnorum
& intereſſe in forma juris valida in caſu
evictionis, cujus vigore prætenduntur quæcumque
damna ex capite reſolutionis contractus
provenientia. Quoniam admiſſa
16 ſcientia in ſodalitate, tam evictionis, quam
extinctionis, cenſus ipſe efficitur redimibilis,
& reducitur ad purum creditum pecuniarium,
& ſic nulla amplius conſiderari
17 poſſunt damna, & intereſſe creditoris quo-
ad ſuum purum capitale, quod ſibi debet imputare
ſi non exigit cum poſſet, *Rota dec. 336. n.5. & ſeqq. p.19. rec. & in Romana Salviati, ſeù Canonum 20. Februarii 1699. §. bis itaq. coram Em̃o della Tremoille.*

Et ita utraque &c.

ROMANA FIDEICOMMISSI DE AVILA SUPER FRUCTIBUS.

Veneris 13. Januarii 1708.

ARGUMENTUM

Habes in ſuperiori deciſione 490., cujus eſt paucis ſuſpenſis confirmatoria. Confirmatur ulterius quoque, & ſunt in hac cauſa aliæ deciſiones, ut plenius in d. deciſione 490. recenſetur.

SUMMARIUM.

1 *Inveſtimentum faciendum ex prædio vendendo incipere debet ad damnum illud conficere obligati biennio a morte teſtatoris demandantis. Amplia etiam ſi teſtator juſſerit fieri quantocitius, & quare?*, ut n. 5.

2 *Vineę non de facili vendi poſſunt, & cur.*

3 Vi-

3 *Vineas non minori spatio, quam 18. mensium vendi posse firmatur.*

4 *Pro investimento faciendo in locis montium ejusdem speciei ex pretio jam retracto integraliter sex menses conceduntur, & cur.*

5 *Clausula* quantocitius *a qualitate negocii, & natura rei interpretationem accipit.*

6 *Ad investiendum trimestre sufficit, & assignatur debitoribus Fisci.*

7 *Tutori semestre assignatur ad investiendas pecunias jam promptas, & paratas existentes.*

8 *Valorem rei de tempore obitus testatoris non concludit divisio ejus bonorum longe postea secuta, sed tunc pro eo liquidando periti electione opus est.*

9 *Rerum valor temporis lapsu mutatus praesumitur.*

10 *Valoris probatio per peritos a temporis lapsu impossibilis fit: cum ab oculari inspectione eam desumere nequeant, ut opus est.*

11 *Periti de statu antiquo informati induci debent potius tanquam testes, quam periti.*

12 *Peritia cadere non potest super mobilibus, quae periti recognoscere non possunt.*

13 *Limita tres superiores conclusiones, quod non procedant respectu actoris.*

14 *Limita secundo, quando in praediis rusticis super quantitate quaestio non cadit, & tunc quomodo valor antiquus a perito desumatur, & exemplum similis deputationis refertur.*

15 *Mobilia, quorum descriptio non adest, quomodo a perito, & quibus inspectis, possint estimari juxta valorem de tempore secutae mortis testatoris.*

16 *Rota quando non determinat an uno, vel alio modo fieri debeat fructuum liquidatio, duplex calculum, juxta utrumque modum perito demandat.*

17 *Probanti creditum in genere, & habenti rem judicatam aliqua summa in causam declarandam conceditur, & quare?*

DECISIO DXXI.

Quemadmodum per geminas rotales sententias haereditas Jacobi de Avila condemnata fuit ad fructus, seu damna, & interesse favore Didaci, & Hjeronymi ipsius filiorum, ex quo neglexit vendere Vineam cum mobilibus in ea existentibus, & investire pretium ad tenorem dispositionis R.P.D. Hjeronimi de Avila testatoris, ut ad eorum comoda conflaretur multiplicum, ita pro faciliori, & magis expedita liquidatione dd. damnorum, & interesse certa norma per peritos servanda praescripta fuit in decisione, quae prodiit *coram me* d*e* 16. *Maii* 1707. Cumque hujusmodi decisionis fundamenta hodie fuerint ad examen revocata, DD. re maturius perpensa, *in decisis* juxta modum standum esse censuerunt.

Siquidem retenta methodo jam servata in decisione, quae revidetur, quatenus sermo est de tempore, a quo initium sumere debet obligatio Jacobi faciendi investimentum,
& respectivè multiplicum favore propriorum filiorum, perstiterunt in decisis, quod
1 scilicet ea incipere non debeat nisi post lapsum duorum annorum a mense Junii 1610.,
quo decessit testator, nam respectu venditionis vineae, cum haec ratio propriae quali-
2 tatis, & ex ipsa natura se non ita de facili vendi posset, & antequam concludantur hujusmodi contractus experientia doceat, quod ab emptoribus plures difficultates promoveri solent etiam cum praeced nti inspectione, & examine qualitatis terreni, eorumque in ea infixorum. Idcirco DD. non majori sol-
3 licitudine haec omnia ab haerede peragi potuisse, existimarunt, quam brevi temporis spatio decem, & octo mensium. Respectu
4 vero investimenti pretii ex ea retracti, sicut illud expleri debuisset in locis montium & ob id expectanda erat occasio nedum, quod tanta quantitas locorum montium haberi posset, quae integro pretio correspondêret, verum etiam quod omnes essent de eadem specie, visum fuit, assignandum esse terminum aliorum sex mensium pro explendo praedicto investimento, *ad text. in l. Si tutor ff. de administrat. Tutor, Guttierez. de mattr. p. 2. cap. 9. n. 25. Rota in malevitana laudi* 13. *Junii* 1693., & 29. *Novembris* 1686. *utrobique §. finali cor. bo. me. Pio, & in romana multiplic.* 6. *Aprilis* 1699. *§. prout cor. Rmo D. meo Decano.* Et hoc biennium venit deducendum non obstante quod testator injunxerit onus, ut quantocitius vi-
5 nea venderetur, quia clausula praedicta interpretationem recipit a qualitate negotii, & natura rei vendendae, ut firmatum fuit in *decisione, quae revidetur §. non attento.*

Nec obstat, quod praefatum tempus sex mensium sufficere debuisset ad effectum vendendi, & investiendi, cum ad solum effectum investiendi sufficeret etiam solum tri-
6 mestre, ut *in L. in fraud.* 45. *§. fiscalibus ff. de jure Fisci.* Etenim quidquid sit respectu debitorum Fisci, cujus favore statuitur, ne longiores dilationes ejus debitoribus concedantur, adverterunt DD., quod semestre
7 conceditur Tutoribus ad effectum investiendi pecunias jam existentes promptas, & paratas, & hic pecuniae deficiebant, & retrahendae erant ex pretio Vineae, pro cujus venditione necesse fuit aliud separatum semper concedere, ex rationibus mox alligatis.

Minusque dubitarunt DD. in praesenti persistere etiam in decisis quoad electionem periti pro stabiliendo valore vineae, ejusque mobilium, ad effectum firmandi veram quantitatem capitalis multiplicandi, juxta
8 valorem currentem de tempore obitus Hjeronimi testatoris, cum ad istum effectum sufficere non videatur probatio desumpta ex divisione hujusmet vineae facta anno 1630. inter Didacum, & Petrum Paulum de Avila, in qua vinea cum Domo, ejusque mobilibus fuit appretiata in scutis 4200. Quoniam recurrit responsio jam deducta *in decisione, quae revidetur §. absque eo quod*, ut scilicet
ex

ex præfata divisione tanquam inita amicabiliter inter fratres post lapsum 60 annorum,
9 a die obitus testatoris, nulla deduci possit probatio ex regula nimis nota, quod pretia rerum longe minori tempore variantur, *L. pretia rerum* §. *ultimo ff. ad leg. falcid. Ciriac. contr.* 261. *n.*14. *Rota dec.* 115. *n.* 5.,*& seq. p.* 16. *recent.*

Et licet replicaretur, quod ex hoc ipso
10 temporis lapsu impossibilis reddatur probatio etiam per peritos, cum isti ab oculari inspectione desumere non possint valorem, prout necesse est, *ad tradita per Angelum in L.* 2. *n.* 7. *C. de rescindenda venditione. Pacion. de locat.*, *& conduct. cap.* 19. *n.*68. *Modernus Asculanus ad stat. Urbis aduot.* 46. *art.* 2. *n.*76 Jtàut innoleverit praxis, ut tali casu si invenirentur periti de statu anti-
11 quo informati, induci debeant potius tanquam testes, quam periti, ut prosequitur *Pacion. d. cap.* 19. *n.* 75.: quod eque bene
12 procedit etiam respectu mobilium, quæ periti recognoscere non possunt, *Rot. decis.* 199. *n.* 11. *coram Sa. mem. Alexandro VIII.*

Attamen, ultra quod talis impossibilitas
13 cadere non debet ad comodum actoris, qui petens damni refectionem tenetur probare, suamque intentionem fundare, obiectum cessare visum fuit ex eo quod, cum nulla
14 dubitatio cadere valeat super quantitate pretiorum d vineæ, facile redditur perito indagare certum illius valorem desumendum, vel ex locationibus magis proximis morti Testatoris, vel ex solito, & qualitate terrarum eidem adiacentium, vel exaliis circumstrntiis, aliisque regulis eisdem peritis notis, prout passim in similibus casibus practicatum fuit, cum sepissime contingat demandare hujusmodi peritorum electionem etiam pro haben do valore rerum preteriti temporis, ut signanter in *Ferrarien. fideicommissi* 14. *Martii* 1700. *coram Rm̃o D. meo Decano* cum aliis allegatis *in dec.*, *quæ revidetur* §. *quia vero.* Et quoad mobilia in eadem vinea existentia, licet nulla reperiatur descriptio,
15 nihilominus peritus pensatis facti circumstantiis, quod agitur de mobilibus existentibus in domo, tempore, quo Quirinale non erat adeo inhabitatum, nec fuerant constructa tot tantaque ædificia, quæ cernuntur in præsenti, poterit suo judicio eorum valorem statuere, ut in his terminis tradit *Card. de Luc. de fideicommiss. discurs.* 192., *& de hæreditate discurs.* 20. *num.* 14. *Rota cor. Ninot. dec.* 15. *n.*4. *cor. Dunozetto jun. dec.* 672. *n.* 9., *&* 22.

Statuto certo valore bonorum, ac supposito jam investimento, iterum DD. fuerunt in sensu, quod totum prædium reputari debeat pro investito in locis montium de urbe non vacabilium juxtà legem ab ipso testatore præscriptam, non quidem de melioribus, minusque infimi valoris, sed medii. Verum quia suppolita facultate investiendi fructus, qui fuissent percepti usque ad ætatem 20. annorum hæredis ultimo defuncti, quæstio fuit inter partes super aliis fructibus investiendis a d. tempore, usque ad annum 1666., quo decessit Hjeronymus, an figurari debeant, investiti potius in locis montium vacabilium, prout merè conatur Lucas Antonius inhærendo litteræ præfatæ dispositionis quam in non vacabilibus, prout e converso pretendit Joannes Baptista Altovitus causam mediatam habens a Jacobo hærede R. P. D. Hieronimi de Avila, sub fundamento, quod Didacus, & Hjeronimus junior post annum 20. ex permissione Testatoris potuisset proprio arbitrio disponere de fructibus multiplicl, ideoque illos eorum placitu investire etiam in locis montium non vacabilium.
16 Cum DD. in hoc articulo non fuerint concordes, demandarunt, quod peritus duplicem distinctum conficiat calculum, alterum figurando multiplicum ex fructibus locorum montium vacabilium, alterum vero juxta pretensionem Joannis Baptistæ, ut utroque introspectu capi posset judicium rationi magis congruum.

Quo vero ad alteras inspectiones respicientes, an investimentum fieri debeat post sex menses a die exactionis fructuum, & quousque fuerit conflata quantitas verisimilis pro emendo uno loco montis, vel potius illico, & statim secuta exactione, prout quoque an bonificanda sit merces prætensa pro exactore, nulla capi potuit resolutio propter discrepantiam suffragiorum. Verum quia animadverterunt DD., quod Lucas Antonius probavit suum creditum in ge-
17 nere contra hæreditatem Jacobi de Avila autorem Petri Pauli ultimi defuncti, & habet pro se rem judicatam, ne ipse manibus totaliter vacuus litigare cogatur, equum putarunt, quod interim per modum provisionis eidem subministrentur scut. 4000. in causam declarandam, ut hoc medio tempore aliquod en olumentum consequatur.

Et ita juxta hunc modum &c.

RAVENNATEN. FIDEICOMMISSI JULII CAMMILLI DE ABBIOSIS.

Lunæ 16. *Januarii* 1708.

ARGUMENTUM.

Habes a superiori Decis. 508 hic confirmata.
Est super his bonis decis. 509. cujus proxime sequens est confirmatoria.

SUMMARIUM.

1 *Reciproca linealis semper difficilius inducitur, quoties ab initio hæreditas est divisa in duas lineas.*
2 *Limita cum alias testatoris voluntas, quam cum reciproca lineali non potest conciliari: quia tunc ea inducta censetur, & non discretiva in unaquaque linea.*
3 *Hæreditas in infinitum in proximioribus descendentibus agnatis conservari nequit, nisi cum reciproca lineali, & cur?* n.4.

Di-

4 *Divisio fideicommissi coactivè facta ex testatoris præcepto, nequit pro observantia interpretativa allegari ad tollendam linealem reciprocam, etiamsi amplissimis clausulis sit munita, ut in decisione.*

5 *Clausulæ de Stylo notariorum non appositæ censentur ad tollendum fideicommissum.*

6 *Dividentes, ut fideicommissum remittere voluisse dicatur, requiritur, ut individuam ejusdem scientiam habuerint, & quod de eo vel per verba indubitata, & expressa, vel saltem adeo effrenata, ut remissionem necessario importent, mentionem faciant.*

7 *remissio fideicommissi ipsis remittentibus non ex propria persona venientibus prejudicat.*

8 *Fœmina venire potest appellatione proximiorum, non autem proximiorum in linea masculina.*

9 *Exceptio de jure tertii non attenditur.*

10 *Maximè si ab illo, cujus favore militare posset, non allegatur.*

DECISIO DXXII.

IMmissionem, quam alias coram me sub die prima Julii præteriti reportarunt Octavius, & Amelius, aliique de Abbiosis dumtaxat informantes, hodie comparentibus Laura de Abbiosis, ac Co. Nicolao de Septem Castellis, DD. Iterum concedendam esse censuerunt, persistendo *in decisis*.

Subsistere namque recognita fuerunt fundamenta præteritæ decisionis, cum quibus firmatum fuit universale fideicommissum Julii Caminilli, purificatum extitisse favore Amelii, Octavii, ac Dominicæ de Abbiosis, tanquam vocati ad illud, cum sint descendentes Curtii, inter quem, & Marcum Antonium primos institutos, ac eorum descendentes per testatorem reciproca substitutio ordinata fuit, ut colligitur, tàm ex verbis ipsius testamenti, quam ex circumstantiis *in mea decisione relatis §. de existentia cum duobus seqq., & ex authoritatibus ibidem congestis* ultra quas *Roland. cons. 23. num. 23. lib. 4. Peregr. cons. 18. num. 9. lib. 3. Rota coram Cerro. dec. 803. nu. 1., & dec. 30. nu. 3. par. 14. rec.*

Et licet opponeretur, quod in testamento
prædicto non legitur expressa reciproca li-
1 nealis, quæ semper difficilius Inducta cense-
tur, quoties ut hæc, à principio hæreditas
divisa fuit inter duas lineas, attamen ani-
madverterunt DD. quod quando non potest
2 alio modo verificari testatoris voluntas quam
per admissionem dictæ reciprocæ, tunc di-
ci non debet ordinatum simplex fideicom-
missum discretivè in unaquaque linea, sed
pernecesse etiam de una linea ad aliam usque
in infinitum admitti debet. Nos autem in
præsenti casu versari, innuunt verba illa testamenti -- *Perche non vole che mai in tempo alcuno si possa alienare detta sua heredità, ma che inviolabilmente si conservi nella descendenza de suoi più Prossimi dell' agnatione in infinito per linea masculina perpetuamente* -- Non posset enim hæreditas in infi-
3 nitum, ac perpetuò conservari in proximio-
ribus descendentibus de agnatione, nisi intelligeretur inducta reciproca linealis, *Rot. coram Merlin. dec. 326. num. 10., & coram Coccin. dec. 494. num. 9., & seq., & coram Cerr. dicta dec. 803. num. 5., & seq., & in Perusina fideicommissi 23. Junii 1698. §. vindicata coram R.P.D. meo Priolo, & in Senogallien. fideicom. 28. Februarii 1707. coram me*. Alias enim si ultimus de sua linea
potuisset liberè de medietate bonorum,
4 disponere, non verificaretur, quod hære-
ditas semper ad proximiores de sua agnatione defferretur.

Firmata ex prædictis, & aliis animadversis in mea præterita decisione existentia reciprocæ linealis, non subsistit, quod per divisionem expletam de anno 1615. inter Marcum Antonium, & Curtium illi fuerit renunciatum, attentis precipuè clausulis amplissimis quibus illa concepta fuit scilicet *ad habendum fraendum &c.*, ac cum pacto de non se molestando, & obligatione de evictione.
5 Quoniam non solùm divisio prædicta fuit coa-
ctiva, non autem voluntaria uti expressè per
testatorem demandata, qui ulterius in casum
controventionis pænam caducitatis apposuit,
adeo ut neque pro observantia interpreta-
tiva allegari valeat, & penitus deliberata
remaneat vis dictarum clausularum. Verum
etiam, quia præfatæ clausulæ potius de stylo
notariorum censeri debent appositæ, non
autem ad effectum tollendi de medio fidei-
commissum, cum ad istum effectum requira-
6 tur, quod dividentes habeant individuam
scientiam fideicommissi, & in divisione mentionem fecerint per verba indubitata, & expressa, vel saltem adeo effrenata, & ut necessario remissionem illius importent. Et tamen hæc omnia in casu præsenti deficiunt, ideoque tantominus potest in dicta divisione constitui fundamentum pro remissione fideicommissi, *Rota post. moder. Asculan. ad Stat. Urbis dec. 42. nu. 9., & dec 44. nu. 5., & 6.* Et si hæc remissio adesset, utique præ-
7 judicaret ipsis condividentibus, non autem
actorbus ad fideicommissum ex propria persona vocatis, *Peregrin. cons. 19. nu. 11. vers. quare licet lib. 4. Rot. dec. 136 num. 8. par. 12., & dec. 435., & 601. utrobique per tot. par. 19. rec.*

Quatenus autem replicabatur, quod in omnem casum in altera linea supersit Laura, quæ impedire possit effectum substitutionis reciprocæ. Iterum pro remotione objecti placuit DD. id, quod in præterita decisione firmatur §. *Nec justificatio*, quod scilicet in testamento vocantur *li più prossimi dell' agnatione in linea masculina*, quod nullate-
8 nus verificaretur de Laura, quæ uti fœmina
licet venire posset appellatione proximiorum, minime tamen veniret sub nomine proximiorum in linea masculina, *Fus. cons. 191. nu. 29. Mell. observat. 195. nu. 9, Rot. dec. 1.*

n.56. & seq. par.10. rec. & §. In Auximana prædii 11. Novembris 1699. nec meretur cor bo. me. Jacometto.

Ea tandem, quæ deducebantur contra illiquiditatem crediti dotalis Dominicæ, nullam mereri visi fuerunt animadversionem in præsenti, cum hæc sit exceptio de jure Tertii,
9 hoc est filiorum Caroli favore Dominicæ quæ cessionem fecit, *Rot. cor. Cels. dec.180. num.8.* *& coram bo. me. Emerix dec.1300. num.3.*, *& in rec. dec.601. num.10. par.18.*
10 Maximè quia illi præfatam exceptionem non allegant, nec ea utuntur, *Gabr. cons.149. nu.156. Rot. dec.398. nu.9. par.19. rec.*

Et ita utraque &c.

RAVENNATEN. FIDEICOMISSI HIERONYMI DE ABBIOSIS.

Lunæ 16. Januarii 1708.

ARGUMENTUM.

Est confirmatoria Decis. 509.

Sunt super his bonis Decis. 508., & proximè antecedens hujus confirmatoria.

SUMMARIUM.

1 *Immissio denegari non potest probanti fideicommissi existentiam purificationem, & bonorum identitatem.*

2 *Præsertim si a reo hæc fuerint confessata.*

3 *Remissio fideicommissi in divisione potius excluditur, si bona super, quibus illud cadebat sunt relicta indivisa.*

DECISIO DXXIII.

Sicuti, & in contemporanea decisione super fideicommisso Julii Cammilli DD. persisterunt in decisis favore Octavii, aliorumque de Abbiosis. Ita & in præsenti fideicommisso Hieronimi de Abbiosis concurrentibus eisdem rationibus in alia mea præcedenti decisione examinatis contra Laurani Abbiosam, & Com. Nicolaum de septem Castellis idem responderunt.

Posita enim existentia fideicommissi, identitate bonorum, ac illius purificatione favore
1 actorum, ejsdem denegari nequit immissio, ut plenè probatum fuit *in mea præcedenti dec. §. Verificatis, & in alia hodie pariter edita super fideicommisso Julii Cammilli §. subsistere.*
2 Accedente presertim confessione Com. Nicolai rei conventi, qui per transactionem initam cum Carolo actorum authore approbavit judicatum favore dicti Caroli concedens immissionem ad medietatem bonorum fideicommissariorum per Com: retentam.

Non refragante divisione inter Hieronymum, & Curtium expleta in præsenti quoque repetita. Quia ultra responsiones in altera mea contemporanea decisione traditas, in casu presentis controversiæ urget, quod dividentes tantum abest, ut renunciare voluerint fideicommisso Hieronymi, quin potius illud
3 preservaverint, cum in eadem divisione reliquerint pro indiviso interesse quam plurabona, & signanter Moiendinum & prædia sita in Territorio Pauvit, provenientia ex fideicommisso dicti Hieronymi. Unde arguitur quod si voluissent remittere fideicommissum, dequo notitiam habebant, utique dicta omnia bona æquis portionibus dividissent: nec illa restituissent indivisa:

Et ita in reliquis DD. approbando fundamenta tam præteritæ decisionis, quam alterius contemporaneæ super fideicommisso Julii Cammilli, cum illis pertransierunt utraque &c.

ASTEN. PRIORATUS SUPER PERTINENTIA.

Veneris 20. Januarii 1708.

ARGUMENTUM.

Juspatronatus relictum alicui, & ejus filiis masculis, & eorum descendentibus masculis, ac fœminis in infinitum, fœminæ unicæ ab ultimo ex descendentibus superstiti debetur exclusa filia primi vocati, ejusque descendentia, nec proximitas à gravante est metienda sed à gravato, cum relictum est ordine primogenituræ. Jus præsentandi ex defectu vacationis non exercitum cum habitu, & potentia retinetur est transmisibile. Matrimonium in Libris Parochi non adnotatum, & cui impedimentum resistit, ex quibus probetur?

Confirmatur infra dec.570.

SUMMARIUM.

1 *Juspatronatus relictum filiis masculis, & eorum descendentibus masculis, & fœminis, ultimo masculo ex vocatis, deficiente sine prole masculina, ejus filiæ debetur.*

2 *Filia sub vocatione masculorum, & fœminarum, masculis defectis, dicitur comprehensa.*

3 *Fœmina filia primi vocati ad juspatronatum exclusa dicitur, una cum ejus descendentia in concursu cum sola superstite fœmina ulterioris ultimi masculi de linea prædilecta: cum testator eum vocavit, & ejus filios masculos, & in progressu postea masculos, & fœminas invitavit.*

4 *Verbum* -- descendenti - *quamvis sit ad alios referibile intelligi tamen debet de eo, qui est de columnello prædilecto, in quo est ingressum juspatronatus, ante quam fieri possit transitus ad alios.*

5 *Dictio* -- loro -- *latine* ipsorum *est personalissima, & vocationem restringit.*

6 *Fœmina ex ultimo de linea habere debet juspatronatum, exclusis tranversalibus: cum testator voluit, illud transire ad proximiorem in gradu sucessibili.*

7 *In jurepatronatu non attenditur prærogativa lineæ, sed proximitas metienda a gravante non à gravato.*

8 *Limi-*

8 *Limita cum est relictum ordine primogeniturae.*

9 *Juspraesentandi, cujus exercitium Pater habuit, in filium transit, & ab isto, licet nunquam datus fuerit casus praesentationis, cum illud habeat habitu, & potentia, in filios quoque transmittitur.*

10 *Matrimonium, licet in libris Parochi non adnotatum, cui resistit etiam spiritualis cognatio, ex quibus verè, & legitimè adfuisse probetur?*

11 *Maximè cum de eo non principaliter, sed incidenter agitur: quia tunc leviores sufficiunt probationes.*

DECISIO DXXIV.

SUper simplici Beneficio Prioratu nuncupato quod Budericus de Bucca fundaverat in Altari SS. Michaelis, & Joannis Baptistae Ecclesiae Parochialis S. Petri Clarasci reservavit juspatronatus activum, & passivum prius ad sui favorem, & deindè Secundini ejusdem ex fratre Nepotis, & deindè sunt verba instrumenti, *alli figlioli maschi, e loro descendenti maschi, e femine in perpetuo & infinito, & in defetto de' maschi alle femine, e loro descendenti maschi, e femine come sopra in infinito*: -- Deficiente vero linea masculina, & faeminina Secundini, utrumque juspatronatus reliquit filiis masculis, & feminis Antoniae de Lonellis propriae Consubrinae, & successivè proximiori in gradu succedendi de agnatione, & cognatione domus, ac parentelae d. fundatoris, masculis, & feminis, eorumque descendentibus in infinitum sub ea conditione, *che li maschi siano preferiti alle femine, e che sempre sia il Primogenito, o Primogenita, & il prossimiore in grado di succedere*.

Defuncto autem Bunderico fundatore, ad tenorem d. dispositionis juspatronatus pervenit in Secundinum de Bucchis, qui decessit relictis post se Josepho, & Anna Marcellina filiis, ex Josepho autem Maria Elisabet, ex Anna vero Carolo Antonio, & Francisco fratribus de Raineccis, inter quos orta controversia super jure praesentandi, Ordinarius in partibus, cujus judicio standum esse fundator disposuerat favore Mariae Elisabethę respondit concedendo illi manutentionem, & ulterius decernendo etiam institutionem favore Caroli Josephi ejus filii ab ea praesentati, & causa devoluta ad me in gradu appellationis, proposui dubium -- *An, & ad cujus favorem constet de pertinentia jurispatronatus*, *quod DD. favore d. Mariae Elisabethae, ejusque filiorum* resolverunt.

Agitur enim de instrumento claro fundationis, in quo cum fuerit litteraliter dispositum, quod post obitum fundatoris juspatronatus spectare deberet ad Secundinum ejus ex fratre Nepotem, ejusque filios masculos, eorumque descendentes masculos, & faeminas, eo ipso, quod Secundinus obiit relicto unico masculo, nempè Carolo Josepho Seniore, qui solus remansit patronus, & iste sine masculis decessit jure optimo successio
1 dumtaxat debetur Marię Elisabethę illius
2 unicę filię, quę tanquam talis sub d. vocatione descendentium masculorum, & feminarum dicitur comprehensa, *per text. in leg. cum ita §. in fideicom. ff. de legat.* 2. passim receptum in materia jurispatronatus, *ut apud Bald. cons. primo n 8 lib. 3. Gabriel. cons. 196. n. 34. lib. 2. Vivian. de Jurepatr. lib. 4. cap. 9. 14., e 37. Rota in Barchinonen. Beneficii 22. Februarii 1704. §. in praesenti cor. R. P. D. meo Caffarello.*

Non obstat, quod fundator per modum regulę declaraverit -- *che li maschi siano preferiti alle femine, che sempre sia il Primogenito* -- ex quo inferebatur Carolum Antonium Raynerium uti masculum ex Anna Marcellina filia Secundini, & ętate majorem esse pręferendum Marię Elisabethę. Etenim super hujusmodi pręlatione tunc potuisset promoveri contentio, quando Secundinus nullos reliquisset masculos, & dum illi successit Carolus Joseph Senior illius fi-
3 lius, satisfecit responsio, quod cum fundator in ingressu jurispatronatus, & Primogeniturę vocaverit, ut mox dictum fuit solos filios masculos Secundini ibi -- *e dopo di lui alli suoi figlioli maschi* -- & in progressu vocaverit, & masculos, & feminas de generatione, & descendentia masculorum Secundini ibi -- *e loro descendenti, maschii, e femine in perpetuo, & in infinito*. Exinde sequitur, quod sicut in ingressu dicti jurispatronatus per existentiam filii masculi d. Secundini semel exclusa remansit AnnaMarcellina Mater Caroli Antonii Raynerii, ita quoque in progressu debeat remanere exclusa una cum illius filio in concursu feminarum descendentium immediate a linea masculi prędilecti, *ad tradita per Peregr. de fideicom. artic. 27. n. 18. 19. Rota cor. Dunoz. Jun. dec. 233. n 6. 7. in rec. dec. 37. n. 11. 12. parte 8., & in Romana fideicom. Nicolai de Massiolis 20. Januarii 1702. §. sed alio cor. R. P. D. meo Scotto.*

Non attenta responsione, quod fundator post vocationem Secundini, suorumque filiorum masculorum, addendo verba illa -- *e loro descendenti maschi, e femine* -- pręferentia descendentiam equè referibilem tam ad filios masculos Secundini, quam ad ipsum Secundinum comprehendere voluerit dictum Carolum Antonium Rainerium tanquam per medium feminę descendentem ab ipso Secundino. Quoniam quidquid sit de comprehensione Rainerii, hoc unum certum est, quod dum juspatronatus post Secundinum devenit ad Carolum Josephum Se-
4 niorem, dd. verba referenda non sunt ad quoscumque descendentes, sed dumtaxat intelligenda veniunt de illis, qui descendunt a d. Carolo Josepho, ejusque Columnello prędilecto, & in cujus lineam est ingressum juspatronatus antequam fieri possit transitus ad alium, *Episcopus Rocca disp. jur. cap. 3. num.*

num.9. Per. de fideicom. art.27. n.14., & 15. Pax. Jord. Tom. 2. locub. lib. 10. tit. 27. n. 33. Garz. de Benef. p.7. cap. 15. num. 20. Rota in d. Romana fideicom. de Maffiolis 14. Junii 1694. §. Et quod vere coram R. P. D. meo Priolo.

Maxime quia fundator expresè declara-
vit prælationem demandasse inter solos des-
cendentes ex filiis masculis Secundini me-
5 diante dictione illa, personalissima -- e *loro*
descendenti, latinè *ipsorum*, quæ vocatio-
nem restringit ad solam lineam effectivam
Secundini, de qua non est filius Annæ Mar-
cellinæ, *ad notata per Ridolphinum allegat.
133. n. 9. Grat. discept forcn. cap. 765. n.89. Rota cor. Dunoz. Juniore dec. 454. n.3., & in rec. dec. 507. n. 9. p. 2., & dec. 55. n. 15. p. 18.*

Accidit prædictis, quod cum postea vo-
luerit juspatronatus deferri Primogenitis si-
ve masculis, sive feminis voluit admitti ibi
6 *il prossimiore in grado di succedere*: unde
cum defuncto Carolo Josepho seniore re-
manserit tantum Maria Elisabeth unica illius
filia, ad istam pertinet successio in jurepa-
tronatus utpotè proximiorem in gradu ulti-
mo defuncto, eaque præferenda est mascu-
lo remotiori, & transversali, *Bero. cons. 120. n.4. lib. 2. Covar. var. ref. lib.3. cap.10. n. 7. Mejen. de majoritate p. 2. quest. 6. n.68. Molin. de Primogen. lib. 3. cap. 4. n. 10., & 13. cap. 5. n. 50. Episcopus Rocca disput. jur. cap. 3. n. 6., & 12.*

Minime relevante duplici objecto, altero
7 quod in presenti cum versamur in jurepa-
tronatus, non sit attendenda prærogativa li-
neæ, sed metienda proximitas gravantis,
non autem gravati, quo casu Maria Elisabeth
respectu fundatoris sicut esset in pari gradu
cum Carolo Antonio Raynerio, ita iste tan-
quam masculus veniret præferendus. Alte-
ro, quod dici non posset juspatronatus illius
ingressum in lineam Caroli Josephi, ex quo
ipse nullam præsentationem explevit, ut
proinde neque etiam potuerit illud in pro-
priam filiam transmittere. Quoniam respec-
tu primi satisfuit respondere, quod cum in
8 presenti Juspatronatus fuerit relictum cum
ordine Primogenituræ, eisdem regulis de-
bet in eo procedi, ut distinguendo probat
Garz. de benef. p. 7. cap. 15. n. 20., & fir-
mat Rota *cor. Duran. dec. 216. n. 8. Rota dec. 325. n. 10. p. 17. rec.* Respectu vero se-
cundi, quæcumque difficultas de medio su-
blata remansit ex eo, quod Carolus Joseph
successit Secundino Patri, qui de hujusmo-
9 di Prioratu actum præsentationis explevit,
quo mediante jus presentandi transitum fecit
in filium, qui licet tale jus ad actum manda-
re nequiverit, ex quo ipso vivente nunquam
vacationis casus evenit, tamen fatia est, il-
lud penes ipsum resedisse in habitu, & po-
tentia ut in Mariam Elisabetham filiam, alios-
que descendentes continuare dicatur, ex
plene firmatis *per Rotam dec. 136. n. 19. cor. Priolo, & in Mediolanen. Prioratus 14. Februarii 1701. §. Quoniam ultra cor. R. P. D. meo Scotto.*

Firmata ex his pertinentia jurispatronatus
favore Mariæ Elisabethæ, & filii, illa ex
cludi non potuit per Raynerium sub præ-
textu, quod d. Maria Elisabeth non sit filia
legitima, & naturalis Caroli Josephi, ex
quo in libris Parochi non reperitur adnota-
tum Matrimonium celebratum inter Caro-
lum Josephum, & Ludovicam Alpharlam
ejus parentes, & illis positivè resisteret spi-
ritualis cognationis impedimentum. Quia
licet ex libris Parochi desumi non possit pro
batio prenarrati matrimonii, tamen cum
10 istud convincatur tam ex instrumento do-
tali celebratum inter d. Ludovicam, & Ca-
rolum Josephum cum precedenti dispensa-
tione Apostolica desuper obtenta ad remo-
vendum impedimentum prenotate cogna-
tionis spiritualis, quam ex depositionibus
plurium testium, nec non etiam ex super
longa cohabitatione 30. ferè annorum utriuf-
que conjugis in statu Matrimonii cum ejus
publica voce, & fama, juncta etiam fide
Baptismatis Marie Elisabeth, utique hec
omnia simul juncta, exuberare visa fuerunt
ad constituendam concludentem probatio-
11 nem veri, & legitimi Matrimonii. Maximè
quando prout in presenti de illo principali-
ter non agitur, sed incidenter ad effectum
decidendi pertinentiam Jurispatronatus, quo
casu leviores probationes sufficere respondit
Rota cor. Pavia dec.1200. n.10. cor. Coccin. dec. 1169. n.10. cor. Cavel dec.142. n. 1. & in rec. dec. 318. n. 4. p. 15., & dec. 133. n. 15. p. 18.

Et ita utraque resolutum fuit &c.

ASTEN. PRIORATUS SUPER INSTITUTIONE.

Veneris 20. Januarii 1708.

ARGUMENTUM.

Juspatronatus passivum regulatur ab activo præsertim cum fundator se retulit in illius constitutione ad superiùs dicta, ubi fuit loquutus de activo. Et tunc verba ampla familiæ & Parentelæ ad normam istius regulantur. Qualitates, quas testator non consideravit, non faciunt ut preferri debeat remotior, & non comprehensus, nec nominatus nominato a Patronis, quorum arbitrio aliquem de certo genere eligere fuit concessum. Pactum simoniacum ab antecessore in beneficio initum successori non obest. Beneficiatus qui jam possessionem est adeptus, si concedat certam ratam fructuum Patronis, vel hoc faciat ad redimendas lites simoniaca labe infectus ideo non dicitur, & quare? Et si usque ad obitum possederit talis transactio vel a S. sede confirmata, vel novum titulum acquisivisse præsumitur.

Confirmatur infra decis.569,

SUM-

S V M M A R I V M.

1 *Præsentatus a patrono est instituendus.*

2 *Maximè si præsentatus sit de genere vocatorum ad juspatronatum passivum.*

3 *Juspatronatus passivum de jure ad limites activi censetur regulatum, nec ab isto discordare præsumitur.*

4 *Testetor dum jubet nominari unum de ipsius parentela*, ut supra, *censetur in jurepatronatus passivo repetere eundem ordinem personarum, quæ in superiori parte respiciente juspatronatum activum fuerant vocatæ.*

5 *In jurepatronatu passivo descendens a vocatis dicitur vocatus, & est instituendus, excluso descendente a fæmina jam exclusa.*

6 *Verba* -- Parentela, -- famiglia *amplissimam significationem habent.*

7 *Preferendus est in institutione dignior, utpote senior, & Sacerdos.*

8 *Verba subsequentia interpretationem accipere debent ab antecedentibus.*

9 *Patronus in cujus arbitrio relictum est nominare unum de parentela, & familia, potest nominare quem voluerit, præsertim filium existentem in linea prædilecta.*

10 *Verba* -- possa nominare -- *sunt facultiva, & arbitrium concedunt.*

11 *Præponderantia qualitatum non est consideranda, cum Testator eas noluit considerari in jurepatronatus passivo, & quomodo?*

12 *Vitium simoniacum beneficiati præcedentis alteri, eo mortuo, ex proprio jure venienti non præjudicat.*

13 *Transactio a beneficiato inita post impetrationem, & captam possessionem non dicitur simoniam facere.*

14 *Præsertim si contineat fruitionem fructuum patronis litem ei moveri curantibus ad vitam factam cum bona fide resultante a lege fundationis.*

15 *Pro simoniæ exclusione omnis concedenda est interpretatio.*

16 *Pactiones a beneficiato post obtentum beneficium initæ ad redimendas vexationes litis contra eum à patronis promotæ, non sunt simoniacæ.*

17 *Beneficiatus transigens si per longum tempus beneficium pacificè possedit, vel novum titulum impetrasse, vel transactionem a sancta sede confirmari obtinuisse præsumitur.*

DECISIO DXXV.

NEgligente Secundino de Bucchis patrono præsentare ad Prioratum SS. Mihaelis, & Jo: Baptistæ intrà tempus à jure præscriptum, fuit de eo tanquàm de devoluto provisus à Sede Apostolica Franciscus Augustinus de Castellis, cuius provisionem quamvis impugnassent Secundinus præfatus, & Jo. Baptista, aliique de Lunellis Patroni, Nihilominùs posteà illimet transigendo eodem anno 1665. ad hæserunt provisioni Apostolicæ, & è converso d. Franciscus de Castellis in recompensationem dimisit favore Secundini usumfructum triginta iugerum terreni de juribùs dicti Prioratus.

Sed his non obstantibus prætendens Franciscus Raynerius, quod d. de Castellis indebitè prioratum occupasset, eò quia antè illius assecutionem nonnulla illicita pacta simoniæ labem redolentia cùm patronis inierat, & quædam Beneficij bona sine licentia Apostolica favore Patronorum alienaverat, literas provisionis in sui favorem à Summo Pontificè impetravit, illarum tamen executionem nunquàm potuit obtinere; itaut Castellius in pacifica possessione usque ad obitum continuaverit, eoque defuncto Maria Elisabeth tanquàm Patrona ad Prioratum præsentavit Carolum Josephum filium, E' converso autèm Franciscus Raynerius prætendictas litteràs Apostolicas suæ præcedentis provisionis, ad cautelam jura juribus addendo curavit præsentationem in sui personam à Carolo Antonio Raynerio ejus fratre tamquam patrono reportare.

Hinc introducto judicio coràm Ordinario, lata fuit sententia, qua rejecto d. Francisco, pronunciatum exstitit, Mariam Elisabettam manutenendam esse in quasi possessione præsentandi, & præsentationem ab ipsa factam in personam Caroli Josephi ejus filii esse admittendam: undè ad provocationem fratrum de Rayneriis hodiè resoluta jàm causa super pertinentiam Jurispatronatus favore Mariæ Elisabettæ, cum examinari contingat dubium -- *An, & cui sit danda institutio, vel potius litteræ Apostolicæ sint exequendæ* -- & DD. dandam esse institutionem Carolo Josepho, ac litteras non esse exequendas responderunt.

Quo enim ad istitutionem, posito quod Juspatronatus spectet ad Mariam Elisabettam, juxta firmata in dicta altera mea decisione hodie edita, consequens est, ut veniat
1 instituendus Carolus Joseph ab ea præsentatus *cap. cum Bertoldus de re judicata, cap. Monasterium 16. q. 7., Vivian. de Jurepatr. lib. 12. cap. 8. n. 2., Rot. decis. 405. num. 1. coram Priolo, in Tuden. Parochialis 17. Decemb. 1703. §. fuit enim coram Emo Caprara, & in Valentina Beneficii 16. Jan. 1703. §. Quamvis cor. me.*

Maximè quia ipse etiàm est de genere vocatorum ad Juspatronatus passivum, ut con-
2 vincitur non solum ex eo, quod fundator ad Juspatronatus activum invitavit Secundinum Nepotem, & deindè filios, masculos
3 & feminas in perpetuum, & in infinitum, ad cuius limites, etiam Juspatronatus passivum de jure censetur fuisse regulatum, itaut illud ab isto non discordare præsumatur *Rota decis. 49. n. 19. 20. par 4 decis. 248. n. 17. 18. part. 16. & in Auximana Jurispatronatus 27. Junii 1701. §. Minusque cor. R. P. D. meo Ansaldo* verùm etiam ex eo, quod dictæ Juris præsumptioni ipsemet fundator expressit se velle conformare, quodque in utroque eadem norma, & idem ordo succedendi servaretur; dum jussit Patronis, quod nomina-

re

re possent - *Vno della Parentela del Fonda-*
tore come sopra -- ex quibus verbis talem fuif-
ſe intentionem Teſtatoris deprehenditur
mediante dictione illa -- *come ſopra* -- per
quam in jurepatronatus paſſivo repetitum
cenſetur idem genus, & ordo perſonarum,
quæ in ſuperiori parte reſpiciente jus patro-
natus activum fuerant vocatæ, *Rot. deciſ. 95.*
n. 25. par. 11. rec., & in Romana fideicom-
miſſis de Albergottis 9. Junii 1698. §. *Atque*
hæc coram Em̃o Tremoille, undè venit in
conſequentiam, quod dum Carolus Joſeph
eſt filius Mariæ Eliſabeth unicæ Patronæ,
& iſta per medium maſculi deſcendit a Se-
cundino, & hic eſt de linea, ad quam, ſpe-
5 ctat juſpatronatus activum, ipſe quoque Ca-
rolus Joſehp dici debet comprehenſus in ju-
repatronatus paſſivo, & venit inſtituendus
in excluſionem Franciſci Rayneri deſcen-
dentis à fœmina jàm excluſa, *Lotter. de re*
benefic. lib. 2. q. 11. n. 151., Carol. Ant. de Luca
de linea legal. art. 24. n. 39. Rot. in Maioricen.
Beneficii 16. *Febr.* 1699 §. *Licet enim coràm*
Eminentiſſimo Tremoille.

Abſque eo, quod prò comprehenſione
Franciſci Raynerii ſuffragari valeat, quod
6 fundator uſus fuerit verbis *Parentela, e*
famiglia latiſſimam ſignificationem habenti-
bus, quorum appellatione venit, & ipſe,
7 qui ulterius eſt dignior cæteris tanquàm
Senior, & caracthere Sacerdotali inſigni
tus, quoniam hujuſmodi generalitas, &
latitudo verborum utpotè expreſſa in parte
inferiori diſpoſitionis, intelligenda eſt de fa-
milia maſculina, & feminina intrà Ordinem,
& gradus enumeratos in parte precedenti,
in qua fundator loquutus eſt de Jurepatrona-
8 tus activo, cum ſemper verba ſubſequentia
declarationem recipere debeant à præceden-
tibus *Rota dec. 346. n. 7. 8., & 9. par. 15. rec. &*
in Romana Juriſpatronatus 3. Julii 1705. §.
Inter alia cor. Rm̃o D. meo Decano, & in
omnem caſum cum Fundator reliquerit in-
mera facultate, & arbitrio Patroni preſen-
9 tare unum de ſua parentela, & familia utique
nullo exiſtente de linea maſculina, dici debet,
quod in concurſu deſcendentium ex linea fæ-
minina potuerit arbitrio ſuo eligere, & gra-
tificare proprium filium exiſtentem in linea
prædilecta maſculi ex Secundino, attentis
10 illis verbis - *poſſa nominare, e preſentare* -
quæ ſunt facultativa, & arbitrium conceden-
tia *Carol. Ant. de Luca de linea legal. art. 24.*
n. 24. Rota in Romana Fabricæ 13. Januarii
1702. §. Inficiari cor. R. P. D. meo Anſaldo.

Quo poſito curandum non eſt de præpon-
derantia qualitatum Franciſci Raynerii;
11 quoniam tantum abeſt, quod Fundator in
vocatis ad Juſpatronatus paſſivum hujuſmodi
prærogativas requiſiverit, ut potius poſtha-
bita ætate. & Sacerdotio facultatem dederit
Patronis nominandi unum de parentela
etiam minùs dignum ibi - *Vno della Paren-*
tela del Fondatore come ſopra, e ſia ammeſſo,
e preferito ad ogn' altro, benchè più degno
ſe ben non foſſe di legitima età, ne Sacerdo-
te: - ideòque dum tales qualitates non fue-
runt habitę in conſideratione, ſatis eſt, quod
preſentatus ſit in reliquis qualificatus; ut
reſpondit *Rota deciſ. 40. num. 10. par. 19., &*
in Faventina Beneficii 11. *Febr.* 1704. §. *Pro-*
bato cor. bo. me. Muto.

Et hæc quoad inſtitutionem favore Caroli
Joſephi, de qua in prima parte dubii, quo
verò ad litteras Apoſtolicas, quas impetra-
verat Franciſcus Raynerius, DD. illarum
executionem denegarunt, eo quia non ſunt
juſtificatæ, cum fuiſſet Summo Pontifici ex-
poſitum, quod Caſtellus antequam beneficii
poſſeſſionem aſſequeretur Simoniam in tran-
ſactione inita anno 1665. cum Secundino Pa-
trono tunc vivente commiſerit. & bona Be-
neficii alienare preſumpſerit. Et tamen ul-
12 trà, quod hodie jam defuncto Secundino, lis
agitur cum Carolo Joſepho ex proprio Jure
veniente, itaut factum illius non poſſit ipſi
nocere *Rot. cor. Pamphil. dec. 363. n. 17., & in*
Comſana Abbatiæ 6. *Aprilis* 1699. §. *Ex qui-*
bus cor. Rm̃o D. meo Decano. Ceſſat dif-
ficultas, ex quo tranſactio inita fuit non ſo-
lum poſtquàm fuerat à Sede Apoſtolica tan-
13 quàm de devoluto proviſus propter non fa-
ctam nominationem à patronis intrà tempus
legitimum, ſed etiàm poſtquàm poſſeſſionem
de eodem Beneficio nactus fuerat, unde ad
evidentiam convincitur erroneitas ſuppoſi-
ti. Tanto magis quia in tranſatione non fue-
runt factæ ullæ dimiſſiones, aut alienationes
bonorum Beneficii, ſed tantum permiſſa
14 fruitio fructuum ad vitam, etiàm cùm bona
fide reſultante. ab ipſa lege fundationis, quæ
in certis caſibus permittit Patronis frui
fructibus Beneficii, itaut proindè ceſſet
quæcunque exceptio ſimoniæ, prò cujus ex-
15 cluſione omnis capienda venit interpreta-
tio *Rot. cor. Gregorio deciſ. 238. num. 7., cor.*
Dunozzet. Jun. deciſ. 956. num. 18., & in
rec deciſ. 141. n. 6. par. 16. & deciſ. 116. num.
22. par. 17.

Maximè quia hæc omnia geſta fuerunt ad
16 effectum redimendi vexationem litis per Pa-
tronos contra eum promotas, ut advertunt
Sanchez conſ. moral. lib. 2. cap. 3. dub. 30.
n. 9., & 11. Rota coram Buratto deciſ. 307.
num. 5. 6. coram Dunozzetto Jun. deciſ. 702.
num. 4. 5., & in recent. deciſ. 177. n. 24. par.
11., & deciſ. 187. num. 24. par. 13.

Addito etiàm, quod cum Caſtellus ab
anno 1664. uſque ad anno 1700., quo Fran-
ciſcus Raynerius impetravit Beneficium,
pacificè poſſederit, & in eadem poſſeſſione
continuaverit uſque ad obitum ſequutum an-
17 no 1696. per lapſum tanti temporis intrat
præſumptio, quod Caſtellus, vel novum ti-
tulum impetraverit, vel quòd tranſactio anni
1665. fuerit per beneplacitum Apoſtolicum
revalidata, itaut omnibus prædictis ſimul
conſideratis literæ Apoſtolicæ Franciſci ho-
die ſint inexequibiles, *Lotter. de re benef.*
lib. 2. quæſt. 45. num. 28. Seraphin. deciſ. 983.
num. 6.

Et ità utraque &c.

AME-

AMERINA FIDEICOMMISSI DE GERALDINIS SUPER AGNATIONE.

Lunæ 23. Januarii 1708.

ARGUMENTUM.

Multa perpenduntur, ut probetur descendentia, & existentia in aliqua familia ad effectum succedendi.

Confirmatur infra dec. 571. Et super immissione sunt in hac causa dec. sequens, & 572.

SUMMARIUM.

1 *Filiatio ex enunciativis in instrumentis, & ex testium depositionibus concludenter probatur, &* n. 15.

2 *Personarum ejusdem nominis, & cognominis multiplicitas non præsumitur, nisi concludenter probetur.*

3 *Filiatio ab uno de familia, de qua res est, & non alterius ejusdem nominis, & cognominis, & diversæ familiæ superlativè probatur, cum quatuor hujus ascendentium omnia concordant cum quatuor non controversis de familia, de qua agitur, & cur?*

4 *Et eidem filiationi non obstat, si probetur, patrem aliam nomine diversam uxorem à matre illius, de cujus filiatione queritur, habuisse: cum dari possit casus post primæ mortem hanc duxisse.*

5 *Matrimonii effectuatio à simplicium sponsalium, & dotis constitutionis probatione non convincitur.*

6 *Ex habitatione domus avitæ descendentia conjicitur.*

7 *Instrumentum contra producentem plenè probat.*

8 *Cognominis non usus non excludit existentiam de familia: cum alii, qui ex eadem certè fuerunt, idem in pluribus actibus fecerint.*

9 *Denominatio sub eodem nobili cognomine auctoris in publicis libris reformationum arguit ejus & successorum existentiam de ea familia.*

10 *Et excludit talem auctorem, ita in publicis libris reformationum cognominatum fuisse plebejum, & quare?*

11 *Scientia denominationis sub nobili cognomine per longissimum tempus, plur esque generationes continuatæ, ad illos de ea familia pervenisse censetur.*

12 *Vera descendentia alicujus ampliùs in dubium revocari non potest; cum uti talis ad successionem ex transactionibus, & Rotæ judicio fuit admissus.*

13 *De familia ille dicitur, cujus ascendens antiquitus ab uno, qui de eadem prorsùs erat familia, occasione multiplici pro ea ordinandi, inter cæteros vocatos, fuit numeratus.*

14 *Et cum in sententiis arbitramentalibus, & Brevibus Pontificiis, uti tales ferint ejus ascendentes recogniti.*

16 *Tractatus, & declarationes illorum de familia, istum esse de familia convincunt.*

17 *Familiæ identitas, & continuatio ex usu eorumdem insignium, & stemmatis arguitur.*

DECISIO DXXVI.

Contendentibus Alexandro, & Laurentio ejus filio ex una, ac Joanne Matthæo, & Luca omnibus de Geraldinis; & Alberto, & Riccardo de Catenaccis etiam de Geraldinis nuncupatis ex altera super qualitate agnatitia ac successione in bonis, & juribus familiæ nobilis de Geraldinis coram Vicario Generali Amerin... duplicem sententiam tulit, in quarum prima declaravit Alexandrum, & Laurenium esse de vera, ac legitima familia, & agnatione Geraldina; ipsosque esse agnatos in gradu proximiores quinque fratribus de Geraldinis fideicommittentibus; ac ad eos post obitum Adriani ultimi agnati, & ad præsens possessoris, spectare successionem tam in bonis, & juribus contentis in Breve Sixti IV., quàm in omnibus aliis bonis & juribus fideicommissariis domus Geraldinæ: & in altera declaravit Joannem Matthæum, & Lucam ejus filium pariter esse de familia Geraldina; Albertum verò, & Riccardum esse de familia Catenacci per naturam, licèt tàm ipsi quàm plures eorum ascendentes denominati fuerint etiam de Geraldinis. Verùm à præfatis sententiis appellantes partes hinc indè (Alberto tamen & Riccardo præfatis ab appellatione, seu illius prosecutione desistentibus) causam mihi committi curarunt, illamque in hodierna audientia sub disparato dubio proposui, & in præsenti DD. meos consului -- *An constet de agnatione & familia Geraldina, & ad quorum favorem* -- & affirmativa favore utriusque resolutum fuit.

Quantùm enim attinet ad Alexandrum, cum nulla esset controversia quoad plures gradus per quos descendit à Hieronymo viro Lauretæ; tota difficultas restricta fuit ad personam Hieronymi prædicti, quem prætenditur filium non fuisse Angeli Antonii Geraldini, ex quo supponitur istum decessisse sine filiis, sed alterius Angeli Antonii filii Bartholomæi de Ameria.

Verùm hujusmodi difficultas penitùs cessare visa fuit; quia in facto constitit, dictum Hieronymum fuisse verè filium dicti Angeli Antonii de Geraldinis, non solùm ex publicis documentis, seu enunciativis datis in
1 *Summ. Alexandr. n. 23.*, in quibus enunciatur Hieronymus filius Angeli Antonii Geraldini; sed etiam ex depositionibus testiū formiter examinatorum, quæ omnia plenam & concludentem faciunt probationem; *Rot. cor. Buratt. dec. 109. per tot. & coram Ubag. dec. 43. n. 1., & cor. Emerix dec. 1062. num. 2.*

Non attento, quod duo fuerint in rerum natura, qui Angeli Antonii nucupabantur; unus nempè nobilis de familia Geraldina, uti

uti de consilio decem, qui sine prole decesserit; alter verò plebæius à quo præfatum Hieronymum descendere prætenditur. Quo-
2 niam ultra quod asserta multiplicitas personarum non præsumatur, nisi illa per concludentes probationes justificata remaneat. *Gratian. discept.554. n.57. Rot. cor. Priolo dec.79.n.11., & cor. bo. me. Emerix jun. dec. 110.n.2.,& in rec.dec.155.n.11.p.11.*

Adhuc assumptum in totum prosternitur, dum admittitur, & plenè probatum apparet, quod Angelus Antonius, qui Hieronymum genuit, fuit filius Bartholomæi, qui patrem habuit Angelum à Cello progenitum, ut colligitur ex ipso *Sum. Jo. Matthæi n.14. lit. A.* undè eum in confesso sit inter partes, ut habetur ex arbore distributa; quod in vera familia Geraldina identificè, & realiter adfuerint præfatæ quatuor personæ cum iisdem nominibus, videlicet Cellus pater Angeli, cui filius Bartholomæus, qui procreavit Angelum Antonium) à quo controvertitur Hieronymum præfatum provenisse); indè sequitur quod sicut ferè impossibile videtur, quod in duabus disparatis familiis in eadem Civitate existentibus per quatuor gradus continuos, & non interruptos eodem tempore repertæ sint personæ numero quatuor, quod eodem nomine appellatæ fuerint; ita concludendum veniat, quod una tantum fuerit
3 familia: & quod dictus Angelus Antonius sit verè pater Hieronymi, & sit de familia Geraldinæ, dum nomina suorum ascendentium, nempè Bartholomæi Angeli, & Celli per Joannem Matthæum admissa concordant cum illis de familia Geraldina non controversis.

Nec relevat, quod ad magis comprobandam diversitatem personæ Angeli Antonii, dicatur, quod ille de familia Geraldina de anno 1464. uxorem duxerit Nicolaam Moriconam; alter verò plebeius de ann.1514. uxorem habuerit Medeam, ex quibus ortum habuerunt Hieronymus & Faustina. Etenim
4 hoc satis non esse recognitum fuit; cum dari possit casus, quod Angelus Antonius Geraldinus per obitum Nicolaæ primæ uxoris ad secundas nuptias convolaverit cum Medea prædicta: ideòque dicta probatio tanquam equivoca nullius remanet efficaciæ; *Rota cor.bo.me. Emerix dec.104. n.1.p.12.*; Tantoque magis, quia probatio quæ addu-
5 citur, pro primo matrimonio nil aliud præfert, quàm sponsalia de futuro, & promissionem dotis, non autem effectuationem matrimonii, quæ majorem probationem requirit.

Et ulterius documentum, quod ad probandum Faustinam fuisse filiam Angeli Antonii per Joannem Matthæum adducitur in suo *sum. n.48.* nil aliud continet, quàm ipsiusmet testamentum quod in hoc casu potiùs retorquetur; cum ibi legatur illud à Fausti-
6 na conditum fuisse -- *In domo Hieronymi Angeli Antonii posita in contrada Burgi* --; ideoque, cum Bartholomæus de Geraldinis possideret dictam domum identificè, ut habetur ex *sum. Alexandri n.21.*, in eaque habitaret Hieronymus, de quo est controversia, utique ex collatione invicem dictorum documentorum sequitur, quod Faustina testamentum fecerit in domo proveniente à Bartholomæo de Geraldinis suo avo,
7 & Angeli Antonii patre: illudque instrumentum cum exhibitum fuerit à Joanne Mattheo, plenam contra ipsum probationem inducit; *Rot. dec.482.n.8.p.13., & dec. 520.n.79.p.14., & dec.476.n.21.p.19.rec.*

Constito ex prædictis, quod Hieronymus descendebat ab illis de vera familia Geraldina, nullam mereri visa fuerunt animadversionem ea, quæ ex persona ipsiusmet Hieronimi opponebantur. Quod enim ille anno 1514. uxorem duxerit Lauram prætensam filiam spuriam Episcopi Angeli Geraldini: undè deducebatur maxima inverisimilitudo quod si ipse fuisset de vera familia Geraldina nec Episcopus filiam spuriam suo consanguineo dedisset, neque ipse illam duxisset, ne denigraretur qualitas sanguinis? Quoniam aut objectum ex combinatione temporum de facili sublatum fuit; nam dictus Episcopus decessit anno 1487.; Laura verò nuptui tradita fuit ab Angelo patre adhuc vivente de anno 1514., ut desumitur ex eodem *sum. Joannis Matthei n.2.*; aut non probatur Lauram non fuisse filiam spuriam illius Episcopi Angeli.

Quod autem Hieronymus nunquam usus fuerit cognomine de Geraldinis, nisi postquam uxorem duxerat Lauram videlicet de anno 1523., visum fuit debile argumentum ad inferendum, quod non esset de familia Geraldina; cum etiam illi qui non negantur
8 extitisse de vera familia in pluribus actibus publicis suo cognomento non fuerint usi, ut constat ex pluribus documentis utrinque distributis. Et ulteriùs suppositum nec subsistit in facto, cum non solùm in publico instrumento quietantiæ dotis Lauræ confectæ sub anno 1519. per Hieronymum ille se denominaverit filium Angeli Antonii Bartholomæi de Geraldinis, sed etiam in publicis libris reformationum Civitatis Ameriæ ultra antiquam denominationem ascendentium Hieronymi sub cognomine de Geraldinis, ipse quoque in annis 1514. & 1516. eodem modo denominatus fuit; quæ denominatio-
9 nes sub cognomine de Geraldinis ultra quod probant, quod Hieronymus esset de vera familia Geraldina, & sic etiam Alexander actor ab eo descendens; *Rota cor. Bich.dec. 161.n.8.,& cor. Dunozet.jun.dec.17.per tot, & in recent.dec.232.num.16.p.1.,& dec.145. num.4.p.10.,& dec.397.n.1.p.15.*; excludunt
10 quoque illum fuisse filium illius Angeli Antonii plebei, cum verisimile non sit quod si talis fuisset; voluissent concives, & nobiles illum secum admittere, ut ad propositum firmavit *Rot.dec.44. n.4.p.19.rec.*

Parùm refragante quod illi de vera familia de Geraldinis scientiam non habuerint

usus

usus talis cognominis per Hieronymum, quia dum per longissimum tempus semper in
11 actis & consiliis eodem cognomine usi fuerunt ascendentes Hieronymi, idem Hieronymus, ejusque descendentes usque ad Alexandrum, scientia præsumi debet *Rot. cor. Vbald dec 9.n 8, & cor. Caval. dec. 268. n. 1., & in rec. dec. 245. n 11. in fin. p. 4.*

Cæterùm pro confirmatione omnium prædictorum, favore Alexandri ponderarunt DD., quod agitata lite in hoc nostro tribunali super pertinentia bonorum istius familiæ inter illum, & Adrianum possessorem eorum, & descendentem ab uno ex quinque fratribus Episcopi Angeli nunquam fuit impugnatum, quod Alexander descenderet à Bartholomæo de Geraldinis: imò per quatuor decisiones fuit admissus ad successionem pro tertia parte tanquam consanguineus agnatus, & signanter in decisione edita 26. Junii 1697., in qua Maria Magdalena agnationem impugnare satagebat, adductæ fuerunt nonnullæ ex illismet probationibus, quæ hic ponderatæ fuerunt, & in executionem istius judicati per concordiam suam
12 portionem recepit: adeò ut exindè ampliùs dubitari non possit de illius vera descendentia: ad *Text. in l. ingenuam ff. de stat. hom. Rot. cor. Duran. dec. 8. n. 5.*

Et hæc quoad qualitatem agnatitiam respectu Alexandri, & Laurentii ejus filii. Quò verò ad Joannem Matthæum, & Lucam, pariter de ea ipsorum favore constare responsum fuit, ex quo descendunt à Carolo communi stipite: idque satis probari visum fuit, ex quo Angelus Episcopus Suessanus (de quo nulla adest controversia, quod esset de vera familia Geraldina) occasione ordinan-
13 di multiplicum pro familia Geraldina inter cæteros vocatos numeravit Joannem tanquam de præfata familia: cum autem certum sit, quod ab ipso descendunt Joannes Matthæus ejusque filius: indè sequitur, quod & ipsi sint de vera familia Geraldina.

At non solùm dictus Episcopus recognovit tanquam de familia Geraldina Joannem,
14 sed etiam in quadam sententia arbitramentali nominatus fuit Arcangelus avus prædicti Joannis tanquam de eadem familia, quem etiam adjecto cognomine de Geraldinis nominavit sa. me. Sixtus IV. in suo Brevi super fideicommisso favore familiæ Geraldinæ condito: quæ omnia concludentissimè probant Joannem Matthæum esse de vera familia de Geraldinis, ex supra allegatis.

Non relevante, quod non probetur Archangelum prædictum esse filium Lelii filii Caroli stipitis familiæ. Quoniam contrarium apertè resultat ex instrumento celebrato de anno 1405. in quo Lelius restituit
15 dotem Joannæ uxoris Archangeli ob præmorientiam illius, eundem enunciando filium. Nec obstat, quod hoc non verificetur de Lelio filio Caroli, ex quo iste jam de anno 1373. esset defunctus, ac filios habuerit Mannuatem, & Catherinam dumtaxat, ut probari prætenditur ex quodam instrumento *summario Alexandri n. 15.* Etenim ille Lelius qui fuit pater dictarum Mannuantis, & Catherinæ non erat de familia Geraldina; cum in dicto instrumento nunquam enuncietur filius Caroli, sicut è converso denominatur alius Lelius, à quo descendit Archangelus: & sic concludendum est, quod duo fuerint Lelii; unus scilicet, qui decessit de anno 1373., & habuit filios Mannuantem, & Catharinam. Et alter qui vivebat de anno 1405. qui filium habebat Archangelum prædictum, quique ambo de eadem familia Geraldina recogniti fuerunt ab Episcopo Angelo: & uti tales vocati fuerunt ad multiplicum per ipsum pro illis de familia ordinatum. Ideòque Joannes Matthæus tanquam descendens à dicto Archangelo venit de familia Geraldina dicendus, cum ad hunc effe-
16 ctum attendantur tractatus, & declarationes illorum de familia; *Rot. cor. Cerro dec. 672. n. 17., & cor. san. me. Alex VIII. dec. 251. n. 8. & seq., & in rec. dec. 472. n. 8 p. 1. dec. 416. n. 16. p. 15., & in Mediolanen. Prioratus super dubio ignobilium 15. Junii 1703. §. Agnoscebant, & 19. Novembris dicti anni §. Neque subsistit cor. R. P. D. meo Scotto.*

Quibus omnibus accedit, quod Joannes Matthæus utitur eisdem insignis, & stemmate, quibus semper usi fuerunt illi de familia Geraldina, quod valdè confert ad probandam familiæ identitatem, & continuationem in personam Joannis Matthæi *Bart. in l. tut. ff. de cap. dim. Peregr. de fid. art. 22. num. 26. & 27. Rot cor. Dunozet. seu. dec. 224. n. 6., & in rec. dec. 169. nu. 7. p. 1., & in Ferrarien. primogenituræ 10. Martii 1704. §. Verum etiam coram me.*

Et ita, utraque &c.

AMERINA FIDEICOMMISSI DE GERALDINIS SUPER IMMISSIONE, ET SUCCESSIONE.

Lunæ 23. Januarii 1708.

ARGUMENTUM.

Accipe a Summario.

Confirmatur dec. 572. Et in hac causa super agnatiatione est superior dec. cum ejus confirmatoria 571.

SUMMARIUM.

1 *Remotior Spoliare non potest proximiorem successione secundum testamentum ipsi debita.*

2 *Sed proximioribus de tempore apertæ successionis debetur.*

3 *Proximiores remotioribus de familia exclusis succedunt, licet omnes cum nomine de familia &c. collective invitentur.*

DECISIO DXXVII.

Consecutivè ad dubium in alia contemporanea decisione super agnatione examinatum,

natum, prætendens Joannes Matheus non solum Immissionem ad tertiam partem bonorum per Alexandrum uti proximiorem lineæ quatuor fratruum fideicommittentium possessa; verum etiam successionem ad omnia bona, & Jura post obitum Adriani moderni possessoris, qui tanquam descendens à Fideicommittentibus prædictis illa retinent, disputandum dedi aliud dubium -- *An, & ad quæ bona, & jura sit danda immissio, & ad quem spectet successio post obitum Adriani* -- quod *negativè quoad primam* partem, & quoad alteram resolutum fuit, *successionem post obitum Adriani spectare ad proximiorem familiæ de Geraldinis juxta modum inferius exprimendum*.

Quo enim attinet ad immissionem, cum ista veniat in sequelam alterius dubii super quo responsum fuit Alexandrum esse de agnatione, & familia quatuor fratrum de Geraldinis Episcopi Angeli videlicet Episcopi Joannis, ac Baptistæ & Bernardi, inde per necesse sequitur, quod bona postea nequeant ab ipso avocari, dum ipse tam vigore testamenti Baptistæ, qui proximiores de familia Geraldiria vocavit. quam in vim Brevis Xysti Quarti illa retinere & possidere valet. Et licet Joannes Mathæus quoque sit de eadem agnatione, & familia ex deductis in alia contemporanea decisione, nihilominus cum Alexandro concurrere nequit, dum ille est remotior in gradu, & in linea, ex quo Alexander est conjunctus dictis quatuor fratribus in nono gradu de Jure Civili computando, Joannes Mathæus verò in decimo secundo gradu designatus reperitur: ideoque dictus Alexander spoliari nequit possessione
1 dictorum bonorum, & jurium proximiori secundum dispositionem fideicomisariam debita, *ad text. in leg. si ita scriptum ff. de legatis 2. Rodulphin. allegat.* 50. *n.* 1. *&* 2. *Rot. dec.* 216. *n.* 1. *& seqq. par.* 19. *rec.*

Ex quibus resultare visa fuit resolutio etiam secundæ partis suprascripti dubii, cum successio in bonis & juribus per Adrianum retentis, & provenientibus ex Brevibus Xysti quarti emanatis altero quarto idus maii 1479. secundo nonis Junii 1483 semper debeatur illi, qui de tempore obitus Adriani probabit se esse in gradu proximiorem prædictis quatuor fratibus fideicommittentibus: Et hoc sive attendantur dispositiones dictorum Brevium, quę deficientibus filiis Mathęi, eorumque descendentibus Masculis vocant ad successionem bonorum, & Juria fideicommissariorum masculos dumtaxat de agnatione & armis, & de domo, & familia de Geraldinis, sive testamentum Baptistæ, in quo deficientibus pariter filiis suis, eorumque descendentibus invitantur ad successionem Consanguinei proximiores: Unde cum hodiè nemo reperiatur proximior Alexandro, & Laurentio, iisdem si supervixerint successio debebitur, sin minus aliis, qui de tempore mortis Adriani in gradu proximiores existent.

Nec relevat, quod cum in dd. Brevibus invitati legantur illi de nomine, & armis & de domo & familia de Geraldinis, ad successionem bonorum, & jurium omnes simultaneè succedere debeant. Etenim licet in illis omnes no-
3 mine collectivo vocati reperiantur, attamen semper sunt admittendi proximiores remotioribus exclusis, *ad text. in leg. pet. §. fratre hæred. ff. de legat.* 2. *Peregrin. de fideic. ar.* 22. *n.* 64. *Fusar. de subst. quæst.* 358. *nu.* 1. *& seq. Vivian. de jurepat. lib.* 5. *cap.* 9. *n.* 14. *&* 37. *Rot. cor. Seraphin. dec.* 1438. *num.* 7. *&* 9. *& cor. Cels. dec.* 331. *n.* 1.

Et ita, juxta hunc modum, utraque &c.

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE CÆSARINIS SUPER JURAMENTO IN LITEM.

Veneris 27. *Januarii* 1708.

ARGUMENTUM.

Hęc decisio est confirmatoria superioris decis. 484., proindè ab ea argumentum repete. Et in hac causa sunt plurimæ decisiones in dicta indicatę.

SUMMARIUM.

1 *Juramento in litem, ut locus sit tria requisita recensentur.*
2 *Dolus ob juramentum in litem non exigit positivam fraudem, sed sat est contumacia in non restituendo, aut exhibendo, quæ ad hunc effectum dolo æquiparatur.*
3 *Conventus, & in judicio damnatus ad exhibendum, existentia probata, nisi exhibeat, dicitur in dolo.*
4 *Non potest dolo carere, qui imperio Magistratus non paruit* L. non potest 160. ff. de regul. jur.
5 L. in actionibus ff. de jur. jura. *dispones, quod ob dolum solum in litem juratur, non etiam ob culpam, intelligitur de eo dolo, qui ex contumacia resultat.*
6 *Contumacia dolo æquiparatur in* d. L. in actionibus, *& in* L. arbitrio ff. de dolo malo.
7 *Juramentum in litem defertur propter solam contumaciam.*
8 *Secus cum reus non fuit in judicio condemnatus ad exhibendum.*
9 *Contumacia dolo æquiparata non intrat, ubi spretum non fuit Judicis imperium.*
10 *Dolus necessarius, ut detur juramentum in litem resultat a contumacia, concurrente tamen altero requisito liquiditatis crediti.*
11 *Juramento in litem opus est ne aperiatur via evanidum reddendi judicium exhibitionis, & judicum præcepta.*
12 *Exceptio non existentiæ librorum non admittitur post rem judicatam super exhibitione, & quare?*
13 *Res judicata super exhibitione supponit penes reum existere libros, quos petitur exhiberi.*

13 Res

13 *Res judicata facit de albo nigrum.*
15 *Obligationem emittens libros conservandi, donec deperditionem non justificet, tenetur exhibere.*
16 *Tertium requisitum ad juramentum in litem est difficultas probationis faciendæ.*
17 *Difficultas probationis ad effectum juramenti in litem; sat est, quod sit, ut res petita non extet, nec ad oculum demonstrari possit.*
18 *Ab illis, quæ uno tempore contingunt illatio fieri nequit ad ea, quæ diversis temporibus, & a distinctis, & diversis personis geruntur.*
19 *In deferendo juramentum in litem relinquitur in suspenso quantitas correspondens summæ, etiam ex alia causa, pro qua Rota rei favore resolutionem distulit.*

DECISIO DXXVIII.

ESse locum juramento in litem pro summa scutorum 48 mi. responsum fuit coram me die octava Aprilis 1707., cumque de viribus hujusmodi resolutionis hodie disceptari contigerit, DD. *in de isis* pro scut. 28. mi. relictis in suspenso aliis scutis 20. mi. standum esse censuerunt.

Admissa enim regula, quod ad effectum
1 ut locus esse possit juramento in litem copulativè probari debeant tria illa requisita,
nempe dolus ex parte rei, difficultas faciendi probationem, & certitudo crediti,
non dubitarunt DD. quin omnium prædictorum concursus in præsenti hypotesi verificetur. Quantum enim spectat ad dolum, ani-
2 madversum fuit, non requiri, quod intercedat positiva fraus, & dolus, sed satis esse
contumaciam non exhibentis, cum in his terminis sola contumacia dolo æquiparetur,
juxta clarum textum in L. 2. §. *interdum ff. de in litem jurando ibi -- Cum vero dolus, aut contumacia non restituentis, vel non exhibentis punitur quanti in litem juraverit actor --* Et in hunc sensum convenit *Rota in dec.* 188. *n.* 8. *post Zach. de obligatione Camerali, & coram Cencino dec.* 2091. *n.* 8. 9., *& post Albit de incost. in judicio dec.* 30. *sub n.* 7.

Ea quidem validissima ratione, quia ubi
3 reus in judicio conventus, si attenta probatione existentiæ Scripturarum, illas exhibere recusat, Judicis præcepto non obtemperando dicitur in dolo, quoniam ut inquit
4 text. *in L. non potest* 160. *ff. de regulis jur.* -- non potest dolo carere, qui imperio magistratus non paruit, *Aret. in* §. *præterea n.* 58. *instit. de action. Seraph. de privileg. juram. privil.* 31. *n.* 23. *Trentacinq. var. resul. lib.* 2. *resol.* 2. *de dolo n.* 5. *Rota post Albitium d. dec.* 30. *n.* 6.

Nec contrarium desumi valet *ex text. in L. in actionibus ff. de jure juran* in contrarium allegato, nam licet disponat, quod ob
5 dolum solum in litem juratur, non etiam ob culpam, tamen ibi Juris consultus non de alio dolo intellexit, quam de eo, qui ex contumacia resultat, ut benè habetur in d. *L.* 2. *ff. de in litem juran.* supra allegat., in qua ut præmisimus, contumacia dolo æqui-
6 paratur, quod etiam dispositum extat *in L. arbitrio ff. de dolo malo*, ubi propter solam
7 contumaciam datur juramentum in litem, ad differentiam alterius casus, quo adhuc non
8 fuerit reus condemnatus in judicio ad exhibendum, quoniam sicuti tunc non potest dici
9 spretum fuisse Judicis præceptum, ita ubi illud præcesserit intrat Contumacia dolo æquiparata, *ad text. in L. Actio Jure vers. sed cum adversus ubi Glossa in figuratione casus C. de in litem juran.*, Decisio verò in *Romana pecuniaria* §. *minus subsistit coram bo. me. Muto* positivè admittit ex contuma-
10 cia resultare dolum necessarium in hoc judicio, licet contrarium postea determinet ob defectum alterius requisiti liquiditatis crediti.

In præsenti autem hujusmodi contumacia controverti non potest, quoniam D. Principissa Cleria fuerat à nostro Tribunali etiam per rem judicatam gravata ad exhibendum libros spectantes ad primogenituram, sed licet quoad nonnulla paruerit exhibendo nimirum libros ab anno 1574. usque ad annum 1635., tamen non omnes exhibuit. Quamo-
11 brem ne judicium super exhibitione elusorium remaneat, & aperiatur via non parendi Judicum præceptis, locus est juramento in litem, *per text. in L.* 3. §. *præterea ff. ad exhiben. l. si tutor* 8. *ff. de in litem juran. l. Instrumentis* 10. *ff. eodem l. non ignorabit* 4. *Cod. ad exhibendum l. prima* §. *quod si dolo, & l. alto Jure C. de in litem juran Donelli in Coment. juris Civ. lib.* 76. *cap.* 8. *Ciriac cont.* 544. *n.* 9. *Rota post Zach. de obligat. cam. dec.* 188. *n.* 6.

Minime relevante, quod ipsa medio juramento declaraverit alios libros non habere, nec dolo desiisse habere præter exhibitos, quodque talis declaratio reddatur verisimilis ex eo, quod d. D. Principissa occasione infirmitatis clar. me. Principis Sonnini ejus viri discesserit a Palatio Domus Cæsarinæ relictis in eo omnibus libris penes æconomum, prout cum serotina productione informis fidei nonnullorum Testium extrajudicialium suadere conatur. Quoniam hujusmodi exceptio non merebatur allegari
12 post rem judicatam ortam super exhibitio-
13 ne, quæ in necessarium antecedens supponit omnes libros existere penes D. Principis-
14 sam, soletque facere de albo nigrum, *Rot. cor. Pamph dec.* 218 *n.* 1. *cor. Priolo dec.* 414 *num* 5., *& seq. & cor. R. P. D. meo Ansaldo* inter ejus impressas *dec.* 66. *n* 3. Quodque magis stringit est, quod d. Principissa post discessum a d. Palatio Inventarium confecit omnium bonorum Ducis Philippi ulti-
15 mi possessoris, & obligationem emisit de conservando, & custodiendo libros primogeniales, qui fuerant ad certum numerum & speciem redacti, eo ipso, quod non adducitur probatio legitima, & sufficiens de-

perditionis, teneatur ex facto proprio ad illorum exhibitionem, ut plenè firmatum fuit *in dec. hujus causæ edita super exhibitione, & juramento in litem 21. Januarii 1707. §. Nec obstat cor. me*.

Præter dolum ex contumacia resultan-
16 tem verificari etiam visum fuit aliud requisitorum circa difficultatem faciendi probationes, cum enim agatur de privatis rationibus, ac domesticis, & secretis negociis, quæ non omnibus pandi solent. Et signanter cæteris omissis aliunde haberi non possit veritas an scut. 48.m.quę fuerant deposita in Banco S. Spiritus proveniant ex redditibus primogenialibus, quam ex codicibus familiaribus domi retentis, inde ad evidentiam convincitur, quod deficiente illorum exhibitione sublatum remanet D. Ducissæ actrici omne medium ad effectum fundandi propriam intentionem, quando pro hu-
17 jusmodi effectu satis est, quod res petita non extet, nec ad oculum demonstrari possit, *Riminald. jun. cons.* 43. *n.* 34. *Menoc. de arbitrar. cas.*208. *n.*2.*Costa de remed.subsid.remed.* 98. *num.* 5. *Mascard. de prob. concl.* 934. *n.* 8. *Ciriac. contr.* 180.*n.* 4.

Non attenta responsione, quod cum ex libris familiaribus ipsius D. Ducissæ eruatur quantitas fructuum primogenialium, inde etiam de facili argui posset quid, & quantum deductis expensis pro manutentione familiæ superfuerit ad effectum investiendi favore primogenituræ. Etenim quidquid sit de dicto supposito, hoc unum certum est, quod ex dictis libris nunquam erui poterit probatio ejus, quod erogabat Dux Philippus ad efficiendum an præfata summa deposita in Banco S. Spiritus potuerit conflari ex redditibus primogenituræ superextantibus, cum ab iis, quæ uno tempore contingunt,
18 nequeat inferri ad alia, quæ diversis temporibus, & a distinctis, & diversis personis geruntur, ut firmat *decisio, quę revidetur §. minusque*.

Tandem quod constet de credito certo, dubitatum non fuit, nam respectu mobilium & argentorum probatio in genere desumitur ex publicis inventariis confectis a Duce Philippo, & ex confessione per dictam D. Principissam emissa, occasione, qua bonorum primogenialium possessionē appręhendit triduo ante obitum ultimi hęredis gravati. Respectu vero partitæ scut. 48. m., quę reperta fuit deposita penes bancum S. Spiritus probatio in genere pariter resultat ex lege Primogenituræ, per quam pecuniæ omnes conflatæ ex fructibus superextantibus ad illius comodum, ejusque debitorum dimissionem cedere debeant: & defacto non modica dictarum pecuniarum summa perlegitur deposita cum expressione, quod provenirent ex pretio herbarum, frumenti, & aliorum fructuum primogenituræ.

Quibus omnibus pensatis in præterita mea decisione responsum fuit deferendum esse juramentum in litem D. Ducissę pro summa scutorum 48. m. Verum quia in præsenti adverterunt DD., quod aliàs D. Principissa Somnini supponens se creditricem Primogenituręex causa unius cambii scutorum 50. m in sorte, egit pro relaxatione mandati coram R.P.D. meo Scotto contra bona Primogenituręs pro sorte, & fructibus d. cambii, & licet fuerit rejecta in decisione ędita die 11. Aprilis proximi preteriti, hodie tamen eadem decisione confirmata respectu solummodo ratę scutorum 30.m., pro residuali summa scutorum 20.m. dilata fuit resolutio.

Propterea cum in nova repropositione d.
19 causę possit D.Principissa declarari creditrix pro d.summa scutorum 20.m., congruum putarunt DD. illorum intuitu etiam in ista causa relinquere in suspenso summam scut.20.m. & juramentum pro nunc deferre in solis scutis 28.m.

Et ita omnibus DD. suffragantibus resolutum fuit utraque.

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE CÆSARINIS SUPER ARTICULIS.

Ven. 27. Januarii 1708.

ARGUMENTUM.

Facile ex te colliges ex Summario. Confirmatur infra decis.574., & 591. In hac causa sunt plurimæ decisiones in 312., & 323. adnotatæ.

SUMMARIUM.

1 *Articuli non sunt admittendi, qui tangunt controversiam jam sopitam*, & num.4., & sequenti.

3 *Nec irrelevantes nec inverisimiles, nec haud. facientes ad causam*, & nu.4., & 7.

5 *Libros multos quos quis se custodire obligaverat, cum omnia mobilia reportaverit sine recepta, in computistaria reliquisse inverisimile est*.

6 *Ministri res restituisse non præsumuntur sine documento ad eorum cautelam*.

DECISIO DXXIX.

IN obsequium mandatorum Rotalium, licet D. Principissa Cleria provocata ad exhibitionem Librorum spectantium ad primogenituram Cæsarinam ad instantiam Dominæ Ducissæ Liviæ nonnullos libros exhibuisset, emisso solemni juramento, quod alios libros non haberet, nec dolo desiisset habere, nihilominus, quia prædicta librorum exhibitio agnita fuit non integra, & insufficiens, prout dictum extitit coram me die 21 Januarii 1707., & deinde die 8. Aprilis ejusdem anni responsum fuit, esse deferendum juramentum in litem. Hinc ad retardandam confirmationem præfatæ decisionis in præsenti audientia petitam, eadem Domina Principissa exhibuit articulos, ad probandum, quod alii libri in ejus manibus non remanserunt

manserunt, quamobrem dedi dubium - *An articuli sint admittendi* - quod fuit *negativè* resolutum.

Nimis enim incongrua visa fuit hæc instantia in præsenti judicio, in quo solum agitur circa delationem juramenti in litem, & est prorsùs diversum ab alio respiciente articulum exhibitionis librorum, quod est terminatum: cum fuerit etiam demandata expeditio illius Causæ ita ut, nisi concedatur nova audientia, nequeat agi de novis probationibus faciendis, sed interim venit supponenda resolutio, quod non constet de integra exhibitione, prosequendo dumtaxat judicium super quantitate, pro qua veniat jurandum in litem, alias enim infrin-
1 gerentur jam resoluta, & controversia jam terminata resurgeret, quo casu admittendi non sunt articuli, ad firmata *per Rotam coram Vbaldo dec.691. num.4., coram Dunozzetto Jun. dec.995.num. 11., & coram Peutinger. dec.475. num.2 & 3.* Dicuntur enim unicè ad inventi, & excogitati ad de-
2 elinanda fundamenta decisionis editæ in præfato separato articulo, ut ad rem ponderat *Rota coram Pamphil. dec.83. num.3, coram Cerro dec.230. num.8., coram sancta mem. Alex. VIII. dec.39. num 24, & in Rec. dec.5. num.8. par.10., & dec 195. n.11. par. 15..*

Idque fortius procedit attenta illorum irrelevantia, & inverisimilitudine. Primus enim, & secundus articulus nihil faciunt ad causam; cum in illis solùm contineatur, quod post obitum Ducis Philippi, Domina Principissa se contulerit ad Civitatem Albani, & ad Urbem posteà reversa antiquam habitationem reliquerit, qua probatione facta, non ideò inferri potuit, quod ipsa integrè libros controversos exhibuerit, ideoque de
3 hac probatione curandum non est, *Rota in Colonien. Parochialis 12. Decembris 1798. §. Denegandam, coram Eminentissimo Tremoille, & in Carpentoracten. Parochialis de Mazan. super Remissoria 17. Februarii 1699. §. Inter cæteras, coram R. P. D. meo Ansaldo.*

Tertius autem, in quo articulatur, quod Domina Principissa reliquerit libros in eodem palatio Ducis Philippi, quodque isti posteà visi fuerint à testibus in computistaria Dominæ Ducissæ Liviæ, remanet, & ipse
4 irrelevans; quia hodiè non est quæstio de libris in genere, sed in specie de illis confectis tempore Ducis Philippi, ac proindè, data etiam per hypotesim probatione materiæ articulatæ, nunquam tamen inferri poterit, quod tales libri penès ipsam Ducissam existentes sint omnes illi, & singuli, qui hodiè exquiruntur. Maximè quia non fuit articulata illorum qualitas, & quantitas, & quot annos complectantur, de quibus circumstantiis nec deponunt testes novissimè ad perpetuam examinati: cum autem verificari possit probatio quoad alios libros, de quibus non est controversia, remanet evidens irrelevantis; propter quam venit, & iste articulus rejiciendus, ut præter mox allegatos, *Rota coram Bichio dec.66. num.17. & 18., coram Priolo dec.10. num.4., & in recent. dec.245. num.4. part.14., & dec.28. num.11 par.17.*

Accedit prædictis maxima inverisimilitudo, quia imperceptibile est, quod Domina Principissa, quæ omnia mobilia recuperavit ex dicto palatio primogeniali, fuerit adeò negligens, & supina, ut noluerit secum asportare tantam librorum copiam complectentem spatium 50. annorum, illosque reliquerit penès ministros computistariæ non repordando ab eis receptam, cum prædi-
5 ctorum ipsorum descriptione, & numeratione, quando illa, mediante publico instrumento jam se se obligaverat ad eorum conservationem, ac dimissionem, ut etiam latè ostensum fuit in *Decisione ædita super exhibitione 21. Januarii 1707. coram Me.*

Et augetur inverisimilitudo, ex quo credi non potest, quod iidem ministri dictos libros, ut supponitur, consignare voluerint
6 Dom. Ducissæ, sine ullo documento, quod pro ipsorum cautela dictam consignationem præseferret. Hujusmodi enim improbabilis oscitantia tàm in Domina Principissa, quam in Ministris, dictos articulos valdè inverisi-
7 miles reddit, quamobrem tanquam tales omninò sunt rejiciendi, *Rota dec 87. nu.7. coram Cavalerio, dec.2150 num.9 coram Coccino, dec.230. num 4. coram Cerro, decis.192. num.6., & dec.500. in fine coram Emerix., & in recent. dec.501. num.6. par.14.*

Et ita, DD. suffragantibus, responsum fuit, utraque &c.

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE CÆSARINIS.

Lunæ 30. Januarii 1708.

ARGUMENTUM.

Huc transferas a superiori hic confirmata Dec. 413. Et in hac causa sunt plurimæ decisiones ibidem notatæ.

SUMMARIUM.

1 *Probatio bonorum fideicommissariorum ad effectum eorum restitutionis convincitur ex inventario, in quo utilia specificè describuntur.*

2 *Confessio bonorum fideicommissariorum facta uti talium in descriptione in inventario contra eum, qui idem confecit, & contra eum, qui ab eo causam habet, plenè probat.*

3 *Discretiva descriptionis bonorum liberorum a fideicommissariis, magis fideicommissariorum separatim descriptorum realitatem convincit.*

4 *Qualitas fideicommissaria in bonis contra propriam confessionem excludi nequit.*

5 Con-

5 *Confessio in descriptione in inventario est tanti ad probandam hanc qualitatem in bonis ibidem adnotatis, ut non requiratur, ut confrontent cum antecedentibus inventariis, ni error ab allegante probetur.*

6 *Verba* -- modis, & forma præmissa -- *quomodo sint intelligenda?*

7 *Erroris probationem contraria possibilitas excludit*, & n. sequenti.

9 *Bona, ut fideicommissaria descripta in inventario, & de quibus describens 20. annorum spatio, quibus supervixit conquestus non fuit, vel fideicommissaria dicuntur, vel ab eodem fideicommisso subjecta.*

10 *Ex non reclamatione per 20. annos a descriptione in inventario facta desumitur ea fuisse descripta, quæ verè describenda erant.*

11 *Inventarium constans ex pluribus diversis foliis diverso caractere scriptis, & quorum aliqua post ejusdem confectionem fuerunt apposita nullum est.*

12 *Secus si sunt omnia cartulata, & apposita in protocollo tempore non suspecto: Præsertim si sit ejusdem copia in archivio exhibita, adamussim concordans.*

14 *Existentia mobilium ex inventariis desumitur.*

15 *Quorum quantitas cum non probari possit, contra gravatum renuentem exhibere libros, ob contumaciam, iuramentum in litem defertur.*

DECISIO DXXX.

DEnegaverat A. C. per sententiam latam de voto nostri Tribunalis restitutionem petitam à D. Ducissa Livia plurimum rerum, & signanter nonnullorum argentorum, & mobilium quæ supponebantur subjecta Primogenituræ Cesarinæ: sed in gradu appellationis coram me fuit infirmata juxta modum expressum *in mea dec. ædita* 8. *Aprilis anni præteriti*: obtentaque per D. Principissam. Somnini ream conventam nova audientia, scribentes pro illa strictè impugnarunt fundamenta præfatæ decisionis, quoad partitas mobilium, & argentorum: sed non obstantibus illa, quæ ad hunc effectum ab illis deducta fuerunt, DD. steterunt *in decisis*.

Agendo enim de mobilibus, habet pro illorum restitutione D. Ducissa Livia intentionem fundatam in solemni inventario confecto anno 1665 à bo. me. Duca Philippo ejus Auctore, qui in illo professus fuit describere bona omnia ad primogenituram spectantia, & inter ea signanter ad notata leguntur mobilia per Ducem Joannem Georgeum comparata, qui omnia & quæcumque bona, & jura sua voluntariè primogenituræ subjecerat. Quamobrem controverti amplius non potest, quod præfata mobilia ibi-
1 dem descripta tanquam de pertinentiis primogenituræ, oneri restitutionis subjecta remanserint, *Venturin. Cons.* 32. *n.* 162. *lib.* 1. *Episcopus Rocca disput. iur. cap.* 84. *nu.* 1. & *per tot. lib.* 1. *Ciroc. discept.* 61. *n.* 36. *Rota cor. Celso dec.* 337. *n.* 2. & *seq.* & *coram Dunozzet Jun. dec.* 941. *n.* 8. *coram Emerix dec.* 206. *n.* 5. & *in rec. dec.* 416. *n.* 9. *par.* 19. Et hujusmodi confessio ex dicto inventario re-
2 sultans sicut plenè probaret contra ipsummet Ducem Philippum, ita & probare dici debet con D. Principissam Clerlam ab eo causam habentem, *Rot. coram Bichio dec.* 591. *n.* 1. *cor. Priolo dec.* 294. *n.* 16. *coram Cerro dec.* 272. *n.* 3. & *in rec. dec.* 185. *n.* 11. *p.* 11.

Fortiùs, quia præter hujusmodi confessionem accedit nova confessio emissa in alio inventario tutelari per ipsum Ducem Philippum facto anno 1666. tanquam tutorem filiarum Ducis Juliani, in quo professus fuit se describere illius bona hæreditaria separata à mobilibus, & effectibus spectantibus ad primogenituram Cesarinam: & faciendo deindè explicitam mentionem de argentis, protestatus fuit illa non descripsisse tanquam spectantia ad dictam primogenituram & in illius inventario descripta, in quibus circumstantiis eruitur altera non minus clara declaratio, quod mobilia in præcedenti inventario primogeniali descripta nec erant de hæreditate libera primogeniti antecessoris, nec propria: & attenta hujusmodi discretiva sepa-
3 ratione bonorum liberorum à primogenialibus, magis, magisque confirmatur, quod illa, quæ non continentur in dicto inventario tutelari: & è contra reperiuntur descripta in illo anni 1665., sæpè dictæ primogenituræ vinculo subsunt.

Prædictis confessionibus accedit altera ejusdem D. Principissæ Clerlæ, quæ ad effectum succedendi in hac primogenitura adepta fuit possessionem omnium bonorum, quæ possidebantur ab eodem Duce Philippo cum specifica expressione, quod essent dictæ primogenituræ subjecta: unde cum ibidem adessent eadem met mobilia, quæ in inventario anni 1665. reperiuntur descripta, nequit hodie contra propriam confessionem hanc
4 qualitatem impugnare, *Peregr. de fideic. art.* 44. *n.* 20. *Fus. de subst. q.* 610. *n.* 29. *Rot. cor. Coc. dec.* 120. *n.* 3. *cor. Celso dec.* 181. *n.* 7. *cor. Sa. me. Alex. VIII. dec.* 26. *n.* 18. *coram Arguelles dec.* 63. *n.* 2., & *in rec.* 399. *n.* 3. *par.* 18.

Quibus positis, superfluum existimarunt DD. exquirere, an prædicta mobilia descripta in inventario anni 1665, adnotata legantur in antiquis inventariis annorum 1615. & 1635. Quoniam tanta est vis confessionis re-
5 sultantis ex illo, ut opus non sit alia confrontatione cum præcedentibus, dummodo tamen non exhibeantur à D. Principissa probationes in contrarium quæ errorem propriæ confessionis convincerent.

Hæc probatio erroris pro nunc desumi potest ex eo, quod in præfato inventario anni 1665. fuerint descripta nonnulla mobilia, quæ adesse non poterant de anno 1613. tempore, quo confectum fuit prædictum inventarium. Etenim quidquid sit de hoc facto. Hoc unum certum est, quod non solum mobilia tunc temporis existentia sunt in primogeni-

genitura comprehensa, sed etiam alia relicta per Ducem Joannem Georgeum, dum ille suppoiuit eidem primogeniturae omnia, & quaecum que sua bona spectantia & pertinentia, & quae spectare & pertinere possent in futurum. Non obstante, quod losra adiecerit ea verba modo, & forma praemissis; unde inferabatur voluntatem Joannis Georget fuisse restrictam ad stabilia,& mobilia provenientia ab antenatis. Quoniam ultra quod praedicta verba leguntur in longè diversa & separata periodo, & oratione, cessare visa fuit dificultas,ex quo modus,& for-
6 ma veniunt intelligenda quoàd modum, & formam succedendi, adnotata *per Rot. decis. 123.n.16. & seq.par.14. dec.307.n.16.par.16. &c. 173. n.9.par.17.rec.* Ideoque eo ipso, quod post ejus obitum de anno 1635. fuit confectum à Duce Juliano ejus filio aliud solemne inventariarum; nullus error dici potest probatus ex confrontatione cum inventario confecto de an.1613., quia ex illo concludi non potest probatio non existentiae mobilium, satis enim est quod si tunc temporis non aderant, potuerint adesse de anno 1635.
7 quae sola possibilitas omnem erroris probationem excludit, *Gloss. fin. in.L. de aetate, §. finali de interrogat. action Rot. coram Millino dec.365. n.2. & 3. & coram Priolo 256. n.4.*

Immò etiam si daretur casus, quod nec possit haberi confrontantio cum isto secundo inventario, ad huc non diceretur probatus error, quia satis est, quod potuerint confici nova, vel alia subrogari, & describi in ultimo inventario anni 1665. & haec possibilitas tanto certius debet attendi, dum spatio 30. annorum, quibus supervixit Dux Philippus, nunquam conquestus fuit, nec declaravit, quod in dicto inventario à se confecto fuissent comprehensa praeter bona primogeniturae aliaque, essent libera: unde vel dici debet, quod & ipse voluerit etiam bona pro-
9 pria subiicere primogeniturae, *Pereg. de fideic. art.44. post. n.2. Rota coram Cerro dec. 49. n.5. e 6.* Vel saltem in omnem casum tan-
10 to clariùs desumitur, quod jure fuerint descripta solum ea, quae describenda erant, *per Bart. in leg.1. §. idem solent n.8. ff. de officia Praefecti, & in l. tutor. Guttierez de tutel. par.2. cap.1. n.101. Galgaret. ecd. tit. lib. 2. tit. 2. sub. num.35. Rota coram Durano dec. 337.n.62.*

Perperam autem allegabatur nullitas prae-
11 fati inventarii confecti anni 1665. cum supposito, quod conflatum appareat ex pluribus diversis foliis, quorum aliqua non fuerint apposita ad instantiam Ducis Philippi, sed longè post illius confectionem, & sint diverso caractere exarata. Quoniam ocularis inspectio omnem sustulit dificultatem; consistit enim, quod omnia folia in protocollo in quo est ligatum inventarium, fuerunt cartulata à primo ad ultimum, absque ulla correctione, aut alteratione, ita ut licet non constet à quo fuerint consignata, tamen
12 dubitari non potest de suppositione utpote alligata in protocollo tempore non suspecto. Maximè quia paulò post stipulationem fuit
13 exhibita copia illius publica in Archivio urbano, in quo continentur adamussim omnia, quae leguntur in foliis ut praetenditur super additis.

Et haec quoàd mobilia. Quo verò ad argenta iterum DD visum fuit subsistere, quod praeter illa ponderis librarum 88. restituta per D. Principissam, alia quoque adesse possent de juribus primogeniturae: hoc suadente tam littera saepe dicti inventarii anni 1665. in quo ultra dictas libras 88. argenti
14 notantur -- *altri diversi esistenti nel Palazzo di Gcusano* -- relictis tamen in albo illorum pondere & quantitate: Quam etiam altero inventario tutelari anni 1666. confecto per eumdem Ducem Philippum de bonis liberis Ducis Juliani, in quo asseritur -- *l'argenti che si son trovati doppo la morte del Sig. Duca Giuliano non si pongano nel presente inventario per esser stati distintamente posti nell'inventario della Primogenitura, essendo parte di quelli medesimi lasciati dal Sig. Duca Giorgio doppo la sua morte, come si vede dalla loro qualità, & arma intagliata, e l'altri per sorrogatione di quelli, che erano stati comprati per prezzo di scudi mille come fu descritto nell'inventario del 1635. & ad istanza del Duca Giuliano* -- Ex quibus manifestè deprehenditur, quod verè aderant alia argenta spectantia ad primogeniturarn, nam si ea pars argentorum, quae pretio scut. mille fuerat comparata in subrogationem aliorum primogenialium, equivalet libris 88. jam restitutis, remanet in comperto, quod adhuc restituenda est illa pars, quae supponitur relicta à Duce Joanne Georgeo, in quibus illius insignia ad tenorem hujusmodi inventarii reperiuntur incisa. Verùm quia ex his omnibus eorum quantitas ad huc ad notitiam pervenire non potuit, utpote in inventario anni 1665. in albo relicta, & in altro tutelari reticita, DD. transeuntes cum decil. persisterunt in sensu, quod in poenam contumaciae
15 ipsius D. Principissae non exibentis libros, deferendum sit juramentum in litem D. Duchessae Liviae.

Et ità omnibus DD. suffragium ferentibus resolutum fuit utraque &c.

ROMANA MANUTENTIONIS.

Lunae 30. Februarii 1708

ARGUMENTUM.

Mutuum assume à super dec.35.tom.1. quae hic confirmatur.

SUMMARIUM.

1 *Cessio fundi facta creditori, ab alio, quam à vera domino fieri non potest.*
2 *Filius debitis involutus actus matris nomi-*
ne

ne in suis bonis ad supplantandos creditores facere censetur.

3 *Filius matris nomine agens mandatum procuræ ostendere tenetur, cum de jure in eo non præsumatur.*

4 *Pactum redimendi est pretio æstimabile.*

5 *Et à creditoribus vendentis est experibile.*

6 *Dotalium jurium cessionem habens anteriorem, eadem exercere potest prælativè ad habentem eamdem posteriorem.*

7 *Obligatio mulieris ex defectu causæ, ex verbis statuto, nulla est.*

8 *Obligatio matris ex justa & sufficienti causa emissa dicitur ad liberandum filium à carceratione.*

9 *Obligatio matris pro dote à filio recepta, & ab eo restituenda, valdè congrua est, & est valida, & justa.*

10 *Census juris ministerio extinguitur, cum ejusdem debitor ex causa dotis uxoris ejusdem quoque creditor evasit.*

11 *Actio, & passio in eodem subjecto non dantur.*

12 *Proximas conclusiones distingue procedere cum debitor census irrevocabiliter dominus evasit: secus verò quando assignatus fuit cum speciali hypotheca, & vinculo favore uxoris.*

13 *Dominium revocabiliter, donec scilicet matrimonium dissolvatur à viro super re dotali acquisitum dicitur, cum ea data fuit cum speciali hypotheca, & vinculo favore uxoris.*

14 *Dotis dominium, licèt in quantitate constitutæ, viro revocabiliter concessum dicitur, si pecuniæ dotales eadem die viro ad censum datæ, & census ex jure dotis fuerit cessus, & quare?*

15 *Et tunc uxor in casu restitutionis dotis à viri hæreditate potest petere dictum censum vivum, & non extinctum.*

16 *Mulier debet habere fructus dotales pro rata dotis non restitutæ in casu restitutionis.*

17 *Associatus ad bona, donec ex illis de integro credito non sit satisfactus, citra vitium spolii amoveri nequit.*

DECISIO DXXXI.

DEnegata coram me executione mandati alliàs relaxati favore fratrum de Mandosiis super domibus hæreditariis Saldonii de Saldonis, eo quia agnita fuit competere Margharitæ Moriconæ hæredis Juniperæ, pro ejus credito dotali retentionem; ut ex decisione edita coram me sub die 3. Martii 1698., & hodie revocatis ad trutinam illius fundamentis, cum fuerit de novo oppositum, quod juxta relationem periti constet non solùm de integra satisfactione prædicti crediti; sed imò potiùs, quod remanserit debitrix in sc. 1685. DD. agnita insubsistentia suppositi steterunt *in decisis*.

6 Agnoverunt enim, quod nonnullæ partitæ per peritum calculatæ ad debitum juniperæ sunt delendæ, & aliæ per ipsum omissæ veniunt addendæ. Et primo delenda sunt à debito scut. 1500 conflata ex duabus partitis altera scut. 600 proveniente ex adjudicatione cujusdam domus facta favore juniperæ; cum talis adjudicatio processerit pro fructibus dotalibus decursis, non autem pro restitutione dotis, ut hodie non controvertitur; & altera partita scutorum 900. pro pretio vineæ per dictam juniperam insolutum acceptæ à Carabellis in satisfactionem fructuum census in dicta summa per illos debitorum; quia constat illam non recepisse dictam vineam pro suis juribus dotalibus, sed nomine filiorum ex persona Saldoni viri & patris respectivè d. census creditorum, prout manifestè convincitur ex cessione fructuum ejusdem vineæ successivè facta a Ruggerio filio favore Joannis Blasetti ejus cre-
1 ditoris, quod ab alio, quàm à vero Domino fieri non poterat, ad *Text. in l. sed si plures, §. in arrogato, ff. de valgar. Natt. cons. 14. n. 1. Surd. dec. 322. n. 54. Rot. cor. Bich. dec. 65. num. 2.*

Nec ad suadendum contrarium urget responsio, quod de tempore acquisitionis vineæ junipera jam dimiserat tutelam filiorum, ac de ea rationem reddiderat, & ulteriùs Ruggerius nomine matris eamdem vineam locaverit. Quoniam dimissio tutelæ facta fuit à matre ad solum effectum agendi contra filios hæredes patris pro assequendis fructibus dotalibus obtinendo particularem deputationem alterius tutoris, qui in illo actu dumtaxat pupilli jura defenderet; & de facto in aliis subsequentibus actibus judicialibus semper junipera tutorio nomine comparuit, ut in *Summario Margharitæ num. 1.* Affictus verò vineæ à Ruggerio filio
2 nomine matris factus, nullius pariter est momenti; ex quo ille ad supplantandum creditores, utebatur nomine matris, abique
3 nllo mandato ejusdem, quod tamen deberet omninò ostendi, cum filius non habeat illud à jure, *Guidodap. dec. 526. n. 2., Rot. cor. Bich. dec. 40. n. 16., & in recen. dec. 565. n. 4. p. 4.*

Demenda est ulterius à debito juniperæ
4 altera partita sc. 423. pro valore pacti redimendi, quod vir sibi reservaverat in venditionibus cujusdam domus Votalaschæ, & Canonis favore fratrum de Mandosiis sub fidejussione uxoris expletis; quia cum hoc jus in hæreditate viri remanserit, æquum non est, quod illius pretium calculetur ad debitum uxoris; maximè quia creditores
5 viri, poterunt expriri jus offerendi adversùs emptores, si expedire ipsis videbitur, ut plenè firmatum fuit in altera *decisione coram me, §. Calculat. cum sequentibus*

E' contra sunt addendæ ad creditum juniperæ aliæ partitæ, quas peritus omisit illius favore calculatæ, & signanter animadversum fuit, quod ille prætermisit fructus census in sorte sc. 1900., quem de anno 1621. junipera in satisfactionem suæ dotis recepit, absque eo, quod unquam illius fructus exegerit, de quibus ideò remanet creditrix.

Non

Non attenta responsione, quod hujusmodi creditum suffragari non valeat pro retentione domorum, de quibus agitur, eo quia illæ retineantur ex juribus dotalibus Juliæ Saldonæ longè anterioribus, ratione obligationis factæ per eamdem Juliam, occasione illarum venditionis. Quoniam etiam Julia prædicta in impositione census, de quo
agitur, anno 1621., & sic antequam accede-
6 ret venditioni ejusdem domus, similem obligationem emisit favore Ludovici Sabbatini fratris juniperæ; ideòque jura dotalia remanent pro credito anteriori census affecta.

Replicatio autem, quod obligatio Juliæ
7 in hoc censu sit nulla ex defectu causæ per statutum requisitæ, visa fuit cessare ex facto; quoniam Saldonus filius præcedenter, sub obligatione Camerali, promiserat ejus matrem d.contractui censuali accessuram.
Cum autem conventus judicialiter ad im-
8 plementum promissionis, nisi illa accessisset, fuisset carceribus mancipatus; indè manifestè sequitur, quod obligatio matris in dicto contractu emissa ob justam, sufficientemque causam emissa fuerit; *Rota in Perusina affictus super associatione* 22. *Junii* 1701. § *fin. cor. R. P. D. meo Ansaldo, & in Romana Salviani* 9. *Martii* 1703. § *exemplo coram eodem*, tantoque magis quia idem census fuit
impositus à Saldono in causam satisfactionis
9 dotis juniperæ. Et sic valdè congruum erat, quod mater pro dote à filio recepta, & per eum restituenda se obligaret; undè justitia causæ, & validitas obligationis clariùs resultat. *modern. Asculan. ad Stat. Urb. adnot.* 44. *art.* 3. *nn.* 222. *& seqq., Rot. dec.* 619. *p.* 2., *& dec.* 470. *n.* 4. *p.* 13. *rec.*

Firmata ex prædictis validitate census,
10 frustra allegabatur, quod in omnem casum remanserit ipso juris ministerio extinctus, ex quo Saldonus, qui erat illius debitor, per cessionem ejusdem in causam dotis uxoris, evaserit quoque ejusdem census creditor, ne
11 alias daretur actio, & passio in eodem subjecto. Objectum enim procedere posset, si
12 Saldonus irrevocabiliter Dominus d. census evasisset: secus verò quando eidem assignatus fuit cum speciali hypotheca, & vincu-
13 lo favore juniperæ uxoris: quia tunc censetur revocabiliter per virum acquisitum fuisse, donec scilicet matrimonium dissolveretur; ut distinguendo casus, probat *Cenc. de cens. q.* 114. *n.* 12. *&* 13., *Rot. post eumdem dec.* 300. *propè fin., & coram Seraph. dec.* 872. *num.* 3.

Nec aliter res se habere potest, quoniam
eadem die, qua census fuit impositus à viro,
14 fuit etiam illi cessus. Quamobrem ne dicta census impositio, quæ fiebat ex pecuniis investimento destinatis elusoria remaneat; necesse est asserere, quod Saldono facta fuerit cessio revocabiliter, donec dissolveretur
15 matrimonium; quamvis dos eidem constituta fuerit in quantitate: adeout mulier eveniente tali casu posset loco quantitatis, semper repetere ab hæreditate viri dictum census vivum, & non extinctum, *Roderic. de annuo reddito lib.* 2. *q.* 13. *n.* 10., *Rota post Cenc. de cens. dec.* 183. *n.* 12., *& cor Pamphil. dec.* 244. *n.* 9., *&* 10., *ibique Adden. n.* 15.

Et in omnem casum nunquam controverti posset, quod junipera etiam, data extinctio-
16 ne census, remaneret creditrix fructuum dotalium pro rata d. dotis non restitutæ; *Rota cor. Gregor. dec.* 254. *n.* 2., *& coram Priol. dec.* 279. *n.* 10. *&* 11., *& dec.* 286. *nu.* 10. Undè adhuc pro hisce fructibus erat calculanda creditrix à perito. Itaut quocumque modo res se habeat, eo ipso, quod constet, quod tàm ex partitis indebitè in ejus præjudicium cal-
17 culatis, quàm ex aliis omissis, junipera non fuerit integraliter de suo credito satisfacta, nequeat citra vitium spolii ad restitutionem domorum compelli. Ad *Text. in l. penult., & l. fin. cod. de pignor.*

Et ita utraque &c.

MALEVITANA COMMENDÆ.

Veneris 3. Februarii 1708.

ARGUMENTUM.

Repete à superiori dec. 221. quæ hic confirmatur, & infra decis. 566.

SUMMARIUM.

1 *Commendas Hierosolymitanæ Religionis de jure communi, sacri Concilii Tridentini, & statutorum retinere nequit ad Episcopatum evectus, sed vacant. Et confirmatum fuit in Constit.* 82. *Gregorii XIII., ut* n. 3. *&* 5. *Et limita de Episcopis in partibus infidelium, ut* n. 9:

2 *Commendæ sacræ religionis, licèt non conferantur in titulum, tamen aptitudine sint perpetuæ, & de eis tanquam perpetuis judicatur.*

4 *Sententia à Papa confirmata statum facit.*

6 *Observantia non in casu non attenditur.*

7 *Observantia contra dispositionem Pontificiam non deducitur ex actibus ante illam, & cur?*

8 *Indultum Apostolicum pro retentione Commendæ post promotionem ad Episcopatum necessaria arguitur, ex quo promotus petiit, licèt non obtinuit.*

10 *Illatio de uno ad alium diversum casum fieri nequit.*

DECISIO DXXXII.

Sicuti in alia decisione coram me sub die 17. Martii 1702. informante dumtaxat fratre Nicolao Calvario, DD. responderunt Commendam à Reverendissimo Palmerio Episcopo Malevitano retenta ob ejusdem promotionem ad Episcopatum vacasse. Ita & in hodierna propositione dictum fuit, etiam si idem Episcopus non informaverit, cum DD. visum fuerit non esse concedendam dilationem ab eo petitam, postquam diù expectatus

tuit in hac causa quæ solùm respicit jus vitalitium.

Etenim ex firmatis in dicta mea decisione prærcrita manifestè resultat, quod controversa Commenda, tàm inspecta dispositione juris communis *in cap.cum in cunctis* §. *cum verò de elect.,& fac.Con.Trid.in sess.7.cap.4. de reformat.*, quàm dispositione Statutorum particularium sacræ Religionis Hierosoly-
1 mitanæ sit vacans: nec retineri potuerit ab eo, qui ad sedem episcopalem evectus fuit: licèt agatur de Commendis sac. Religionis Hierosolymitanæ; cum & istæ quamvis non
2 conferantur in titulum, tamen aptitudine sunt perpetuæ, & de eis tamquam de perpetuis judicatur *Cardin. de Luc.de Benef.disc. 97.n.22. Rot.dec.473.n.8.p.5.rec.*

Idque adeò verum est, ut fa.me. Gregor. XIII. in simili controversia confirmaverit sententiam ab A.C.de voto nostri Tribunalis
3 latam contra Episcopum similes Commendas retinere prætendentem, declarando eundem post promotionem incapacem, ut videre est *in illius Constit 82.relat.per Barbos.de officio & potestate Episcopi allegat.*
4 *57.n.72.* Quæ facit statutum, omnemque removet difficultatem, cum ibi sic decerna-
5 tur -- *Nos attendentes Episcopum dictum præceptoriam &c.Cum sua Ecclesia sine apostolica dispositione retinere non posse. Ideoque justæ Michaelis postulationi assentientes prædictam declarationem, & quidquam ab ipso Auditorio in hac re decretum est, præsentium auctoritate confirmamus.*

Contraria verò observantia, quatenùs al-
6 legaretur, nihil relevaret, cum nullum adduci possit exemplum per quod fratres, ad Episcopatum promoti, adhuc Commendas, & Prioratus retinnerint, nisi priùs dispensa-
7 tionem Apostolicam reportaverint. Nec quidquam faciunt exempla, quæ in contrarium allegari possent, quia per dictam subsequutam constitutionem irritata, & annullata fuerunt: adeout post illam editam semper profacultate retinendi Commendas indultum Pontificium reportatum fuerit; quod
8 benè agnovit etiam modernus Episcopus, dum illud procuravit ut justificatum fuit ex deductis *in Summ.n.3.*, quod posteà non obtinuit,

Nec faciunt ad rem exempla Episcopo-
9 rum, in partibus infidelium solum titulum habentium, qui Commendas retinuerunt absque dispensatione. Quoniam hoc illis potiùs ex æquitate permittitur, cum nullos ex eorum Episcopatibus fructus recipiant; ut probant *Paris.de resignat. Benef. lib.3. qu.1. n.22.,Grat.discept.forens.cap.291. nu.69. & seq.*: quod secùs est in præsenti casu: & ideò
10 attenta diversitate rationis, non potest de uno ad alium inferri: per *Text. in l. Papinianus ff.de minoribus.*

Et ita DD. approbando fundamenta meæ prætèritæ decisionis, cum illis quoad reliqua transierunt, altera &c.

PAMPILONEN. JURIS SEDENDI.

Lunæ 6. Februarii 1708.

ARGUMENTUM.

Parocho in Choro sedes distincta, & ornata non competit, & quænam Episcopo. Cætera in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Validitas sententiæ ex actorum revolutione desumitur.*
2 *Præcedentia competit Parocho in iis, quæ sunt sui officii.*
3 *Secus in aliis, vel in sessione in sede eminentiori, & ornata ad instar Episcopalis in medio Chori.*
4 *Quænam sedes Episcopo, vel ejus locum canonicè habenti, sit in choro servata.*
5 *Observantia aliarum Ecclesiarum ei non prodest, ubi non viget, &* num.7.
6 *Testes de credalitate deponentes non probant.*
8 *Fundamenta decisionum cum non impugnantur Rota ad ea se remissive habet.*

DECISIO DXXXIII.

Succubuit Vicarius Curatus Parochialis Ecclesiæ S. Saturnini Pampilonen. per duas Sententias nostri Tribunalis coram RR.PP. DD. meis Caffarello, & Ansaldo editas super prætenso Jure sedendi in sede præheminentiori, & collocata in medio Chori noviter per Communitatem beneficiatorum reædificati, & nihi postmodum in gradu appellationis commissa causa, in hodierna audientia, instante dumtaxat Sacrista majore dict. Parochialis Ecclesiæ, Parocho autem non comparente, non dubitarunt DD. Sententiam R. P. D. mei Ansaldi confirmare.

Concurrunt enim validitas desumpta ex
1 revolutione actorum, & justitia, quam probant rationes luculenter examinatæ in decisionibus, quæ emanarunt in præcedentibus
2 instantiis: ex quo licet Parochis in iis, quæ sunt ejus officii, competat precedentia, non tamen idem dici debet in aliis, & signanièr
3 in eo, quod possit sedere in sede eminentiori, & magis ornata ad instar Troni Episcopalis in medio Chori posita *Barbos. in summa Apostolic. dec.557. num.6.* Sed debet esse contentus sede antiqua, quæ est prima in scamno laterali; sicut sedes distincta, &
4 præexcelsior scamnis, & sedilibus in dextra, & sinistra stabilitis, non alteri reservata censenda sit, quam so i Episcopo, vel illius locum canonicè habenti, qui divinis officiis assistere vellet, ut firmavit decisio *R.P.D. mei Ansaldi* § *Sublimior.*

Observantia verò, & consuetudo, quæ supponebatur servari in aliis Ecclesiis, vel non fuit hucusque probata, vel probata non
5 relevaret: quia non prodesse posset quoad istam Ecclesiam, in qua non viget, dum testes de ea deponentes non de visu, sed de
6 mera credulitate deponunt. Ideoque trahi

non

non potest de una ad aliam Ecclesiam, *Rot.*
7 *coram Bich. dec.*452 *num.*22. *& coram Buratt. dec.*129. *num.*6., *& in recention.decis.*135. *num.*12. *par.*10., *& dec.*99. *num.*9. *par.*19.

Cumque in præsenti dictus Parochus non compareat ad impugnanda fundamenta dictarum decisionum, ideò satis esse putarunt DD. ad illa relativè se habere, ut alias fuit dictum *coram bon. mem. Emerix dec.*285. *num.*3.

Et ita, altera&c.

BONONIEN. FIDEICOMMISSI DE BURZANIS.

Luna 6. *Februarii* 1708.

ARGUMENTUM.

Require in superiori *decis.*337. hic confirmata; in hac tamen additur probatio legitimationis, & exclusio reciprocæ linealis, quæ in descendentibus à testatore fuerat ordinata, non repetita in transversabilibus substitutis: quin inducatur sed potius excludatur ex dictione *cujuslibet*, vel ex clausula *ut supra* in dicta substitutione appositis: præsertim cum illi clausulæ adnectatur dictio *sic*, & cum alia commode repetere possit, & non dictam reciprocam linealem.

SUMMARIUM.

1 *Filiatio legitima ex instrumentis dotali, & matrimonii parentum, & fide Baptismi probatur, & aliis de quibus in decisione.*
2 *Legitimitas ab auctore admissa, ab eo causam habente nequit impugnari.*
3 *Portiones hæredum prædefunctorum superstitibus re, & verbis conjunctis æqualiter accrescunt.*
4 *Limita si sit datus substitutus.*
5 *Reciproca linealis inter descendentes ordinata, si eis defectis transversales substituantur sine reciproce linealis mentione, inter istos non intelligitur, sed implex fideicommissaria, quam ordinavit.*
6 *Reciproca in uno casu inter certas personas volita cum fuerit expressa, in substitutis, in quibus non nominatur nolita dicitur.*
7 *Dictio* cujuslibet *in substitutione apposita quomodo exclusionem reciprocæ linealis importet?*
8 *Clausula* ut supra *reciprocam linealem non repetit in sequenti substitutione, quoties ad alia repetanda comode trahi potest.*
9 *Amplia cum clausulæ* ut supra *præcedit dictio* sic.
10 *Dictio* Sic *est restrictiva, & cum adicitur clausulæ* ut supra *coarctat posteriorem dispositionem ad ea, quæ in priori leguntur expressa, & à quibus restrictivam illationem ducit.*
11 *Reciprocæ repetitio regulariter non datur cum non est de persona ad personam, vel de gradu ad gradum; sed de descendentibus testatoris ad transversales.*

DECISIO DXXXIV.

POstquam per tres sententias rotales Achilles de Fabris immissionem obtinuerat ad bona fideicommissaria Gabrielis de Burzanis, in vim testamenti per eum condit[i] anno 1588.; cum prodiisset in lucem condicillus ab eodem Gabriele factus anno sequenti 1588., in quo una cum Cæsare Jacobo, & Antonio auctoribus Achillis ad successionem admisit Stephanum suum fratrem patruelem, Patres Olivetani S. Michaelis in Busco Civitatis Bononiæ causam habentes à Stephano jun. à dicto altero Stephano Seniore descendente, ad eadem bona fideicommissi prævia decisione edita *cor. Me die* 4. *Julii* 1704. per sententiam pro medietate immitti obtinuerant contra Achillem de Fabiis illorum possessorem, à qua interposita appellatione, commissaque causa bo. me. Muto sub die 8. Junii 1705. di lata fuit resolutio; & injunctum, quod legitimarentur personę; & scriberetur tantum super portionibus: Cumque hoc interim per obitum prædicti meæ collegæ, in ipsius locum fuerim subrogatus: & causa proposita sub die 28. Martii 1707. fuerit demandatum, quod ad scitis 5. & 6. ex DD., iterum poneretur, contigit hodiè examinare dubium *an sententia rotalis sit confirmanda, vel infirmanda: & DD. pro illius confirmatione* responderunt.

Supposita enim vocatione Stephani senioris, illiusque admissione ad successionem in bonis fideicommissariis Gabrielis testatoris, utpote satis firmata in decisione, quæ in præcedenti instantia prodiit *coram Me* §. *non obstat* & amplius non controversa à scribentibus pro Achille, & juxta mentem nostri Tribunalis explicata sub die octava Junii 1705.; Totum causæ momentum restrictum fuit ad geminas inspectiones; quarum altera respicit legitimationem personæ Stephani junioris; altera vero quotam eidem debitam; an nempe sit quarta pars bonorum fideicommissi Gabrielis; ut pretendit Achilles; vel potiùs illorum medietas, juxta sensum Patrum Olivetanorum.

Quoad primam quæcumque possibilis hæsitatio cessare visa fuit, ex eo quod, licet hodie per Achillem ampliùs non impugnetur, Stephanum juniorem per medium Caroli descendere ab altero seniore; nihilominus Patres cum publicis documentis justificarunt, illum extitisse filium legitimum & naturalem Caroli susceptum ex Claudia Risena uxore legitima; ita suadentibus non
1 solùm instrumento dotali, & matrimonio interdictos Conjuges inito: verùm etiam fide Baptismatis ejusdem Stephani, ac testamento condito per Carolum prædictum, in quo hæredes instituit propriam uxorem cum Stephano filio, qui pro ad eunda hæreditate mediante examine plurium testium, probavit

bavit esse filium legitimum, & naturalem ejusdem Stephani: Quibus si addatur, quod Stephanus junior, uti filius Caroli, admissus fuit ad successionem alterius fideicommissi ordinati à Simeone de Burzanis ejus proavo de consensu Juniparæ Matris Achillis, remanet in comperto, quod ipse uti filius ab eadem totum jus suum metiendo, sicut il-
2 lius factum impugnare non possit; ita nec minus jam admissam legitimitatem Stephani hodie in controversiam deducere non valet; *L. cum à Matre C. de rei vindicat. Rota cor. Celso decis.220. num. 4 cor. Coccino decis.120. num.1., & sequen. & in rec. decis. 37. numer. 19. & decis. 63. numer.10. par.14.*

Respectu verò secundæ, quamvis pro cognoscenda quota hæreditatis Patribus debita ex persona Stephani junioris; partes hinc indè plures excitaverint articulos: & signanter, an testator in codicillis ad successionem vocaverit Stephanum seniorem ejusque descendentes collectivè, & sub unica, esdemque oratione: ita ut capere deberet quartam partem, vel potiùs in prorsus distincta oratione ab illa, qua substituit Cæsarem, Jacobum, & Antonium filios Aurelii: DD. tamen inutilibus quæstionibus reiectis, suffi:ere visum fuit unicum inevitabile dilemma; quod sivè singuli quatuor prædicti substituti fuerint simul æquè principaliter conjuncti; & quilibet eorum pro viriii succederet sive filii Aurlii fuerint simul considerati, tanquam unicum corpus constituentes separatum à Stephano; quocumque modo ressumatur, eo ipso, quod de tempore delatæ successionis ex filiis Aurelii prædecesserant Cæsar, & Antonius, semper in consequentiam venit, quod por-
3 tiones, quæ defecerunt; equaliter ac recunt Jacobo, & Stephano superstitibus tanquam re, & verbis æqualiter conjunctis: & sic medietas hæreditatis ad quemlibet illorum pertinet; juxtà Theoricam, *Bartol. in leg. re conjunct. n. 23. ff. de legat. 3. Menoch. de præsumpt. lib.4. præsumpt. 75. n. 20. in fin., Pereg. de fideic. art. 9. n.8., Fusar. de substit. quæst.494. n.11., Rota cor. Cerro decis. 646., n.4 et in rec. dec.437. n.20. & sequen, par.19. tom 2.*

Nec obstat, quod jus accrescendi nequeat
4 in presenti sibi locum vendicare propter substitutionem reciprocam à fideicõmittente ordinatam inter filios Aurelii, eorumque descendentes; cujus vigore in defectis portionibus Cæsaris, & Antonii successio deferenda sit Jacobo fratri in exclusionem Stephani. Quoniam rimato tenore testamenti, ex eo dumtaxat habetur, quod testator, post factam expressam reciprocam inter suos descendentes masculos, illorum linea extincta, substituit (sunt verba præcisa) *vulgariter, & per fideicommissum, & ut supra, Cæsarem Jacobum, & Antonium filios legitimos, & naturales; ipsisque, vel aliquo eorum tunc temporis non existente eorumdem, & cujuslibet eorum filios, & descendentes masculos legitimos, & naturales, & non legitimatos in stirpes, & non in capita, ordineque successivo, & sic ut supra omni meliori modo &c.* ex quo dispositionis
5 contextu manifeste convincitur, quod, licet testator ordinasset præcedenter reciprocam linearem inter suos descendentes; demandando etiam, quod filius intraret in locum Patris, & Patrui; tamen substituendo deindè Cæsarem, Jacobum, & Antonium transversales, eorumque filios, & descendentes, nullum reciprocæ verbum fecit; sed simplicem fideicommissariam ordinavit favore descendentium in una quaque portione
6 substitutorum: undè potiùs ex hoc eruitur argumentum, quod si testator quando voluit reciprocam, illam expresse ordinavit, ità venit in consequentiam, quod dum respectu transversalium de ea nullam mentionem fecit, fatendum sit illam noluisse, ut arguit, *Rota Florentina penes Urceolum dec. 11. n. 9. Rot. nostra cor. Coccino decis. 2342. n. 9. & 13.*

Potissimè quia addita fuit dictio illa *Cu-*
7 *juslibet*, per quam tantum abest induci posse reciprocam de linea ad lineam, prout opponebat Achilles, ut imo potiùs excludatur, cum per eam solum legantur vocari filii & descendentes cujuslibet dd. Jacobi, Cæsaris, & Antonii distributivè ad portionẽ proprii parentis prædefuncti, & deferatur portio hæreditatis in singulas lineas, & in singulos descendentes à filiis Aurelii discretivè sumptos, ità ut descendentes unius succedant in portione sui ascendentis, nullatenus autem in portione alterius; ut ad rem notat. *Menoch. Cons.452. n.17., Urceolus Consult.56. num. 34., & cons. 80. num. 46. & 47., Bellon. de Jure accrescendi cap. 6. quæst.31. num. 148., Peregrinus de fideicom. art. 13. num. 72., Rota cor. Seraph. dec. 1023. n. 4. & sequen., cor. Caril. decis. 150. num. 34. & seq., & in rec. decis. 68. numer. 1. & seq. par. 15.*

Frustraque ad inducendam reciprocam prædictam inter filios Aurelii recurri valet ad clausulam illam *ut supr.* adiectam eorum vocationi. Quoniam hujusmodi clausula nihil aliud operari valet, quàm simplicem repetitionem legitimitatis, & legis succedendi, quæ supra fuerat expressa -- *nempe in stirpes, & non in capita, ordineque successivo*, quibus verbis cohæret clausula prædicta *ut supra*: non autem trahi debet ad re-
8 petendam reciprocam, quę nunquam ex dicta clausula repetita præsumi potest, quoties illa ad aliud commodè referri valet, ut notant *Ciroc. discept.2. n. 24. & seq., Torr. de primog. par. 1. cap.37. §. 21. nu. 371., Urceol. dec. Florent. 11. nu. 11., Rot. post Tor. de pactis futuræ successionis dec. 125. n. 12., & Cor. Merlin. dec.83. n.10., coram Priolo decis. 283. n.5. & 6., coram fa. mem. Alexan. VIII. dec. 252. nu. 3., cor. Emerix dec. 841. num.2., & decis.852. nu. 10. & 11., in rec. dec.581.*

dec.581. n.12. par. 5., dec. 30. n.16. par. 14., cum aliis in Avenionen., seù Carpentoraten. fideicomm. de Tertullis 27. Februarii 1704. §. absque eo quod coram me.

Signanter quia clausulæ predictæ præce-
9 dit altera dictio - sic - ibi *& sic ut supra om-*
10 *ni meliori modo &c.* quę utpotè restrictiva sequentis clausulæ, *ut supra* manifestè coarctat posteriorem dispositionem ad ea, quę in priori leguntur expressa, & à quibus restrictivam illationem ducit, ex congestis *per Barbos. tract. variar. diction. 114. n.4., Torr. de Majorat. par.2. quæst.58. n.58., Balduc. ad Ramon. dec.86. n.12. & 13. tom.4., Rota dec.88. n.20. par.18. rec., & in Malevitana Jurispatr. 31. Martii 1702. §. Neque cor. R.P.D. Meo Scotto.*

Quæ omnia tantò magis procedunt, quia hic non agitur de facienda solum repetitione reciprocæ de persona ad personam, & de
11 gradu ad gradum, sed ulteriùs à descendentibus testatoris ad transversales, in quibus terminis repetitio reciprocæ regulariter non admittitur, ut in specie probat. *Cravet. con. 3. 306. n.6., Pereg. Consf.33. n.27. in fine lib 3., & de fideicom. art. 13. nu. 90. Urceol. dicta dec. Florentina 11. n. 9. & 10. & Rota coram Coccino dec. 2342. n.10.*

Et ità utraque &c.

MELEVITANA IMMISSIONIS SUPER REMISSORIA.

Veneris 10. Februarii 1708.

ARGUMENTUM.

Remissoria ad examinandos testes super recognitione caracteris apocæ licet in Rota non productæ, eum producta est in loco, ubi examen fieri debet, conceditur, & eur? compulsoriæ requisita tanguntur.

In hac causa est supra dec. 513.

SUMMARIUM.

1 *Remissoria in profanis, concurrente relevantia materiæ articulatæ, non retardatur.*
2 *Remissoria pro examinandis testibus super recognitione apocæ non productæ non conceditur.*
3 *Limita si apoca existet in longiquis partibus producta, ubi testes sunt examinandi ad evitandas super fluitates.*
4 *Superfluitates inutiles vitandæ sunt, prout Rota semper facit.*
5 *Compulsoria conceditur cum constat de existentia, & relevantia scripturæ compulsandæ, quæ pro eadem requiruntur.*

DECISIO DXXXV.

CUM in audientia prima Julii præteriti denegata fuerit Catherinæ Caxar, & Joanni Baptistæ Bonicio coniugibus immissio ad bona per Leouardum Xara vigore apocę privatæ donata q. Antonio Caxar nepoti, ex quo non exhibebatur originalis apoca donationis; Ideò in præsenti ad summovendam omnem difficultatem, institerunt illi pro concessione remissoriæ, & compulsoriæ specialis, quas DD. *concedendas esse*, responderunt.

Quoties enim versamur, ut hic, in prophanis: & concurrit relevantia materiæ arti-
1 culatæ, retardari nequit remissoria, ut firmavit *Rot. cor. Greg. dec.121. n.1. & 2. & in rec. dec. 105. n.1. par.14.* & alibi passim: Relevantia autem manifestè convincitur ex quo tendit ad recognoscendam manum Joannis Leonardi Xara in apoca, per quam sub die 13. Martii 1748. coram Valerio, & Josepho de Busatis testibus in eadem subscriptis, donavit inter vivos quædam bona Antonio ex Vincentia filia nepoti: & ulteriùs, quod eadem bona post obitum donantis pervenerunt ad dictam Vincentiam uti tutricem, & curatricem dicti Antonii filii, quæ bona donata matri Vincentię pervenerunt ad Mariam filiam & hæredem dictæ Vincentiæ mattem, & Auctricem Gasparis, & Caroli de Bonius, reorum: quibus omnibus probatis, Catherinæ ejusdem Antonii donatarii, sorori, & hæredi pro tertia parte denegari non poterit immissio ad bona donata, cui ob defectum istarum probationum in præterita propositione denegata fuit: cum non constaret de existentia apocę donationis uti in actis non productæ.

Hec obstat, quod remissoria non soleat concedi, nisi priùs apoca exhibeatur in actis;
2 & ex ea recognoscatur necessitas concedendi remissoriam pro examinandis testibus super recognitione manus. Quia cum agatur de apoca in longinquis partibus existente, &
3 in Curia Castellaniæ Melitæ producta de anno 1679. Et ceteroquin in Rota examinari debeant testes super recognitione caracteris, aliisque materiis articulatis, inanis visus fuit circuitus illam transmittendi ad urbem ad effectum postea iterum remittendi Melitam, ad faciendam recognitionem
4 hujusmodi enim inutiles superfluitates venire omnino vitandæ: easque semper nostrum Tribunal abhorrere solet, *Rot. dec. 576. n.4. & seq. par.5. & dec.756. n. 4. par.18 & dec.185. n.35. p.19. rec.*

Quò vero ad compulsoriam specialem illa
5 quoque concedenda venit, cum de illius relevantia dubitari non possit: & existentia apocæ omnino sit certa, ex quo producta fuit in Castellania Melitæ, quod pro concessione compulsoriæ requiritur, ut passim respondit *Rota cor. Bich. dec.475. n.1. & cor. bo. me. Emerix dec.144. in principio & in rec. decis.199. n.1. par. 11.*

Et ità utraque &c.

SENEN. JURIUM PAROCHIALIUM.

Lunæ 13. Februarii 1708.

ARGUMENTUM.

Conceditur manutentio Parocho in privativa ad-

administrandi sacramenta, & tumulandi exteros, & Peregrinos, ad quem effectum actus possessorii, & sententiæ, & decreta hincinde examinantur, ut in Decisione.

SUMMARIUM.

1 *Manutentio in quasi possessione exteris, & peregrinis sacramenta ministrandi, eosque tumulandi conceditur parochiæ probanti talem privativam quasi possessionem habuisse.*

2 *Sententia antiqua, quæ transitum fecit in rem judicatam plenam fide faciunt probationem.*

3 *Partitæ extractæ a libris antiquis in publico archivio custoditis plena fides habetur.*

4 *Quasi possessio exteris, & peregrinis sacramenta ministrandi, eosque privativè tumulandi, probatur per sententias, & depositiones Parochorum, talibus personis, de licentia Parochi, qui talem quasi possessionem habet, ministrasse.*

5 *Pro manutentione obtinenda probatio major, quam adversariorum confessio dari nequit.*

6 *Maximè si plurimi illorum liti renunciaverint.*

7 *Actus gesti in spretum sententiarum dicuntur attentati.*

8 *Actus in informibus libris ad proprium commodum adnotati, pro scribente non probant.*

9 *Actus clandestinè gesti nullum præjudicium inferunt illi, contra quem gesti sunt.*

10 *Nec actus æquivoci.*

11 *Actus tumulationis exterorum in præjudicium Parochi privativam habentis ejus quasi possessionem non intervertunt: cum sunt æquivoci, cum scilicet non adnotatur quinam illi sint: nam potest esse de illis, qui animo permanendi venerant, de quibus quæstio non cadit.*

12 *Decreta provisionalia nullum jus certum, & permanens tribuunt.*

13 *Confessio Parochi in responsione ad positiones, cum sit erronea, & juribus suæ Ecclesiæ præjudicialis, non attenditur.*

14 *Actus graviores, & validiores suffocant alios minoris roboris in judicio manutentionis.*

DECISIO DXXXVI.

QUasi possessio juris administrandi sacramenta forensibus, ac peregrinis, & cæteris domicilium non habentibus in Civitate senensi, eorumque cadavera sepelliendi, in qua ab antiquo privativè quoad omnes curatos reperiebatur Plebanus Capellæ S. Joannis Baptistæ positæ in Ecclesia Cathedrali Senen. canonizata extitit in sententia lata anno 1590. per Vicarium generalem Senen. favore dicti Plebani contra Parochum S. Donati, & quoties cæteri Parochi minus informanti illam intervertere studuerunt excitando prætensionem seppelliendi forenses, & exteros, ut supra defunctos in eorum Parochis, eisque administrandi sacramenta, semper contra ipsos fuit judicatum, ut signanter evenit in judicio moto anno 1690 per Rectorem Ecclesiæ Curatæ S. Desiderii, cujus cognitio, post quam fuerunt ad causam admissi cæteri Curati, per Archiepiscopum Senen. commissa fuit Episcopis Crasseti, & Massæ, qui sententiam contra dictos Parochos tulerunt, concedendo Plebano S. Joan. Baptistæ manutentionem, & cum ipsa transiiset in rem judicatam, adhuc non acquiescentibus curatis fuit per Vicarium generalem illis denegata restitutio in integrum ejusque sententiam in gradu ulterioris appellationis confirmavit subinde Auditor Reverendissimi Florentiæ Nuncii: sed hujusmodi causa prosequente solum Petro Miniato rectore Parochialis Ecclesiæ S. Petri Castri veteris, eaque mihi commissa, dedi dubium *An, & cui danda sit manutentio*, & DD. *dandam esse Plebano S. Joannis* responderunt.

Cum enim ipse docuerit tam de sua quam
1 de ejus antecessorum possessione in actibus prædictis quoad peregrinos, exteros, & forenses, ut supra utique illi concedi debet manutentio, *ad Text. in cap. cum Persona in fine de privileg. in 6. post lib. de manuten. obser. 45. num.38. & seq. Rota coram Duran. dec.228. num.3. coram Royas dec.211. num.2. coram Emerix dec.479. num.1., & in rec. dec.130 num.2. par.8., & in Leodien. Jurisdictionis super manutentione 29. Aprilis 1701. §. verum cor. R.P.D. meo Priolo.*

Et sanè antiqua possessio Plebani præter depositiones plurium testium formiter examinatorum de anno 1590. convincitur etiam ex sententia ipsius favore lata dicto anno, in qua ad formam antiquæ consuetudinis manutentio eidem concessa fuit contrà Parochum S. Donati: cumque hæc sententia sit valde
2 antiqua, & transitum fecerit in judicatum; plenissimam fecit probationem, ex firmatis *per Rotam cor. Bich. dec.205 n.5. dec.197. num.3. par.17. rec., & in Florentina quartæ funeralis 1. Decembris 1704. ex pluribus coram Reverendissimo D. meo Decano.*

Media verò, & continuativa resultat tam
[ex nonnullis decretis juxta casuum contingentias editis à curia Archiepiscopali, quam ex partitis extractis à libris dict. Plebaniæ in Archivio Archiepiscopali retentis, quæ omnia sanè tempora complectuntur, quibus par-
3 titis tamquam citata parte extractis à libris antiquissimis, & in publico Archivio custoditis plenè deferendum venit; *Pacian. de Probat lib.1. Cap 63. num.96. Rota coram Coccin. dec.9. num.2 & dec.58. num.5 & coram Priolo dec.55. num. final.*

Modernam verò, & proximam possessionem non solum præsefert sententia anno 1693. à duobus Episcopis Crasseti, & Massæ ut supra delegatis lata contra Parochos Civitatis Senen., & successivè confirmata per Vicarium generalem denegantem restitutionem in integrum: verum etiam, & altera quæ prodiit anno 1700. in Tribunali Nuntiaturæ

Flo-

Florentiæ, in qua cæteræ prædictæ confir-
4 matæ fuerunt, quibus si addantur depositio-
nes emissæ ab aliquibus Ecclesiis, & sex cu-
ratis, qui fassi fuerunt ministrasse sacramen-
ta advenis, & peregrinis de mandato, &
licentia supradicti Plebani, remanet in con-
trovertibilis ejusdem quasi possessio utpo-
te munita confessione ipsorum Parocho-
rum, qui in judicio contraria jura tuebantur,
5 qua major probatio dari non potest pro ob-
tinenda manutentione, ad firmata *per Ro-
tam post Postb. de manut. dec.* 113. *n.* 15. 16. *cor.
Emerix dec.* 1127. *num. final.*, & *rec.* 250.
num. 3. 4. *par.* 10. Maximè quando sexdecim
6 ex eis prænarratis sententiis acquiescentes
solemniter revocarunt mandatum procuræ,
- quod fecerant ad prosequendam litem, quam
solum substinet Parochus S. Petri, ut ad
rem ponderat. *Rota in nullius, seu Cla-
ravallen. Jurisdictionis* 25. *Junii* 1706.
§. *exordiendo coram R. P. D. meo Kaunitz*
& *in Avenionen concursus* 5. *Julii* 1707.
§. *eoque facilius cor. R. P. D. meo Caffarello.*

Atque ex his non fuerunt habiti in consi-
deratione actus gesti a Parochis, super qui-
bus tota eorum defensio constituitur, vel
quia tanquam gesti inspraetum plurium sen-
tentiarum latarum, favore Plebani reputan-
7 tur attentati, vel quia apparent à Parochis
ad proprium commodum adnotati in eo-
8 rum libris informibus, qui uti tales fue-
runt rejecti à Tribunali Nunciaturæ Flo-
rentiæ. Præsertim quia nec docetur ipsos
fuisse factos cum scientia, & patientia Ple-
9 bani. Ideoque cum potuerint esse clande-
stini, non valuerint illi præjudicium in ferre
juxta Theoricam *Innoc. in cap. audistis n.* 4.
de præscript. Rota dec 483. *num.* 19. *par.* 14.
rec. & *in dicta Leodien. Jurisdictionis super
manutentione* 29. *Aprilis* 1701. §. *nec in op-
positum coram R. P. D. meo Priolo*, vel de-
10 nique quia sunt æquivoci, nam cum nulla
detur probatio de quibus forensibus mentio
11 habeatur in dictis partitis, & è converso
possint verificari de illis advenis, & foren-
sibus, qui contraxerunt domicilium, & ad
Civitatem se contulerunt animo permanen-
di, de quibus non est quæstio: nec sola pos-
sibiliras sufficit ad infringendam vim dd.
actuum; *Rota dec.* 129. *num.* 9. *coram Bu-
rat. dec.* 63. *n.* 23. *cor. Priol.* & *dec.* 189. *n.* 3.
coram Cerro.

Decreta autem favore Parochorum facta
quæ in præsenti asserebantur, tanquam pro-
visionalia nullum jus certum, & permanens
12 eis tribuere possunt: Confessio autem
Plebani con proprium commodum emissa
13 in responsionibus datis ad positiones an-
no 1590. tanquam erronea, & juribus suæ
Ecclesiæ præjudicialis non est attendenda.
Præsertim quia quotquot alii actus afferri
possent à Parochis, numquam destruere va-
lerent consuetudinem plenè probatam ex
aliis multiplicibus actis justificatis per Ple-
banum, & gestis in sequelam rerum judica-
14 tarum, à quorum gravitate, & longe ma-
jori numero, cæteris per Parochos adducti remanent suffocati, ut animadvertii *Rota cor. Emerix dec.* 479. *in fin.*, & *in Gerunden. Jurisdictionis super manutentione* 5. *Martii* 1692. §. *neque est coram R̃mo D. meo Decano.*

Et ita resolutum fuit utraque &c.

ROMANA DOMUS.

Lunæ 13. *Februarii* 1708.

ARGUMENTUM.

Insinuatio donationis ob causam non requiritur, vel præsumitur, cum multo tempore fuit observata, præsertim in judiciis. Cætera vide in summario.

Confirmatur infra dec. 549., & 550.

SUMMARIUM.

1 *Sententia per lapsum fatalium transit in rem judicatam.*

2 *Præsertim attenta ejusdem validitate, & justitia.*

3 *Immissio conceditur in donatione vocato, probata identitate.*

4 *Donationis ob causam ob manutentionem, scilicet, & ampliationem familiæ, insinuatio non requiritur.*

5 *Insinuatio donationis ut actus extraneus ex longo spatio, quo fuit observata, præsumitur intervenisse.*

6 *Maxime si d. observantia provenit ex sententiis, in quibus vigore d. donationis fuit concessa immissio.*

7 *Facultas disponendi de certa summa in donatione reservata, cum sit consumpta non est amplius allegabilis.*

8 *Auctoris factum impugnari nequit.*

9 *Filius, ut hæres Patris probetur, opportet concludere, quod in ejus hæreditate se immiscuerit.*

10 *Sed excluditur, si alter frater solus hæreditatem paternam adivit, quod non adeunti non nocet.*

DECISIO DXXXVII.

VIgore fideicommissi ordinati in donatione facta per Canonicum Antonium Martellum, de anno 1607., favore Tiberii, suorumque descendentium, egit Scipio Martellus eiusdem Tiberii Nepos ex filio pro recuperatione quartæ partis unius Domus fideicommissariæ sitæ in regione Montium adversus Annam Mariam Brogiam illam retinentem, & sententiam immissionis, una cum condemnatione fructuum à die moræ litis ab A. C. reportavit, a qua cum appellationem interposuerit Anna, illam mihi committi a Signatura obtinuit cum clausula -- *Constito, quod sit locus Ægidianæ* -- Verum quia causa exinde per spatium sex annorum siluit, & sic transitum fecit in judicatum. Ideò in præsenti examinandum dedi dubium -- *An sit locus ægidianæ, vel potius constet de re judi-*

judicata, & DD. *affirmativè quoad secundam partem* responderunt.

Cum enim postquam de anno 1702. a quo tempore causa huic nostro Tribunali commissa fuit, nihil amplius ab indè citra actum
1 fuerit. Inde sequitur, quod per lapsum fatalium sententia transivit in rem judicatam, *Rota cor. Achill. de Grass. decis. 11. de appellat.*, & *in Lauden. Pensionis 4. Februarii* 1695. §. *Illa namque coram bo.me. Ursino* & *in Romana census 3. Junii* 1707. §. *ab anno cor. Rmo Concben.*

Attentis precipuè validitate, & justitia, quæ prædictæ Sententiæ robur attribuunt,
2 *Rot. cor. Cels. decis. 112. num. 3.*, & *cor. Bich. decis.* 650., & 666. *utrobique n.* 1., & *in rec. decis.* 79. *n.* 1. *p.* 19.

Validitas ex revolutione actorum desumitur: Justitia verò resultat ex quo actum fuit ad quartam partem domus positæ in Regione Montium olim ad Antonium Martellum spectantem, qui donationem universalem fecit favore descendentium a Tiberio fratre, cumque Scipio sit Nepos ex filio d.
3 Tiberii, nullusque alius hodiè compareat, qui illum excludere valeat, & identitas non controvertatur: ideo eidem jure merito immissio concessa fuit, *ad text. in l. fin. Cod. de edict. Divi Adriani Tollen.*, *Rota cor. Buratt. decis.* 652. *n.* 1., & *cor Dunozett. jun. decis.* 686. *n.* 2., & *dec.* 230. *n.* 2. *p.* 9., & *dec.* 79. *n.* 3. *p.* 19. *rec.*

Non attenta prætensa nullitate donationis prædictæ, quia non probatur, illam insinna-
4 tam fuisse, tum quia fuit facta ob causam, videlicet pro manutentione, & ampliatione familiæ, ad quem effectum disp situm fuit quod omnia, & singula ejus bona integrè conservarentur pro masculis, excl sis etiam fæminis, donec illi extarent; in his enim terminis insinuatio non est necessaria *Rocca Episc. opus Stelanus dispnt.* 10. *n.* 44., *Modernus Asculanus ad Stat. Urbis observat.* 43. *n.* 45., *Rot. cor. S. me. Alexan. VIII. decis.* 182., & *in rec. decis.* 118. *n.* 10. *cum duobus seqq. p.* 6., tum quia in omnem ca-
5 sum post tanti temporis lapsum cum pacifica observantia, talis insinuatio tanquam actus extrinsecus intervenisse præsumitur, *Rota cor. Seraph. decis.* 742. *n.* 4., & *cor. Caval. decis.* 575. *n.* 11., & *cor. Cels. dec.* 202. *n.* 2.

Tantoque magis quia d. observantia resultat ex geminis Sententiis latis de anno 1636., & 1654., ex quibus sicut constat,
6 quod vigore hujusmodi donationis ad bona donata concessa fuit immissio, ita ejusdem donationis robur augetur, *Rota in Romana fideicommissi 27. Aprilis* 1703. §. *Et demum cor. R. P. D. meo Scotto*.

Pariterque non obstat, quod cum d. Domus deliberata fuerit favore Eleuterii Martelli creditoris ratæ census scut. 1300., & a quo causam mediatam habet Anna Maria Brogia possedit rix, possit ista excludere immissionem, ex quo donans sibi reservaverat facultatem disponendi de scutis 2000., intra quam ratam potuerit eamdem Domum hypotecare.

Etenim jam de tempore impositionis dic. census præfata facultas erat prorsus consumpta, cum donans plura debita præcedenter contraxisset, videlicet de annis 1609., & 1610., & pro quibus estinguendis de anno 1622. ipsemet Antonius donans vigore BrevisS. me Gregorii XV., alienavit Casale dictum *la Casetta* valoris scutorum 15. mil. subiectum fideicommisso particulari ordinato in alia antecedenti donatione de anno 1605.
7 facta, ad quod est pariter vocatus Scipio actor, qui propterea bene hodie d. consumptionem facultatis allegare potest.

Quod autem idem Scipio sit filius, & hæres d. Eleuterii deliberatarii d. Domus, & authoris d. Annæ Brogiæ reæ conventæ, ideo-
8 que factum Patris impugnare nequeat, nul-
9 latenus fuit probatum dum non constat, quod in hæreditate Patris sese immiscuerit, ut requiritur *ad text. in l. pro hær. de ff. de acquiren. hæred.*, imo potius excluditur, dum d hæreditatem agnovit Anibal ejus frater,
10 dumtaxat, qui ulterius de ea rationem reddidit, & ut peritus retulit, remanet creditor in scutis 317., quod nihil obesse potest Scipioni ad inducendum, quod ipse hæreditatem Eleutherii Patris agnoverit, *ad text. in l si suspecta* §. *ultimo ff. de in off. test.*, *Rota cor Rojas dec.* 287. *nu.* 4., & *in rec decis.* 142. *n.* 2. *p.* 5., & *dec.* 168. *n.* 3. *p.* 11.

Et ita utraque.

ROMANA FIDEICOMMISSI.

Lunæ 27. *Februarii* 1708.

ARGUMENTUM.

Instrumenti original deperditum, ex quibus adsuine probetur, adeout ejus copia de legalitate redargui nequeat. Crediti quantitas ex sententiis, & transactionibus, in quibus pro eo bona tradita sunt, & aliis comprobatur, quin satisfactum præsumatur ex administratione transactiones præcedente, in quibus omnes hinc inde prætensiones sunt remissæ.

SUMMARIUM.

1 *Reintegratio, seu immissio competit spoliatis, seu immissionem passis.*

2 *Copiæ simplici creditur, deficiente publico instrumento, cum a validissimis coniecturis ejus præexistentia probatur.*

3 *Instrumentum licet deperditum extitisse dicisur, cum iterate productum, & admissum fuit in judiciis.*

4 *Præsertim si admissum fuis a creditoribus in eorum præjudicium, & quare?*

5 *Instrumentum in judicio productum, & a Rota approbatum amplius improbari, & illius copia de illegalitate redargui nequit.*

6 *Et etiam cum eo, in multiplicatis actibus, auctores usi fuerunt.*

Cre-

7 *Crediti quantitas indubitabilis redditur, & parit exceptionem litis finitæ, cum a Judice expeditum fuit mandatum, partibus contradicentibus, & in ejus executionem tot bona in solutum per transactionem sunt data.*

8 *Præcipuè si dicta solutio ex multiplicatis actibus sit confirmata: nam tunc etiam contra tertios confirmatur.*

9 *Sententia crediti quantitatem canonizans, quę transitum fecit in rem judicatam, facit probationem probatam, nec exceptionem admittit, nisi impetrata restitutione in integrum:*

10 *Dationis in solutum retrocessio facta cum onere fideicommissi, & facultate de certa rata disponendi, creditum indebitum non arguit, sed confirmat.*

11 *Transactiones in quibus omnes hinc inde pretensiones sunt remissę, efficiunt, ut creditum, pro quo in eis fuit obtenta datio in solutum, non censeatur satisfactum ex pręcedenti administratione.*

DECISIO DXXVIII.

PER obitum Papinii de Capisucchis aspirantes Pagani, aliique descendentes a Lucretia de Capisucchis, ad successionem in bonis fideicommissariis quon. Innocentii Senioris judicium introduxerunt anno 1660. super immissione ad duas domus coram A.C. Areosto contra Flaviam Ruiz, & Marchionissam de Anguiscia descendentes ab Aurora & Tarquinia nepotibus ejusdem fideicommittentis, qua tamen per sententiam denegata, declaratum fuit dictas domos esse hæreditarias quon. Laudomiæ Rassæ secundæ Uxoris d. Innocentii senioris, quæ illas fideicommisso subiecerat, sed in gradu appellationis bo. me. Burattus nulla facta mentione præcedentis judicati, sententiam tulit, immissionem concedentem ad 45. loca montium provenientia ex pretio Casalis *Prescioni* subiecto fideicommisso d. q. Innocentii, & destinata pro multiplico, quę successivè quoad medietatem dd. locorum montium in subsecutis instantiis confirmata extitit tam a bo. me. Rondanino, quàm ab Emo Caprara.

Sed commissa causa bo. me. Muto cum clausula *sine præjudicio*, nullaque capta resolutione sub die 10. Junii 1697. rescriptum fuit, quod firmaretur status etiam quoad personas, in quorum executionem, cum peritus suam edidisset relationem, reproposita causa sub die 19. Junii 1705. iterum iniunctum fuit, quod daretur copia Instrumenti dotalis Laudomiæ Rasſę, & particulariter scriberetur super modo succedendi ad fideicommissum d. Innocentii Capisucchi, & tandem die 10. Januarii 1706: quoad vocationem, & modum succedendi in fideicom. misso Innocentii responsum fuit pro confirmatione sententię rotalis, sed quoad dotem Laudomię, illius quantitatem, & detractiones, illarumque fructus, mandarunt DD., quod concordaretur factum cor. eodem R. P. D. Muto, quo interim defuncto partes factum coram me in illius locum suffecto, concordarunt, & hodie quæsitum fuit -- *An sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda, seu potius sit danda immissio in reliqua parte pro assertis detractionibus, & cui, seu quibus &c.*-- Et DD. dandam esse immissionem Columnis, & Anguisciolis, & respectivè denegandam immissionem, seu retentionem Paganis, & Laudatis responderunt.

Constito enim ex facti serie melius patefacta, & a partibus hinc inde admissa, quod status hæreditarius d. Innocentii fideicommittentis ascendit ad scuta 35848., quodque deductis deducendis, factisque debitis detractionibus in scut. 32497. remanet solum in scutis 3351. 11.: Cumque Pagani, & litis Consortes ad tenorem decisionis editæ die 11. Januarii 1706. cor. bo. me. Muto succedere non possint in fideicommisso d. quon. Innocentii, nisi pro medietate, quę restringitur ad scuta 1675. 55. exinde remanet in comperto, quod non solum precedentes sententię sunt excessivę, quia immissionem illis concedunt ad medietatem 45. locorum montium, quorum pretium est scut. 2250., & sic portionem ipsis debitam excedunt in scutis 575. Verum etiam deteguntur iniustæ in totum, quia super eisdem locis montium competit illis de Columna, & Anguisciola tanquam vocatis ad fideicommissum Laudomiæ retentio pro creditis, quæ habebat illa contra hereditatem Innocentii, eamque penitus absorbentia, inter quæ est creditum dotis scut. 14220. unde sicut ipsis horum intuitu debita erat retentio partis multiplici, & locorum montium, ad quę Paganis concessa fuit immissio, ita eisdem pro hujusmodi effectu tanquam spoliatis, & immissionem passis concedenda modo venit reintegratio, seu potius immissio. *Rota cor. Burat. decis.* 946. *n. primo, & per tot. cor. Dunozett. jun. dec* 910. *n.* 5. *cor. Celso dec.* 283. *n.* 3 *cor. Cerro dec.* 936. *n.* 6. *cor. Priolo dec* 392. *n* 8. *in rec. dec.* 3060. *n.* 25, *& seq. p.* 5. *dec.* 30. *n.* 14. *&* 15, *& dec.* 88. *n.* 30. *p.* 6.

Non attenta responsione, quod de d. credito dotis Laudomię non constet nisi ex simplici, & informi copia instrumenti dotalis nullo signo, & subscriptione Notarii munita, cujus originale reperiri non potuit etiamsi diligentissimè fuerint revoluta omnia protocolla, & instrumenta ejusdem Notarii rogati in publico Archivio Curię Capitolii fideliter custodita: Quamobrem eo deficiente quælibet actio pro d. dote cessare videatur Premisso enim, quod licet in præsenti deficiat in-
2 strumentum dotale in publicam formam redactum, prohibitum tamen non est, quin mediantibus validissimis conjecturis probari possit illius præcedens existentia, ut postea ejusdem simplici copiæ fides præstanda sit, *Menoch. cons.* 924. *n.* 35. *Marescot. ver. resol. lib.* 1. *cap.* 81. *n.* 5. *Ciriac. contr.* 204. *n.* 56. *Rot.*

cor. Barat.dec.24.n.2., & in rec.dec.460.n.2. p. 18.

Hodie amplius dubitari non potest, præfatum instrumentum in rerum natura extitisse, dum constitit, quod paulo post obitum Innocentii pluries fuit productum, & positivè in iteratis actibus admissum, & signanter occasione litis vertentis in nostro Tribunali inter Tarquinium privignum d. Laudomiæ, & filias Emilii; tunc enim nulla fuit controversia super existentia instrumenti dotalis, sed eo specifice admisso, dumtaxat reprobatum extitit pactum in eo contentum, quod Laudomia disponere non posset de sua dote, ut videre est ex decisionibus utraque parte informante editis *coram Pænia* inter eius impressas La 917., & 953., ex quibus duo promanant validissima argumenta, alterum, quod cum dd.decisiones prodierint in lucem anno 1601., quo tempore aderant filii eiusdem Innocentii debitoris optimè de veritate informati, iidem creditum dotis Laudo-
4 miæ cum eorum præjudicio verisimiliter non admisissent, si undique per publicum instrumentum probatum non agnovissent: alterum, quod præfatum instrumentum tan-
5 quam in judicio productum, & a nostro Tribunali approbatum mediante illius executione hodie nequit amplius in dubium revocari, nec illius copia de illegalitate redargui, *ad firmata per Rot. dec. 16. n. 517., & dec. 202. n. 3. & seq.p. 19. rec.*

Præterea de dicto credito dotis nunquam fuit dubitatum, nec in concordia inita inter ipsam Laudomiam, & privignos anno 1595, nec in aliis transactionibus celebratis anno 1581., & 1603., in quarum singulis suppositivè facta legitur mentio dicti crediti. Quinimò enunciatur tàm in chirographo fa. me. Innocentii X. ad supplicationem Francisci Papinii ultimi descendentis masculi ex Tarquinio filio Innocentii fideicommittentium, obtento anno 1645. ad finem alienandi casale Prefciani, subjecto fideicommisso ejusdem Innocentii, quàm in subsecuta distractione ejusdem casalis facta per dictum Papirium:
6 ex quibus omnibus visum fuit, quod dùm præfato instrumento in multiplicatis actibus, & transactionibus usi fuerunt Papirius, aliique auctores illorum de Pagauis, & litis consortium; isti tanquam ab eis causam habentes illud amplius impugnare non possint, per *Text.in cap.quod semper de reg.jur in 6.* cum aliis cumulatis per *Rot.dec.86.n.18.p.16., & dec.84.n 20.p.18.rec.*

Firmata ex prædictis veritate crediti dotalis, quoad illius quantitatem neque fuit hæsitatum, quin ea consisteret in sc. 14220.: nam ex facto nuper concordato constitit, etiam ipsam Laudomiam dedisse in dotem Innocentio viro omnia sua bona inter quæ aderat creditum scut. 5000. per Laudomiam eidem viro mutuata, qui illa erogavit in utilitatem appaltus Gabellæ studii susceptæ à Camera Capitulina, ad cujus participationem uxorem admiserat, quæ post obitum viri egit in Curia Capitolina pro restitutione suæ dotis, & citatis filiis & hæredibus Innocentii viri prædefuncti, necnon eorum tutore, & procuratore contra illius bona hæreditaria sententiam favorabilem cum mandato executivo reportavit tàm pro dictis scut.5000., quàm pro rata utilium appaltus à peritis liquidatorum in sc.9220. quibus partitis simul junctis constatur summa scut.14220., pro qua ad evitandam eminentem executionem dicti hæredes Innocentii anno 1581: eidem Laudomiæ per actum publicum plura bona, & census insolutum de-
7 derunt: undè cum dicta jura dotalia in judicium deducta partibus contradicentibus Judici subsistere visa fuerint: & debitores in executionem mandati jam relaxati per viam transactionis dederint certa bona insolutum, hujusmodi actus de per se solùm sumpti reddunt creditum in hac quantitate indubitatile: & pariunt exceptionem litis finitæ; *L non minorem 20.C de transact. Gratian.discept. 400.n 27. Vrceol.de transact.q.4.n.6., Rota dec.86 n.1.& seq.p.6.rec.*

Accedentibus præsertim nedum observantia desumpta ex supradictis enunciatis actibus gestis post dictam dationem insolutum à Tarquinio & Emilio filiis Innocentii debitoris primis hæredibus gravatis, conti-
8 nuatis etiam per Franciscum Papirium illorum successorem, & quibus confirmatur etiam effectiva solutio contra tertios. *Mascard.de probat.conclus. 1294 n. 19, Rot.cor. Bich dec.622.n.11., & in rec.dec. 397. nu. 18. p.2.* Verùm & fortiùs geminis sententiis latis in comprobationem dicti crediti dotalis; quarum prima lata fuit in Curia Capitolina; secunda verò ab A. C. Areolto immissionem denegans, & retentionem concedens pro dicta dote, quarum utraque cum transitum fe-
9 cerit in rem judicatam, facit probationem probatam; & nulla exceptio admitti potest adversùs realitatem dicti crediti, nisi priùs impetretur commissio restitutionis in integrum; ex deductis per *Rotam in Roman. fideicommissi 15. Januarii 1710. §. Sed ut diximus confirmat. 17. Junii 1701. §. De reliqua cor. R. P. D. meo Ansaldo.*

Nec subsistit, quod anno 1595. hæredes Innocentii revesserunt à datione insolutum per ipsos præcedenter facta anno 1581. favore Laudomiæ; & ista retrocesserit bona ab eisdem recepta, quasi quod per hujusmodi actum creditum dotale impugnatum remanserit. Quia ex facto habetur, quod Laudomia non simpliciter, & absolutè retrocessionem fecit privignis, sed sub conditione, & onere perpetui fideicommissi priùs favore masculorum, & deindè fæminarum descendentium ex eis, reservata sibi facultate
10 disponendi de sc.4000.: quapropter ex hoc actu potiùs vim sumpsit dictum creditum dotale; dum tàm in genere, quàm in quantitate fuit approbatum.

Quod autem hujusmodi creditum satisfactum remanserit, ex administratione gesta per

per eamdem Laudomiam anno 1575. usque ad annum 1585. de bonis hæreditariis Innocentii, ex perceptione fructuum, quorum saltem rationem reddere teneatur, cessare visum fuit, ex eo, quod non docetur quot fructus pervenerint ad Laudomiæ manus: & si quos percepit, illi fuerunt consumpti in alimentis filiorum ipsius Innocentii: & in omnem casum hujusmodi præsumptæ solutioni resistunt præfata judicata, & transa-
11 ctiones supra recensitæ, in quibus sicut ad componendas omnes lites, & controversias eo tunc vertentes partes ad invicem renunciarunt cuicumque prætentioni, & sese respectivè adinvicem quietarunt; ita censeri debet prætentionem nunc promotam super objecta administratione bonorum Innocentii sopitam fuisse; *Surdus dec. 217. nu. 11. Rota dec. 99. n. 1., & dec. 486. n. 5. p. 18. rec.* Intercedente præsertim lapsu centum & ultra annorum, per quem rationem redditam fuisse de jure præsumitur; ad tradita per *Grat. discept. 52. num* 18., *Rot. cor. Seraph. dec. 730. n. 1. & in Romana redditionis rationis 14. Junii* 1692. §. *respectu verò cor. bo. me. Ursino.*

Atque ex his, cum domus positæ ad Cesarinos, & in platea Sciarræ sint valoris scutor. 10500., liquidò constat, quod creditum domus Laodomiæ præscindendo etiam ab aliis detractionibus, quarum examen in præsenti superfluum visum fuit, exuberat nedum ad retinendas dictas domos, verùm etiam ad consequendam reintegrationem medietatis dictorum locorum montium, ad quæ injustè Paganis, & litis consortibus concessa fuit immissio.

Et ita utraque &c.

AVENIONEN. SUCCESSIONIS.

Veneris 9. Martii 1708.

ARGUMENTUM.

Argumenta desumpta à qualitate Notarii, stylo, & voluntate testatoris supposita causa, observantia, & serotina productione afferuntur ad convincendas de falso prætensas declarationes testatoris ejus testamento contrarias, vel saltem adeò turbidas, & suspectas reddunt, ut earum executionem non valeant retardare.

SUMMARIUM.

1 *Testamentum carens omni visibili vitio, hæredi ibidem scripto tribuit omne jus testamentariæ successionis.*

2 *Declarationes testatoris, quæ turbidæ afferuntur, retardare non valent executionem clari, & limpidi testamenti.*

3 *Actus declarationis sagacis testatoris maximi momenti, qui affertur, rogatus à Notario inquisito, & de falso suspecto, & qui dicit stipulasse domi testatoris: cum de eo tempore à Civitate profugus erat, non attenditur.*

4 *Maximè si adsit assertio testatoris, qui declaravit omnes actus, qui ab aliis præter suo Notario essent confecti, falsi reputarentur.*

5 *Et cum facilè inter acta Notarii suspecti non cartulata inserri, & superaddi potuerunt.*

6 *Et cum duo dictæ declarationes diversis temporibus gestæ eosdem habeant testes, quorum alter in primo actu qualitatem, quam hactenùs non habebat, sibi attr bu t.*

7 *Scriptura, ut supposita dicitur, cum est facta contra stylum à prætenso scribente adhiberi solito, & alia de quibus in decisione. Et cum dicitur conscripta minuto caractere ab eo, qui erat in ætate decrepita.*

8 *Et cum argumenta adsunt de recenti post prætensi scribentis mortem factam fuisse.*

9 *Et cum ejus prætensa causa non subsistit.*

10 *Testator filium exclusisse in secundo testamento nepotes vocando non præsumitur evitandæ confiscationis causa, cum hoc idem fecerat in primo confecto ante delictum, & cum in utroque casu delicti providerat.*

11 *Declaratio prætensa, in qua testator filium naturalem liberè vult succedere, quando in testamento serio longum ordinem substitutionum demandaverat, cum sit inverisimilis, ideò falsa arguitur.*

12 *Præsertim si adsint plures declarationes, & observantia filii ejusdem testamenti.*

13 *Observantia exactè continuata, testamenti veritatem confirmat, ut ampliùs controverti nequeat.*

14 *Et facit ne declarationes eidem contrariæ, quæ postmodum ab eo, qui observavit producuntur, censeantur fuisse in rerum natura.*

15 *Fides informes testium de auditu non attenduntur.*

16 *Præsertim si convincantur de mendacio.*

17 *Et contra eas stent actus ipsius producentis.*

18 *Hæreditatem nomine filii non adivisse pater præsumitur vigore testamenti, si declarationes testatoris haberet, in quibus ipse vocaretur.*

19 *Jura valida usque ad ultimum litis produci cum differtur, sunt suspecta.*

20 *Et cum de eorum veritate constare potest ex libro apud sero producentem existente, quem tamen exhibere recusat.*

DECISIO DXXXIX.

DUplex condidit Testamentum Franciscus de Labeau Betard Marchio de Maclhas, & Fisci Avenionensis Advocatus; alterum nempè de anno 1668., alterum vero anno 1674. & in utroque ab uno eodemque notario Petro Francisco de Puis rogato hæredem instituit primogenitum legitimum, & naturalem ex Petro Gabriele proprio filio, & Magdalena Conjugibus, quem cum de tempore secundi Testamenti jam natus esset proprio nomine, Carolum appellavit, eoque sine prole masculina decedente longam seriem substi-

substitutionum ordinavit, vocando alios masculos ex d. Petro Gabriele procreandos ordine primogenituræ: mandavitque insuper quod libræ centum mille, quas præcedenter Petro Gabrieli donaverat consequendas post sui obitum comprehenderentur sub d dispositione facta favore nepotum, denegato etiam usufructu, qui alias ex bonis suorum filiorum illi de jure deberetur. Cum autem an. 1676. decessisset testator, in executionem prænarratæ dispositionis, hæreditas adita fuit nomine Caroli, cum subsequuta approbatione d. Petri Gabrielis Patris, qui nomine filii, & tanquam ejus legitimus administrator ininventarium bonorum hæreditariorum confecit, in quo acceptavit ea, quæ per Franciscum Testatorem fuerant prærordinata: & cupiens, (sunt verba præcisa) -- *di sodisfare alla volontà del qu. Francesco Labeau Berard suo Padre nel suo ultimo, e valido testamento rogato da me Notario alli 12. Settembre* 1674. -- declaravit nolle acquirere usufructum in bonis Carolo filio relictis.

Sed isto sinè filiis defuncto successio aperta remansit favore Benedicti Ambrosii ex eodem Petro Gabriele secundogeniti, cujus nomine cùm capta fuisset possessio fideicommissi aviti Petrus Gabriel plures actus gessit tanquam Pater, & legitimus illius administrator, recognoscendo semper proprium filium prò vero, & universali hærede, ac possessore bonorum omnium fideicommissariorum: quia verò his non attentis præfatus Petrus Gabriel ultra dispersionem duplarum 9830., quæ per eum, tanquam hæreditaria d Francisci Testatoris in inventario descripta fuerant; plures quoque fecerat alienationes: ideo filius major effectus bonorum dissipationi sese opposuit liteque introducta in Curia legationis Avenionen. in qua Petrus Gabriel petiit manuteneri in Jure administrandi tanquam pater bona omnia quæ spectabant ad filium, sed rejecta hujusmodi instantia fuit ab Auditore Generali Legationis manutentio Benedicto Ambrosio concessa. Hinc devoluta Causa ad A. C., iste ne interim hæreditas deterior redderetur prò illius administratione Economum deputavit, & ulterius mandatum de manutenendo favore Benedicti Ambrosii confirmavit, quod Signatura Justitiæ subindè approbavit admittendo appellationem cum clausula *sine præjudicio*. Rebus in hoc statu manentibus, totaque contentione ad me delata, hodie Petrus Gabriel, præter dubium manutentionem respiciens; alterum in petitorio examinare curavit nempè -- an, *& cui debeatur successio* -- quod DD. favore Benedicti Ambrosii resolvendum esse censuerunt.

Habet enim ipse intentionem fundatam in publico Testemento solemniter celebrato anno 1674. per Franciscum ejus Avum, cum totali consonantia ad alterum præcedentèr de anno 1668. stipulatum, quod, utpotè ca-
1 rens omni vitio visibili hæredi in eodem scripto tribuit omne Jus testamentariæ successionis, ad tradita per *Rot. coram Coccin. decis. 594. n.6. cor. sa. me. Alex. VIII. decis. 180. n.1., & dec. 216. n. 3.*

Non obstantibus tribus declarationibus à Petro Gabriele novissimè in lucem editis, quibus ille probare intendit testatorem declarasse, quod sibi hæredem scripserat Nepotem ex filio ad finem eludendi fiscum, ne iste, propter capitale bannum publicatum contra Petrum Gabrielem filium, universam hæreditatem occuparet; non autem ut intervenieret inter descendentes suos naturalem ordinem succedendi, ideoque ad earum tenorem ipsi debeatur successio, Quoniam
2 cum istarum declarationum legalitas sit valde turbida, & nimis suspecta concurrere non valent cum claro, & limpido testamento inter liberos ab Avo condito favore agnationis, proretardanda illius executione *Mantic. de coniect. lib.6. tit.2. sub. n.25. Cancer. var resolut. part.1. cap.4. n.82. Car. de Luc. de Testam. disc.6 n.11. & Rota in Viterbien. Donationis 28. Junii 1688. §. quia talis cor. Rmo Turonen.*

Et sene si loquimur de primis declarationibus in publicam formam redactis per Ludovicum Granier sub die prima Martii 1674. & die 25. ejusdem Mensis anni 1676., suspicio ex pluribus resultare visa fuit. Et primo ex eo, quod apparent rogatę a d. Notario, qui usque ab anno 1671. erat inquisitus in Curia Legationis Avenionen., fueratque condemnatus anno 1679., & tamen ausus fuit profiteri, declarationes prædictas stipulasse Domi ejusdem testatoris, quando tunc temporis ipse a Civitate Avenionis, ejusque di-
3 strictu profugus erat propter mandatum de capiendo contra eum relaxatum, unde redditur improbabile, quod Franciscus Testator, qui erat valde sagax voluerit rem tanti momenti committere soli fidei Notarii Inquisiti, & de falso suspecti, maxime quando ipse ad maiorem cauthelam, & ad finem
4 evitandi quamcumque falsitatem, sub die 11.
Julii 1675. per actum publicum declaravit, quod omnes dispositiones præcedenter factæ ab aliis Notariis, quam a Petro Francisco Dupuij sibi confidentissimo tanquam falsæ, & nullæ reputarentur ibi -- *che tutte le donationi in causa di morte, e dispositioni d'ultima volontà, che si potessero trovare fatte avanti il giorno, e data del presente &c. rogate da altro Notaro, che da me Notaro rogante siàno nulle invalide, e di nullo effetto come false.*

Secundo quia à die, qua ipse Notarius Granier passus fuit bannum, ejusque bona fuerunt fisco adiudicata, omnes illius scripturæ inordinatæ, & confusæ remanserunt pænes Joannem filium, a quo anno 1702. venditæ fuerunt Francisco fratri, cum declaratione quod consistebant -- *in quarantadue quinternis sparsi senza essere ordinati di seguito; ne cartolati* -- prout hoc idem comprobavit d. Franciscus, qui requisitus coram Judice ab A.C. subdelegato, ut exhiberet

ru-

rubricellas quinternorum, postquam diu variis prętextibus id facere detrectavit, tandem tallus fuit, sibi a fratre traditas non fuisse, sed eas per se ipsum recenter confecisse. Qua paginarum confusione posita sine ulla
5 earum cartulatione, & numeratione de plano sequitur dd. declarationes potuisse de facili inter eas inseri, & superaddi, ideoque tanquam suspectæ nullam fidem merentur, *juxta Glos. in l. generaliter C. de Tabular. Dec. respons. 99. n. 15. lib. 2. Grat. discept. for. cap. 889. n. 28., & 29.*

Ac denique tertio, quia in utraque declaratione, quamvis lapsus triennii medio tem-
6 pore intercesserit, adhibiti fuerunt iidem testes, quodque magis est, unus ex eis in declaratione, quæ supponitur emissa anno 1674 legitur subscriptus cum qualitate Sacerdotali, quando eo tempore primis ordinibus neque fuerat initiatus, dum de mense Januarii 1676. litteras dimissoriales obtinuit pro illis consequendis.

Si vero loquimur de tertia, & ultima declaratione per actum privatum exarata, licet nonnulli testes habentes notam manum testatoris juxta stylum Curię illam recognoverint, tamen contra illius veritatem, ultra alios plures testes, qui illam impugnant, urget non solum maxima inverisimilitudo, quod in re tanti momenti adhibita fuerit
7 medietas folii cartę regalis, & pregrandis in ea parte, in qua non adest signum, ad hoc forsan, ut de facili argui non possset tempus, quo declaratio fuit conscripta, & ulterius legatur minutissimo caractere efformata sine ullius testis subscriptione, ac pluribus affectatis superfluitatibus repleta, qui modus ita servatus nimis dissonat a stylo per Franciscum testatorem retento in aliis actibus, unde sicut credibile non est, quod ipse in etate decrepita constitutus, scripturam d. Caractere exaraverit, ita valida intrat suspicio, quod declaratio prædicta non a Francisco, sed ab altero confecta fuerit, ad notata per *Mascard. de probat. conclus. 740. n. 38.*

Verum etiam quia hujusmodi declaratio-
8 nem esse de recenti confectam ponit in claris affectatissima facultas in eadem petro Gabrielli attributa privandi hęreditate Nepotes, quatenus isti sine ipsius consensu nuptias contraherent, cum tamen eo tempore Filius Uxorem duxisset sine Patris consensu: unde si testator hoc vere habuisset in mente, utique in duobus testamentis per ipsum seduio celebratis non omisisset.

In Universum autem prefatæ declarationes suspectissimę redduntur, vel ob insubsistentiam causę banni, & timoris confisca-
9 tionis bonorum, propter quam allegatur, Testatorem hęredem non scripsisse Petrum Gabrielem, dum anno 1668. Franciscus aliud condiderat testamentum cum eadem hęredis institutione, similique substitutionum serie, quę in secundo ordinata reperitur, & tamen eo tunc non fuerat patratum delictum, nec vigebat timor confiscationis, dum querela fuerat porrecta de mense Augusti
10 1675. Quinimo sicuti tam in primo, quàm in ultimo testamento eidem Petro Gabrielli, cęterisque vocatis testator providit in casu delicti alios substituendo, ita de facili providere potuisset in pręnarrato casu banni, absque ope tot declarationum. Ex quibus omnibus, quæ disposita fuerunt etiam in priori testamento valida eruitur interpretatio eorum, quę continentur in subsequenti, perspicuumque fit testatorem non ex causa Banni, quod nondum prodierat omisso filio Nepotes vocasse, *Rot. cor. Buratt. dec. 475. num 8.*

Vel quia non solum reintegrant Petrum Gabriellem ad temporalem, & vitalitiam fruitionem bonorum, qua Testator illum privaverat, cum fideicommisso favore descendentium, sed etiam eum omnino liberum & absolutum Dominum constituunt, quando testator fideicommissum magna maturitate ordinavit prius favore masculorum ex masculis, & deinde ex fœminis, & longa substitutionum serie prospexit universæ posterita-
11 ti, unde cum credibile non sit, quod ipse ab eo recedere voluerit, & præbere filio naturali plenam, & absolutam libertatem, ut quanto citius totam substantiam disperderet in præjudicium nepotum, aliorumque vocatorum, hæc inverisimilitudo sufficit, ut dictæ declarationes falsæ præsumendæ sint, *ad text. in l. si quid sub conditione ff. de condit. instit. Dec. cons. 399. n 8. Roland. a Valle cons. 47. n. 57. lib. 2. Cephal cons. 287. n 26. Mascard. de probat. conclus. 740 n. 37. Card. de Luc. de testament. disc. 6. n. 9.*

Quibus ita positis, in eorum confirmationem superat omne genus probationum ob-
12 servantia subsequuta elicita ex actibus gestis per eundem Petrum Gabriellem, qui tam judicialiter, quam extrajudicialiter professus fuit, d. ultimum testamentum verum esse nec unquam fuisse revocatum. Adivit enim ille hereditatem nomine Caroli primi filii cum expressione -- *desiderando di sodisfare alla volontà del qu. Francesco di Labeau nel suo ultimo testamento rogato da me Notaro.* Agnovit per illius obitum sine prole, fideicommissum spectare ad Benedictum Ambrosium alterum filium, & ideo pro eo facultatem dedit Uxori -- *d'accettare il fideicommisso fatto dal Signor Francesco de Labeau contenuto nel testamento &c aperto a favore del d. Benedetto Ambrosio per morte del quon. Carlo* -- subinde tam in contrahendo, quam in distrahendo, & locando innumeros fecit contractus semper se gerendo nomine filiorum, & administratorio titulo, id continuando per spatium ferè annorum 30., quibus fuit observatum, & canonizzatum testamentum Francisci fideicommittentis, & signanter in transactione per Petrum Gabriellem inita anno 1690. cum Josepho Hyacinto fratre, in qua consensum præstitit -- *Che il testamento del detto Francesco de Labeau &c.*

beau &c. fia reputato l'ultimo , e valido testamento del d. qu. Francesco Padre-- Que
130 servanria ita exacte continuata adeo confirmat d. Testamenti veritatem, ut eadem
amplius in controversiam deduci non valeat
ut bene *Rota in Romana manutentionis* 15.
Martii 1688. *cor. Rm̃o Turonen.*, & valde
impellunt ad credendum tunc temporis præfatas declarationes non fuisse in rerum natu-
14 ra , sed postmodum fuisse confictas.

Non attenta responsione , quod ex depositionibus nonnullorum testium resultet, anno 1676. immediatè post obitum testatoris , dictas declarationes extitisse , fuisseque semper in occulto retentas propter metum sæpedictæ confiscationis bonorum. Quo-
15 niam hic non agitur nisi de informi, & simplici fide, in qua testes deponunt de solo auditu , neque unquam viderunt controversas declarationes, sed quemdam plicum clausum in quo nesciunt quid contineretur, eadem-
16 que fides convincitur etiam de aperto mendacio, tum quia assertus timor confiscationis tunc temporis adesse non poterat , quia Petrus Gabriel absolutoriam obtinuerat , tum
17 quia contra illorum fidem stant actus per ipsumPetrum Gabriellem super enunciati , & signanter illi gesti anno sequenti 1667., quo in hæredem Francisci agnovit Benedictum Ambrosium filium, cujus nomine inventarium confecit , permisitque hæreditatem
18 illius nomine adiri , quod certe non fecisset si tunc temporis dictæ declarationes extitisseot , prout arguit *Rota in Viterbien. fideicom.* 28. *Junii* 1688. §. *Quia coram Reverendissimo Turonen.*.

Et ad intentum mirifice conferunt geminę circumstantiæ , altera desumpta ex productione illarum serotinè secuta anno 1602. postquamPetrusGabriel passus fuerat judicatum contrarium in judicio manutentionis prius in partibus, & deinde dum causa coram A.C.
19 erat in limine expeditionis causæ , quando si verè extitissent dictæ declarationes in principio præsentis litis , verisimile non est , quod ipse in extremo judicii periodo in lucem eas proferre voluerit , quibus filium validè repellere potuisset , *Cravet. conf.* 234. *n.*26. *Menoch. de præsumpt. lib.* 2. *præsumpt.* 91. *n* 9. , & *lib.* 3. *presumpt.* 122. *n.*94. *Osasc. dec. Pedemont.* 117 *n.*9. *Rota coram Royas dec.* 474. *n.*4. Altero ex quo dictarum declarationum existentia , & veritas de facili convinci potuisset mediante exhibitione libri memoriarum manu testatoris exarati penès Petrum Gabrieliem existentis, & ab eo in inventario descripti , & nihilominus , licet ad illius exhibitionem fuerit condemnatus, adhuc usque nunc Judicum mandatis parere noluit: ex hac autem irrationabili recusatio-
20 ne omnis oritur præsumptio pro illius malo Jure, *Menoch. præsumpt.* 91. *num* 4. *lib.* 2. *Episcopus Rocca disput. Juris cap.*67. *nu.*20. *Rot. cor. Gregor. dec* 52 *t. n.*6. *cor. Peutinger. dec.*25. *n.*67. *cor. Cerro de.*664. *n.*9 *cor. Priolo de.*294. *n.*21. & *in rec. de.*198. *n.*10 *par.*13.

Et ita utraque resolutum fuit &c.

EADEM SUPER MANUTENTIONE.

Veneris 9. *Nartii* 1708.

ARGUMENTUM.

Agitur quando Patri in bonis adventitiis filii ususfructus competat , vel amittat ad ornatum *L. cum oportet C. de bonis , quæ liberis* adeout Filio manutentio in hæreditate eidem relicta, contra Patrem administratorem detur: cum causa post eum d. ususfructu , & administratione privatum , in devolutivo agitetur : si Filius ususfructus prętensioøem turbidam reddat.

SUMMARIUM.

1 *Manutentio competit in boni juris consequentiam.*

2 *Administratoris qualitas bonorum administratorum possessionem supponit penes eum cujus nomine administratur.*

3 *Et eidem , non administratori manutentio conceditur.*

4 *Pater habet super bonis adventitiis Filiorum usumfructum legale* L. cum opportet C. de bon: quæ liber,

5 *Prętentio excitata contraria aliis prius adductis earum omnimodam insubsistentiam supponit.*

6 *Declara d. legem cum opportet non procedere in bonis ab avo nepotibus sub ejus potestate existentibus relictis.*

7 *Et cum ususfructus est a testatore probibitus*

8 *Ususfructus super bonis hæreditariis Patris hæredi instituti a testatore probibitus censetur , cum eidem probibuit usumfructum bonorum intuitu certi matrimonii præcedenter donatorum.*

9 *Et cum legatum relinquendo* pro omni , & toto eo &c. *testator voluit , ne aliquid amplius ex quocumque jure instituti hæredis pater posset prætendere.*

10 *Pater bona adventitia filii administrans , cum notabiles eorum fecit alienationes , administratione , & ususfructu in pœnam privatur.*

11 *Justitia judicatorum, ut præsumatur, cum causa agitur in devolutivo, sufficit, ut dubię reddantur contrariæ prætensiones.*

12 *Manutentio debetur filio in hæreditate sibi relicta contra patrem ejusdem administratione privatum , quando causa agitur post duas sententias a Signatura canonizatas in devolativo : quo casu sufficit filio Patris prętensiones circa usumfructum dubias reddere.*

DECISIO DXL.

Contendentibus in Curia Legationis Avenionen. Petro Gabriele parte , & Benedicto Ambrosio filio super possessione bonorum hæreditariorum Marchionis Francisci de Labeau , manutentionem obtinuit Filius , quam non solum , agnita justitia , confirmavit R. P. D. meus Aldrovandus tunc A. C. Locumtenens , modo emeritissimus Colle-

ga; sed etiam ipse videns fuisse factas plures alienationes bonorum à Petro Gabriele patre, deputavit Oeconomum pro administratione totius hæreditatis, eodemque tempore, ut indemnitati partium consuleret, mandavit ut per modum provisionis unicuique ex Collitigantibus assignarentur menstrua scuta 50. Causa autem in gradu appellationis cum clausula *sine præjudicio* mihi commissa, fuit unico contextu assumpta disputatio tam super bono jure, quod favore Benedicti Ambrosii in hac eadem audientia fuit resolutum, ut in contemporanea decisione, quam super manutentione, & petita revocatione provisionis captæ ab A. C. unde proposito dubio, illam dandam esse eidem Benedicto Ambrosio DD. responderunt, demandando etiam, quod respectu provisionis, causa iterum proponeretur.

Etenim juxta facti seriem in altera contemporanea decisione relatam, nedum illi assistit bonum jus desumptum ex duplici testamento condito à Marchione Francisco de Labeau ejus Avo, in quo legitur institutus, posthabito Petro Gabriele Patre, & respectivè testatoris filio, non obstantibus quibusdam declarationibus, quæ afferebantur factæ à testatore pro revocatione suæ dispositionis, undè videbatur quod ipsi ejusdem,
1 boni juris consequentiam eidem Benedicto Ambrosio competeret manutentio, per *Textum in l. justè possidet ff. de acquiren. possessione Anselm. in l. Clam. possidere §. Qui ad Nundinas num. 2. in fin. ff. eodem Rota coram Coccin. dec. 150. num. 1. & in rec. decis. 1. 5. num. 3. par. 1.*

Verum etiam habet pro se ipsam actualem possessionem, cum spatio ferè 30. annorum idem Petrus Gabriel, tanquam pater, & legitimus administrator Benedicti Ambrosii filii, plures actus gesserit, concedendo bona in locationem, extinguendo censum, aliosque injendo contractus cum declaratione expressa in aliquo ex illis, quod ejus filius esset verus, & legitimus hæres Francisci Avi: ex quibus omnibus, sicut hujusmo-
2 di administratoris qualitas præsupponit possessionem continuo existisse pænes filium, exindè in consequentiam venit, quod eidem
3 non autem patri concedenda sit manutentio ad tradita per *Posth. de manut. observat. 52. num. 25. & seq. Rota cor. Puntinger. dec. 253. nu. 5. & rec. decis. 655. nu. 3. par. 18.*

Non obstat, quod Petro Gabrieli saltem concedi debuisset manutentio ratione usu-
4 sfructus legalis, quem pater habet super bonis adventitiis filiorum, ex dispositione *Text. in l. eam oportet C. de Bonis quæ liber.* Omisso enim quod talis prætentio est directè contraria, & incompatibilis cum as-
5 sertis declarationibus, quæ adducebantur ad probandum quod Petro Gabrieli deberetur integra successio, etiam quoad proprietatem, undè earum omnimodam insubsistentiam supponit. Censura d. textus locum
6 sibi non vindicat, quia hæreditas per Franciscum relicta fuit Carolo, & Benedicto Ambrosio ex filio nepotibus qui dicuntur extare sub potestate Avi *l. scripto hærede ff. undè liber. Surd. dec. 72. n. 18. Rot. dec. 332. nu. 4. 5. par. 2. rec.*

Fortius quia, ex lectura testamenti,
7 ususfructus convincitur prohibitus, tum quia, dum in illo præcepit, quod Petrus Gabriel nec posset prætendere usumfructum
8 super bonis per ipsumet præcedenter donatis occasione certi matrimonii per eum initi tanto magis dicendum venit tacite quoque fuisse prohibitum ususfructum super reliquis bonis hæreditariis *Paschal. de jur. patron. potest. par. 1. cap. 3. sub num. 38. Rot. coram Lodovis. dec. 443. num. 5. & seq. & coram Emerix dec. 159. nu. 2., & seq.* Tum, & fortius quia in eodem testamento legavit Petro Gabrieli, ac Josepho Hyacinto alteri filio libras 15. mil. pro omni, & toto eo, quod prætendere possent super bonis paternæ hæreditatis superaddendo - *senza che possino havere, domandare, nè prendere cosa alcuna sopra d. beni, & eredità, tanto per dritto di legitima, che altramente come sifia* quæ restrictiva suadet omninò prohibitam fuisse
9 perceptionem ususfructus, ut in debilioribus terminis firmavit *Rota cor. Emerix decis. 159. per tot., & in Romana legitimæ 16. Junii 1698. §. plurimæ coram Eminentiss. Tremoille:*

Quibus etiam accedit, quod cum Petrus Gabriel dissipando totam hæreditatem con-
10 siderabiles fecerit alienationes in notabili summa librarum 167490., idem non solum in pænam privatus remansit eorundem bonorum administratione, sed etiam usufructu per *Text. in l. Imperator 50. ff. de Trebell. Salgad. in Labyrint. Credit. par. 4. cap. 15. num. 1., & per tot.* Non attenta responsione, quod ista sit exceptio requirens altiorem indaginem examinanda in judicio redditionis rationis cum patre, cui interim
11 denegari non possit manutentio: nam cum idem pater per duas conformes sententias canonizzatas à plena Signatura privatus fuerit dicta administratione, & hodie causa pendeat
12 in devolutivo, sufficit filio reddere dubias pretentiones circa ususfructum præsensum à parte, ad hoc ut illius favore intret præsumptio pro justitia judicatorum *Abb. in Cap. cum inter nu. 11. de re judic.* cum aliis deduct. per *Rotam coram Priolo dec. 219. num. 2. 3., & coram Dunoz. Jun. dec. 922. in fine.*

Quo verò ad secundam partem dubii respicientem revocationem menstruæ provisionis scut. 50., cum circa eam DD. non fuerint concordes, illius examen alteri dispositioni reservarunt.

Et ita, utraque &c.

MO-

MONASTERIEN. LEGITIMITATIS PARTUS.

Luna 12. Martii 1708.

ARGUMENTUM.

Partus non completo septimestri, sed post 182. dies a die ritè initi matrimonii editus, etiamsi a matre sub aliorum parentum nomine baptizari sit curatum, & apud nutricem incustoditus relictus fuerit, quod sit legitimus latè firmatur, contrariis rejectis: ad ornatum vulgatæ *L. miles ff. ad L. Juliam. de adulter. auth. eidem C. de secund. nupt. &c.*
Confirmatur infra decisione 567.

SUMMARIUM.

1 *Partus editus a certa matre ex ejus illegitimitatem pretendentis confessionibus, & supposito sententiæ ab ipso obtentæ probatur.*
2 *Filius editus a muliere legitimè conjugata intra legitima tempora post diem a primo concubitu cum viro ex marito progenitus dicitur.*
3 *Partus editus septimo mense est perfectus, & vitalis juxta naturalia principia, & experientiam.*
4 Etiamsi *cursum septem mensium solarium non compleverit, sed attingat.*
5 *Partus, ut vitalis, & perfectus dicatur, sufficit, quod spatio 182. dierum in utero fuerit gestatus.*
6 P*artus editus 182. dies post initum matrimonium legitimus presumitur.*
7 *Partum septimestrem raro contingit esse vitalem, & solet esse gracilior, & cur? Contrarium, nam potuit evenire ex firma, & robustiori constitutione corporis matris,* & n.9.
8 *Partus editus septimo mense a die contracti Matrimonii cum robustus, & bene compositis membris sit, & perfectus, longe ante matrimonium ex alio complexu generatus dicitur. Contrarium, & quare?* num. 10.
11 *Legitimitati partus a matre gestati tempore habili ad illius perfectionem, leges, & naturalis ratio assistunt.*
12 *Partus septimestris aliquando fortis, & robustus nascitur.*
13 *Partus, ut legitimus dicatur, sufficit, ut de eo naturaliter verificetur possibilitas, licet minus frequens, & contrarium pretendens afferre debet probationes quamcumque possibilitatem excludentes.*
14 *Non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse.*
15 *Testis deponens de propria credulitate de impotentia Viri ad generandum, non est attendendus.*
16 *Ad generandum quilibet habilis presumitur.*
17 *Maxime si matrimonium contraxit.*
18 *Et in capitulis matrimonialibus certam spem soboles suscipiendæ indicavit.*
19 *Inhabilitas Viri ad generandum resultare debet ex documentis omnino negativam coarctantibus.*
20 *Gracilitas complexionis, & ebrietas viri nullum generationis afferunt impedimentum.*
21 *Copula, attenta Sponsorum habilium cohabitatione secuta, dicitur.*
22 *Legitimitati filii non prejudicatur, etiamsi baptizatus fuerit, tanquam ex aliis parentibus genitus.*
23 *Filius potius ex talamo nuptiali, quam ex alio illegitimo complexu de jure genitus presumitur.*
23 *Filius ex matrimonio procreatus judicatur etiamsi probaretur mulierem de tempore conceptionis ab alio cognitam fuisse, nisi excludatur possibilitas, quod vir ad Uxorem accedere potuerit.*
25 *Amplia etiam si mulier contrarium confiteatur*
26 *Legitimitati filii non prejudicatur, etiamsi mater cum juramento declarat, se non esse pregnantem ex viro.*
26 *Suppressio nominis parentis facta in baptismo filii causaliter ad tuendam ejusdem vitam, & matris decori, ejusdem legitimitati non obest.*
28 *Maxime si postquam tutum filium vidit, hanc suppressionem nominis parentis mater declaravit.*
28 *Confessio judicialis matris favens legitimitati prolis, & habens assistentiam juris pro se cuicumque alteri est preferenda.*
30 *Mulieris nobilitas contrariam suspicionem illegitimi ampl. xus excludit.*
31 *Legitimitatis questio cessat pro eo, qui puerum per actum judicialem legitimum agnovit.*
32 *Illegitimitatem partus non arguit reticentia pregnantiæ facta a matre juvene, & primipera, & cur?*
33 *Reticentia pregnantiæ a matre facta, filio nocere non habet.*
34 *Quod partus fuerit relictus apud nutricem absque custodia, non est sufficiens coniectura ad excludendum probationes filiationis ex matrimonio, & n.36.*
35 *Legitimitas filii ex Matrimonio, ut excludatur, non admittuntur, nisi probationes, quæ indubitatum reddere possunt filium ex marito susceptum non fuisse*

DECISIO DXLI.

Initis Sponsalibus inter Baronem Ferdinandum de Graef., & Baronissam Mariam Agnetem Dorotheam de Kettelar, deventum fuit sub die 14. Aprilis 1701. ad stipulationem instrumenti dotalis, in quo præ ceteris conventum fuit, quod quatenus nulla proles suscepta fuisset ex dicto Matrimonio, sponsæ prædictæ in augumentum dotis assignata fuit summa 2000. imperialium, contractoque postmodum in executionem prænarrati instrumenti sub die 16. mensis Julii Matrimonio coram Parocho, & testibus juxta

xia ritum S.R.E., illico Sponsa ad Viri do-
mum traducta fuitubi insimul ambo cohabi-
tarunt spatio fere sexdecim dierum, cum
in principio mensis Augusti Matrimonium
resolutum remanserit per obitum d. Ferdi-
nandi, qui in suo præcedenti testamento
condito sub die 31. Julii ejusdem anni præ-
cepit Hermano germano fratri ab intestato
succedenti, quod Mariæ Agneti Uxori suæ
dilectissimæ, præter ea, quæ illi in vim pacto-
rum dotalium debebantur traderet etiam
4000: imperiales.

Verum quia Maria Agnes in juvenili, &
adhuc immatura etate vidua remanserat, &
prorsus inscia, quod ex concubitu habito
cum Viro defuncto gravida effecta fuisset,
super hæreditate viri cum Hermano illius
fratre transegit, & recepta certa imperia-
lium summa in præjudicium suscipiendæ
prolis, residuale defuncti patrimonium illi di-
misit. Sed utero in diea tumescente, perven-
toque tandem septimo mense, dum ea de-
votionis impulsu erga Beatissimæ Virginis
Imaginem existentem in loco Xanthis sola
eum famula in peregrinatione reperiebatur,
die 16. Januarii 1702. noctis tempore post
cursum 186 dierum ab inito matrimonio
edididit in lucem puerum, quem sequenti
die non tanquam filium suum ex d. Matrimo-
nio susceptum, sed tanquam natum ex Ma-
ria Langelli, & Joanne Tillio baptizari cura-
vit sub nomine Joannis Antonii, illumque
in custodiam tradidit nutricibus, a quibus
deinde fuit matri restitutus, & in hoc rerum
statu deputato ei curatore ad istina instan-
tiam coram Judice Ecelesiastico officialatus
monasterien. fuit petita immissio ad bona he-
reditaria Ferdinandi defuncti Genitoris una
eum alimentorum subministratione, & in
utroque favorabile decretum obtentum fuit
a quo interposita appellatione per Herman-
num ad Curiam metropolitanam Archiepis-
copi Colonien., istius officialis sententiam
protulit declarantem d. Joannem Antonium
esse illegitimum, & propterea excludendum
ab hereditate, & successione Ferdinandi,
adversus quam commissa mihi appellationis
causa, eaque a me proposita, & non resolu-
ta sub die 20 Junii 1707., hodie iterum exa-
minandum dedi dubium - *An constaret de le-
gitimitate partus, itaut sit danda immissio* -
Et DD, *constare de legitimitate partus* res-
ponderunt.

Præmisso enim, quod nulla fuit dubitatio,
1 quin partus fuerit editus a Maria Agnete,
quia de hoc constiiit ex reiteratis judiciali-
bus confessionibus emissis per ipsum Herman-
num, atque etiam ex accessu per eum facto
ad locum in quo mulier adhuc jacens eum
puero de recenti nato reperiebatur, & com-
probatur ex ipsa sententia per ipsum repor-
tata ab officiali Coloniense, quæ partum de-
clarando illegitimum, ex d. Matre procrea-
tum supponit.

Legitimitas ejusdem partus satis probari
visa fuit ex eo, quod inter Ferdinandum, &
Mariam Agnetem servatis omnibus S c. Con.
Trid. de retis coram Paroco, & Testibus
Matrimonium legitimè contractum fuit,
prout a partibus non controvertitur, ac
etiam ex eo, quod in consistentia d. Matri-
monii conceptus fuit Joannes Antonius, qua-
mobrem in consequentiam venit, quod cum
2 intra tempus legitimum a die concubitus
cum viro fuerit ille in lucem editus, locus
fit indubiæ juris præsumptioni, qua statui-
tur, quod filius editus a muliere coniugata
ex marito progenitus censeri debeat, *ad text.
in l. filium ff. de iis, qui sunt sui, vel alie-
ni juris L. miles §. defuncto ff. ad leg. Jul. de
adulter., & L. quia semper ff. de in jus vo-
cando, Paulus in d. l. Quia semper n 5. Vul-
pian. in d. l. si Fil. Mascard de arbitrar. lib.
2. cas. 89. n. 19. Paccian. de probat. lib. 2. cap.
6. n. 24. Castil. contr. Juris lib. 5 cap. 104.
n. 7. Gaill. pract. obs. lib. 2. observat. 97. n. 1.
Arias. de Mesa var. res. lib. 3. cap. 39. n. 1.
Boss. qu. moral. tom. 1. p. 2. tit. 1. §. 43. n. 1346.
Pax Jordan. locubrat. Canon. tom. 2. lib. 10.
tit. 18. n. 24. Rota dec. 347. n. 16. p. 12., dec. 151.
n. 26. p. 18., & dec. 429. n. primo, & 2. par-
te 19. rec.*

Nec hujusmodi validissima Juris præsum-
ptio evitari valuit, ex eo quod locum sibi
vindicare solum potuisset, quando puer na-
tus esset in nono mense, non autem in septi-
mo vix incepto: Et quando Baro Ferdinan-
dus non fuisset propter graciliem complexio-
nem, & frequentem illius ebrietatem impo-
tens ad generandum. Nam respectu primæ
partis obiecti brevitas temporis quidquam
nocere potuit, quia tam ex phisicis, atque
3 ex naturalibus principiis, quam ex quotidia-
na experientia edocemur, quod partus etsi
in lucem editus in septimo mense, non au-
tem in nono, adhuc est omnino perfectus, &
vitalis, & est textus expressus *in l. septimo
mense 12. ff. de statu hominum Paul. lib. 19.
respons. in d. l. 12. Cui ac. in l. Jul. Paul. re-
cept sentent. lib. 4. ad senat. Consult Tertul.
tom. 1. oper. prior. in fin. Rot. in Tudertino
fideicommissi 31. Januarii 1703. §. Quoniam
4 cor. me.* Nec ut fetus maturitatem, & per-
fectionem assequi valeat, opus est, quod nu-
merus septem mensium solarium comple-
tur, sed sufficit, quod septimum attingat,
5 quodque spatio 182. dierum in utero gesta-
tus fuerit. Quamobrem cum sine controver-
sia a die initi matrimonii usque ad partum
effluxerint 186 dies, in dubium revocari
6 non potest, quin infans habeat pre se præ-
sumptionem juris, quando lex pro hujusmo-
di effectu etiam minori tempore hoc est 182.
dierum contentatur *in l. intestato 3. ff. de
suis, & legitimis hæred., & ibi Golof. in
verb. 2. die Bart. in d. l. septimo mense n pri-
mo Tiraquel. in l. si unquam verb. susceperit
liberos n. 210. de revocan. donat. Soccin. cons.
35. n. 5. 6. lib. 2. Oddus cons. 28. n. 21. Ramon.
cons. 63. sub n. 14. Menoch. de arb. lib. 2. cen-
tur. 1. cas. 89 a num. 34. ad 37 Calvin. de
æquitat. lib. 2. cap. 238. n. 42. Antunez de
reg.*

reg. donat. lib. 2. p. 3. cap. 18. n. 25. Palma nepos allegat 248. *n.* 9. *Zacch. qu. medic. legal. tom.* 1. *lib. primo tit.* 2. *quæst.* 2. *n.* 36. *Rota post eum dec.* 45. *nu.* 15. *Torr. de pact. futur. succes. lib. primo cap.* 27. *n.* 12. *Rota dec.* 151. *n.* 20., *& seq. par.* 18., *& dec.* 429. *n.* 14. *p.* 19 *rec.*

Non attenta replicatione, quod licet partus septimestris vitalis aliquando sit, tamen
7 id raro contingat, quodque graciliores esse soleant, eo quia propter temporis brevitatem ad perfectam maturitatem pervenire non possunt: Unde cum Joannes Antonius
8 tempore, quo editus fuit nedum vitalis, sed robustioribus, & bene compactis membris ad perfectionem progressus appareat, dicendus sit eumdem non ex matrimonio, sed longè ante ex alio complexu conceptum, atque progenitum fuisse. Quoniam hæc omnia minime concludunt assertam sobolis illegitimi-
9 tatem, quia sollicita partus editio evenire potuit ex firma, & robustiori constitutione corporis matris, quæ fœtus perfectionem breviori temporis spatio absolvit. Nec contrarium argumentum desumi potest ex eo,
10 quod egregiè constitutus, robustaque membrorum compositione in lucem editus appa-
11 reat. Etenim eo ipso, quod a matre gestatus fuit tempore habili ad illius perfectionem complendam, hoc sufficit, cum leges, & naturalis ratio assistant legitimitati partus
12 septimestris, quem etiam aliquando fortem, & robustum nasci tradunt plures relati *per Zach. quæst. medic. legal. lib. primo tit.* 2. *quæst.* 3. *n.* 14., & admittit ipsemet *n.* 66. *in fine*; ideoque ad probandam ille-
13 gitimitatem requiruntur probationes, excludentes quamcumque possibilitatem, cum sufficiat, quod contrarium in aliquo casu, licet minus frequenti naturaliter verificari possit, ex regula, quod non probat hoc es-
14 se, quod si ab hoc contigit abesse, de qua *text. in L. non hoc* 4. *cod. Unde legitimi Actolin resol.* 86. *n.* 9. *Palma nepos allegat.* 66. *n.* 16. *Rota cor. Coccin. dec.* 104. *n.* 11.

Respectu vero secundæ partis obiecti, multominus legitimitas Joannis Antonii excludi potuit sub prætextu impotentiæ Ferdinandi ad generandum deducta ex illius corporis gracilitate, & frequenti ebrietate. Quia licet ad hoc probandum in partibus fuerint dati articuli, & desuper examinati formiter plures testes, tamen nullus concludere valuit hanc assertam impotentiam, &
15 & unus ex eis tanquam solus, & deponens de propria credulitate non venit attendendus, *Rot. cor. Coccin dec.* 1887. *n.* 14., *& cor. Dunozet jun. dec.* 372. *n.* 8. 9., *& dec.* 626. *n.* 2:

Ultra quod contrarium evinci visum fuit,
16 non solum ex juris præsumptione, quod quilibet habilis ad generandum præsumitur, ad tradita *per Menoch presumpt.* 90. *n.* 1. *lib.* 6. *Castropal. oper. moral. de sponsal. tract.* 28. *disput.* 4. *punt.* 12 *§.* 7. *n.* 3. *p.* 5: *Sanchez de matrim. lib.* 7. *disput.* 103. *n.* 5:, *&* 8. Ma-
17 xime ut in presenti inverisimile est, quod Ferdinandus matrimonium contrahere voluisset, si vere potentia ad generandum ca-
18 ruisset, nec in capitulis matrimonialibus indicans certam spem suscipiendi prolem, plura in casu supervenientiæ filiorum prævidendo disposuisset, ut advertit *Bardellon. cons.* 24. *n.* 9., *&* 10. *tom.* 1.

Verum etiam ex eo, quod asserta gracili-
19 tas complexionis, & Sponsi ebrietas, quæ resultare debuisset ex documentis omnino negativam coarctantibus, ad tradita *per Gaill. practic. observat. lib.* 2. *obser.* 97. *n.* 16. quatenus etiam probata fuisset, nullum ex ea generationi afferri potuit impedimentum
20 ut rationibus, & authoritate comprobant *Fagnan. in cap: cum a crapula n.* 3. *de vita, & honestate Cleric. Zach, quæst. med. legali tom. primo lib.* 7 *tit.* 3. *quest.* 4. *n.* 5.: itaut proinde exclusa impotentia generandi in
21 Ferdinando, dubitari non possit copulam subsequutam fuisse attenta Sponsorum cohabitatione, *per text. in cap. literis* 12. *Bald. in d. l. fil. meum ff. de his, qui sunt sui, de presumpt. lib.* 6. *presumpt.* 90. *n.* 2. *Mascard. de probat. Conclus.* 788. *n.* 7. *Urgil. ad afflict. de.* 236 *n.* 5. *Surd. dec.* 83. *n.* 5. *Rota coram Pamphil. dec.* 427. *n.* 7., *& dec.* 163. *n.* 13.

Nec legitimitati filii quidquam detrahere
22 potuit, quod de tempore, quo Infans in Sacro fonte fuit ablutus, denominatus reperiatur filius cujusdam Mariæ Langelli, & Joannis Tillii, ex qua declaratione inferebatur, quod ille ex alio, quam ex Ferdinando fuisset conceptus. Quoniam hoc non obstante
23 eidem Joanni Antonio semper assistit illa validissima Juris præsumptio, quod ipse potius ex thalamo coniugali, quam ex illicito complexu progenitus censeatur, *juxta text. in l. Miles §. defuncto ff. ad leg. Jul. de adulteriis*. Quod adeo verum est, ut etiamsi in
24 fortioribus terminis probaretur mulierem tempore conceptionis fuisse ab alio cognitam, adhuc si non excluderetur possibilitas, quod Vir ad Uxorem accedere potuisset, filiusqui nascitur, tanquam ex matrimonio procreatus judicari debet, ut probant *Bald. in l. si uxicas Cod. de nupt. Gail. pract. obser. lib.* 2 *obser.* 97. *n.* 7. *Gabriel. com. de præsumpt. concl.* 14. *n.* 1 *Castil controv. jur lib.* 5., *& per tot Rot. dec.* 135. *n.* 9. *p.* 2. *divers. & in rec. dec.* 429 14., *& in seq. p.* 19., *& dec.* 347. *n.* 15 *p.* 12.

Ideoque quicquid dixerit Mater, illius con-
25 fessio nil detrahit d. Juris præsumptioni,
26 quia mulier maritata declarans etiam cum juramento se non esse pregnantem ex viro, nullum præjudicium irrogat legitimitati filii, nec removet præsumptionem juris ex matrimonio insurgentem, *juxta text. in L. ait Pretor ff. de jure juran. l. prima ff. si mulier ventris nomine l. si cui versic. si quis non ab aliquo ibique Glos. §. Carbongano ff. de Carbognano edicto, & l. Imperatores vers. Mulier gravida ff. de probat.* Potissime quando constitit hic suppressionem nomi-
27 num parentum in Baptismate fuisse factam

a ma-

a matre causaliter, & ad tuendam vitam pueri ex panico timore, quia verebatur ne Hermannus, qui fraternam hæreditatem occupaverat, in eum inseviret, & ad consulendum proprio decori, quia tunc cum reperiretur in actu peregrinationis extra proprios lares cum sola famula omni servitute, aliisque comodis destituta necessarium censuit, propriam conditionem celare, & non solum viri nomen, sed etiam suum occultare. Quod ad evidentiam convincitur ex facto subsequuto postquam ea ad propriam domum recursa fuerit, & de curatore filius
28 provisus remansit, quia tunc medio juramento judicialiter fassa fuit -- *d. filiam ex viro suscepisse, seque cum nullo unquam habuisse carnale negocium, & sub nomine Tilii, & Langelli non intellexisse alios nominare, quam semetipsam, & suum dilectissimum maritum Ferdinandum vita functum patrem infantis*: quæ confessio judicialis, utpote posterior, & favens legitimitati pro-
29 lis, & habens pro se assistentiam juris venit cuicumque alteri præferenda, *Rota dec.* 141. *n.* 9. *p.* 2. *divers. cor. Coccin. dec.* 625. *n.* 20., *& in rec. dec.* 74. *n.* 7. *p.* 11.

Omnemque dubitandi occasionem substu-
30 lit, tum eximia nobilitas Mariæ Agnetis, quæ valdè reddit Inverisimile, quod alteri quam legitimo Sponso se prostituere voluerit, omnemque suspicionem in contrarium adimit, ad firmata *per Rot. in Avenionen. dotationis* 3. *Martii* 1682. §. *Quoad factum cor. Emo Caprara*, & *in d. Leodien. Matrimonii prima Martii* §. *finali cor. me.* Tum etiam factum positivum ipsius Hermanni, qui habito nuncio de filio jam edito, non obstante quod antea judicialiter resolutum dixisset legatum imperialium 2000. a fratre sponsæ relictum, & ab ipso jam solutum tanquam dependens a conditione obitus illius sine filiis, adhuc ab eadem Maria Agnete cum accessione ejus fratris consobrini obligationem reportavit de restituendo d. summam, cujus vigore etiam authoritate Judicis ad promissionis executionem coegit, per quam facti circumstantiam sicut Hermannus fassus fuit infantem, de quo agitur, editum fuisse a Maria Agnete, & respectivè conceptum ex d. Barone, ita cessat quæcumque difficultas quæ forsan cadere potuisset circa legitimita-
31 tem pueri, dum statim hac Hermannus illum recognovit uti Nepotem per actum judicialem, non potest amplius ejusdem filiationem controvertere, *Rot. dec.* 68. *n.* 11., *&* 12. *p.* 9. *dec.* 248. *nn.* 3. *p.* 12., *& in Rom. fideicom. de gratia* 28. *Januarii* 1697. *cor. R. P. D. meo Priolo.*

Quibus ita firmatis, superfluum existimarunt DD. examinare singulas conjecturas ad
32 suadendum illegitimitatem Joannis Antonii cumulatas a scribentibus pro Hermanno, quod enim mater prægnantiam occultaverit nihil concludit, quia cum ea esset juvenilis ætatis, atque primipera decipi potuit credendo se se minime prægnantem esse, nec

33 illius reticentia, quæ provenire potuit ex juxta ignorantia Matris, filio nocere debet, juxta *optimam Glos. in l. prima* §. *Causa cognita ff. de liberis agnoscendis, & l. edictum ff. de ventre inspiciendo.* Et denique, quod
34 partus fuit relictus apud nutricem, & absque custodia, non est conjectura sufficiens ad effectum excludendi probationem filiationis ex matrimonio, pro qua non admitti-
35 tur, nisi ea, quæ indubitatum reddere potest, filium ex defuncto Marito susceptum non fuisse, juxta *litteralem text. in auth. eisdem Cod. de secundis nupt.* Et ideò nihil interest, an partus fuerit educatus in domo propria, vel apud nutricem. ut probat *Merlin. Pignatel. controv. foren. Centur.* 2. *cap.* 87. *n.* 37. *Tapia aec.* 37.

Et ità cæteris omissis resolutum fuit utraque &c.

MONASTERIEN. LEGITIMITATIS PARTUS SUPER REMISSORIA

Lunæ 12. *Martii* 1708.

ARGUMENTUM

Remissoria in profanis, sed objectivis, ut concedatur quid requiratur, & impotentia viri ad generandum ad effectum probandæ illegitimitatis prolis editæ tempore habili a die contracti matrimonii, quæ requirat, & a quibus excludatur.

SUMMARIUM.

1 *Remissoria in materia profana non denegatur, cum relevantia est dubia.*
2 *Declara conclusionem procedere in materia indifferenti, non autem objectiva.*
3 *Remissoria in materia objectiva, ut concedatur, requiritur relevantia, quæ semiplenam probationem constituat.*
4 *Articuli respicientes calumniam, & lesionem pudicitiæ, & honoris nobilis matronæ, sunt rejiciendi.*
5 *Articuli comprehendentes confessiones contra proprium commodum, & honorem, ut inverisimiles sunt rejiciendi.*
6 *Iterato examini testium super puncto, pro quo alias fuerunt examinati, locus non est.*
7 *Impotentia viri excluditur ex jurata uxoris assertione, se ab eo cognitam fuisse.*
8 *Partus ex legitimo matrimonio susceptus præsumitur*, ex L. miles ff. ad L. Juliam de adulter.
9 *Partus editus post tempus habile a die contracti matrimonii, legitimus dicitur, non curato, quid mater ante matrimonium egerit.*
10 *Legitimitas prolis in figura matrimonii susceptæ, non excluditur, nisi superlativè, & convincenter probetur ex legitimo thoro concipi nequivisse.*
11 *Filio, qui de jure legitimus præsumitur, non nocet jurata confessio matris, eum ex alio viro genuisse.*

DECISIO DXLII.

QUam vis in præcedentibus instantiis tam coram Officiali Monasterien., quam in curia Archiepiscopali Colonien.Hermannus deGraefs ad evitandam immissionem petitam à Joanne Antonio ad bona hæreditaria Ferdinandi de Graefs sui patris plura deduxisset contra illius legitimitatem, & negando ipsum genitum fuisse, ex dicto Ferdinando tanquam natum post lapsum centum octuaginta sex dierum à die contracti matrimonii cum Maria Agneta Ketteler., formiter. etiam examinare curasset testes super esserta impotentia dicti Ferdinandi ad generandum; Nihilominus delata causa ad Rotam, mihique commissa, hodiè in illius repropositione exhibuit in actis articulos pro renovandis dictis probationibus, ideoque insimul cum negotio principali dubium examinari curavit -- *An sit danda remissoria* quam DD. *denegandam esse*, censuerunt.

Licet enim in materia prophana sufficiat
1 relevationem esse dubiam, ut remissoria denegenda non sit, hæc tamen regula lo-
2 cum sibi vindicat in materia indifferenti, non autem quando est objectiva, ut hic, quoniam tali casu quæcumque relevantia
3 non sufficit, sed requiritur quæ semiplenam probationem collimat, ut distinguendo firmat *Rota coram Priolo dec.76. num.11. coram Bich. dec.14. n.11. cor. Dunozett. jun. dec.125. n.6. & in rec. dec.41. num.39.*

Materiam in præsenti articulatam esse objectivam, in dubium revocari non potuit, quia post habitis nonnullis articulis utpote ad causam non facientibus) cum fere omnes sint directi ad impingendam turpem inonestatis notam, ac crimen stupri, seu adulterii, & ad probandum, quod ex alio complexu potuerit gravida remanere, Idcirco
4 tanquam respicientes calumniam, & læsionem pudicitiæ, & honoris hujus prænobilis mulieris veniunt omnino rejiciendi, ad firmata *per Rot. cor. Dunozet. Jun. dec.489. n.7. & cor. Bichio dec.25., & 86. utrobique num.2.*

Maximè quia nonnulli ex eis continent inverisimilia, & confessiones emissas per
5 Mariam Agnetem contra proprium commodum, & honorem, ex quo sequitur, quod admitti non debeant, *Rota post Zach. qq. Med. leg. dec.61. nu.12. coram Dunozet. Jun. dec.791. num.5., & cor. Bich. dec.45. num.4.*

Et quamvis in tertio articulo etiam ponatur quod Ferdinandus vir erat valitudinarius, & morbosus, ac impotens ad generandum, tamen cum super hoc fuerint in partibus examinati testes, locus non est ite-
6 rato examini, *Rot. cor. Dunozet, Jun. dicta dec.489. n.4., & dec.775. n.11.* Præsertim quia tantum abest, quod probetur impotentia phisica Baronis Ferdinandi, ut immò potius excludatur tam ex conjecturis, & circustantiis ponderatis in altera decisione quæ hodiè contemporaneè prodiit coram me, quam etiam ex jurata attestatione Mariæ
7 Agnetis asserentis ipsam à viro cognitam fuisse, quod sufficit, ut exclusa dicatur asserta impotentia, ad tradita *per Mascar. de probat. concl.31. num.24.*

At non solùm materia est objectiva, sed etiam irrelevans, quia ubi probari posset id quod articulatur, ad huc nihil prodesset
8 tum quia assistit favore filii validissima juris præsumptio desumpta *ex L. miles ff. ad l. Juliam de Adult.* per quam partus ex legitimo matrimonio semper censetur susceptus. Tum etiam ex eo, quod cum post
9 contractum matrimonium elapsum fuerit tempus abile ad constituendum Joannem Antonium actorem in statu legitimitatis, curandum non est de actibus gestis per Mariam Agnetem ante matrimonium, quia his non obstantibus ad huc partus semper ex legitimo matrimonio præsumitur conceptus, ad firmata *per Rot. dec.429. par.19. rec.* ad quam præsumptionem excludendam
10 superlativis, & convincentibus probationibus doceri debuisset filium in legitimo thoro concipi minimè potuisse, *Rota coram Zarat. dec.73. num.29. dec.99. num.20. & 21.* Undè esto etiam, quod Mater medio ju-
11 ramento fassa fuisset filium ex alio viro genuisse, prout exprimitur in septimo articulo, adhuc talis confessio nullum præjudicium afferre potest filio habenti pro se dictam juris præsumptionem, per *Text. in l. penult. quæst.29. ff. de probat. Bald. consl. 437. nu.67. Sperell. dec.174. num.25., & seq. Angel. de confess. lib.3. quæstion.5. n.1. Rot. dec.347. num.17. par.12., & dec.429. par.19. rec.*

Et ita utraque &c.

CAMERINEN. CAUTELÆ ANGELI.

Ven. 16. Martii 1708.

ARGUMENTUM.

Cautela Angeli non attenditur contra dotatas ex bonis relictis a fideicommittente pro dotatione, etiamsi ipsa renunciaverit juribus super fideicommisso.

SUMMARIUM.

1 *Quando sententia transit in judicatum qualificat creditum, & ejus quantitatem.*
2 *Judicatum impugnari non potest sine Commissione restitutionis in integrum.*
3 *Cautela Angeli in vim fideicommissi non suffragatur contra dotatas in bonis reservatis pro datatione.*
4 *Exequutio pro debitis gravati non sustinetur in bonis acquisitis a fideicommissario.*
5 *Identitas excluditur ex diversitate confinium.*
6 *Testes examinati lite pendente in judicio non attenduntur.*
7 *Exequutionis validitas non destruitur, nisi*

nisi ex concludentibus probationibus.

8 *Promissio de una ad aliam rem non protrahitur.*

DECISIO DXLIII.

INformante dumtaxat Margherita Bartolotta responsum fuit coram me sub die prima Aprilis anni proximi præteriti procedendum esse ad legitimam exequtionem mandati ejus favore relaxati contra bona hæreditaria Fulghetti de Perbenedictis retenta per Marchionem Gasparem Maculanum. Cum autem in præsenti Audientia iste comparendo opposuerit tam de insubsistentia crediti, quam de retentione sibi debita ex titulo fideicommissi domus de Perbenedictis, allegando adhuc effectum cautelam Angeli; DD. adhuc pro nunc steterunt *in decisis quoad tertiam partem*, & *quoad reliqua demandarunt quod causa iterum reproponeretur*.

Quo enim ad exceptiones adductas contra creditum, ejusque quantitatem visa fuit

1 cessare qualibet difficultas, ex quo mandatum ab A.C. relaxatum fecit jam transitum in judicatum, unde nequit amplius contra illud in præsenti deduci, cum res judicata faciat de albo nigram, & sine præcedenti commissione restitutionis in integrum im-

2 pugnari non possit *ad Text. in l. nam postea §. Si minus ff. de rejudicata cap. 1. de in integr. restit. Rota coram Emerix dec. 337. num. 7., & in rec. dec. 491. num. 2. par. 19.*

Quo verò ad Cautelam Angeli advertetunt DD. quod illa Marchioni prædicto non suffragatur ad effectum præservandi in totum bona per Margheritam executata, licet enim ipse retineat bona vigore fideicommissi anno 1591. per Cardinalem Marianum, Robertum, & Fulchettum fratres de Perbenedictis ordinati, tamen in eo fuerunt præservata bona spectantia ad ipsum Fulchettum pro dotandis filiabus ab eodem descendentibus, ideoque pro hac tertia ejus parte benè substineri visa fuit executio tanquam facta in bonis destinatis pro satisfa-

3 ctione dotium, inter quos connumeranda venit illa solvenda Margheritæ Morellæ, a qua causam habet Margherita auctrix *Rota coram bo. me Emerix dec. 818. num. 4., & in rec. dec. 186. num. 3., & seq. par. 17., & dec. 52. num. 19. par. 19.*

Non obstat, quod Cardinalis Marianus acquisiverit multa bona in eisdem locis, in quibus prædicta bona executata sita sunt, & sic super illis substineri nequeat execu-

4 tio. Quoniam recognitum fuit confinia descripta in dictis acquisitionibus à Cardinali factis, & adductis in *Summario Marchionis num. 26., & 27.* Unde stante hac diversitate cessat quæcumque præsumptio iden-

5 titatis, quæ ex dicta circumstantia deduci posset, *Rota coram Priolo dec. 429. num. 16. & coram san. mem. Alex. VIII. dec. 8. num. 7. & in rec. dec. 258. num. 11., & seq. part. 5.*

Sicut neque ullam animadversionem mereri valuit alia probatio desumpta ex depositionibus testium lite pendente examinatorum, cum illi regalariter in judicio non

6 attendantur, *Rota coram Burat. dec. 611. num. 5., & seq., & in rec. dec. 8. num. 17. par. 12., & dec. 509. num. 17. par. 18.*, & tamen ad destruendam validitatem execu-

7 tionis afferi debeant concludentes probationes, *Rota dec. 174. nu. 14., & seq. par. 9. & dec. 338. num. 7. par. 17. rec.*

Tandem non relevat declaratio per Margheritam Morellam emissa in transactione, in qua promisit se nunquam molestias illaturam contra bona primogenialia, præservando jura proconsecutione sui crediti contra bona libera dumtaxat. Quia in presenti executio non percutit bona eidem primogenituræ assignata, sed libera, & propria ejusdem Fulchetti ad præcisum effectum dotationis fœminarum destinata, & obligata, ac in erectione primogenituræ expresse reservata, & ex lectura Instrumenti

8 ejusdem apertè colligitur. Unde penitus in congrua, & extranea remanet allegatio tituli fideicommissi.

Benè tamen DD. censuerunt pro nunc ex hisce rationibus non obstare cautelam Angeli super tertia parte bonorum spectante ad Fulchettum, nam respectu aliarum portionum DD. non fuerunt concordes.

Et ità altera &c.

ROMANA PECUNIARIA.

Veneris 16. Martii 1708.

ARGUMENTUM.

Error in solidatione computorum non præsu-
&, concludenter debet probari.

SUMMARIUM.

1 *Debitum in computatione liquidatum solvi debet.*

2 *Computum, quod non refertur ad solidationem non attenditur ad eam infringendam.*

3 *Solidatio generalis præsumitur facta ex diversis partitis ab illis, quæ indebitè præsumuntur.*

4 *Et in ea quæcumque summa solidata censetur.*

5 *Qui excipit de erroneitate solidationis illam concludenter debet probare.*

6 *Solutio non justificatur, si non reperitur descripta in loco certo, quando extra illum fieri poterat.*

7 *Quæ possibilitas excludit errorem.*

8 *Ex facto apertè potest excludi erroris præsumptio.*

9 *Qui de minori contentus est, non præsumitur majus prætendere.*

10 *Nemo præsumitur se debitorem constituere quando revera non est.*

11 *Maxime quando agatur de viro negociorum experto.*

12 *Qui*

12 *Qui prætendit contra propriam confessio-
nem, errorem concludenter probare debet.
13 *In solidationibus generalibus, recapita, &
documenta, vel restituuntur, vel lace-
rantur.*
14 *Testes de auditu extrajudiciales, & infor-
mes non sunt attendendi.*

DECISIO DXLIV.

FAvore Philippi, & aliorum de Gama filio-
rum, & hæredum Antonii Patris fuerat
in Curia A. C. relaxatum mandatum contra
Petrum Gamma da Silveira pro summa scut.
1282., cum hoc tamen, quod ex eis scuta
1082. illis debuissent libere persolvi, resi-
duatis vero summa scut. 203. deponi ad effec-
tum consignandi, cui de jure; commissa au-
tem mihi causa appellationis, fuit primo lo-
co responsum pro executione mandati in
summa liberè creditoribus persolvenda: illa-
que resolutio approbata per Signaturam cum
rescripto *sine præjudicio* suum habuit effec-
tum mediante effectiva solutione: Hinc ac-
tores assumendo disputationem super consi-
gnatione remanentis summæ, quæ deposita
reperitur, hodie proposito dubio *illam esse
consignandam dictis fratribus de Gama* DD.
responderunt.

Cum enim hæc sit pars totius debiti liqui-
1 dati inter quondam Antonium, & Petrum
in apoca solidationis computorum, inde se-
quitur, quod illa veniat Philippo consignan-
da, cum recurrant eadem prorsus rationes,
quæ in illa alia mea decisione respectu alte-
rius summæ jam solutæ fuerunt consideratæ,
& approbatæ.

Nec attendi meretur prætensus error soli-
dationis cum supposito, quod in dicto com-
puto ad debitum Petri adscribatur partita
ducatorum auri 127. constantia sc. 203. pro-
venientia ex causa octo annatarum per com-
mendatorem Antonium solutarum in expe-
ditione prędicta, sed duntaxat sex annatę
solvi debuissent. Quoniam error desumi præ-
tenditur ex quodam computo per Petrum
adducto, super quo dicitur facta solidatio,
2 quando ista non refertur ad certa computa,
sed ad computum in genere ibi – *havendo
aggiustati i miei conti con il Signor Commen-
dator Gama* -- Et sic frustra super d. particu-
lari computo insistitur, dum non constat so-
3 lidationem super illo fundatam fuisse, &
præsumi debet, quod vel ex aliis negociis
præcesserit, vel saltem in eadem generali so-
lidatione quamcumque summam, quæ inde-
4 bita extitisset, solidatam fuisse, *R. P. D. An-
saldus de commercio, & merc. disc. 34. n. 14.
Rota cor. Cels. dec.* 189 *n. 3.*, *& cor. Peu-
tinger. dec.* 446 *n.* 10. at plene firmatum fuit
in alia mea dec. §. minusque cum sequen.

Et ulterius Petrus, qui de erronietate so-
5 lidationis excipit, ejusque excessum alle-
gat, tenetur concludenter probare, quod
Antonius Gama, qui prætenditur credi-
torem fuisse de octo annatis, illas vere non
persolverit, quæ probatio desumi nequit ex
libria Datariæ, quia axtinctio octo annata-
6 rùm sequi poterat extra Datariam, quæ so-
7 la possibilitas sufficit ad excludendum erro-
rem, *Rota cor. Buratt. dec.* 200. *n.* 3., *&
cor, Cerr. dec.* 455. *n.* 10., *& in rec. dec.* 128.
n. 13. *p.* 6.

Cæterum ex facto manifestè resultat pro-
8 batio erroris exclusiva contra Petrum, cum
in epistola fratris Antonii de Castro, pro
quo facta fuit expeditio prædicta relata in
cujus *sum. n.* 6. expressè legatur computum
primum pro sex tantum annatis a comenda-
tore fuisse transmissum ibi -- *perchè nel com-
puto sono venute sei annate, che è in stile
pagarsi di tutti li beneficii sc.* 11. Unde rema-
9 net imperceptibile, quod commendator, qui
prius computum pro sex tantum annatis ra-
tione solius coauditoriæ transmiserat, vo-
luerit postea octo annatas prætendere: &
Petrus illas bonificiaverit.

Certius, quia Petrus rediens post annum
hujusmodi negociationis ad Urbem post-
quam nihil consequi potuerat pro prætensis
annatis ab Antonio de Castro, qui illas im-
pugnabat, prorsus inverisimile est, quod
voluerit exinde generalem omnium nego-
ciorum solidationem expiendo cum com-
10 mendatore Antonio constituere se debito-
rem illius in summa scut. 1598. 60., & signan-
ter in summa scut. 203. 20. si cognovisset,
quod Antonius illam vere non persolverat.
11 Maxime cum agatur in homine negociorum,
& rerum gerendarum non ignaro, *ad text.
in leg. quanquam 7. ff. ad Vellejan. R. P. D.
meus Ansaldus de commer, & mercat. disc.*
22. *n.* 13. *Rot. cor. bo. me. Emerix. dec.* 652.
num. 23.

Hinc non refert, quod actores non exhi-
beant aliquod documentum, ex quo dedu-
ci valeat probatio exclusiva erroris, ad hoc,
ut Petrus, qui alienum negogium gessit va-
lèat a suo corresponsali reintegrationem ob-
tinere. Quoniam ultra quod, ut præmisi-
12 mus, onus est Petri, qui contra propriam
confessionem, & consolidationem a se factam
prætendit allegare errorem illum conclu-
denter probare, ex allegatis: cessat tamen
13 difficultas ex notoria praxi, juxta quam
in solidationibus generalibus omnia recapi-
ta, & documenta, vel lacerantur, vel re-
stituuntur, *Rota in Romana pecuniaria* 12.
Februarii 1700 *§. exhibitio cor. Eminentis-
simo Caprara*. Et ita præsumi debet in hoc
casu gestum fuisse.

Quo vero ad ea, quæ irrelevanter per Pe-
trum repetebantur tam circa testium deposi-
tiones, quàm circa petitam exhibitionem li-
brorum recurrit responsio, quod testes per
14 informes, & extra judiciales fides solum de
auditu deposuerunt, ideoque vulgatis juri-
bus non sunt attendendi, & quoad libros dum
solidatio ad illos se non refert, superflua est
illorum exhibitio, ut plenius responsum
fuit in mea præterita decisione, cum qua ho-
die DD. pertransierunt.

Et ita utraque &c.

TRO-

TROJANA DELATINNIS CRUCIS SUPER BONO JURE.

Mercurii 21 Martii 1708.

ARGUMENTUM.

Immemorabilis requisita perpenduntur, quæ suffragatur, ut regulares erigere possint Crucem, etiam Capitulo interveniente, in delatione cadaverum. Nec ista a Sacra Rituum Congregatione fuit sublata, nam resolutiones favore Capituli, non obstante contraria consuetudine intelliguntur de simplici tantum, nec tali juri præjudicium affertur ex transactione, & enunciativis aliquorum religiosorum sine superiorum auctoritate in ipsorum damnum pendente lite stipulata.

Confirmatur intra dec. 577., & super manutentione est proxime sequens confirmata decis. 578.

SUMMARIUM.

1 *In associatione cadaverum omnes incedere debent sub una cruce illius Ecclesiæ, ad quam tumulandum defertur. Et quando interveniat vel Capitulum Catedralis, & Collegiatæ Crux illarum elevari debet, sub qua cæteri incedant.*

2 *Limitatur tamen quando sit immemorabilis in contrarium.*

3 *Concludens immemorabilis probatio desumitur ex depositione plurium virorum, qui deponunt cum requisitis Glossæ, quæ recensentur.*

4 *Pro immemorabili necessaria non est probatio, quod majores a suis majoribus audiverint.*

5 *Testes deponentes super articulo controversi requisiti, quod contenta in eo sint vera, sufficienter inducunt ejus probationem.*

6 *Ut immemorabilis probetur, de ejus initio constare non debet, aut quod hoc tempore fuerit facta non obstante contrariorum repugnantia.*

7 *Defectus testium ex magno numero aliorum suppletur.*

8 *Sac. Congregatio Rituum immemorabilem suffragari non approbat circa abusum Saverdotum expectandi cadavera turmatim per vicos, & plateas decreta Sac. Congregationis Rituum non derogant immemorabili, nisi de illa mentio facta fuerit expressa.*

9 *Amplia etiam si in eis sit appositum* consuetudine non obstante, *quia tunc intelligitur de simplici, non autem immemorabili, & cur?* n. sequ.

11 *Et in isto secundo dubio sit additum* pariter *eum in antecedenti, ad quod est relatio consuetudo immemorabilis fuit sublata.*

12 *Immemorabilem d. Sacra Congregatio observari semper voluit pro elevatione Crucis in associatione cadaverum.*

13 *Fides simplices non probant.*

14 *Nec quæ id, de quo queritur non perstringunt.*

15 *Enunciativæ ab aliis facta pendente lite dem non præjudicant.*

16 *Regulares transigere nequeunt sine legitima auctoritate superioris in præjudicium jurium Ecclesiæ, & conventus.*

17 *Nec eodem modo concordiam stabilire postquam a judice ad eorum favorem fuit pronunciatum.*

18 *Confessiones, & factum regularium sine superioris licentia transigentium aliis non consentientibus jura non minuunt.*

DECISIO DXLV.

Capitulum, & Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ Foggiæ prætendentes impedire Regularibus d. loci, nè occasione funerum, quoties d. Capitulum in illis interveniret, propriam Crucem extollerent, fuerunt ab eisdem in judicium vocati coram A. C., qui favore Regularium, tam super bono jure, quam super manutentione Sententiam protulit, causaque per appellationem Capitulii mihi directa, proposui dubium *An, & de cujus bono jure constet* quod *affirmativè pro Regularibus* resolutum fuit.

Quamvis enim ex Decretis Sac. Congregationum in processionibus funerum omnes procedere debeant sub unica tantum Cruce illius Ecclesiæ, ad quam Cadaver tumulandum defertur, & interveniente Capitulo, vel Catedralis, vel Collegiatæ, etiamsi Cadaver alibi deferatur, Crux Capituli dumtaxat elevari possit, sub qua omnes incedere
1 debeant, nihilominus prædicta locum non
2 habeat, quoties adsit consuetudo immemorabilis in contrarium, ut limitando regulam probant *Pignattell. consult. 58. n. 15., & consul. 74. per tot tom. 6. Passerin. de Hat. homin. qu. 187. ar. 4. n. 185., Marchett. de Sepult. tit. 40. n. 25. Barbos. de Jur Eccles. lib. 2. cap. 7. n. 78. in fine Card. de Luc de regul. disc. 47. n. 2. Rota cor. Emer. Jun. dec. 1026. n. 11. cum seqq.. & in Oveten. Funeralium 7. Aprilis 1704. §. Ita cor. Rmo Decano.*

In præsenti autem dubitari non valet de hujusmodi immemorabili consuetudine favore Regularium. Illi enim probarunt sese ab immemorabili tempore reperiri in quasi possessione deferendi propriam Crucem in associandis Cadaveribus, etiam cum interventu Capituli Collegiatæ S. Mariæ, adducendo ad hunc effectum depositionem quatuordecim testium, ex quibus septem sine dubio excedunt ætatem 54. annorum, & deponunt cum requisitis Glossæ, quod scilicet viderint Crucem deferri Regularibus in associandis Cadaveribus, etiam cum interessentia Capituli Collegiatæ, idque audivisse ab eorum majoribus, qui nunquam ali-
3 quid in contrarium auditum fuerit. Quamobrem verum remanet, quod ad hunc effectum concludentem probationem manifestè constituunt, *Rot. cor Cavaler. dec. 68. n. 1., & 2., & in rec. dec. 99. nu. 3. p. 15., & dec. 330. n. 7., & dec. 283. n. 6. p. 16.*

Non

Nou attenio, quod aliqui ex eis non asse-
rant, quod majores viderint, & audiverint,
4 etiam ab aliis suis majoribus, etenim omis-
sa quæstione an sit nacessaria hujusmodi pro-
batio, difficultas cessare visa fuit ex facto,
cum plures ex eis, etiam cum hoc requisito
expressè deponant, unde videtur huic ne-
cessitati satisfactum. Cæteri vero implicitè
idem dicunt, quia cum in tertio articulo
5 fuerit hujusmodi requisitum articulatum, &
testes responderint contenta in illo esse vera,
consequens est, ut ex eorum dicto sufficiens
habeatur probatio, *Bart' in l labeo n.7. ff.de
suppell. legat.*, *Rot. cor. Merl. dec. 36. n.3.
& 4.*, *& cor. Greg. dec.578. n. 3.ibique Ad-
den. n. 13.*, *& 19.*

Minusque relevat, quod Testes non asse-
rant se vidisse Religiosos Crucem elevare
6 nou obstante prohibitione Capituli, quia de
hoc opus non est ad probandam immemora-
bilem consuetudinem, de cuius initio con-
stare non debet *Capon. discept foren. 243.
n.4.*, *& 9:. Crrd. de Luc. de Empbit. dis. 8.
n.2.*, *Rot. dec. 11. per tot. p. 1. & dec. 101.
n. 7.*, *& seq. p.* 10. *rec.* Et quamvis ex præ-
dictis elise remaneant exceptiones omnes ad-
versus dictos testes adductæ, adhuc etiam
omnis difficultas submovetur, ex quo exhi-
bitæ fuerunt depositiones aliorum Testium.
7 Unde ex magno illorum numero suppletus
remanet quicumque defectus, *Card de Luc.
de Jud.disc.32 n.38.Rot.cor.Pentin.dec.98.n.
12.*, *& in Thermulaten. manuten. 3. Julii
1702. §. Ingenitus cor. R.P.D. Ansaldo.*

Quibus positis non subsistit, quod imme-
morabilis hujusmodi sublata fuerit ex decre-
tis Sac. Congregationis Rituum. Cum enim
8 similia decreta immemorabili non derogent
quoties de illa expressa mentio facta non fuit
ex firmatis per *Rot. cor. bo. me. Emerix.dec.
498. n.4.*, *& in rec. dec. 101. n.29 p. 10.*, *&
in d. Oveten. Funeralium 7. Aprilis 1704.
§. Ita contra cor. Rev. Decano*, *confirmata
sub die 16. Januarii 1705. cor. R.P.D.meo
Omanna*. Inde sequitur, quod nulla vis fie-
ri possit super decretis adductis per infor-
mantes pro Capitulo, & signanter in illis
editis in causis *Fossanen.*, *& Sulmonen.*.
Nam in causa *Fossanen.* licet fuerit expressè
sublata immemorabilis, quoad contenta in
primo dubio circa abusum expectandi tur-
matim per vicos, & plateas cadavera: Ta-
men hoc ipsum dici non potest, , quod se-
cundum dubium, in quo fuit quæsitum an
liceret elevare Crucem consuetudine non
obstante, & sic reiicita qualitate immemora-
bilis. Quamobrem responsio Sacræ Congre-
gationis sub illius verbis, *prædicta consue-
9 tudine non obstante*, debet intelligi de dic-
ta simplici consuetudine, de qua in eodem
dubio quærebatur, non vero de immemora-
bili, de qua in primo dubio tantum quæsi-
tum fuerat.

Decretum vero in alia causa Sulmonen.
10 emanatum sub verbis-- *consuetudine pariter
contraria non obstante* -- compertum quo-
que fuit non comprehendere immemorabi-
lem, quia si Sac. Congregatio illam tollere
voluisset de ea expressam mentionem fecis-
set, sicuti fecit circa abusum expectandi ca-
davera per vias. Nec juvat recursus ad dic-
11 tionem illam *pariter* in d decreto expressam
quia ista denotat quidem Sac. Congregatio-
nem abrogare quoque voluisse consuetudi-
nem, non tamen inducit repetitionem con-
suetudinis ejusdem qualitatis scilicet imme-
morabilis, de qua in alio dubio, dum de
hac expressam mentionem habere voluit,
12 quod etiam colligitur ex aliis Decretis Sac.
Congregationis in hac materia editis, in
quibus illa immemorabilem præservare vo-
luit.

Tandem non obstat, quod talis consuetu-
do processerit ex pacto inito in quadam as-
serta concordia, in qua stabilitum fuit, quod
Regulares Crucem deferre possent, & Ca-
pitulum in illorum Ecclesiis exequias pera-
gere valerent. Quoniam de hujusmodi sup-
posita transactione nullum affertur docu-
mentum, & depositiones nonnullorum te-
stium ad hunc effectum adductæ, non meren-
tur attendi, ultra quod illæ consistunt in
13 simplicibus fidibus, que non probant, *Rota
dec. 415. n.13. p. 16. & dec. 23. n. 4. p. 19.
rec.* Ulterius precise non dicunt id per viam
14 concordiæ stabilitum fuisse, sed tantummodo
ad respectivam utriusque partis possessio-
nem se referunt.

Nec concordia de recenti inita cum mino-
ribus Conventualibus, & observantiæ, in
qua enunciatum fuit stabilimentum supposi-
tæ antiquæ concordiæ, quidquam obesse
15 potest. Tum quia illa est recens, & facta
pendente lite, videlicet anno præsenti, nec
constat de dicta alia antiquiori concordia
in eadem enunciata. Tum quia, si non licet
16 Regularibus sine legitima authoritate Supe-
rioris transigere in præjudicium Jurium Ec-
clesiæ, & Conventus, & concordiam sta-
bilire, postquam A. C. iam proenunciaverat
17 delationem Crucis ipsis licitam esse. Mul-
tominus illorum factum, & confessiones præ-
judicare possunt aliis Regularibus, qui non
intervenerunt, nec consensum præstiterunt,
sed propria iura substinere conantur, ad
text. in l. 1. Cod. res inter alios acta, *& se-
pius Rota cor. bo. me. Emerix dec. 115. n.7.*,
& dec. 307. n. 4.

Et ita utraque &c.

EADEM SUPER MANUTENTIONE.

Mercurii 21. Martii 1708.

A R G U M E N T U M.

Eo non eget.

Confirmatur infra dec.578., & super bono ju-
re est superior proxima, quæ confirmatur
dec. 577.

S V M M A R I V M.

1 *Manutentio datur possidenti.*

2 *Præsertim si habeat pro se immemorabilem.*

Et

3 *Et cum nullus in contrarium actus possessorius asseritur.*

4 *Et tunc omnia Jura clamant favore possessoris.*

DECISIO DXLVI.

CUM ex deductis in alia contemporanea decisione super altero dubio, satis constet de bono jure Regularium quoad facultatem elevandi propriam Crucem in associandis Cadaveribus, etiam interveniente Capitulo, et Canonicis Collegiatæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Foggiæ, ita, & in præsenti dubio super manutentione favore Regularium responsum fuit.

1 Manutentio namque datur possidenti §. *Retinendæ Instit. de interdict.* Undè cum de possessione Regularium in præsenti hypothesi dubitari nequeat, ex quo non solum ipsi meram possessionem habeant, sed etiam quia illam habent qualitatem immemorabi-
2 lis fulcitam, ut luculenter super bono Jure firmatum fuit, merito eisdem concedenda venit manutentio, *Posth. de manut. observ. 10. per tot, & signanter n.34., & seqq. Rot. cor. Bich. dec. 418. n.14., & cor. Cels. dec. 394. n. 3., & cor. sa. me. Alex. VIII. dec. 30. per tot.*

Tantoque magis, quia nec unicus datur actus contrarius per Capitulum
3 eorumdem possessionem excludens, itaut quæstio non sit in conflictu probationum
4 hinc indè, quo casu omnia jura clamant pro manutentione favore Regularium possessorum, *Rot. cor. Dunozett. Jun. dec. 993. n. 1. & in rec. dec. 411. n. 12. p. 16.*

Et ita utraque &c.

ROMANA FIDEICOMMISSI DE COLLEONIBUS.

Veneris 23. Martis 1708.

ARGUMENTUM.

Vide in superiori decisione 459., quæ in hac confirmatur.

SUMMARIUM.

1 *Præceptum testatoris est omnino servandum.*

2 *Succedere debet vocatus à testatore.*

3 *Fideicommissum ex defectu subiecti non est in rebus, quas vendi arbitrarium hæredi reliquit testator, & postea ex pretio investimentum fieri, in quo fideicommissum constituit, si venditio ab hærede sit facta.*

4 *Fideicommissum unicum, & perpetuum cum progressu ad plures substitutionum gradus præsumi nequit a testatore relictum, ut penderet a voluntate hæredis, qui illud elusorium reddere posset.*

5 *Facultas vendendi a fideicommissario tributa hæredi fideicommissum non tollit in rebus, quæ de tempore illius obitus supersunt.*

6 *Præsertim si alienationes sint prohibitæ quacumque indefinitè tempore omnibus institutis, & substitutis, quia hæres, cum facultate vendendi quoque est comprehensus.*

7 *Verbum ricada relationem habet ad universam hæreditatem.*

8 *Dispositio, quod deficientibus fil. is sui hæredis bona deferantur consanguineis proximioribus, locum habet quandocumque dicta descendentia defecerit, sive inceperit, sivè non.*

9 *Deficere dicitur etiam linea, quæ nunquam fuit.*

10 *Præsertim aliis urgentibus coniecturis intervenientibus quæ hic recensentur.*

11 *Et cum agitur de testamento ascendentis, in quo leviores probationes sufficiunt.*

12 *Fideicommissum cum videtur ordinatum super re particulari non extendi ad totam hæreditatem.*

13 *Videtur autem super tota hæreditate, cum prohibitio alienationum, & aliæ coniecturæ sunt generales.*

14 *Et cum testator relinquens aliquid filiabus, solum usufructum illarum esse voluit, quia proprietatem infrascripto vinculo fideicommissi perpetui supponit, & postea hæredem subscripsit filium in universa hæreditate, cui adiecit vinculum fideicommissi, quod prætenditur particulare.*

15 *Feminæ non veniunt appellatione proximiorum, quando fuerunt expressè exclusæ.*

16. *Caducitas ut incurratur requiritur scientia certa fideicommissi cum omnibus suis qualitatibus.*

17 *Scientia in præjudicialibus ex sola, & generica scientia testamenti non convincitur.*

18 *Caducitas, & ejus pœna in casu alienationis ob donationem non incurritur, si ante ejus declarationem retrodonationem donans reportaverit.*

DECISIO DXLVII.

STeterunt DD. in decisis coram me sub die 28 Januarii 1707. concedendo iterum Joanni de Colleonibus immissionem pro medietate pro nunc ad bona fideicommissaria Joannis Baptistæ de Colleonibus. Ille enim reperitur proximior de familia prædicta, ideo-
1 que juxta testatoris præceptum, quod omnino servari debet ab illius successione ne-
2 quit arceri, ad *text. in §. Disponat Testator Authen. de nupt. l. in conditionibus ff. de condit*, & demonstrat *Rota cor. bo. me. Emerix dec. 1312. n. 11.*

Nec relevare visum fuit obiectum, quod fideicommissum super rebus fundacalibus in suo negotio existentibus institutum sit conditionale, eo quia reliquit arbitrio hæredis, ut illud vendere, & alienare posset, cum hoc tamen, quod prætium reinvestiretur subdens -- *e di dd. investimenti ne sia padrone d. suo erede sua vita durante, e dopo la di lui morte ricada* -- unde inferebatur, quod cum fideicommissum sit super investimentis
3 eo ipso, quod hæres bona fundacalia non vendidit, & proinde investimenta facta non fue-

 rint

rint, cessare dicatur fideicommissum, ob defectum subiecti, super quo verificari posset.

Etenim ex totius testamenti serie consititit de enixa voluntate testatoris condendi unicum, & perpetuum fideicommissum
4 cum progressu ad plures gradus substitutionum. Quamobrem præsumi non potest, quod voluerit illud pendere a conditione relicta placito, & arbitrio hæredis, qui potuisset de facili elusoriam reddere voluntatem defuncti, mediante prosecutione negotii, ut ad rem advertit, *Rot. in Auximana Prædii 9. Januarii* 1680. §. *Quod eo magis cor. bo. me. Rondanino, & in Spoletana Donationis, seu fideicommissi 20. Februarii* 1693. §. *Nec obstat coram Reverendissimo Decano, & in Romana Prælaturæ de Vecchiarellis 28. Januarii* 1697. §. *Intentioni cor. bo. m. Muto*. Et ex dicta facultate alienandi per testatorem concessa inferri dumtaxat posset, quod hæredem obligare noluerit ad prosecutionem negotii, relinquendo in illius voluntatem venditionem, non autem exinde reliquisse dicitur facultatem destruendi fidei-
5 commissum a se tot cautelis ordinatum, quod in omnem casum semper verificari debuisset in eo, quod superfuisset de tempore obitus filii *Rocca disputat*. 107. *num*. 64. *Rota cor. Cels. decis*. 11 t. *n*. 2., & *cor. Priolo dec*. 124. *n*. 2., & *in Romana Prælaturæ de Vecchiarellis* 9. *Decembris* 1697. §. *Verum cor. R. P. D. meo Ansaldo*.

Idque clarius convincitur ex prohibitione alienationis facta quocumque indefinitè tempore omnibus institutis, & substitutis absque ulla restrictione ad ullum casum; In
6 his enim terminis siculi dubitari non potest de duratione fideicommissi quoad alios, ita hoc ipsum dicendum est respectu Nepotis, quem tanquam in sua hæreditate, & dispositione comprehensum consideravit testator, attentis illis verbis, *e di dd. investimenti ne sia padrone, e ricada* -- quod verbum *ricada*
7 relationem importat ad universam hæreditatem.

Quod autem respectu totius hæreditatis nulla cadere possit dubitatio quoad existentiam fideicommissi, satis convincitur, ex
8 quo ut animadversum fuit in alia mea decisione, deficientibus filiis sui hæredis, voluit bona deferri *alli parenti più prossimi*, hæc autem dispositio locum sibi vindicat, quandocumque d. descendentia defecerit, sive in-
9 ceperit, sive non cum deficere dicatur etiam linea, quæ nunquam fuit, *Rota cor. Dunoz. jun. decis*. 12. *n*. 7. *cum seq. p*. 10., & *decis*. 163. *n*. 3., & *seq. p*. 16., & *in Avenionen. Primogenituræ* 10. *Januarii* 1707. §. *Quoniam cor. Eminentissimo Caprara*.

Maxime quia concurrunt tot circumstantiæ, & conjecturæ, quæ ponunt rem in cla-
10 ris, & signanter exclusio fœminarum cum perpetua vocatione proximiorum de Domo ipsius testatoris, digressus ad plures substitutionum gradus, prohibitio alienationis adiecta pœna caducitatis, cum vocatione alterius proximioris, onus perpetuum eidem proximiori iniunctum, exclusio in casu delicti, & tandem explicita fideicommissi expressio super locis montium ibi -- *che restino sempre sottoposti al vincolo di perpetuo fideicommisso* -- quæ omnia simul sunt consideranda isto casu, quo præsertim agitur de testamento condito ab ascendente, in quo etiam leviores conjecturæ admittuntur, *Rot. in Avenion. Primog*. 10. *Januarii* 1707. §. *fin. cor. Eminentissimo Caprara*, & 18. *Novembris ejusdem anni cor. Eminentissimo de la Tremoille*,

Absque eo quod juvet replicatio, quod ex prædictis deducatur fideicommissum fuisse quidem ordinatum super prædictis locis montium, & super ipso investimento, non autem super omnibus bonis, & sic uti parti-
12 culare non comprehendat universam hæreditatem. Quoniam recurrit responsio, quod prohibitio alienationis iniuncta hæredibus est omnino generalis nulla facta exceptione
13 unius, vel alterius speciei, & conjecturæ desuper consideratæ integram hæreditatem respiciunt, ut ad rem ponderant *Bellon. de Jur. accrescend. cap*. 7. *p*. 16. *n*. 292., & *seq. Capiclat. consult*. 112. *Card. de Luc. de fideicom. disc*. 53. *n*. 9., & 10. *Rota dec*. 22. *n*. 2. *per tot p*. 6. *rec*.

Clarius, quia relicto usufructu 12. locorum montium duabus filiabus suis, quoad viverent, expresse declaravit, quod nullo mo-
14 do volebat illorum proprietatem illis relinquere, quia mens, & intentio illius erat, ut dicta loca montium essent *sotto l'infrascritto vincolo di perpetuo fideicommisso*, quæ verba cum necesse referri debeant ad partem inferiorem testamenti, in qua sibi scripsit hæredem filium in universa hæreditate, ostendunt eum intellexisse in eadem integra hæreditate ordinare fideicommissum *Rota cor. Merlin. dec*. 459. *n*. 16., & *in rec. dec*. 616. *n*. 19, & *dec*. 711. *n*. 8. *p*. 18., & *in Reatina fideicom*. 14. *Maii* 1705. §. *Adhuc cor. R. P. D. meo Scotto*.

His positis non obstant ea, quæ repetebantur de admissione Monialium, tanquam iis sint comprehensæ sub appellatione *de' Parenti più prossimi*, quod in omnem casum Joannes per donationem bonorum ceciderit a comodo hæreditatis, utrique enim difficultati plene occurrit decisio, quæ revidetur,
15 quia scilicet fœminæ non possunt venire appellatione proximiorum, quando fuerunt expressè, & litteraliter exclusæ, cum hoc, quod nullo unquam tempore possent aliquod jus acquirere. Et quoad caducitatem,
16 ultra quod non probatur scientia certa fideicommissi cum omnibus suis qualitatibus
17 quæ in præjudicialibus ex sola, & generica scientia testamenti deduci non potest, *Rota cor. Ubald. dec*. 230. *per tot*., & *cor. Cavaler. dec*. 141. *n*. 4., & *seq*., & *cor. bo. me. Emerix dec*. 1226. *n*. 4. Cessare visa fuit dif-
18 ficultas attenta retrodonatione per donantem reportata, antequam præcedens dona-

tio suum sortiretur effectum, & antequam caducitas declarata fuisset; Unde evitatur pœna in casu alienationis inflicta *Gratian. discept. forens. 202. num.26. cum seq. Rota post Cenc. de Cens. dec.331. nu.6., & seq. & dec.333. num.12., & coram Seraph. decis.794. num.15., & in rec. dec.677. nu.18. par.19.*

Et ita utraque &c.

BONONIEN. FIDEICOMMSSI DE VOLTA.

Lunæ 26. Martii 1708.

ARGUMENTUM.

Est confirmatoria decisionis superioris 468., & in hac quoque agitur de probatione qualitatis hæreditariæ, & de identitatis exclusione ex diversitate quantitatis, & confinium, & non convenientiæ finium invariabilium. Personarum duplicitas ejusdem nominis inter se, & partem quoque ejusdem nominis ambo habentium ex circumstantiis in decisione ponderatis convincitur.

SUMMARIUM.

1 *Venditionem ab auctore factam impugnare nequit hæres* per Text. in L. a matre C. de rei vindic.

2 *Qualitas Hæreditaria, quas convincentes requirat probationes.*

3 *Identitas prædiio cum acquisito non convincitur, ex quo sit in eadem contrada, cum respectu quantitatis, & confinium differt.*

4 *Diversitas prædiorum indubitabilis redditur, cum in uno confinia invariabilia sunt descripta, quæ non inveniuntur in alio.*

5 *Hæreditaria qualitas non probatur, sed excluditur ex protestationibus emissis à prætenso hærede, tanquam tertium se gerendi.*

6 *Personarum diversitas, licet ejusdem nominis, concluditur, si alter ex bis de tempore ab alio gesti actus hactenus natus non erat.*

7 *Etiamsi conveniant in eodem quoque nomine patris utriusque, cum de tempore actus genitor unius vivens alterius esset defunctus.*

8 *Qualitatem hæreditariam non concludit possessio bonorum testatoris retentorum, non titulo antiquæ investituræ, sed novæ, & pro juribus detractionum, meliorementis, & creditis.*

DECISIO DXLVIII.

Adversus geminas decisiones quarum altera prodiit coram bon. mem. Muto die 26. Junii 1705. altera verò coram me sub die 17. Februarii 1707. Concedentes Acchilli Juniori de Volta Immissionem ad Palatium fideicommissarium possessum à Mo-

nialibus SS. Mariæ Novæ, & Laurentii, quamvis à Ferrante, & aliis fratribus de Doria istarum authoribus posthabitis aliis exceptionibus, ed eam retardandam hodie
1 unicè obiciebatur, quod actor esset hæres Astorgii, & Marci Antonii venditorum controversi Palatii, ita ut eidem resisteret *Text. in l.* cum à Matre *Cod. de rei vindicat.*, tamen quia hujusmodi exceptio neutiquam subsistere visa fuit id circo DD. Indecisis standum esse censuerunt.

Præmisso enim, quod ad probandam qualitatem hæreditariam requiruntur docu-
2 menta undique concludentia, itaut si æquivocum involuunt, & in alium sensum trahi possint reddantur in sufficientia *per Text. in l. pro hærede ff. de acquiren. hæredit. Rota cor. Gregr. dec.460. nu.6. & 10. cor. Priolo dec.418. nu.6 & coram Celso dec.129. nu.1.* Talis speciei visa non fuit probatio desumpta ex Instrumento venditionis facta per Actorem cujusdam Predii positi in contrada Villa Fontana Tornaturarum 174., quia ex istius possessione inferri non valet ad qualitatem hæreditariam Marci Antonii, qui distractioni controversi Palatii consen-
3 sum præstitit; licet enim iste in eadem contrada simile Prædium acquisiverit non tamen ex hoc in necessariam consequentiam venit, quod sint unum, & idem cum illo vendito, dum inter utrumque magna intercedit differentia, tam respectu quantitatis, quam respectu Confinium; In alienatione enim facta per actorem exprimuntur viæ
4 publicæ, quæ tanquam invariabiles, cum non leguntur in Instrumento acquisitionis factæ per d. Marcum Antonium indubitatam reddunt utriusque Prædii diversitatem ut *firmatur in decisione, quæ revide tur §. Nec Subsistit, & probans adducti in decis.120 num.13. par.15., & dec.416. nu.23. par.16. rec.*

Quod autem actor adiverit hæreditatem Acchillis avi, & iste fuerit hæres Astorgii ejus Patris, qui pariter una cum Marco Antonio alienationi controversi Palatii consenserat, eo quia tanquam talis anno 1651. transegit cum Antonia Volta de Armis, nullo modo subsistit, quia, & si per actorem adita fuerit hæreditas Avi, non tamen probatur illum hæredem Astorgii fuisse: Ex apoca enim, quæ in d. transactione reperitur inserta apertissimè convincitur, quod Acchilles Avus nullo expresso nomine hæredis respectu sui patris nonnulla bona dedit insolutum Antoniæ Voltæ de Armis cum protestatione quod ad hujusmodi actum devenerat tanquam tertius, & animo se reintegrandi super bonis Astorgii patris, addendo insuper quod bona omnia possidebat
5 *per le detrattioni, meglioramensi, & altre raggioni che gli competono* — quæ verba tantum abest quod probent qualitatem hæreditariam respectu Astorgii, ut imò potius eam positivè excludant.

Nec regit in facto quod Astorgius Pater

Acchillis Avi consensum præstiterit alienationi controversi Palatii, nam plures isto
nomine fuerunt in familia de Volta, & ille
qui verè cum Marco Antonio præfatæ alie-
6 nationi interfuit, est alter Astorgius Senior,
non autem pater Acchillis Avi tanquam natus anno 1569., & sic longè post venditionem prædictam exaratam de anno 1551. celebrationi dicti Instrumenti intervenire
non potuit. Non attento, quod etiam pater
Acchillis Avi appellaretur filius Alexandri, prout nuncupatur, & alter qui vendi-
7 tioni verè consenserat. Quoniam adverterunt DD. quod Alexander Senior de Volta
Pater Astorgii consentientis de tempore celebrati contractus venditionis Palatii jam
erat mortuus; Alter verò Alexander junior
Pater Astorgii actoris Proavi anno 1569.
erat adhuc in humanis, undè ex hujusmodi patentissima circumstantia ad oculum patefacta remansit diversitas hujusmodi personarum *Barth. in l demonstratio falsa n 14. ff. de Condit., & demonstrat. Decius consil. 13. num. 9 Cerr. dec. 944. numer. 4., & magis in puncto Coccin dec. 2342. nu. 51.*

Minusque ad partis intentum conferre potuit quod Actor posideat prædium de Casaraltula, quod anno 1548. in Emphyteusim perpetuam concessum fuerat Astorgio Seniori, & Marco Antonio de Volta pro se suisque heredibus, & successoribus quia ex facto constitit quod præfatum Prædium expulsis fratribus investitis san. mem. Sixtus V. anno 1589. applicavit Collegio Montis Alti Civitatis Bononiæ à quo subindè anno 1609. mediante Apostolico assensu venditum fuit Astorgio Voltæ actoris Proavo per cujus obitum Achilles ejus filius il-
8 lius possessionem alio titulo, quam hæreditario apprehendit, cum declaratione signanter, quod bona omnia retinere intendebat pro suis Creditis, detractionibus, & melioramentis, ex cujus persona hodie jura sua metit, & possidet Achilles actor, non autem jure antiquæ investituræ.

In nihilo relevante, quod prædictus Astorgius Actoris Proavus sit hæres Alexandri Patris, qui ulterius fuit donatarius universalis Marci Antonii, nam quidquid sit de dicta donatione recurrit semper mox allegata responsio quod dum nulla exhibetur probatio, quod Achilles avus à quo actor jura sua metitur, fuerit hæres Astorgii: Quinimò contrarium expressè resultet ex dicta transactione inita cum Antonia de Armis, asserta donatio nullum præjudicium afferre potest judicio nunc intentato; Atque ex his sublato inpedimento qualitatis hæreditariæ facile fuit favore Actoris respondere.

Et ita, utraque &c.

ROMANA DOMUS.

Ven. 30. Martii 1708.

ARGUMENTUM.

Pro eo stat ipsum Summarium. Et est in hac causa superior dec. 537.

SUMMARIUM.

1 *Fructus debentur in judicio immissionis à die productionis Jurium, & cur? num. sequenti.*

DECISIO DII.

Cum ad formam sententiæ A. C. fuerit in decisione hujus Causæ coram me editæ sub die 13. Februarii præsentis anni responsum in judicatum transiisse sententiam latam ab A. C., in qua concessa fuerat immissio Scipioni Mariello vigore fideicommissi ad quartam partem unius domus contra Annam Mariam Brogiam cum condemnatione ad restitutionem fructuum à die motæ litis, & hodiè occasione expeditionis compertum extiterit, quod licet lis incepta fuerit usque de anno 1680. per foram Monitorii transmissionem, illam tamen actor prosecutus non fuit, nisi de mense Maii 1700., à quo die producta fuerunt jura, ideò demandarunt DD., quod in expeditione causæ brevis extenderetur decisio, in qua declaratum remaneret Annam Mariam prædictam teneri ad restitutionem fructuum controversorum non à die motæ li-
1 tis, sed à die productionis jurium, à quo tempore debentur fructus in judicio immissionis in vim *L. final. C. de Ed t. div.*
2 *Adrian. tollen.*, quia tunc dicitur ad hunc effectum incepta lis, & ipsa in mala fide constitata, *Card. de Luc. de fid. disc. 86. num. 13. Rota post Zach. de obligat. Cam. dec. 193. num. 9., & in Bononien. seu Imolen. bonorum 1. Julii 1697. §. finali coram Rm̃o Conchen.*

Et ita utraque &c.

ROMANA DOMUS.

Veneris 30. Martii 1708.

ARGUMENTUM.

Eo non indiget, quia est brevis Decisio: & est prorsus eadem, ac superior: verum quia istas in autographo invenimus, nescientes quænam tunc prodierat, libuit ambas proferre.

SUMMARIUM.

1 *Mala fides pro restitutione fructuum initium sumit non a die motæ litis, sed productionis jurium.*

2 *Reus suum malum jus nonnisi ex documentis ab actore productis cognoscere potest.*

DE-

DECISIO DL.

POST quam à nostro Tribunali fuit resolutum coram me sub die 13. Februarii mox elapsi, constare de re judicata, quoad sententiam pronunciatam ab A. C. contra Annam Mariam Brogiam favore Scipionis Martelli, In qua eidem, uti vocato in donatione Canonici Antonini fuit concessa immissio ad quarta partem uoius Domus, una cum facultate exigendi fructus perceptos a die motæ litis, institum fuit ex consueto stylo a d. Scipione victore pro Causæ expeditione.

Verùm licet Dominis visum fuerint solida fundamenta decisionis in ea parte respiciente immissionem, ad eo ut quoad istam aut humaverint absolutum esse locum expeditioni; tamen respectu fructuum, ad quorum restitutionem ad versaria fuerat condemnata; demandatunt expeditionem extensa hac brevi decisione; quà declararetur expeditionem esse concedendam prosructibus tantum a die productionis jurium, non verò a die motæ litis perceptis.

Moti siquidem fuerunt Domini ex eo, quod, etiamsi fuerit iis introducta de anno 1680. cor. Emo Caprata tunc A. A. Locum tenente mediante transmissione monitorii; nihilominus cum subinde non fuerit continuata, sed solum de anno 1700. fuerit reassumpta: atque fuerint eodem tempore producta iura; æquiorem, & humaniorem Domini ampiecti volentes sententiam, dixerunt, non a die

1 motæ litis, sed ab antedicta jurium productione malam fidem ad hunc effectum initium sumere posse, per ea quæ tradunt, *Bar. bof. in l. fundum 17. nu. 8. C. de rei vindic. Card. de Luc. de fideic. disc. 186. n. 13.* & firmavit, *Rot. dec. 265. n. 5. part. 17.* & latè distinguendo casu, *decis. 226. n. 1. & seq. par. 18.*

Quam utique sententiam summæ rationi innixam esse DD. existimatunt, quia scilicet

2 non potest Reus, absque jurium productione cognoscere actorem habere justam causam litigandi: exindeque suum malum jus, ut cum aliis advertit, *Rota d. decis. 228. nu. 7. par. 18. rec.*

Et ita, juxta hanc brevem decisionem, causæ expeditionem Domini demandatunt &c.

ROMANA DOTIS.

Veneris 20. Aprilis 1708.

ARGUMENTUM.

Mulieris obligationes, quæ fiunt, post obligatam medietatem dotis sunt nullæ; & de quo tempore læsio ad hunc effectum sit consideranda. Item cum in bonis Mariti reievationem non potest habere, & huic contrarium prætendens, concludenter probare debet, cœtera vide in Summario.

Revocatur infra decis. 605.

SUMMARIUM.

1 *Scriptura existentes in curia indicatæ, & non producta Parte non contradicente; licèt plures informationes, & citationes fuerint subsecutæ, nullitatem non causantur.*

2 *Citatio ad sententiam supplet defectum terminorum substantialium.*

3 *Mulier integram suam dotem, vel supra medietatem obligare nequit, & num. 5.*

4 *Mandatum pro residuo dotis, a quo pendet appellatio, pro hac summa eam non concludit.*

6 *Læsio, quam mulier in suà dote patitur in obligatione ultra medietatem pro ejus nullitate desumitur de tempore dumtaxat obligationis, non solutionis subsecutæ.*

7 *Mulieris obligatio remanet penitùs irrita, cum pro sui relevatione cauta non remanet super bonis viris.*

8 *Læsio profluens ex defectu relevationis, debet cum probationem singularum partitarum evidenter excludi.*

9 *Creditum turbidum remanet ex immissione in possessionem bonorum debitoris.*

10 *Creditor agere non potest, nisi facta liquidatione fructuum perceptorum ex bonis debitoris, ad quæ fuerat immissus.*

DECISIO DLI.

DOtem per Comitissam Joannam de Silva traditam qu. Com. Franc. Nicolao de Silva Viro, quæ in summa scut. 20282. 96. fuerat canonizata, & deindè approbata per Signaturam Justitiæ: obligavit illa favore Creditorum Viri ad effectum liberandi eius bona ab imminentibus executionibus suorum Creditorum, & signantèr primo loco sub die 8. Octobris anni 1694. pro ratà scut. 14567. 14. favore Causæ Piæ Ven. Servi Dei Sebastiani de Apparitio, & successivè sub die 2. Decembris ejusdem anni pro alia rata scut. 6000. favore Abbatis Francisci Cotteæ d. summæ crediroria, qui cum non potuerit consequi satisfactionem dicti sui crediti prò ratà scut. 4088. 69. Judicium introduxit coram R. P. D. meo tunc A. C. Aldrovando, & modo emeritissimo Collega, qui tamen favore Comitissæ Sententiam absolutoriam protulit: cumque Causa appellationis mihi directa fuerit DD. consului - *An constaret de credito, itaut relaxandum esset mandatum; & negativum*, habui responsum.

Omissa enim exceptione nullitatis ducta ex defectu productionis scripturarum, & citationis ad terminos substantiales; quoniam

1 scripturæ erant in Curia, & fuerunt Parte contradicente indicatæ, causaque fuit longo tempore ventilata Partibus hinc indè informantibus sub replicatis citationibus quælibet nullitas eo abesset; Maximè quia ex

2 citatione ad Sententiam suppletur remanet defectus terminorum substantialium, ut ad rem advertit, *Ridolphin. in prax. par. 1. cap. 2. n. 125. cum pluribus seqq.*

DD. assumentes cognitionem Justitiæ præfatæ Sententiæ, prout in hisce casibus praticare solet nostrum Tribunal; adverterunt illam controverti non posse attenta nullitate obligationis ab eadem Comitissa emissa favore

vore Abbatis Correæ; Cum enim, ut præ-
missum fuit antecedenter illa se obligasset
favore d. Causæ Piæ prò summa scut.14567.
14. excedente medietatem dotis canonizatę
in summa sc. 20282 utique eam ampliùs ob-
3 ligare non poterat pro aliis scut. 6000, ex
quibus deindè tota, & integra dos absorta
remansisset, *Salgad. labyrinth.credit. par.2.
cap.4. n.68., Rocc. disp. jur. cap.112. n.117.
Rot. decis. 97. n. 12. par.15. Recent, & in
Cæsenaten. Spolii 25. Junii 1700. §. Rursus
prędicta confirmata sub die 4. Martii 1701.
§. Hęc quoad nullitatem coram bon. mem.
Mato, & in Firmana evictionis 3. Junii
1701. §. final cor. Rm̃o Decano*.

Nec juvat responsio, quod Dos ab Initio
promissa fuerit in summa sc.23. mil., & pro-
indè fuerit ejus favore relaxatum allud man-
datum pro residuali quantitate scut. 11961.
Quoniam ultra quod ab hujusmodi postremo
mandato pendet appellatio per Creditores
(inter quos adest quoque Abbas actor) ad
nostrum Tribunal interposita; itaùt nullius
remanet efficaciæ pró firmanda Dote in scut.
4 32000. urget ulteriùs ponderatio, quod po-
sita etiam Dote in hac quantitate, nihilomi-
nùs satis non esset pro substinenda obligatio-
ne favore Abbatis emissa attenta præceden-
ti obligatione in sc. 14 mil. & ultrà favore
5 Causæ Piæ, cui si jungatur ista pro scut. 6.
mil. patet obligationem semper excedere
medietatem dotis, quę non esset ultrà scut.
16000. ut calculanti patet.

Minusque refragatur, quod Comitissa
nullum ex causa præcedentis obligationis
damnum passa fuerit, cum credium Causæ
Piæ prædictæ ex bonis sui Viri remanserit
extinctum; Etenim tale quid concludenter
non probatur, & quatenùs probaretur nil re-
levaret, quia Comitissa quando secundam
obligationem exaravit conveniri poterat ad
solvendum Integrum debitum antecedenter
contractum, quod etsi successivè aliundè per-
solutum fuerit, nihilominus ad salvandam
posteriorem obligationem ab evidenti vitio
nullitatis non profuit; cum ad regulandam
6 læsionem, quam Mulier in sua dote patere-
tur attendatur dumtaxat tempus emissæ ob-
ligationis, non autem subsecutæ solutionis,
*Bald in leg.1. n. 11. Cod. de condit. indebit.
Rot. penès Zacch. de obligat. Camer. decis.
134. n. 13., & 14., & penès Modern. As-
culan. ad Stat. Urb. dec.149. n.17.*

Quæ læsio evitari non potest ex replica-
tione, quod Comitissa relevari commodè pos-
sit super bonis viri; Recognitum namque
fuit Com. Franciscum Nicolaum Commitis-
sæ Virum de tempore hujus secundi contra-
ctus adeò oberatum extitisse, ut universum
illius Patrimonium immediatè fuerit subha-
sta, & sub æconomatu commissum, ex cujus
retractu, nec potuerunt integrè Creditores
satisfieri; Ex quo sicuti manifestè sequitur
obligationem Comitissæ remanere penitùs
7 Irritam, cum pro sui relevatione causa non
remaneret super bonis Viri proptèr ingen-
tem debitorum molem ab eo contractam
antè hanc secundam obligationem favore
Abbatis actoris emissam, *Bunden. coll. act.6.
n.34., & 36. tom.1. Rota in Narnien. Cam-
bii 18. Junii 1685. §. Utilitas demum cor.
bon. mem. Rondinino, & in Viterbien. Do-
tis 25. Junii 1696. §. Injustitia cor. Em̃o Ca-
prara*.

Ità, & magis ad evidentiam insubsistens
detegitur alia exceptio, quod Comitissa ex
effectibus viri in concursu cum Creditoribus
longe majorem summam recuperaverit as-
cendentem usque ad scut. 27082., ut suade-
re conatur Abbas Correa ex quodam calcu-
lo per eumdem exhibito, quia ille in nulla
8 sui parte fuit repertus justificatus, prout con-
cludentèr fieri debuisset ostendendo veri-
tatem singularum partitarum pro excluden-
da læsione profluente à defectu relevationis,
*Rot. in Melevitana bonorum 7. Maii 1694.
§. Minusque cor. bon. me. Ursino*.

Quibus omnibus prò faciliori Causæ reso-
lutione addendum putarunt DD. notabilem
facti circumstantiam, quod scilicèt Abbas
Correa, qui agit pro recuperandis scu.4087.
fuit alias immissus in Salviano prò satisfactio-
9 ne crediti controversi in possessionem plu-
rium domorum, & Canonum ad Com. Fran-
ciscum Nicolaum spectantium, unde illud
10 turbidum evasit, adeout pro eo agere ne-
queat, nisi prius facta dictarum pensionum,
& Canonum perceptorum liquidatione,
quam usque modo non explevit, *Rot. de-
cis. 392. n.8., & 9. par.16. Recen.*

Et ita utraque &c.

ANCONITANA PECUNIARIA.

Veneris 20. Aprilis 1708.

ARGUMENTUM.

Excluditur probatio concordiæ, quæ induci-
tur ex probatione illius tractatus, et ex par-
titis ad eam relationem habentibus, cum de
eadem non appareat, & contraria vigeat ob-
servantia.

SUMMARIUM.

1 *Mandati validi, ac justi executio non est retardanda.*
2 *Schedula* -- Pagherò -- *paratam habet executionem.*
3 *Fides simplices ad perpetuam in Judicio non attenduntur.*
4 *Attestatio super simplici tractatu nihil concludit.*
5 *Multa tractantur, quę non perficiuntur.*
6 *Contractus non modici interesse ad sciptu-ram redigi est verisimile.*
7 *Testi inverisimilia deponenti credendum non est.*
8 *Tractatus imperfectio arguitur ex subsecuta inobservantia.*
9 *Extractio partitarum facta pendente lite, & parte non citata, nullius est momenti.*

10 *Con-*

10 *Concordiam initam probare non possunt partitæ ad illam relativè se habentes, cum de eadem nullibi constet*,

DECISIO DLII.

CArolus Antonius Trofellius debitor rationis cantan. sub nominibus quorumdam hæbreorum in summa scutorum 2833. 1. pro pretio mercium, cum ad illius computum persolverit dumtaxat scut. 856., fuit pro solutione residui in judicium coram A. C. vocatus, & ab eo condemnatus: sed commissa mihi causa in gradu appellationis cum rescripto Signaturæ Justitiæ *sine præjudicio quoad scuta* 429., *in reliquis si quid exequendum*, DD. consului -- *An mandatum A.C. esset exequendum, & respectivè constaret de credito, quoad scuta* 429., *& affirmativa in omnibus* prodiit resolutio.

Mandatum enim A. C. cum sit validum, &
1 justum, ideo illius executio retardari nequit, *Rota cor. Royas dec.* 286. *in principio*, & *in rec. dec.* 165.*in principio p.*13.,& *dec.*492. *n. primo p.* 9. Validitas non impugnatur: Justitia vero satis abundè resultare visa fuit ex Schedula vulgo *pagherò* per Carolum Antonium confecta, in qua ipse fassus fuit debitorem d. rationis in summa scutorum 2833., eàmque in forma Cameræ se obligavit solvere, ideoque dempta rata scutorum 856. 50. jam soluta, juremerito pro residuali summa fuit contra eumdem relaxatum mandatum in vim d. schedulæ, quæ paratam executionem
2 habet, *Zach. de oblig. Camer. qu.*2. *n.*5. *Rot. post eumdem dec.* 155. *n. primo*, & *cor. bon. me. Emerix dec.* 248. *n. primo*, & *in rec. dec.* 411. *n. primo p.* 19.

Nec obstat unica exceptio, quod scilicet per viam concordię fuerit conventum, quod Trofellius teneretur solvere in contanti solum scut. 1300., & pro residuo, vel unica vice persolveret scut. 600., vel annua scuta 150. usque ad integram solutionem, vel assignaret tot nomina debitorum talia qualia.

Quoniam hujusmodi prætensa concordia non probatur, & attestationes Baptistoni, & alterius Sacerdotis, quæ ad hunc effectum adducuntur nullam vim faciunt, cum sint sim-
3 plices fides àd perpetuam, quæ non attenduntur in judicio, *Rot. cor. bo. me. Emerix dec.* 243. *n.* 7., & *in rec dec.* 18. *n.* 27., & *dec.* 146. *n.* 17. *p.*9.

Fortius quia fides d. P. Baptistoni, super qua magnum constituitur fundamentum, nil
4 aliud concludit, quam simplicem tractatum in quo tres proponebantur modi satisfactionis d. debiti, nec dicit quinam modus a partibus fuerit acceptatus: Unde tantominus de ea tanquam nihil ad rem concludente curandum est, cum regulare sit, quod multa trac-
5 tantur, quæ non perficiuntur, *Surd. cons.* 102. *num.* 5., & *seq. lib.*2. *Rota cor. bo. me. Emerix dec.* 195. *n.*2., & *in rec dec.* 146. *nu.* 19. *p.* 9. Quibus additur etiam maxima inverisi-
6 militudo, nam si revera fuisset inita talis concordia, utique de ea per scripturam appareret, cum non agatur de modico interesse, hujusmodi autem inverisimilitudo fidem tol-
7 lit testibus, *Fellin. in cap. quia verisimile num.*4. *de præsumpt. Rota cor. Cels. dec.* 40. *n.*8., & *dec.* 336. *n.*14., & *cor. bo. me. Emerix dec.* 1278. *n.* 13.

Ceterum ex subsequuta inobservantia talis concordiæ omnis tollitur hæsitatio, cum in illius adimplementum nihil peractum fuerit, dum nec fuerunt statim soluta scuta 1300., nec assignata nomina debitorum pro residuo, sivè soluta scuta 600., neque fuerunt exbursatæ annuæ præstationes scut. 150., prout pro illius effectuatione fieri debuisset, hinc
8 enim bene inferri potest ad exclusionem perfectionis hujusmodi tractatus.

Nec contrarium desumi potest ex partitis extractis ex libris Caroli Antonii. Tum quia
9 extractio pendente lite, & parte non citata peracta fuit, & sic nullius momenti, *Rota cor. Coccin. dec.* 776. *n.* 5., & *in rec. decis.* 190. *n.* 4. *p.*14. Tum & fortius, quia in illis simpliciter dicitur solutionem factam fuisse ad formam concordiæ, qualis autem fuerit illa concordia, nullibi apparet: nec describitur in dd. libris, unde cum se habeat rela-
10 tivè ad concordiam, nec de illa doceatur, nullum probationis gradum pro concordia constituere possunt, *Urceol. de transact. qu.* 96. *n. primo*, & *seq. Rot. cor. Merlin. dec.* 603. *n. primo*, & *cor. Bich. dec.*260. *n.* 55.

Eu ita utraque.

EUGUBINA FIDEICOMMISSI.

Veneris 27. *Aprilis* 1708.

ARGUMENTUM

Desume a dec. 488. superius posita, & hic confirmata.

SUMMARIUM.

1 *Fideicommissum evanescit, si institutus sub conditione* si sine liberis *eos superstites reliquerit* ad cons. 21. Oldradi.
2 *Et pro recessu à d. cons. Oldradi leviores coniecturæ admittuntur in fideicommisso ascendentis.*
3 *Et unicè attenditur, quæ fuerit voluntas testatoris.*
4 Cons. Oldradi *tantomagis procedit cum constat testatorem, superstitibus liberis instituti cum conditione* si sine filiis, *de ulteriori progressu non curasse.*
5 *Pro recessu a cons.* 21. *Oldradi coniectura ducta ex voto conservandę agnationis validissima reputatur.*
Limita si agnatio sit vocata in certo casu, qui non evenit post adiectam conditionem -- si sine filiis, & *cur?* num. 8.
6 *Agnatio contemplata non dicitur cum invitantur filii, & descendentes.*
7 *Fæminæ veniunt sub vocatione filiorum, & descendentium.*
9 *Digressus ad plures substitutionum gradus* co-

coniecturam pro recessu a cons. 21. Oldradi *non facit, cum in quolibet est repetita conditio* -- si sine filiis.

10 *Coniecturæ conservationis agnationis progressus ad plures gradus substitutionum, & aliæ non attenduntur pro recessu a d.* Cons. Oldrad., *cum ex pluribus testamenti partibus constat, quod testator exoptavit fideicommissum locum habere solum cum repetita conditione* -- si sine filiis.

11 *Fideicommissum reservatum favore filii, & descendentium non debetur eis, qui de linea non sunt.*

DECISIO DLIII.

ITerum DD. denegando immissionem Catherinæ, & Lucretiæ Sororibus de Janninis tam ad bona Marci Antonii patris, quam Victoriæ Matris perstiterunt in *decisis* coram me sub die 9. Maii 1707. favore Mariæ Hortentiæ Lucatellæ vid. rel. Thomæ dicti Marci Antonii filii, ex quo Sorores prædictæ ad fideicommissum per Marcum Antonium ordinatum invitatæ reperiebantur in casu obitus Thomę sine filiis: Unde cum istæ
1 obiierint superstite dumtaxat Rosa Maria filia, quæ pariter in infantili ętate decessit, bona fuerunt effecta libera, & sic aperta successio favore Marię Hortentiæ Matris juxta famigeratum *cons. 21. Oldradi, de quo in alia mea decisione* §. *Etenim*.

Coniecturę veroquæ pro recessu a regula prædicta adducuntur, licet plures fuerint
2 admissæ in testamentis ascendentium, in quibus etiam leviores sufficiunt, ex firmatis *per Rot. in Romana Trebellianicæ* 11. *Januarii* 1692. §. *& demum cum seq. coram R. P. D. meo Priolo*, adhuc tamen cum in hac materia unicè attendatur qualis fuerit
3 voluntas testatoris, eo ipso, quod in pręsenti compertum fuit, quod ille respexit ad solum casum obitus sine filiis, nec curaverit
4 de ulteriori progressu, ubi illi succedere potuissent, non est super coniecturis insistendum, & tanto magis procedendum est cum oppinione Oldradi, ut in specie ponderat *Rota dec.* 486. *n.* 2. *cum seq. p. prima*, *& dec.* 138. *n.* 2. *p.* 2. *rec.*, *& in Lauretana fideicommissi* 16. *Januarii* 1703. §. *tum quia cor. me.*

Et sane coniectura ducta ex voluntate
5 conservandi agnationem, quæ alias reputari solet validissima in praxi, nullam meruit animadversionem, tum quia hæc in facto
6 nullo modo concurrit, cum fuerint a principio vocati filii, & descendentes, imo & ipsæ fæminæ, earumque filię, itaut in quacumque vocatione deficiat votum conservandi agnationem *Ventrigliol. dec.* 2. *n.* 166. *Rot. penes Albit. de incostan. in judicio dec.* 26. *n.* 13., *& dec.* 274. *n.* 3. *p.* 18. *rec.* Et licet infra in casu monacationis aut deficientię filiarum, substituti legantur filii fratris, ratione adiecta -- *perchè bramo, e desidero, che li miei beni passino ne' miei figli descendenti, e in loro mancanza si conservino nella famiglia Giannina* --, tamen in hac ipsa vo-
7 catione sunt comprehensæ etiam fęminæ sub appellatione filiorum, & descendentium *Rota cor. Cerro dec.* 913. *n.* 2., *& in recen. dec.* 27. *n. primo p.* 18. Tum quia, cum hæc vocatio sit facta post adiectam conditionem
8 si sine filiis, nullum constitui valet fundamentum in coniectura conservationis si hæc legitur volita in certo casu, qui non evenit,
9 unde coniectura prorogationis, fideicommissi attendi non debet ultra casum conditionis prędictæ, dum omnes sequentes substitutiones semper pendent a supra expressa conditione si sine filiis pluries a testatore repetita *ad text. in l. Pater* 36. §. *fundum ff. de legat.* 2. *cum aliis authoritatibus in mea dec.* §. *non obstat adductis*.

Ex qua perfecta circumstantia tollitur efficacia alterius coniecturæ ductę ex digressu ad plures gradus substitutionum, quid enim operari potest hæc coniectura, quando testator devenit ad plures substitutiones repetita tamen in qualibet ipsarum conditione si sine filiis ibi -- *Mancando il d. Tomaso senza figli come sopra in caso, che alcuna delle mie figlie morisse senza figli legitimi, e naturali*, *& infra* -- *la sostitutione nel caso come espresso* -- *& alibi in caso di morte delli medesimi senza figli* -- superfluum
10 igitur visum fuit insistere tam super his, quam aliis coniecturis, dum istæ non possunt operari, quoties ex toto contextu testamenti apparet enixè testatorem exoptasse, quod fideicommissum haberet locum solum cum conditione semper repetita, quatenus instituti sine filiis decesserint, hæc enim voluntas unice attendi debet rejectis coniecturis, quæ in contrarium possent adduci, *Rotà cor. Priolo dec.* 110. *n.* 7., *& in rec. dec.* 459. *n.* 4. *p.* 13., *& in Lauretana fideicommissi* 15. *Januarii* 1703. *per tot. cor. me*.

Et hæc quoad fideicommissum Marci Antonii: quo vero ad bona dotalia Victoriæ communis Matris, cum etiam ista jure successionis unicè in Thomam translata fuerint, ideo sororibus prædictis denegata quoque fuit immissio. Non obstante, quod Marcus Antonius in suo testamento de hac etiam dote disposuerit, cum illam fideicommisso subiecerit. Quoniam si ex præmissis illud expiravit, consequens est, ut sorores de Janninis, quæ successionem ex dicto fideicommisso prætendere non possunt, neque valeant ad hujusmodi bona in illo comprehensa aspirare, Et quatenus replicaretur, quod testator super hac dote constituerit particulare, & separatum fideicommissum, placuit responsio, quod cum illud legatur restrictum ad Thomam, ejusque filios, & descenden-
11 tes purificatum nunquam dici potuit in fæminis actricibus, quæ non sunt de linea ejusdem, ut firmant *authoritates in altera dec. adductæ* §. *atque ex his*.

Et ita utraque &c.

HIS-

HISPALEN. BENEFICII.

Lunæ 30. Aprilis 1708.

ARGUMENTUM.

Facile colliges ex Summario.

SUMMARIUM.

1 *Litteræ Apostolicæ omninò justificatæ sunt exequendæ.*

2 *Obitus concludentem probationem faciunt fides desumptę ex libris Ecclesiæ tumulantis.*

3 *Provisio Nuncii Hispaniarum executionem litterarum Apostolicarum retardat; cum contulit beneficium non excedens valorem viginti quatuor ducatorū auri de Camera.*

4 *Excessus valoris beneficii etiam in obulo supra 24. duc. auri de camera, invalidam reddit provisionem beneficii a Nuncio Hispaniarum factam.*

DECISIO DLIV.

Didaco Rosales dumtaxat informante responsum fuit literas Apostolicas super collatione Beneficii Parrochialis Ecclesiæ San-
1 cti Marci Civitatis Hispalen. erecti fore exequendas, cum sint in omnibus justificatæ, *ad text. in cap. 2. de concess. præben.*

Quod enim illud Apostolicæ Sedi reservatum, constat, ex quo ultimus possessor obiit de Mense Octobris, ut probatur ex fide desumpta ex libris Ecclesiæ Parochialis, in qua d. Petrus Joseph tumulatus fuit, un-
2 de concludentem obitus probationem desumi, respondit *Rot. cor. Greg. dec. 78. n. 1. & in rec dec. 62. n. 1. & 2. par. 10. & dec. 89. n 8. par. 18.*, Quod autem valor in literis expressus per non excessum 25. ducat. una cum incertis 40. aurei de Cammera fuerit benè justificatus, satis abunde resultat ex pluribus documentis in Summario Didaci adductis.

Non attenta provisione Rmi Nuncii Apostolici Hispaniarum de eodem Beneficio in in personam Emanuelis expleta. Quia tantum ab est, quod probetur fructus non ex-
3 cedere ducatos 24. auri de Camera, prout necesse est ad effectum retardandi executionem literarum Apostolicarum, ex deductis *per Card. de Luc. de Benef. disc. 26. n. 11. & seq. Rot. decis. 357. num. 22. & seq. par 10. & dec 296. n. 9 par. 16. rec. & in Terraconen. Beneficii* 1692. §. *absque eo quod cor. bon. mem. Muto*, utè converso ex documentis mox enunciatis constet de manifesto ex-
4 cessu. quem tamen etiam in obulo sufficere ad effectum reddendi invalidam provissionem prædictam firmant: *Garz. de Benef. par. 5. cap. 13. n. 163. & 182. Rot. dec. 296. n. 14. par. 16 rec.* & alibi passim.

Et ità in contumaciam Emanuelis informare detrectantis, quamvis longissimo temporis spatio fuerit expectatus &c.

IMOLEN. CONSORTII.

Lunę 30. Aprilis 1708.

ARGUMENTUM.

Late agitur de civilitate requisita à statuto pro admissione ad consortium, quæ non ammittitur ex accidentali nativitate extra locum; nec ex mora patris causa officii extra eundem, quamvis susceperit uxorem, & filios; nec bona in Patria possederit. Vel ex facto tutoris filii. Et quæ requirantur ad contrahendum domicilium Ex quo amittitur civilitas originis. Statutum requirens descendentiam à civibus, quam interpretationem recipiat; præsertim favore Ecclesiæ? Habens omnia requisita, ut ad consortium admittatur, etiam si fuerit rejectus, censetur admissus. Nec in eo ingredi proibetur, ex quo sint plures de eadem familia. Cætera in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Requisitas habens à statuto qualitates, ad consortium est admittendus, & non attenta rejectione censetur admissus*, & nu. 13.

2 *Fides baptismatis, locum veræ nativitatis concludunt.*

3 *Et etiam collatio ordinum factam tanquam illius loci civi.*

4 *Originis requisitum habere dicitur, qui natus est ex jura civica illius loci obtinente.*

5 *Natus extra patriam ex hoc paternam civilitatem, & originem non amittit.*

6 *Civilitas adeò adhęret personę, ut conservetur etiam si domicilium accasionaliter alio transferatur.*

7. *Nativitas accidentalis extra patriam, civilitatem non tollit.*

8 *Conductus in alieno loco cum stipendio, pręsumitur officio completo velle ad proprios lares redire.*

Amplia etiam si Uxorem & liberos ibi susceperit, & nulla bona in loco originis possideat, ut num. 12.

9 *Et idem est de Scolaribus, mercatoribus, & similibus.*

10 *Casualis mora extra patriam, naturalem & originariam civilitatem non intervertit.*

11 *Sed requiritur animus determinatus perpetuò permanendi in alio loco ubi contractum fuit novum domicilium.*

13 *Domicilium sine animo perpetuò permanendi non contrahitur.*

14 *Etiamsi mutans occasionaliter domicilium nulla propria bona haberet in loco originis: cum esset sub patria potestate.*

15 *Tutor pupillo nequit præjudicare.*

16 *Acquisitio domicilii pendet ab animo, qui a pupillo non habente nec velle, nec nolle, non potest explicari.*

17 *Nec explicari potest a tutore in præjudicium pupilli, inducendi nempè renuciationem civilitati originariæ, pro qua substituen-*

tuenda adhiberi debuissent omnes juridicę solemnitates.

18 *Præsertim si Pupillus factus major, ex multis conjecturis, quæ recensentur patefecit animum retinendi originariam civilitatem: qui in conflictu aliis gestis prius a tutoribus præfertur.*

16 *Civilitatem duplicem, alteram scilicet ex domicilio, alteram ex nativitate, & patria, nemo retinere probibetur.*

20 *Civilitas originaria, in conflictu, domiciliari prævalet.*

21 *Filius patris potiùs originem, quam domicilium sequitur.*

22 *De validitate statuti consortii sacerdotum Massæ dubitavit Rota.*

23 *Statutum præscribens civilitatem non intelligitur strictè de nativitate materiali, sed sufficit originaria.*

24 *Requisitum in admissione ad consortium a statuto volitum descendentiæ a civibus, est latè patentior, & comprehendit originarior.*

25 *Præsertim cum agitur, ut babeantur Ecclesiæ sacerdotes, & ministri.*

26 *Voluntas statuentium interpretationem sumit ab observantia.*

27 *Observantia repetita in receptione ad consortium est servanda.*

28 *Malum jus oppositionis in lite desumitur, cum plures de collegio illam deserverunt, & duo tantum continuant.*

29 *Peritia cantus Gregoriani requisita pro admittendo Sacerdotes ad consortium, sat est adsit de tempore admissionis.*

30 *Consanguinitatem non arguit identias cognominis.*

31 *Ad consortium sacerdotum plures de eadem familia admitti possunt.*

32 *Arbitrium regulatur a jure.*

DECISIO DLV.

LEonardus Gabbionus ad Sacerdotalem dignitatem promotus participare cupiens de fructibus, & distributionibus Collegii sivè Communiæ erectè in Ecclesia S.Pauli Terræ Massæ Lombardorum ex statutaria dispositione ejusdem Ecclesiæ destinatis pro originariis dictæ Terræ, qui dicto Caractere fuissent insigniti, institit admitti ad Collegium prædictum. Cumque à Collegialibus ad hunc effectum congregatis per geminas vices fuisset rejectus, idcircò judicialem viam aggressus, duas favorabiles sententias reportavit, quarum prima lata fuit a Vicario Generali Imolen., altera vero ab A.C. Origo, sed istis in tertia instantia revocatis ab R.P.D. Balestra; in gradu ulterioris instantiæ causa delata fuit ad nostrum Tribunal; Eaque propter suffragiorum scissuram, sub diebus 9. Maij 1707., & 23. currentis proptèr dilationem ab altera parte petitam nunquam resoluta; Cùm hodiè iterum quæsitum fuerit à Me -- *An sit concedenda admissio ad consortium, de quo agitur* -- affirmativa prodiit resolutio.

Dupplicem enim qualitatem requirit Statutum dictæ Ecclesiæ prò obtinenda petita admissione; alteram scilicet civilitatis, & originis patris in Terra Massæ; alteram verò ipsius Filii Sacerdotis, quarum utraque cum
1 in præsenti concurre visa fuerit in Leonardo, utique ad Consortium recipiendus venit adfirmata per *Rot. decis.37. num.1. par.15. recent.*

Et sanè quod ejus Pater natus fuerit in Terra Massæ, inter Partes nulla fuit controversia; Quod verò ipsemet ibidem ortum duxerit apertissimè convincitur, tum ex fide
2 Baptismatis, quę veram nativitatem concludit, tum etiam ex licteris Ordinum eidem
3 per Episcopum collatorum, tamquam verò Civi Massensi, quæ demostrationes ponunt in claris, ipsum habere requisitum ori-
4 ginis, pro qua sufficeret, quod ipse natus esset ex Patre, qui Jura civica absque controversia fruebatur, ut firmatum fuit in *Senogallien. Canonicatus 29. Ianuarii 1706. §. adbùc cor. R.P.D. meo Ansaldo.*

Non obstat, quod probetur, Leonardum natum fuisse in Terra Solaroli tribus milliaribus distante à Terra Massæ: quia licet quis
5 extra Patriam natus fuerit; non tamen ex hoc paternam civilitatem, & originem amisisse dicitur per *Text. in l. Assumptio 6 ff. de municipal. & Incol. Card de Luc. de matrim. disc.14. n.11. Rot. cor. Duran. decis.31. n.3., & in rec. decis.261. num.5. part.13.* ea validissima ratione, cum Civilitas adeo adhere-
6 re dicatur Personę, ut ea conserveтur, etiamsi in aliò locodomicilium transteratur, *l.1.C. de municip. & oriund l.10. Alex. cons.157.n. 13. lib.2. Cepbal cons.451. n.107 lib.4 Bonden. collust legal. tom.2. collust.31. num.102. Capon. discept. forens. cap.55. num.15 tom.1. & Rot. in Romana Prælationis 28. Januarii 1692. §. Nec ex quo coram cla. me. Card. Cavallerino.*

Certius, quia in casu, de quo agitur accidentalis fuit nativitas Leonardi in Terra Solaroli, nam contigit ex eo, quod ipsius Pater
7 publicis stipendiis ad biennium conductus Chirurgiæ artem ibi exercebat: Undè cùm terminato officio, præsumptio stet prò volun-
8 tate redeundi ad proprios Lares ducto exemplo à Scolaribus, Mercatoribus, & similibus,
9 de quibus *Gratian. discept. forens. 92. num. 10. discept.824. num. 37., Rot. cor. Buratto dec.244. num 9. cor. Ludovisio decis.274., ibique Adden. litt. E., & in Neapolitana Matrimonii 26. Februarii 1706 §. Neque cor. R. P.D. meo Priolo*; Ista casualis mora extra Patriam, naturalem, ac originariam Civilitatem intervetere non potuit: quando solum, & nudum factum habitationis non sufficit, sed necesseest, quod ulteriùs concurrat animus determinatus perpetuò manendi in loco, ubi
10 conctractum fuit novum domicilium, ut distinguendo tradunt *Barbos. in cap. ut decimis num 2. & 7. de paroch. & in tract. de offic. & potest. Episc. part.2. alleg 4. num.24. Gratian. discept.181. n.83. Ridolph. in prax. part.*

part 1.*cap*.7.*n*.61. *Adden. ad Ludovis. decis.*
279. *num*.11. *Rot. in rec.decis.*312. *num*.17.
part.9.

Replicatio autem, quod tam Leonardus, quam ejus Pater habuerint hujusmodi
animum deserendi antiquum domicilium
contractum Massæ, & alterum acquirendi
Solaroli, nullo jure subsistit, quia, si loquimur de patre, talis animus in eo de-
12 duci non potest ex matrimonio cum su-
sceptione filiorum, & circumstantia, quod
nulla bona possidebat in Terra Massæ, quia
quoad matrimonium, & susceptionem liberorum satisfecit responsio, quod hæc
omnia referenda sunt ad occasionalem causam exercendi ibidem d. munus conducti-
tium Chirurgi, quod est exclusivum animi
13 in dicto loco perpetuo permanendi, sinè
quo domicilium non contrahitur, ex supra allegatis, non autem ut patriam originem, & Civilitatem amitteret, ut huic
objecto occurrendo respondit *Passerin. in
cap. cum nullus quæst* 2. *art* 2 *num*.46. *de
tempor. ordinat.* Quod verò Pater Leonar-
14 di nulla bona haberet in Terra Massæ, nihil concludit, quia cum ille usque ad obitum vixerit sub patria potestate nulla bona
habere poterat, nisi paterna, quæ tunc
temporis per Dominicum ejus Genitorem
possidebantur.

Si verò sermo est de Leonardo filio, similiter animus deserendi paternam, &
avitam originem, ac transferendi domicilium in Terra Solaroli, resultare nequit
ex magnificata venditione Domus, & bonorum existentium in Terra Massæ, quæ
per mortem Dominici Avi ad eum ex persona patris fuerant delata: Hæc enim distractio facta fuit à Tutoribus Leonardi
15 tempore ejus minoris ætatis, qui non potuerunt Pupillo præjudicare, nam sicut
16 acquisitio domicilii pendet ab animo quem
Pupillus explicare non potest, ut potè non
habens neque velle; neque nolle, ità multominus declarari potest ex facto tutorum
ad effectum Pupillo præjudicialem, nempè
17 inducendi renunciationem civilitatis originariæ, pro qua substinenda adhibui debuissent omnes solemnitates in minorum
contractibus servari solitæ, ad tradita per
Croff. de minor. inspect. 3. *quæst*.16. *num*.1.
Rota dec.126. *num*.15. *par*.19.

Urgente potissimum in contrarium facto
ipsius Leonardi, qui effectus major eamdem originariam civilitatem semper retinuit: nedum quia domum, quæ ei obvenerat ex hæreditate matris sitam in Terra Solaroli, nulla cogente necessitate, propter
repugnantiam permanendi in dicta Terra
donavit, & in dotem constituit Angelæ,
Antoniæ sororibus suis consobrinis: Verum etiam ex eo, quod in publicis contractibus, in quibus vel uti Principalis, vel
uti Testis intervenit se fecit describere tamquam civem massensem; Pro tali semper,
& ab omnibus reputatus fuit, & tandem
vix defuncta matre, eujus intuitu habitavit
in Terra Solaroli, redivit ad Terram Massæ, ibique semper, & continuo permansit, ex quibus omnibus simul junctis prò
manat observantia, qua perspicue declara-
18 tum remanet, quod in conflictu actuum,
qui fuerunt gesti à Tutoribus prevalere debent illis deliberata mente celebratis ab ipso
Leonardo, qui verè, & manifeste patefaciunt, ejus animum fuisse suam originariam
civilitatem, & domicilium perpetuo retinendi, ad notata per *Bonden. collect. legal.* 44. *num*.4. *Card de Luc. de præeminen.
disc*.37. *nu*.10., *Rota dec*.261. *nu*.4 *par*.13.,
& *dec*.459. *num*.10. *par*.19.

Verum quatenus etiam per possibile, ex
longo incolatu in Terra Solaroli, dici posset, Leonardum ibidem acquisivisse domicilium, non tamen ex hoc in consequentiam
venit, ipsum naturalem civilitatem suæ pa-
19 triæ amisisse, cum nemini prohibitum reperiatur duplicem retinere civilitatem, alteram ex domicilio, alteram vero ex nativitate, & patria acquisitam, juxtà *Gloss.
in cap. licet* 20. *de Foro compet. in Cap.cum
nullus de tempor. Ordinat.*, *ibique Passerin. quæst*.1. *art* 2. *nu*.35. *Gratian. discept.
forens. cap*.592. *numer*.13. *Capon. discept.
for*.55. *num* 15. *lib*.1. Et in harum conflictu,
20 originariam domiciliari prevalere, & efficaciorem esse, quia filius potius originem
21 quam Patris domicilium sequi dicitur,
probant *Cephal. cons*.451. *num*.113. *R. P.
D. Zaulus ad Statut. Faventiæ to n*.2.*lib*.2.
rubr. 11. *num*.2., *Capon. loco mox citat.*,
Sanfelic. dec.75. *num*.5. *lib*.2., *Rota coram
Duran. dec*.31. *num*.13. & *in rec. dec*.459.
num.6.*par*.19.

Frustrà autem objicitur, quod ex Statuto caveatur ad consortium recipi posse eos
dumtaxat cives Massenses, qui personaliter, & per physicum, ac materialem actum
ibidem orti fuerint, quoniam omisso exa-
22 mine circa validitatem dicti statuti, de
qua alias dubitavit *Rota coram Manzanedo
dec*.710. *num*.5., & 6., hoc unum certum
est, quod ejus dispositio non est intelligen-
23 da adeò strictè de nativitate materiali,
cum sufficiat, quem esse originarium, ut
debeat admitti juxta ea, quæ pariter in terminis hujus Statuti firmata fuerunt *in dicta
dec*.710. *num*.7. *confirmat*.729. *num*.5. Maximè quia in dicto Statuto vocantur descendentes à civibus Massensibus ibi — *Cives
Massenses erexerint &c. Communitam dictæ Terræ Massæ, ut eorum descendentes
Religioni addicti, possint gaudere hujusmodi
proventibus* — Cujus verbi significatio, cum
24 magis latè pateat, operatur, ut benignior
capienda sit interpretatio, itaut pro admissione Leonardi ad hujusmodi consortia facilius judicandum veniat, cum magis favorabile sit, quod Collegia amplientur, & ha-
25 beantur Ecclesiæ Sacerdotibus, & Ministris repleæ ad *Text. in l*.3. §. *penult. ff.
de decurion. Cap. Venerabilis de præben.* &
di-

& dignit. , & consuluit *Menoch. conf.* 96. *num.*28. , & respondit *Rota coram Merlin. dec.*822. *num. ult.*

Accedente præsertim præcisa, & indivi-dua observantia juxta quam Nati ex acci-denti extra menia Massæ nunquam fuerunt exclusi, & in communiâ, de qua agitur, recepti fuerunt, & de facto ibidem perma-nent plures Sacerdotes nati tam in suburbiis Massæ, quam in Castris remotis, quæ ob-
26 servantia præbet argumentum interpreta-tiuum voluntatis statuentium, & quæmad-modum recepti fuerunt tot alii, licet non
27 orti in ipsamet Terra, ita pariter in conse-quentiam venit, quod etiam recipiendus sit Leonardus *Rota coram Emerix dec.*15. *nu.*2. *& in rec. dec.*188. *num.*23. *par.*17. quam ve-ritatem agnoscentes ferè omnes consortiales
28 solemniter renunciarunt præsenti liti, quam cum duo tantum substineant, cæteris dis-sentientibus, suspicandum merito venit de malo jure oppositionis, ut in simili respon-dit *Rota coram Coccin. dec.* 2126. *num.*2. *&* 4.

Quibus ita firmatis, nullius ponderis vi-sæ fuerunt aliæ exceptiones promotæ contra personam Leonardi, quod nempè non sit admittendus, vel quia non sit peritus in cantu Gregoriano, vel quia in eodem con-sortio adsint alii duo ejusdem familiæ, vel denique quia collegium habet liberum ar-bitrium recipiendi quemcumque ipsi malue-rint. Quoniam respectu primæ probatum adhuc non fuit, quod careat requisito can-
29 tus, & satis est ipsum esse idoneum tempo-re admissionis, pro quo effectu se se offert paratum examini, respectu vero secundæ,
30 ultra quod identitas cognominis non ar-guit consanguinitatem, adhuc ista posita, vetitum non reperitur in Jure, quod plures
31 de eadem familia ad hujusmodi consortium liberè admitti possint, ut respondit *Rota dec.*9. *par*, 18. *rec.* Et tandem respectu tertiæ,
32 cum arbitrium reguletur à Jure, quamvis Leonardus fuisset rejectus, quando tamen
33 ipse docet habere alias qualitates per statu-tum requisitas, non attenta rejectione, habe-tur pro admisso, ut fuit responsum per *Ro-tam coram Merlin. dec.*832. *num.*29. *in rec. dec.*188. *num* 30. , *&* 32. *par.*17., *& Foro-livien. loci Consilii* 5. *Maii* 1704. §. *Non obstat coram Reverendissimo Domino meo Decano.*

Et ita utraque &c.

FANEN. SUCCESSIONIS.

Veneris 4. *Maij* 1708.

ARGUMENTUM.

In dispositione Patris favore filiæ ex secundo matrimonio, posthabitis filiabus primi jam dotatis, locum non habet *L. hac edictali C. de secund. nupt.*, nisi ad novercæ suggestio-nem facta probetur.

In hac causa sunt tres sequentes decisiones, & alia superior 473.

SUMMARIUM.

1 *Sententia valida, & juxta est confirmanda.*
2 *Filiæ dotatæ nihil queri possunt de inæquali consuccessione, si pater alium hæredem in-stituat.*
3 *Causa testati aliam intestati cessare facit.*
4 *Pater cum intuitu, & contemplatione no-vercæ ejus filiam instituerit, & inæquali-ter inter filias disposuerit, locum habet dispositio* L. hac edictali Cod. de secund. nupt. *ad cujus formam paterna dispositio ad æqualitatem redigitur.*
5 *Secus non probatis novercæ sugestionibus, &* n. seq., & 7.
6 *Probationum defectum confitetur, qui pro eis parandis remissoriam petit.*

DECISIO DLVI.

Aurelia, & alii, qui a Sororibus de Tho-massinis causam habent, paternam dispo-sitionem Thomæ de Thomassinis impugnare satagentes, ex quo ipsæ uti ex primo ma-trimonio procreatæ, minus de hæreditate patris obtinuerint, quam Theresia de Tho-massinis ex secundo Matrimonio genita, quæ universalis hæres scripta fuerat, Judicium immissionis contra eamdem intentarunt co-ram R. P. D. meo tunc A. C. Aldrovando mo-do merito Collega nostro, cui illam dene-gare placuit, licet per caput separatum de-mandaverit usumfructum relictum Doralici secundæ Uxori, esse ad æqualitatem redu-cendum, juxta disposita in *l. hac edictali C. de secund. nupt.* Devolutaque causa coram R. P. D. meo Ansaldo altera emanavit senten-tia præcedentis confirmatoria quoad pri-mam partem, & quoadaliam partem deman-data fuit electio periti Curialis pro determi-nanda quantitate, sed interim mihi appella-tionis causa commissa, proposui dubium pro confirmatione, vel infirmatione Sententiæ respicientis immissionem, illamque confir-mandam esse responsum fuit.

Sententia namque, cum undique valida, & justa recognita fuerit, ideo jure merito
1 confirmationem obtinuit, *Rota cor. Royas decis.* 286. *in princ.*, *& cor. bo. me. Emerix decis.*519. *n. primo*, *& in rec. dec.* 556. *n.*2. *p.* 19. Validitas non erat in controversia, justitia vero satis resultare visa fuit ex dis-positione Thomæ de Thomassinis, in qua relicto congruo legato, ultra pinguem do-tem jam antea traditam Aureliæ, & Bartho-lomeæ filiabus ex primo matrimonio suscep-tis, hæredem instituit Theresiam filiam ex Doralice secunda Conjuge susceptam, cum substitutione in casum obitus ejusdem sine filiis, favore dictarum filiarum primi matri-
2 monii, Unde cum illæ jam suam congruam dotem de jure debitam obtinuerint, nihil habent, de quo amplius conqueri possint, & sic jure merito eisdem denegata fuit Im-missio ob petitam coæqualem successionem

in

in bonis paternis, dum causa testati aliam
3 intestati cessare facit, ut fuit dictum in *Romana, seu Veneta immissionis* 28. *Junii* 1694. §. *primo cor. Rmo Domino meo Decano, & in Romana fideicommissi de Alberinis* 11. *Maii* 1696. §. *Istoque cor. me*,

Nec subsistit, quod Thomas intuitu, & contemplatione Doralicis Novercę, Theresiam ejus filiam hæredem fecerit, & ita inæqualiter inter filias disposuerit, quo casu locum habere posset *text. in* l. *hac edictali C. de secund. nuptiis*, ad cujus formam paterna dispositio corrigenda, & ad æqualitatem reducenda foret. Quoniam cum nec sugge-
5 stiones Doralicis Novercę probentur ex dicto testamento, nec ex aliis extrinsecis documentis, alias incassum adductis, ut ipsi
6 collitigantes agnoverunt, qui ideo petierunt in hac eadem audientia remissoriam ad effectum sibi parandi probationes: Hinc pręsumendum erit, testatorem potius paterno
7 affectu, aliisque justis circumstantiis animum suum moventibus motum fuisse ad ita inter filias disponendum, ut plenè ac distinctè, omnea circumstantias facti recensendo, firmatum fuit in antecedenti *dec. R. P. D. mei Ansaldi sub die* 20. *Novembris* 1705. cum qua illius fundamenta DD. approbantes senserunt, cum nihil ab altera parte informare de irectante oppositum fuerit.

Et ita &c.

EADEM SUPER REMISSORIA.

Eadem die Mense, & Anno.

ARGUMENTUM.

Facile collizes a sequenti summario.
In hac causa sunt antecedens, & sequentes duo decisiones, & alia superior 473.

SUMMARIUM.

1 *Remissoria in profanis facilius concedi solet.*
2 *Limita cum adest maxima testium subornationis suspicio.*
3 *Et cum petitur post alios formiter testes examinatos, & publicatum processum remissoriale, & didicita testificata: quia tunc non datur examinari testes super materiis de directo contrariis, & quare?*
4 *Testes firmitati testamenti famulantes, quibuscumque aliis praeferuntur contrariis probationibus.*

DECISIO DLVII.

Agnoscentes Aurelia de Thomasinis, & litis consortes insubsistentiam proprii Juris ob defectum probationum, ut ex alia contemporanea decisione resultat, recurrunt modo ad confugium Remissoriæ pro examinandis testibus super suggestionibus per Doralicem Novercam illatis Thomę Viro ad effectum illum inducendi ad disponendum favore Theresiæ propriæ filię, sed DD. recognita incongruitate instantiæ illam denegarunt.

Quamvis enim materia, in qua controversia versatur sit profana, itaut facilius remis-
1 soria veniat indulgenda, attamen quia adest
2 maxima subornationis suspicio, de qua testimonium peribent testes per Theresiam inducti *pręsenti summorio n. primo cum seqq.* Ideo merito illius petitio venit reiicienda, *Rota cor. Bich. decis.* 142 *n.* 8., & 9., & *cor. Cerro decis.* 192. *n.* 8., & *dec.* 258. *n.* 9.

Tantoque magis, quia hujusmodi instantia promovetur, postquam coram A.C. examinati fuerunt alii testes cum interrogatoriis
3 datis ab ipsis de Thomasinis, ac post publicatum processum remissorialem, & didicita testificata, quo casu non solent amplius admitti articuli pro examinandis novis testibus super materiis de directo contrariis, quia tunc daretur ansa calumniis, ac subornationi, *Card. de Luc. de jurisdict. disc.* 31. *n.* 30. *Rot. cor. Greg. decis.* 191. *n.* 3., & *cor. Cavaler. dec.* 163. *n.* 4., & *cor. Cerro dec.* 90. *n.* 14., & *in rec. dec.* 31. *n.* 1. *p.* 7.

Et ulterius ex lectura ipsius testamenti Thomæ, patet, quam prudens illius dispositio fuerit, ad quam faciendam, dici non potest motum fuisse ab illecebris Doralicis secundæ Uxoris, ut probare intendebant Aurelia, aliique de Thomasinis ex depositione testium. Etenim ultra quod de illorum seductione testatur Petrus Gentilis alter ex testibus modo inductis, *Sum. n. primo*, adhuc urget, quod posita dispositione prædicta tam providè facta, & per plures testes de illius integritate, & subsistentia deponentes confir-
4 mata, nullius remanent efficaciæ universæ probationes, quæ modo in contrarium afferri possent, cum testes firmitati testamenti famulantes semper præferendi essent quibuscumque contrariis probationibus, ut fuit dictum in *Perusina bonorum* 17. *Junii* 1699. §. *Quoniam cor. me*.

Et ita utraque &c.

FANEN. SUCCESSIONIS SUPER USUFRUCTU.

Lunę 7. *Maii* 1708.

ARGUMENTUM.

Renunciatio quando censetur, etiam comprehendens jura *L. hac edictali C. de secundis nupt.* per transitum patris ad secunda vota? Et quomodo sit commensuranda læsio in renunciatione respectu dotis a patre vivente constitutæ.
In hac causa sunt duę antecedentes decisiones, & proxime sequens cum superiori decisione 473.

SUMMARIUM.

1 *Juris mutatio, facto mutatur.*
2 *Mulier respectu dotis renuncians per universalia verba comprehendentia bona pręsentia, & futura intelligitur comprehendisse lucrum proveniens ex L. hac edictali C. de* se.

secund. nuptiis quamvis non expressum.

3 *Nec pro illius consecutione tunc est relaxandum mandatum.*

4 *Presertim si Filia renunciaverit postquam pater jam ad secunda vota transiverat, & quare?*

5 *Vel paulo ante patris secundum matrimonium initum & cur?*

6 *Ex actuum vicinitate eorum scientia deducitur in rebus domesticis, & familiaribus.*

7 *Lesio in renunciatione facta occasione dotis recepte a patre vivente, non consideratur respectu ipsius patrimonii, sed consideratur an dos ex more regionis, & qualitate personarum, sit congrua, & de paragio.*

8 *Et talis lesio sublata remanet, cum mulier una cum viro cum omnibus solemnitatibus congruam dotem est confessa.*

9 *Renunciatio facta a dotata pro omni, & toto eo, quod ex bonis paternis, & maternis pretendere posset, dotem ex bonis utriusque parentis constitutam presumere facit ad vitandam lesionem.*

10 *Filia dotata, que pro dote renunciavit patri, qui transitum fecit ad secunda vota, legatum in testamento patris relictum si acceptet, & diu tacuerit presumitur renunciasse juribus competentibus pro dicto transitu patris ad secundum matrimonium & dotem fuisse congruam, & cur?*

11 *Mandatum non est relaxandum cum nihil innovari debet.*

DECISIO DLVIII.

FUerat ab A.C.Aldrovando modo in nostro Tribunali meritissimè sedente, ad instantiam Sororum de Thomassinis, ejusque hæredum declaratum, quod dispositio facta a Thoma eorum patre favore Doralicis secundæ uxoris subsisteret, sed quoad usumfructum eidem Doralici relictum veniret reducenda ad terminos *text. in l. hac edictali C. de secund. nupt.*, decernendo etiam veram summam, pro qua mandatum relaxavit, idque etiam fuerat confirmatum in gradu appellationis cor. R. P. D. meo Ansaldo, ut *ex ejus decisione edita* 20 *Novembris* 1705., in qua tamen demandata fuit electio periti pro liquidatione fructuum ab eo perceptorum, sed novis juribus adductis coram me, ad quem fuit delata controversia occasione liquidationis fructuum, in prosecutione Judicii mutato facto, necesse fuit etiam jus mutare, ut inquit juris consult. *in l. si ex plagis §. in bivio ff. ad l. aquiliam*: & ideo hodiè DD. a præfata decisione edita cor. R. P. D. meo Ansaldo recedendum, & per consequens nullum mandatum esse relaxandum putarunt.

Nuper enim compertum fuit, quod Sorores prædictæ recepta dote a Thoma patre pro omni, & toto eo, quod ipse prætendere possent, renunciaverint nedum -- *successioni materne, & paterne -- sed ulterius juribus quibuscumque sibi quomodolibet competentibus, & competituris, tam ex causa de preterito, & presenti, quam de futuro, sivè ab intestato, sive ex testamento* -- hu-
2 jusmodi autem verba, utpote universalia, & respicientia tempus præteritum, & futurum clare ostendunt illas voluisse in renunciationibus comprehendere etiam jus deferendum & sic lucrum competens *ex l. hac edictali*, quamvis illud non legatur expressum, adeout
3 nullum veniat pro illius consecutione concedendum mandatum, *Torre. de pact. futur. success. lib. 2. cap. 38. num. 102. usque ad n. 105., Rot. post eumdem dec. 120. n. 33., & seqq. cor. Priolo dec. 164. n. 5., & seq.*, ubi latissimè.

Tantoque magis in præsenti comprehensum dici debet lucrum petitum, quia Aure-
4 lia suam renunciationem emisit postquam pater jam transiverat ad secundas nuptias. In his enim terminis dici nequit, quod filia de hoc jure sibi competenti cogitare non potuerit, *Card. de Luc. de suscept. disc. 23. n. 14.* Et licet hæc circumstantia non verificetur adamussim respectu Bartholomeæ alterius filiæ, quæ renunciationem emisit, antequam pater secundum matrimonium contraheret
5 Attamen advertêrunt DD., quod ferè concurrit eadem ratio, & ipsam cogitare potuisse de hoc casu, illumque nimis apertè providere, quia scilicet renunciavit favore Patris sub die prima Februarii, & deinde die secunda immediatè sequenti facta fuit juxta ritum Ecclesiæ prima publicatio secundi matrimonii, quod postea contractum fuit sub die 16. ejusdem mensis, adeout ex ista ac-
6 tuum vicinitate bene deduci posse Bartholomæam plenariam scientiam habuisse transitus patris ad servanda vota, de ipso tempore renunciationis, attenta vicinitate temporis, & nimis palpabili notitia rei domesticæ & familiaris, ut etiam firmatum fuit in alia decisione super restitutione dotis edita *cor. me sub die 14. Martii 1707. §. Et hec.*

Nullius pariter relevantiæ recognita fuit nullitas dictarum renunciationum deducta ex causa læsionis, cum patrimonium patris per peritum de tempore obitus ejusdem calculatum fuerit in summa scutorum 25000. Etenim in hac materia, & pro commensuran-
7 da læsione in renunciationibus factis occasione dotis receptæ a patre vivente non est considerandum illius Patrimonium, sed solum attendi debet an dos inspecta qualitate regionis, & personarum fuerit congrua & de paragio prout in presenti fuit dos constituta præfatis mulieribus dum Bartholomeæ scut. 2000., & Aureliæ scut. 1500. traditæ fue-
8 rint & has dotes una cum earum viris omnibus adhibitis solemnitatibus fassæ fuerint congruas existere itaut proindè sustulerint quamcumque exceptionem læsionis, quæ modo posset adduci, ut firmatum fuit in alia contemporanea decisione edita cor. me super remissoria.

Ex his perempta remanet etiam alia exceptio, quod pro renunciatione facta in bonis maternis Pater nihil dederit de proprio, etenim cum

9 cum renunciationes aperte loquantur pro omni, & toto eo, quod tam ex bonis paternis, quàm maternis prætendere possent dos ex utriusque parentis bonis constituta censetur, ut respondit *Rota dec.34.p. 27., & dec. 446. n. 6. p. 10. rec.*

Accedente potissimum, quod pater in suo testamento alia bona, & pecuniam in summa scut. 600. filiabus legavit, quæque legata fuerunt ab eisdem acceptata, nec post decursum 20. annorum ulla facta fuit reclamatio adversus paternam dispositionem, ex qui-
10 bus inducitur observantia interpretativa, non solum, quod renunciationes prædictæ comprehenderent jura, quæ eisdem competere possent per transitum patris ad secunda vota sed ulterius, quod dotes fuerint plusquam congruæ dum alias tamdiù non tacuissent ex adductis *per Thesaurum qu. foren. lib.4. qu.4. n.16.*

Cumque igitur ex præmissis constet servandam esse dispositionem paternam, cessare
11 visa fuit prætensio pro relaxatione mandati ad effectum reducendi portiones, illasque æquandi, quia nihil innovari debet, & per consequens nullum mandatum esse relaxandum responsum fuit &c.

Et ita utraque &c.

FANEN. PRÆTENSÆ RESTITUTIONIS DOTIS.

Lunæ 7. Maii 1708.

ARGUMENTUM.

Habes in proximè superioribus, quæ omnes tres sunt in hac causa. Et in antecedenti decisione 473. quæ hic confirmatur.

SUMMARIUM.

1 *Bonis renunciatis, renuncians aspirare nequit.*

2 *Filia dotata acceptans legatum sibi in testamento a patre factum pro omni, & toto eo, paternam dispositionem impugnare non potest, neque pro consuccessione in bonis matris per prius renunciatis, licet Pater ad secunda vota transitum fecerit.*

3 *Læsio renunciationis pro dote excluditur, cum data fuit a patre vivente acceptantibus filia, & ejus viro cum omnibus solemnitatibus, & congruam esse asserentibus.*

4 *Læsio in renunciatione pro dote non commensuratur a quantitate patrimonii, & legitimæ cum est congrua respectu qualitatis loci, & personarum, & datur a patre vivente.*

5 *Legittima non datur a Patre vivente.*

DECISIO DLIX.

Attentis amplissimis renunciationibus à Sororibus de Thommassinis emissis, & examinatis, tam in præterita hujus causæ decisione coram me, sub die 14. Martii 1707., quam in alia contemporanea mea decisione edita super dubio usufructus in bonis Paternis ab eisdem petiti, frustraneam recognoverunt DD. instantiam petendi consuccessionem in bonis Matris, juxtà dispositam *in l. hac Ædictali C. de secund. Nupt.* Ideoquè perstiterunt in decisis.

Cum enim in dictis renunciationibus fuerint ultrà expressionem cujuscumque causæ, tàm de præsenti, quàm de futuró, comprehensa quoquè bona materna, exinde sequi-
1 tur, quod nullo modo eædem renunciantes ad illa possint aspirare, *ad Text. in L. Feminæ C. de.2. nupt. Torr. de pactis lib.2.cap. 38. num.109. Card. de Luc. de renunc. disc. 1. num.5. & 8. Rot. decis.66 num.3. par.13. recen.* & plenè firmatum fuit in altera præcedenti decisione coram me §. *Etenim*.

Maximè quià Pater in sua ultima dispositione illis diversa legata, tàm in bonis, quàm in pecuniis reliquit prò omni, & toto eo, quod à sua hæreditate prætendere pos-
2 sent: cumquè hæc omnia fuerint ab eisdem acceptata, & recepta, utique sublata remansit quælibet prætensio, quàm deinde possent deducere adversus dispositionem Paternam prò consuccessione in bonis matris, *Paul. de Castro in L. si cum dotem §. Si pater ff. solut. matrim. Camarell. de legat lib.13.quæst. 3. punct.2. num.4. Rota coram Coccino dec. 1448. num. 16.*

Nec obstare visa fuit repetita exceptio læsionis desumpta, ex quo dos a renunciantibus recepta sit longe minor legitima eisdem in bonis paternis competen., Quoniam
3 cum controversia sit circà dotem constitutam à patre vivente, & acceptam cum decreto Judicis, aliisque solemnitatibus, non solum à sororibus prædictis, sed etiam ab earum Viris, qui medio juramento fassi fuerunt, illam esse congruam, hoc satis esse putarunt DD. ad excludendam prætensam læ-
4 sionem: quotiescumque enim filia renuncians reperitur congruè dotata, habito respectu ad consuetudinem loci, & qualitatem personarum, non est habenda ratio quanti-
5 tatis patrimonii Paterni, nec legitimæ, quæ non datur à Patre vivente, *Card. de Luc. de dote disc.144. num.4. & seqq. Modern. Asculan. ad Stat. Urb. ad notat.416. art.2.nu.55. & 56. Rota dec.292. n.29. par.6. & dec.179. num 9 par.17. rec.*

Quibus omnibus ultrà lapsum 20. annorum, quo tempore nulla prætensio fuit excitata adduntur tot aliæ rationes, & circumstantiæ satis abundè examinatæ in aliis hujus causæ decisionibus, tàm super usufructu, quam in alia huic præcedenti, ut amplius dubitari non possit de comprehensione bonorum, de quibus agitur.

Et ita Domini cùm illis, ad evitandam inutilem repetitionem, transierunt, utraque &c.

RO-

CAPUANA JURISPATRONATUS.

Veneris 11. Maii 1708.

ARGUMENTUM.

Jus patronatus hæreditarium est, cum instituitur per verba *pro se hæredibus, & successoribus quibuscumque*. Quasi possessio præsentandi in auctore continuata dicitur, absque nova apprehensione, in hærede, & etiam per præsentationes ad alia beneficia ex eodem indulto concessa. Gratia derogationis medietatis vocum locum non habet, non expleta præsentatione ab eo, qui verè sit patronus. Consuetudo Neapolis continuativa possessionis in hærede explicatur, & an locum habeat in jurepatronatus, quod hæredibus debetur. Et quod illud veniat sub universali cessione. Et demum multa disseruntur circa onus probandi scientiam, à cujus die elapso quadrimestri patronus non præsentavit, & quomodo eadem excludatur ad effectum sustinendi gratiam de devoluto.

SUMMARIUM.

1 *Juspatronatus hæreditarium dicitur, cum est reservatum per verba* -- pro se, hæredibus, & successionibus quibuscumque in perpetuum.
2 *Hæres quamvis non sit de fundatoris agnatione potest præsentare in jurepatronatu hæreditario.*
3 *Præsentationes effectum sortitæ, qualitatem jurispatronatus comprobant.*
4 *Quasi possessio præsentandi auctoris ad heredem universalem sine nova apprehensione transit.*
5 *Quasi possessio præsentandi quoad unum suffragatur etiam quoad alterum beneficium ex eodem indulto promanantibus.*
6 *Præsentatio facta ab habente generalem facultatem præsentandi ad quæcumque beneficia, habetur ac si à mandante facta fuisset.*
7 *Reportans subrogationem gratiosam in juribus renunciatis ejus favore ejusdem personam repræsentat.*
8 *Litteræ Apostolicæ justificatæ sunt exequendæ.*
9 *Literæ obreptitiæ, vel subreptitiæ obtentæ, non sunt exequendæ.*
10 *Derogatio medietatis vocum necessario supponit præsentationem expletam ab existente in quasi possessione pro altera parte.*
11 *Quod ni verum sit suum effectum non sortitur*, & num. 17.
12 *Derogationes medietatis vocum à Pontifice factæ regulantur juxta dispositionem*, Text. in cap. consultationibus de jurepatr.
13 *Consuetudo Civitatis Neapolis continuandi possessionem Testatoris quænam? Declaratur non comprehendere juspatronatum*, & eur. & num. 16.
14 *Nec se extendit ultra districtum Neapolis.*
15 *Sub cessione universali comprehenditur etiam juspatronatus.*
18 *Subreptio inducitur ex iis, quæ si Papæ innotuissent, gratiam non concessisset, vel difficilius.*
19 *Subreptionem facit gratiæ derogationis medietatis vocum, si reticitum est Papæ Breve, ex quo indulgebatur, ne jurepatronatus derogari posset, nisi patronorum accesserit assensus.*
20 *Gratia de devoluto, ut locum habeat, debet ab impetrante probari scientia vacationis in patrono, qui postea intra quadrimestre non præsentaverit.*
21 *Quadrimestre ad præsentandum patronis incipit currere a die scientiæ.*
22 *Indicia ex quibus scientia vacationis præsumi posset recensentur, & absentia in longinquas terras, quæ eam excludit.*
23 *Scientia vacationis in patrono ab impetrante gratiam de devoluto magis specifice est concludenter probanda; cum adsunt urgentia adminicula ad eam excludendam.*
24 *Præsūptæ scientiæ suspicio vacationis excluditur in patrono, qui ignorantiam juravit.*

DECISIO DLX.

Intuitu fundationis, & erectionis quatuor Capellaniarum ad nutum amovibilium & unis rectoriæ, quam in Ecclesia S. Mariæ de Briano in executionem aviti testamenti expleverat Aloysius Carafa Princeps Holtiliani, san. me. Paulus Quintus mediante speciali indulto jus præsentandi rectorem prædictum, & Capellanos reservavit favore Aloysii fundatoris ejusque hæredum & successorum quorumcumque in perpetuum. Quamobrem tam ille, quam Nicolaus Gusman ejus mediatus hæres vigore ejusdem Brevis præsentationes expleverunt: istoque defuncto Principissa Maria de Toledo ejus uxor, & hæres nonnullas etiam præsentationes fecit.

Cum autem supervenerit vacatio de mense Martii 1705. rectoriæ prædictæ per obitum bon. mem. R. P. D. Francisci Carafa Hieronymus Carafa Princeps S. Laurentii supponens ad se uti fundatoris agnatum spectare jus præsentandi, die 6. ejusdem mensis præsentavit Carolum Fratrem qui preces Sanctissimo porrexit non solum pro de rogatione medietatis vocum; sed etiam, ut quatenus dicta præsentatio non fuisset facta in fra legitima tempora, eidem juripatronatus in totum derogaret & ad tenorem supplicationis literas Apostolicas reportavit.

Sed habita notitia de supradicta vacatione per Lucam Antonium de Curtis generalem procuratorem, & Agentem Principissæ Mariæ de Toledo in vim amplissimæ facultatis eidem concessæ nominandi ad quæcumque Beneficia præsentavit Canonicum Leonardum Guglielmorum sub die 5. Maii 1706. ortaque contentione in Curia Archiepiscopali Capuana supra dictarum literarum executione Vicarius generalis sententiam protulit, qua literas Apostolicas à Carolo ut supra reportatas, uti subreptitias, & ob repe-

repetitias exequendas non esse declaravit. Devoluta autem causa ad Rotam, mihique commissa cum Guglielmonus jura sua cessisset Joanni Macario de Valentibus, qui etiam in omnibus cedentis juribus gratiosè à sanctissimo subrogari obtinuit, dedi dubibum *An, & quę literę Apostolicę sint exequendę* & literas a Valente obtentas exequendas esse DD. responderunt.

Sunt enim in omnibus justificatæ nam posita existentia jurispatronatus comprobato ex prænarrato indulto sa.mem. Pauli Quinti per quod jus præsentandi, Aloysio ejusque hæredibus, & successoribus quibuscumque in perpetuum concessum fuit, utique illius pertinentia ad sepedictam Principissam spectare convincitur ex eo, quod ipsa est hæres universalis principis, Nicolai ideoque cum versemur in
1 jurepatronatus hæreditario ut preseferunt illa verba, *Pro se hęredibus successoribus quibusqumque in perpetuum* ad firmata per *Rotam cor. sa. me. Alex. VIII. dec.* 26. *n.* 3. 4.*&* 5.*& cor. Merl. dec.*94. *n.*4. *coram Priolo dec.* 381. *n.* 10., *in rec. dec.* 89. *n.* 2. *par.* 9. *& dec.* 7. *n.*6. *par.*12. satis est, quod hujusmo-
2 di qualitate sit præmunita non attento, quod non sit de fundatorum agnatione cap. cum seculum de jurepatronatus & in Clementina plures eodem titulo *Covar. var. resol. lib.* 2. *cap.*18. *n.*6. *Vivian. de Jurepatronatu lib.* 4. *cap.*2. *n.*1. *Marescot. variar. resol. cap* 55. *n.* 8. *lib.* 2. *Ricc. dec. Neapolit.* 72. *n.* 5. *tom.* 2. *Rot. in rec. dec.*72. *n.*3. *par.*7. *& dec.*409. *n.*1. *par.*18.

Fortius quia spatio 90. annorum in vim prænarrati indulti semper præsentationes expletæ fuerunt ab hæredibus & successoribus Aloysii cui primo loco fuit reservatum jus presentandi, nec non etiam admissæ ab Ar-
3 chiepiscopis Capuanis pro tempore, adeo ut tanquam effectum sortitę jurispatronatus pertinentiam summopere probant. *Rot. cor. Seraf. dec.*1141. *n.*9.10. *cor. Peutinger. dec.*317. *n.*2. *& in rec. dec.*293. *n.*4. *par.*10.*& dec.*444. *n.*12. *par.*14.

Quasi autem possessio D. Principissæ in jure præsentandi probatur nedum ex præsentatione facta de dicta rectoria per Principem Nicolaum in personam bon. mem. Francisci Carafæ per cujus obitum ad præsens vacat,
4 cujus præsentationis vigore quasi possessio transit ad dictam Principissam ejus hæredem universalem absque nova appræhensione ut post *Federic. de Senis cons.* 102. *per totum firmant Vivian. de iurep. lib.* 5. *cap.*4. *n.* 64. *Francesc. var. regol. cap.* 34. *n.* 17. *Rot. in Mediolanen. prioratus* 14. *Februarii* 1701. §. *quoniam cor. R. P. D. meo Scotto, & in Mediolanen. Cappellaniæ* 22. *Junii* 1703. §. *minusque cor. Rño D. meo Decano.*

Verum etiam ex præsentatione, seu deputatione facta per Principissam alterius ex supradictis quatuor Capellanis, quæ facultas
5 sicut promanat ab eodem indulto a quo descendit juspræsentandi rectore, ita quasi possessio præsentandi quoad illas suffragatur cum etiam quoad alteram juxta teoricam *Bald. in. l. ultima sub n.* 24. *versic. judic. eod. de emancipat. Card. de Luc. de jurepat. disc.*36. *n.*40. *Lotter. de re benef. lib.* 2. *quæst.* 10. *n.* 21. *rot. cor. Emerix. dec.*80. *n.*7. *& in rec. decis.* 39. *n.*9. *&* 10. *& dec.*273. *n.* 3. *par.* 3. *rec. & in Comen. Canonicatus* 11. *Februarii* 1704. §. *non relevante coram R.P.D. meo Scoto.*

Constito ex prædictis de pertinentia jurispatronatus, & quasi possessione præsentandi in qua repetitur Principissa, hæsitatum non fuit de validitate præsentationis factæ favore Guglielmoni, quià cum ea expleta fuerit
6 in vim genericæ facultatis nominandi ad quecumque beneficia quam Principissa proprio agenti fuerat elargita, censenda est, ac si per eandem patronam gesta fuisset per *text. in cap. Mulieres de sent. excom. Lambert. de Jurepatron. par.*2. *lib.*2. *artic.*17. *quæst.*7. *n.*2. & per consequens Joanni Macario qui in vim
7 cessionis sibi factæ per Guglielmorum. Et subrogationis gratiosæ a Sede Apostolica reportatæ in omnibus cedentis juribus succes-
8 sit, & attenta verificatione omnium, quæ in literis narrata fuerunt veniunt istæ executioni demandandæ. *Cap. si quando de rescript. Rot. dec.*244. *n.*2. *par.*9. *tom.*2. *rec. & alibi passim.*

E contra verò deneganda est executio literarum, quæ fuerunt reportatæ a Carolo ra-
9 tione subreptionis, & obreptionis, in illis enim duo præceteris supposita fuerunt alterum, quod Princeps S. Laurentii, qui eum prgsentaverat, esset patronus, vel haberet medietatem vocum: alterum vero quod a die obitus ultimi rectoris lapsum fuisset fere tempus unius anni, & tamen neutrum ex eis subsistit. Non quidem primum quia nulla affertur justificatio quod princeps S. Laurentii sive illius antecessores unquam fuerint in quasi possessione præsentandi. Quinimmo dum è converso constitit, quod a die factæ reservationis hujusmodi jurispatronatus per sa. me. Paulum Quintum in quibuscumque vacationibus semper presentationes expletæ fuerunt ab Aloysio primo reservatario ejusque hæredibus, non autem a principe, ex inde sequitur, quod derogatio medietatis vo-
10 cum quæ pernecesse supponit præsentationem expletam fuisse ab existente in quasi possessione pro altera medietate suum effectum
11 sortiri non possit, cum hujusmodi Pontificiæ derogationes regulari soleant juxta disposi-
12 tionem, *Text. in cap. consultationibus de Jurepat. Vivian. de jurepat. par.*2. *lib.* 11. *cap.* 3. *n.* 39. *Lotter. de re Benef. lib.*2. *par.* 8. *n.*106. *Rot. cor. Dunozet- Jun. dec.* 985. *n.*5. *& in rec. dec.* 293. *n.* 8. *par.* 10. *& in Mediolanen. Beneficii* 1. *Aprilis* 1707. §. *Tantamque cor. R.P.D. Meo Ansaldo.*

Parum suffragante, quod præfatus princeps S. Laurentii jus præsentandi ad dictam rectoriam etiam ad tenorem dictæ reservationis, & indulti Pontificii desumat ex qualita-
13 te hæreditaria quam habet respectu Nicolai Gusman defuncti Principis Hostiliani in vim statuti seù consuetudinis Civitatis Neapolis: cujus

cujus vigore Et si testator sibi deberi prætendit medietatem bonorum antiquorum illius, nam ultra quod dicta consuetudo non se extendit ultra districtum Neapolis proindeque
14 non complectitur juspatronatus de quo agitur cujus bona sita sunt extra illum in diœcesi Capuæ ut testatur *Molsef. ad consuetud. Neapolit. Tom. 1. par. 2. tit. 2. quest. 1. per tot. Rosa ad consuetud. Neap. Gloss. t. n. 12. & 19. Morcian. disput. 45. num. 1. par. 1. Montan. contr. 1. n. 53. Capic Latr. dec. 135. n. 24. de Franch. dec. 546. n. 1.*

Quamcumque dubitandi rationem substulit factum ipsius Principis S. Laurentii, qui omnia & quæcumque jura in vim dictæ consuetudinis sibi competentia certo recepto pretio cessit favore regii Fisci Neapolis a quo declaratum fuit dictam cessionem in Beneficium Principissæ Hostilianì confectam fuisse, ne amplius molestari posset a Principe S. Laurentii pro dictis bonis antiquis undè
15 cum dicta jurium cessio sit universalis sub ea comprhænsum remanet hujusmodi jurispatronatus quatenus per possibile eidem Principi S. Laurentii competere potuisset ad *text. in cap. cum literis & cap. cum sæculum de jurepatron. Lorat. eodem tract. par. 2. lib. 6. quæst. 5. artic. 11. Barbos. de potest. Episcopi par. 3. allegat. 71. à n. 2. ad 33. Olea de cessione jur. tit. 3. qu. 8. n 26.*

Tertius quia agnatus veniens ex dicta consuetudine dicitur hæres dumtaxat particu-
16 laris, & tanquam legitimarius reputatur inquem non transit juspatronatus quod remanet pœnes hæredem universalem per *Text. in l. quoties cod. de hæred. instit. Vivian. de jurepat. par. 6. lib. 4. cap. 2. n. 50. Rota cor. Dunozet. jun. dec. 111. n. 10. & in rec. decis. 542. n. 9. & seq. par. 5. Menach. cons. 401. n. 126. tom. 5. Rot. dec. 70. n. 16. par. 12 & dec. 413. n. 9. par. 18. & in præcisis terminis Civil. in suis question. Canon. qu. 40. n. 5.*

Minusque subsistit secundum suppositum respiciens gratiam derogatoriam jurispatronatus ex jure devoluto, vel quia gratia non est simplex, sed conditionalis, quatenus scilicet præsentatio ejusdem Caroli non sit facta legitimo tempore, & cum supposito, quod Princeps S. Laurentii esset verus compatronus; unde si Papæ innotuisset quod princeps talis non erat, quodque præsentatio ab eo facta intra legitima tempora adhuc inefficax remansisset utique gratia non concessisset vel
18 difficilius concessisset, quod sufficit ad subreptionem inducendam. *Felin. in cap. super literis n. 8. de rescr. rot. cor. Dunoz. dec. 739. n. 1. cor. Bich. dec. 302. n. 5. & in rec. dec. 496. n. 2. par. 5.* vel quia summo Pontifici non
19 fuit expressum quod ex indulto san. mem. Pauli Quinti dicto juripatronatus non poterat ullatenus derogari nisi patronorum accesserit assensus quæ circumstantia talis est efficaciæ, ut illius taciturnitas gratiam vitiet ex defectu intentionis, ut probat Chokier in *reg. Cancel. super reg. 42. n. 13. circa finem, & Rot. dec. 372. n. 4. par. 17.*

Vel tandem quia ut locum habeat gratia
20 de devoluto Carolus Caraia probare teneretur scientiam præcisam & certam principissæ Hostiliani sivè illius agentis sequutæ vacationis controversæ rectoriæ de mense
21 Martii 1705. ut a die scientiæ currere deberet quadrimestre patronis concessum ad præsentandum per *Text. in cap. licet de suplen. negl. Prælat. cap. quia diversum de concess. præbendæ.* Pro qua suadenda licet adduca-
22 tur, quod agitur de Beneficio insigni annui redditus ducatorum 150. sito in loco 15. tantum milliariis distante a Civitate Neapolis quod ordinarius ad valuas Ecclesiæ fecit affigere edicta quæ spatio decem dierum ibidem affixa steterunt & vacatio contingit per obitum R.P.D. Francisci Carafæ qui in Civitate Neapolis multos habebat consanguineos quodque tandem a die jam decursi quadrimestris lapsi sint octo menses, tamen quia è converso probatur, quod Principissa moram trahit in regali villa Matriti ejus agens commoratur in Civitate Neapolis, rectoria ejusque bona sita sunt in diæcesi hæc omnia si-
23 cut urgentiora visa fuerunt ad excludendam verisimilem scientiam principissæ & agentis, ita magis obligant impetrantem ad eam specifice & concludenter probandam Joannes. *And in cap. ex parte n. 2. versic. solus bonus de caneg præbendę Vivian. de juucpat par. 3. lib. 14. cap. 5. n. 12. & 13. Lotter. de re benef. lib. 2. qu. 24. n. 14. Rota in dict. Rom Capellaniæ 25. Novembris 1705. §. fortius cor. R. P. D. meo Ansalda.* Maxime quia agens qui præsentavit medio ju-
24 ramento allegavit ignorantiam vacationis dictæ Rectoriæ qua concurrente omnis suspicio exclusa remanet præsumptæ scientiæ ut probat Abbas in *cap. quia diversitatem n. 6. de concess. præbendę Menoch. de arbitr. cap. 188. n. 3. rot. cor. Coccino dec. 1289. n. 27.*

Et ita utraque &c.

PAMPILONEN. EXEMPTIONIS.

Lunæ 14. Maii 1708.

ARGUMENTUM

Traditur modus nè Ecclesiastici fraudare possint Secularia bannimenta circa exteri vini introductionem, quæ tamen ipsos non ligant pro quantitate, quæ ipsis, & eorum familiæ inservit.

SUMMARIUM.

1 *Validitas sententiæ apparet ex revolutione actorum.*
2 *Secularibus Edictis, & bannimentis Ecclesiastici non ligantur.*
3 *Exemptio competit Ecclesiasticis a bannimentis secularibus pro ea quantitate vini exteri introducendi, quæ inservire posset illis, & eorum familiis.*
4 *Sed, ut obvientur fraudes, rejecta juramento in manibus ordinarii pro declaranda quan-*

quantitate Ecclesiasticis necessaria, assignantur quatuor Salmæ pro quolibet, & deindè ea quantitas, quæ verè sit necessaria, dummodò exhibeat schedulam ab Episcopo, vel vicario generali approbatam, juxta auctoritates, de quibus in decisione.

DECISIO DLXI.

PRo clamantibus Vicario, & Choristis Parochialis Ecclesiæ S. Joannis, ac Portionariis, & Capellanis Cathedralis Ecclesiæ Pampilonen. adversus quondam statutum dictæ Civitatis editum per quod tam laicis, quam Ecclesiasticis introductio vini Exteri seu, foranei prohibebatur, favorabilis sententia ab Episcopo eorum favore lata fuit per quam declaratum extitit posse illos quatuor onera vini pro quolibet ad proprium usum libere introducere. Devolutaque controversia ad nostrum Tribunal licet primo loco fuerit restricta libertas ad duas Salmas, ut in decisione edita die 25. Junii 1708. coram R.P.D. meo Ansaldo tamen in aliis causæ propositionibus DD. se se conformantes judicio Rmi Episcopi, & pensatis omnibus circumstantiis facti quantitatem auxerunt ad salmas quatuor, & quatenus indigentia (judicio ejusdem Episcopi approbanda cum pagella per eum subscripta) majorem quantitatem requireret, illa esset liberè introducenda; sed cum adhuc regimen appellasset causa mihi commissa fuit, illo pluries lacessito, & tamen semper comparere detrectante, ideo informantibus dumtaxat Ecclesiasticis proposui dubium - *An sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda, & confirmandam* DD. responderunt.

1 Validа enim apparuit ex revolutione processus juxta famigeratam decisionem 260. Caputaquen. par. 2. justitia vero satis abunde constitit ex firmatis in decisionibus editis coram R. P. D. meo Ansaldo quarum fundamenta in concussa visa fuerunt cum certum sit, nec unquam ab altera parte controversum, quod Ecclesiastici nullis ligantur sæ-

2 cularibus bannimentis, & edictis juxta *Text. in cap. Ecclesiæ S. Mariæ de Constit. advertunt del bene de immunitate Eccles. cap. 5. dubit. 32. num. 4. Rota dec. 412. num. 1. par. 9. rec.*, & loculentur firmant omnes prædictæ decisiones.

Et quamvis regimen non controverteret Ecclesiasticis personis exemptionem pro ea

3 quantitate vini, quæ in servire possit illis, & eorum familiis, sed solum difficultatem faceret pro ob viandis fraudibus) circa modum introducendi vinum hujusmodi, requirendo ad hunc effectum juramentum ab ejusdem in manibus ordinarii præstandum. Hinc habentes DD. respectu ad veram, & non

4 abusivam indigentiam Ecclesiasticorum, & seposito prætenso juramento, agnoverunt bene fuisse resolutum in sententia, de cujus viribus hodie disceptatur, quod unicuique eorum traderetur, ea quantitas vini, quæ vera sibi necessaria fuisset, etiam ultra salmas quatuor dummodo exhibeatur schedula, seu bulletta ab Episcopo, sive ejus Vicario Generali approbata, & proprio charactere subscripta, in qua obsignata sit ea quantitas vini, quæ pro indigentiis unius cujusque opus fuerit, ut per sæpè in similibus alias practicatum fuisse testatur *Rota decis. 412. num. 20., & 33. par. 9. recen.*, & firmat *dicta postrema decisio R.P.D. mei Ansaldo §. Atque ad hanc*, cum qua DD. transierunt.

Et ita &c.

ROMANA IMMISSIONIS.

Lunæ 14. *Maii* 1708.

ARGUMENTUM.

Immissio in Salviano, requisitis necessariis concurrentibus, denegari nequit, quin impediatur ab anterioribus creditoribus jam sati sfactis, vel perceptione fructuum ex bonis communis debitoris illiquidis. Donatio unius prædii, an comprehendat alterum distinctum, alioque nomine nuncupatum, & pro diverso habitum; & cum in judicio unum solum jam antea hujus donationis vigore, ob allegationem cauteiæ Angeli, petitum obtentumque fuerit. Valor vineæ quomodo ex peritis probetur? quin eis contraponi possint testes præsertim deponentes de valore unius anni, vel detecti mendaces, vel instrumentum venditionis cum responsione vitalitia, ad cuius tramitem & inspecta ætate juxta dispositionem *L. hæreditatum ff. ad. L. falcidiam* sit facienda valoris liquidatio, & quando tali modo, vel cum peritis valor rei sit probandus? Officium vacabile alicui donatum, cum hoc, quod super ejus vitæ periculo curreret, qui illum exerceret; nisi resignet, eistimationem reficere donatarii hæredes donanti non debent. Fructus dotales cum fructibus bonorum viri propria auctoritate retentorum, compensantur. Et nomina debitorum vito in dotem assignata sipercant, quando ejus damno cedant.

SUMMARIUM.

1 *Extrema judicii in Salviano recensentur, & n. seq. Creditum cum hypotheca resultat ex publico instrumento camerali obligatione vallato.*
2 *Possessio convincitur ex sustentatione litis.*
3 *Immissio extremis concurrentibus denegari nequit.*
4 *Creditori ex juribus sui debitoris contra hujus debitorem uti licet.*
5 *Creditor anterior in tempore præfertur posterioribus.*
6 *Ad immissionem obtinendam, necessarium est de credito liquido docere*, n. 8.
7 *Creditum turbidum redditur ex immissione obtenta ad alia bona debitoris, eorumque fructuum perceptione.*

9 *Creditum anterius extinctum, pro posteriori liquido in communis debitoris bonis immissionem minimè retardat, & n. seq.*

11 *Bona jam donata donantis hæreditaria non censentur.*

12 *Donatio ad unam speciem, seu corpus restricta alteram separatim, aliterque quam illud vocatum non comprehendit.*

13 *Præsertim si separatim locari consueverunt.*

14 *Amplia etiamsi unum alterius parietibus cohereat: quia ex hac accidentali qualitate unitas, & annexio non arguitur.*

15 *Et quando in judicio unum tantum, utpote donatum, petierunt, & obtinuerunt: & tunc non potest judicis sententia ad aliud, quod in ea non legitur, extendi.*

16 *In materia æstimationis prædiorum, utpote sub sensibus cadente, peritis judex stare debet: cum rite processerint, & quomodo ab iis procedendum?*

17 *Maximè si periti sint inter se concordes.*

18 *Periti de partium consensu electi relationem non licet impugnare.*

19 *Presertim si ab ea non fuit appellatum.*

20 *Testes ad perpetuam non attenduntur.*

21 *Peritorum relationes testibus ad perpetuam præferuntur.*

22 *Testium relatio se restringens ad fructus unius anni, rei valorem non concludit & cur?*

23 *Valor rei ut constituatur haberi debet respectus ad fructus temporis anterioris, & posterioris.*

24 *A reddito unius anni illatio trahi non potest ad redditum aliorum.*

25 *Vinea fodiva fuisse non præsumitur, si pactum initum fuerit traditionis annuatim arundinum pro ejus manutentione, & quare?*

26 *Pretium rerum statuitur ab emptione.*

27 *Vita hominis de jure est 65. annorum ad text in* L. hæreditatum ff. ad L. falcid.

28 *Pretium rerum in venditione vitalitia statuitur juxta text. in L. hæreditatum.*

29 *Distingue procedere si agitur inter emptorem & venditorem ad dimetiendam læsionem, non cum de rei vero valore cognoscendo res est: quia tunc ex peritorum estimatione habeatur, juncto n. 31.*

30 *Utilitas quam in contractu habuit emptor transivitque in ejus hæreditate, comodo quoque illius creditorum cedit.*

32 *Officii vacabilis amissio in ejus damnum vergit, qui vendere, & investire tenebatur, & tamen passus est vacare, vel ejus fidejussoris.*

33 *Officii vacabilis donati, ut super donatarii vita curreret, qui illud exerceret, fructus ut vivens perciperet donati dicuntur, non autem, ut eo resoluto, a donatario debeatur estimatio, nisi resignaverit.*

34 *In restitutione dotis tanto minus mulier recepisse dicitur, si in bonificatione bonorum de proprio erogavit.*

35 *Fructus bonorum Viri debitoris dotis a muliere, & ejus hæredibus retentorum propria auctoritate in usurarum dotalium satisfactionem imputantur.*

36 *Nomina debitorum viro a muliere assignata, sine declaratione, quod essent vera, & exigibilia, nisi doceatur, quod iste adeò negligens fuerit, ut ejus culpa facta fuerint deteriora, & non solvendo, ejus damno non pereunt.*

DECISIO DLXII.

Relictis post se Elisabettha, Anna, & Catherina filiabus quarum prima nupta fuerat Cammillo, altera Francisco, ultima vero Neapolioni fratribus de Mannuccia, Petrus Zaccone communis parens diem clausit extremum, ejusque propterea bona inter dictas Sorores divisa fuerunt, & ex eis Annæ, & Francisco Coniugibus in partem signanter obvenit census, quem Rodulphus, cæterique fratres de Cappellettis prætio sc. 400. imposuerant favore dicti Petri Zacconi. Defuncta autem Anna, istius hæreditas cum dicto censu ex testamento delata fuit ad virum, qui cum ex causa tutelæ & curæ per eum gestæ sub die 26. Martii 1678. debitorem se constituisset Mariæ Victoriæ Palazzesche dictæ Catharinæ filiæ in scutis 5396., id circo ista ad hujusmodi summę satisfactionem consequendam, ex persona Francisci debitoris sui contra dictos fratres de Cappellettis debitores scutorum 1275. pro fructibus decursis prænarrati census institit immitti cor. A. C. in vim utilis Salviani interdicti ad possessionem domus per eos possessę, & in urbe positæ è conspectu Ven. Monasterii Spiritus Sancti.

Interim verò, dum hoc pendebat judicium, alii creditores ejusdem Francisci comparaverunt in actis, & obtinuerunt ad causam admitti, videlicet Marchio Hunez ex causa litterarum Cambii scutorum 323 per dictum Franciscum eidem tractatarum de mense Maii 1650., Et Lucretia, alieque sorores de Mannuccis filiæ Elisabethæ sororis Annæ, quæ supponentes non posse consequi maternam dotem ex bonis Cammilli Patris, pro quo dictus Franciscus fidei usserat, ex istius persona immissionem pariter ad dictam domum petierunt pro dicto credito dotali quod ascendere ad scuta 8076. 41. retulerat Bartolavius peritus in diversa causa ad alium effectum electus. Efformata hujusmodi triangulari controversia inter creditores prædicatos, placuit A. C. in exclusionem Mariæ Victoriæ geminas sententias contemporaneè, proferre, & in quarum altera Marchioni Hunez immissionem concessit pro sola summa scut. 735., in altera verò Lucretiæ, aliisque filiabus Elisabethæ, ut Marchione prædicto integrè satisfacto super reliquis fructibus dicti census restitutionem maternæ dotis consequi possent. Quibus tamen sententiis non acquiescentibus collitigantibus unusquisque appellationem interposuit, causaque ad nostrum Tribunal delata quæsitum fuit à me sub die 8. Februarii

ril 1706. *An, cui, & pro qua summa sit dan-
da immissio*: & DD. Agnoscentes quod non
docebatur quænam esset quantitas certa resi-
dualis dotis restituendæ filiabus Elisabethæ,
quodque pro illa indaganda pedes figi non
poterant in peritia Bartolaci, vel quia fuit
edita in causa diversa, aliis creditoribus nec
auditis, nec citatis, vel quia dictus Petrus
fuit electus ad referendum super solo, & sim-
plici tenore jurium, & scripturarum quæ
tunc temporis fuerant in actis productæ, non
autem ad recognoscendum dict. creditum
dotale ejusque veritatem firmandam: pro-
pterea mandarunt eligi alterum peritum Cu-
rialem cum facultate sibi assumendi Archi-
tectum, & agrimensorem pro estimandis do-
mibus, & vineis hæreditariis Cammilli, &
Francisci fratrum de Mannuccis à dictis so-
roribus pariter de Mannuccis retentis in
causam dotis Elisabethæ Matris, ut sub
tracto, quantitas residualis dotis prędictę
posset agnosci, cumque peritus sic electus
suam ediderit relationem, ex ea compertum
extitit, valorem bonorum, quæ retinentur
à sæpè dictis sororibus eorumque fructus su-
perare creditum dotis, ejusque inter usuria:
ideoque debitrices remanere, sed ipsis ab
hac relatione proclamantibus, cum plura gra-
vaminum momenta allegaverint, in repro-
positione causæ die 14. Februarii 1707., DD.
eo tunc consultius putarunt ad tertii periti
electionem devenire, qui tandem præce-
dentis relationem ferè in omnibus confirma-
vit. Unde prænotato dubio à me hodie pro-
posito, Cum nemo pro Cappellettis reis con-
ventis comparuerit, & præsens contentio
inter solos concreditores restricta fuerit,
responsum prodiit -- *dandam esse immissio-
nem Mariæ Victoriæ*.

Siquidem concurrunt illius favore extre-
ma omnia in hoc judicio necessaria, nimirum
creditum cum hypotheca, quia ipsa habet
1 pro se claram, & manifestam obligationem
Francisci emissam in publico, juratoque in-
strumento, obligatione camerali vallato, cre-
ditum ejusdem Francisci contra Cappellettos
convincitur ex prænarrata census impositio-
2 ne. Possessio vero eorumdem de Capellettis
respectu domus, de qua agitur, non contro-
vertitur, & resultat ex lite, quamdiù in præ-
teritum substinuerunt: quibus omnibus stan-
3 tibus, quemadmodum immissio non potuisset
negari Francisco, ita illa ex ejus viribus Ma-
4 riæ Victoriæ agenti contra Cappellettos debi-
tores debitoris sui erat concedenda, ad nota-
ta *per Merlin. de pignor. lib. 2. tit. primo qu.
29. n. 2., Rot. cor. Merlin. dec. 2. n. primo
in rec. dec. 118. n. 10., & seq.* p. 10. *dec. 344.
n 7. p. 14., in Romana lucri dotis, & fruc-
tuum* 30. *Aprilis* 1700. *§. præsupposito cor.
R. P. D. meo Ansaldo, & in Romana sal-
viani 7. Martii* 1701. *§. arrisit cor. eodem.*

Non obstat, quod inter creditores pro con-
sequenda immissione certantes, præferri de-
buisset Marchio Nunez, & sorores de Man-
5 nuccis, utpote cæteris in tempore anteriores
*ex text. in l. si pignus ff. Qui potiores in pi-
gnore habeantur*. Quoniam posita etiam eo-
6 rum anterioritate, respectu Marchionis Nunez
deficit ei extremum omnino necessarium ad
ipsius intentum, nempe creditum liquidum
Constitit enim ex calculo e libris ejusdem
Marchionis extracto, quod ipse remanet in-
tegre satisfactus, & in omnem casum, cum
ipse per geminas Rotales sententias immissio-
7 nem obtinuerit contra Principem Justinia-
num, eaque mediante fructus perceperit,
proprium creditum turbidum, & illiquida-
8 tum effectum fuit, itaut pro eo, attenta d.
turbiditate, nullo modo debeatur immissio,
Rota in dec. 666. n. 9. p 19., *& in Bononien.
immissionis* 6. *Martii* 170. *§. finali coram
R. P. D. meo Scotto, & in Reatina fideicom-
missi* 15. *Aprilis* 1701. *§. Eoque cor. bo. me.
Pio*.

Respectu vero Sororum de Mannuccis, ea-
rum creditum, licet anterius, utpote extin-
9 ctum, aptum non est ad retardandam immissio-
nem favore creditoris posterioris. Quando-
que recognitis omnibus partitis solutionum
factarum per Elisabetham titulo dotis in ma-
nibus Cammilli Viri, illisque numeratis tam
a secundo, quam a tertio perito, agnitum
fuit ascendere in totum ad scut. 3430. Quibus
contrapositis pluribus partitis bonorum hæ-
seditariorum ejusdem Cammilli, & fratrum
de Mannecis a prædictis Sororibus occupato-
rum, & respectivè distractorum, cum istę
constituant longe majorem summam, hoc est
scut. 4430. 50., non solum creditum dotale
Elisabethæ extinctum remansit, sed etiam
Sorores prescriptæ apparent debitrices in
scutis 995. itaut in necessariam consequen-
tiam veniat, quod deficiente credito ante-
10 riori Mariæ Victorię, pro credito liquido
quamvis posteriori retardari nequeat immis-
sio, *Rota dec.* 224. *n.* 25. *p.* 17. *dec.* 259. *n.* 11.
p. 18., *dec* 217. *n.* 9. *p.* 19., *& in malevitana
successionis* 27. *Junii §. perpensis cor. Reve-
rendissimo D. meo Decano, & in Beneven-
tana Manutentionis* 20. *Junii* 1698. *§. &
præterea cor. Eminentissimo de la Tremoille*.

Nec ad declinandam extinctionem d. cre-
diti dotalis opponi valet, quod a calcul o bo-
norum, quæ in illius causam imputantur,
detrahi debeat valor viridarii *a Cerebi* ven-
diti per Sorores pretio scut. 190., cum sup-
posito, quod illud, tanquam comprehensum
in donatione intuitu Matrimonii facta, ad
11 Camilli favorem, ejusque filiorum reputa-
ri non debeat illius hæreditarium, sed ve-
niat earum comodo adscribendum. Etenim
non subsistit in facto, quod viridarium pre-
dictum fuerit comprehensum in donatione,
tum quia ista restricta legitur ad familia, quo-
12 rum appellatione viridarium venire non po-
test, utpote prorsus distinctum, & separatum,
cum aliter vocetur unum ab altero, ut pro
excludenda comprehensione advertunt *Pa-
ccion. de locat. cap. 23. n. 73. Gratian. discept.
foren. cap. 126. n. 12. Rot post Paccichel. de
distantiis dec. 24. n. 4.* tum quia in ea supe-
rad-

raddita fuerunt verba -- *che rendano, e fruttano scudi* 460. *l'anno* -- Unde cum fænilia dumtaxat locentur pro ista pensione, Viridarium autem pro annuis scutis 24., ex hu-
13 jusmodi consuetudine locandi separatum, optimè excluditur comprehensio; Viridarii sub fænilibus, ut probant authoritates supra relatę, non attento, quod viridarium cohereat
14 parietibus fænilium, quia hæc accidentalis, & extrinseca qualitas prædii nullum constituere valet unitatis, & annexionis argumentum, ut respondit *Rota in Romana Domus* 4. *Julii* 1696. §. *nec annexio cor. Emo D. Caprara* Tum & fortius quia in cauthela Angeli adversus creditores per Sorores allegata ad præservandum bona, ut supra donata, nulla mentio habetur de viridario, sed solumodo de fænilibus, & officio Scriptoratus Apostolici, & sententia ab A. C. desuper lata mandans servari d cauthelam Angeli fuit restricta ad bona prædicta, ex quo fit, quod eędem
15 Sorores, quæ coram Judice facto proprio declararunt, viridarium non esse in donatione comprehensum, non possunt modo Judicis sententiam extendere ad illud, quod in ea non legitur expressum, ut notat *Card. de Luc. de praeminent. disc.* 4. n. 4, *Magon. dec. Florent.* 3. *n.* 7., *Rota dec.* 7. *n.* 2. *p.* 9 *rec.* & *in Beneventana manuten.* 20 *Junii* 1698. §. *neque cor. Eminentissimo de la Tremoille.*

Minusque visum fuit dutrahendum esse valòrem vineæ positæ extra portam majorem in contrada nuncupata *Monte d'oro* sub prætextu, quod hæc sit nullius, vel modici valoris. Quonim cum secundus, & tertius peritus juxta facultates eisdem impartitas, sibi assumpserint alios peritos agrimensores, & estimatores, qui inspectis tam quantitate & qualitate terreni, quam arboribus, & commoditate ædificiorum, aliisque circumstantiis diligenter examinatis, unanimes retulerunt vineam præscriptam esse valoris sc.
16 2080., utique standum est ipsorum judicio, cui in hac materia sub sensibus cadente, nec spectante ad Judicis officium, sacra Rota semper deferre consuevit, *Rota cor. Celso dec.* 236. *n.* 9., & *seq.*, & *in Romana cambii prima Julii* 1701. §: *deveniendo coram Eminentissimo Caprara*. Maxime quia fue-
17 runt inter se concordes, *Paeeton. de locat. d. cap.* 35. §. 5. *n.* 62., & 85. *Rota in Sutrina dotis* 14 *Martii* 1698. §. *nec est cor. Reverendissimo concben.*, & *in imolen. pecuniaria* 29. *Aprilis* 1690. §. *error coram Eminentissimo Caprara*. Et non solum eorum ultimus fuit electus de communi partium
18 consensu, quo casu illius relationem non licet impugnare, *ex text in l. hac edictali* §, *mobilium*, *C. de secundis nuptiis*, *Rota cor. Merlin, dec* 317. *n.* 6. *cor. Coccin. dec.* 781. *n.* 5., & *in rec. dec.* 595. *n. primo p.* 19. Verum etiam a d. ultima relatione non fuit per
19 Sorores appellatum, a qua propterea tanto minus reclamare possunt, *Rota cor. Priolo dec.* 157. *n.* 2., & 3., *cor. Dunozet. jun. dec.* 669. *n.* 3., *cor. Bich. dec.* 564. *n.* 7., & *in Pisauren. hæreditatis* 14. *Martii* 1698. §. *Insuper cor. bo. me. Muto*.

Frustraque ad redarguendum de errore memoratos peritos recurrunt Sorores ad depositiones nonnullorum testium per eas adductas. Ultra quod enim omnes fuerunt
20 ad perpetuam rei memoriam examinati, ideoque nullam fidem merentur, & in eo-
21 rum concursu peritorum relationes sunt præferendæ, ut respondit *Rota cor. Celso dec.* 236. *n.* 12., & 13. satisfecit responsio, quod duo ex eis, qui deponunt, Vineam, de qua agitur anno 1679., quo pervenit ad manus
22 Elisabethæ reddidisse tantum cados 124. vini, se restringunt ad unicum annum, quod nihil concludit, ex quo d. tenuis recollectio potuit evenire vel propter grandinem, vel propter alia infortunia secuta in illo anno,
23 quando ad costituendum verum rei valoram necessario haberi debet respectus ad tempus anterius, & posterius, nec a reddi-
24 tu unius anni, trahi debet illatio ad redditum aliorum, ut probat *Gratian. discept. forens. cap.* 461. *n. primo*. Alii vero duo deponentes, quod vinea de anno 1688., quo inter Sorores facta fuit divisio, reperiebatur in statu sodivo, & modicos peperit fructus convincuntur de mendacio, tam ex relationibus peritorum, qui recognoverunt ocularitèr vites, & bonum statum vineæ, quam ex ipso instrumento divisionis, ad quod testes se referunt, in quo conventum extitit inter Sorores condividentes, quod ille, in quem obvenisset vinea sita extra portam
25 Sancti Laurentii gravatus censeretur onere tradendi singulis annis octo milliaria arundinum pro manutentione vitium vineæ controversæ positæ *a Monte d'oro*, quod factum ad evidentiam demonstrat, quod hæc de eo tempore non erat quidem sodiva, ut asseritur sed vitibus bene instructa, & repleta, cum prorsus inverisimile sit, quod condividentes voluissent pacisci subministrationem arundinum, si revera vinea sodiva fuisset, nullamque aut modicam utilitatem attulisset, ut arguit *Rota cor. Celso dec.* 236. *n.* 14.

Prætensio autem, quod ad effectum statuendi valorem d. Vineæ, deferendum non sit peritis, sed prætio resultante ex instru-
26 mento emptionis factę per Cammillum de anno 1664. a Coniugibus de Stordonis, in quo ad vitam illorum promissa extitit traditio cadorum 12. vini, & respective solutio annua scut. 168., ex quo inferunt Sorores de Mannuccis, quod cum de tempore Contractus
27 venditores attingerent annos 63., juxta censuram text. *in l. hæreditatum ff. ad l. falcidiam* tributis quinquennio ætati sexagenariæ,
28 eo tantum calculato, pretium vineæ, subductis scut. 400. ibidem conventis pro altera Vinea posita extra portam S. Lautentii excedere non debeat scut. 501. circiter, nullam habet subsistentiam, nam quidquid dicendum
29 foret, si lis penderet inter emptorem, & venditorem pro dimetienda contractus læsione, hoc unum certum est, quod cum verse-

siemur in præsenti circa cognitionem, & exa-
men valoris vineæ, quæ pervenit ad manus
filiarum Elisabethæ, si Cammillus inivit con-
tractum sibi utilem, talisque utilitas reman-
30 sit in illius hæreditate, illa etiam ad credi-
torum manus, & sic dd. Sororum transivit,
ideoque non debet attendi valor præsuntivè
31 deductus ex calculo prescripto in *d. l. hære-
ditatum*, sed verus, & realia a Judicio, &
peritorum extimatione statutus, ut probat
*Urceol consult. 2. n. 56., Rota in Cometana
juris offerendi* 20. *Martii* 1790. §. *qua qui-
dem cor. Eminentissimo Caprara*.

Nullamque pariter subsistentiam habere
visum fuit assumptum, quod ad augendum
creditum dotale Elisabethæ, habenda sit ra-
tio officii scriptoratus Apostolici in Capitu-
lis matrimonialibus per Franciscum, aliosque
fratres Cammillo, & filiis donatum, quod
32 cum per obitum ejusdem Cammilli vacave-
rit, quando illud vendere, & investire te-
nebatur, ejusdem pretii deperditio, & am-
missio, Francisci damno cedere debeat, qui pro
Cammillo fidejusserat. Etenim omnem sub-
stulit difficultatem littera ejusdem donatio-
nis, quę eo ipso, quod concepta legitur
33 cum declaratione, quod officium curreret
super periculo vitæ ipsius Cammilli, qui il-
lud exerceret, cessat pretensa conventio su-
per illius resignatione, ut quodammodo fie-
ret perpetuum ad comodum Uxoris, & filio-
rum, officiumque isto casu censetur dona-
tum, quousque donatarius existeret in rerum
natura, ut ex eo fructus perciperet, non
autem ut eo resoluto a donatario debeatur
estimatio, quod nullum juris, aut rationis
habet fomentum, ut probat *Card. de Luca
de offic. vacab. cap.* 12. *n.* 2., & prosequitur
*R. P. D. meus Ansaldus in suo tract. de com-
merc., & mercat. disc.* 60. *n.* 58., *& seq.*

Atque ex his semper remanet firmum, So-
rores de Mannuccis, ultra creditum dotis
maternæ, ex bonis Camilli patria recepisse
scut. 995. Non relevante responsione, quod
vel ista absorbeantur a fructibus dotalibus,
quod sibi debere contendunt, vel quod in d.
summę diminutionem imputari debeant scu-
34 ta 278. subtrahenda ex valore domus, utpo-
te quia hujusmodi summam Elisabhet de pro-
prio impenderit pro costruenda scala, quæ
non aderat, ideoque tantominus receperit
in causam restitutionis suæ dotis. Quoniam
respectu fructuum dotalium compertum fuit
in facto, quod statim ac Elisabhet anno 1678.
35 Judicium introduxit super assecuratione
suæ dotis, non Judicis imperio, sed propria
authoritate omnia bona viri occupavit, eaque
defuncta ipsius filiæ in eorum possessione
continuarunt, fructusque perceperunt, qui
tanquam recollecti ex bonis Cammilli debi-
toris juxta omnem æquitatem, in usuratum
dotalium satisfactionem imputari debent ad
tradita per *Amat var. resolut. cap.* 83. *n.* 15.
in fine Bosi. de dote cap. 19. *n.* 6. *Cord. de Luc.
eodem titulo disc.* 117. *n.* 4. *Rota post Mer-
lin. de pignor. dec.* 3. *n.* 2. *Dunozet. jun. dec.*
708. *n.* 2., *& cor. Emerix. dec.* 791. *n.* 5.

Quovero ad partitam scut. 278. admisso etiam, quod d. domus hæreditaria Cammilli d. diminutionem in valore pati debeat, adhuc ea nihil prodest, quia in manibus eorumdem sororum etiam superessent scut. 600., & ultra circiter; quibus licet eædem contraponere pretendant alteram partitam scutor. 613. pro neglecta per Cammillum exactione nominum debitorum pro d. summa in causam dotis, ut asseritur assignatorum, tamen ad
viri debitum eam adscribendam non esse
DD. censuerunt; quia non constitit, quod
36 viro per Elisabetham facta fuerit assignatio
de creditis veris, & exigibilibus, quodque
ipse fuerit adeo negligens in exigendo, ut
ex ejus culpa debitoris nomen fuerit effec-
tum deterius, & non solvendo, prout omni-
no requiritur juxta litteralem *text. in l. 3. Me-
via* 49. *ff. soluto matrimonio*, *Altograd.
consf.* 31. *n.* 3., *& seq. Surd. cons.* 2.8. *n.* 15.
Andreol. contr. 136. *n.* 15. *Olea de cess. jur.
tit.* 5. *q.* 12. *n.* 7., *& seq.*, *Rota cor. Coccin.
dec.* 60. *n.* 5., *& cor. Rojas dec.* 189. *n.* 9., *&
in Romana pecuniaria* 27. *Junii* 1689. §. *si-
quidem cor. bo. me. Ursino*.

Et ita omnibus creditoribus informantibus resolutum fuit &c.

ÆSINA DONATIONIS.

Ven. 1. *Junii* 1708.

ARGUMENTUM.

Donatio a fratre favore alterius, contemplatione certi, & determinati matrimonii facta, cum conditione, quod si istè ab eandem Uxore intra certum terminum filios masculos non susciperet cum donatarii bonis alteri fratri donata censerentur; cum conditione, quod istè Uxorem capiat cum fratrum consensu. Si primi Uxor longè ante dictum tempus præfinitum moriatur, ideo ex defectu conditionis resoluta donatio est. Quod etiam accidit, si alter frater secundo vocatus sine formali aliorum consensu Uxorem duxit; vel si bonorum donatorum divisio sequatur cum libera facultate disponendi, & cur? In quo casu filiorum contemplatorum uti patris hæredum præjudicium non attenditur.

SUMMARIUM.

1 *Donatio facta favore certi, & determinati matrimonii cum conditione, quod si filios masculos, elapso certo spatio, non susciperet, alteri donatario omnia cederet, si primus Uxorem duxerit, & ea longè ante dictum terminum decesserit, est omninò resoluta.*

2 *Donatio cessat cessante causa finali, & conditione, sub qua expleta fuit.*

3 *Declara donationem non expirare, si principaliter, & de per se habitus fuit respectus ad procreationem liberorum;*

4 *Limita si dicta susceptio prolis dependeret,*
& copl-

& copulativè eum conjugum cohabitatione fuit considerata.

5 *Ex conditionibus copulativè. in donatione volitis, una deficiente, actus corruit.*

6 *Verba* -- in tal caso, finito detto tempo -- *adjecta conditioni, non solum illam important, sed etiam ad illam temporis extremitatem actus, seu donationis validitatem restringunt.*

7 *Observantia subsecuta quid conventum fuerit declarat.*

8 *Actus subsequenter gesti inter donatarium, & donantem, qui a donatione necessario recessum, & diversam dispositionem important, manifestant eandem habuisse pro resoluta.*

9 *Clausula* -- ad habendum alienandum &c. *singulæ plenissimam disponendi facultatem præseferunt.*

10 *Et adjectæ in divisione bonorum, qui ab altero fratre sibi præcedenter donata præsumuntur, convincunt donationem, habitam fuisse pro resoluta, & quare?*

11 *Donatio favore alterius fratris non compatitur, ut bona donata inter fratres dividantur cum libera facultate eadem disponendi.*

12 *Donationis resolutio benè comprobatur, si prætensus donatarius donantis partem in divisione emit.*

13 *Donationis resolutio facto, & observantia contrahentium benè comprobatur.*

14 *Facultas indefinita, & absoluta de bonis disponendi subintellectam habere nequit restrictivam ipsius destructivam.*

15 *Facultas libere vendendi repugnat cum facultate, quam eamdem concedens pretendit, eadem in certo casu vindicandi.*

16 *Donationis certam scientiā habentes, diversimode disponendo, censetur ab ea recessisse.*

17 *Donatio conditionata, conditione non adimpleta, resoluta dicitur.*

18 *Consensus per modum conditionis in matrimonio requisitus non suppletur ex Epistolis officiosis ejus occasione scriptis.*

Consensus in actu requisitus per modum conditionis, & pro forma per æquipollentiam non suppletur.

19 *Præsertim si forma præstandi consensum fuerit expressa.*

20 *Filii in donatione occasione matrimoni facta ex propria persona contemplati non censentur: cum patri fuit reservatum beneplacitum de bonis donatis favore filiorum disponendi.*

21 *Filii ex propria persona cum non sunt vocati in donatione, agnatio contemplata non dicitur.*

22 *Filiis ex propria persona in donatione non vocatis a resolutione ejusdem nullum præjudicium irrogatur.*

DECISIO DLXIII.

INtuitu certi, & determinati matrimonii contrahen. dumtaxat cum quondam Anna Ghisleria, Canonicus Franciscus, & Thomas fratres de Nobilibus omnia eorum bona Jo. Baptistæ fratri & Sponso, respectivè donarunt, lege tamen adjecta, quod quatenus ipse intra quindecim annos masculos ex dicta, Anna non suscepisset, dicta donatio non ampliùs ipsi, sed favore Thomę alterius fratris condonantis etiam quoad portionem Bonorum d. Jo. Baptistę primo donatario obvenientem eisdemmodo, & forma facta censeretur: dummodò, & iste Uxorem cum reciproco fratrum consensu duceret.

Contracto postmodum matrimonio, biennio post fato cessit Anna Uxor nullo relicto filio, unde autumantes fratres prædicti donationem resolutam fuisse, postquam plures actus confecerunt illius resolutionem præseferentes, tandem devenerunt ad divisionem omnium bonorum, quæ sub donatione prædicta comprehendebantur, ut latius infra dicemus, quibus omnibus peractis Thomas alter frater absque ullo Donantium consensu pro suo libito Uxorem duxit, cum autem successivè Canonicus Franciscus obierit, ideo Thomas prædictus vigere antedictæ donationis possessionem omnium Bonorum integræ portionis defuncti adeptus fuit, reclamante verò Joanne Baptista coram A.C. Cerro, iste favorabilem sententiam obtinuit, per quam donatio prædicta declarata fuit resoluta. Devolutaque causa ad nostrum Tribunal proposui dubium *An donatio sit resoluta, vel potiùs fuerit ab ea recessum*, & Domini *donationem resolutam fuisse* responderunt.

Moti, ex quo illa primo loco ab aliis fratribus de Nobilibus peracta fuit favore Joan. Baptistæ contemplatione solius matrimonii cum Anna Ghisleria contrahendi, secundariò verò, & subsidiariè, quando Joannes Baptista elapso termino 15. annorum filios masculos non haberet favore Thomæ, quatenus Uxorem cum consensu suorum fratrum ducere vellet. Quapropter cum Jo. Baptista
1 in figura matrimonii cum Anna Uxore per spatium 15. annorum non convixerit dum illa vix effluxo biennio decessit, cessare visa fuit causa finalis, & conditio sub qua idem
2 Joannes Baptista alteram favore Thomæ donationem expievit, & sic per consequens ipsa donatio nullius efficaciæ, & resoluta remansit ad *Text. in l. generaliter 6. Cod. de instit., & subst. Gratian. discept. forens. cap. 536. num. 24., & 25. Rota coram Cerro dec. 221. num 5., & 6., & in Camerinen. Immissionis 12. Martii 1705. §. Ast. quia cor. R. P. D. meo Ansaldo, & in Romana Cauthelæ Angeli 1. Julii 1707. §. Ulterius cor. R. P. D. meo Omanna.*

Nec subsistit, quod cum fuerit insimul considerata susceptio prolis masculinæ, eo
3 ipso quod hæc conditio verificata remansit dici debeat donationem favore Thomæ suum effectum sortiri etiamsi matrimonium per 15. annos duraverit quasi fuerit principaliter habitus respectus ad liberorum procreationem: Etenim adverterunt Domini, quod
4 cum hæc prolis susceptio non fuerit de per se in donatione considerata simpliciter, & absolute, sed dependentèr, & copulativè cum cohabitatione Coniugum, ut ex lectura dona-

donationis resoluta ibi -- *E caso che detto*
Signor Gio. Battista non havesse figlioli
maschi in termine di quindici anni &c. in tal
caso, e finito detto tempo ambedue le portioni
donate ricadino al Signor Tomasso &c. & in-
feriùs, *in caso non havesse dalla Signora*
Anna figli maschi nel termine del tempo so-
pra prefissegli -- Inde sequitur, quod talis
5 cohabitatio fuerit copulativè in considera-
tione habita, itaut ea deficiente una cum de-
fectu filiorum masculorum donatio quoque
deficiat. Attentis præcipuè verbis illis *in tal*
caso, e finito detto tempo non solum dictam
6 conditionem importantibus, sed etiam do-
nationem restringentibus ad illud tempus
omnimodè terminationis dd. quindecim an-
norum *Peregrin. de fideic. art.29. num.36.*
Fusar. de subst. quæst.380. num.3. Rota in
Tiburtina fideicommissi 8. *Feb.* 1706. §. *Præ-*
cipuè coram R.P.D. meo Ansaldo, & in
Avenionen., seù Carpen. fideicommissi de
Tertullis 2. *Julii* 1706., §. *Verum etiam*
confirmata 21. *Martii* 1707. §. *Cessare cor.*
Me, & deinde confirmata 16. *Decembris*
1707. §. *Nihil ultra, &* 26. *Martii præte-*
riti §. *Hæc autem coram R.P.D. meo Priolo.*

Quodque verè talis fuerit mens dd. fra-
trum contrahentium apertè desumitur ex
7 subsequuta observantia resultante ex reitera-
tis actibus inter ipsos gestis, per quos mani-
8 festè apparet ipsos resolutionem donationis
pro indubitato habuisse, secum ferant diver-
sam dispositionem, & manifestum recessum
ab illa; Quoniam mortua Anna, Joannes Ba-
ptista matrimonium secundò contraxit assen-
tientibus fratribus Francisco, & Thoma, qui
sese pro restitutione dotis scut. 2000. obligarunt,
& tamen si dicta donatio fuisset per
obitum Annæ purificata savore Thomæ, uti-
que iste matrimonium contraxisset, & Joan-
nes Baptista ad secunda vota non convolasset,
dum attenta dicta donatione ipse parum, aut
nihil propriis filiis elargiri potuisset.

Magisque res in evidentiam transire visa
fuit ex subsequentibus divisionibus inter ip-
sos fratres sequutis; in prima namque exple-
ta de anno 1700. super omnibus Bonis in di-
cta donatione comprehensis expressè conve-
nerunt, quod unusquisque ex eis liberè de
sua virili portione disponere posset, tam
quoad usum fructum, quam quoad ipsam pro-
prietatem cum clausulis amplissimis appositis
in Instrumento successivè stipulato videlicet
ad habendum, alienandum, fruendum, ven-
dendum, & quidquid placuerit faciendum
&c. quæ omnes singulæ, & multo magis uni-
tæ non solum præseferunt plenissimam liber-
tatem disponendi de Bonis donatis in uno-
quoque fratre *Rocc. disput. Jur. cap.21. n.*
9.; *& seqq. Rota coram Cels. dec.376. nu.13.*
Verum etiam concludunt, quod dd. fratres
ita dividentes pro comperto habuerunt di-
ctam præcedentem donationem tunc jam re-
solutam fuisse, dum eam ipsi pro tali habue-
runt, quatenus etiam de jure resoluta non
fuisset permittendo unicuique, ut posset de
ipsa bonorum proprietate liberè disponere,
quod non compatiebatur cum subsistentia
donationis savore Thomæ *Rota coram Bich.*
*decis.*134. *num.*2. *& in recen. decis.* 135. *num.*
1. *p.*14.

Sicut etiam in secunda sub altera divisio-
ne facta post obitum communis matris super
12 duabus domibus per eamdem retentis:
Thomas emit à Jo. Baptista portionem ea-
rumdem sibi in proprietatem obventam tra-
dendo illi pretium *liberè* absque ulla mentio-
ne præcedentis donationis: quæ omnia simul
juncta utpotè incompatibilia cum duratione
donationis valde conferrè visa fuerunt ad de-
13 clarandam resolutionem ejusdem, quæ ex
facto, & observantia ipsorum contrahen-
tium benè comprobata remanet *Cardinal. de*
*Luca de donat. disc.*48. *num.*13., *& disc.*49.
*num.*5. *Rot. dec.* 228. *num.*11. *vers. cæterum*
*par.*10. *recent.*

Non obstat responsio, quod de tempore
divisionis nondum Thomas Uxorem duxe-
rat, & sic dicta facultas liberè disponendi,
& alienandi intelligenda veniat rebus in eo-
dem statu manentibus, scilicet quatenùs
Thomas Uxorem non susciperet; Etenim
cum in Instrumento divisionis hujusmodi fa-
cultas legatur indefinita, & absoluta, & ab-
sque ulla minima præservativa Juris defutu-
ro ibi -- *A fine che ogn'uno possa da se stesso*
della propria parte, che gli toccherà, dispo-
nere à suo piacere tanto quanto all'uso frut-
to, come alla proprietà come assoluti Padro-
ni. Exindè sequitur, quod talis præservatio
14 subintelligi nequeat, cum esset omninò de-
structiva ipsius actus divisionis, & validè
15 implicaret, quod Jo. Baptista, & Francis-
cus proprietatem bonorum liberè vendere
possent, & deindè Thomas contrahendo
matrimonium vigore d. prætensæ donationis
bona vindicaret, unde ad tollendam hanc
incompatibilitatem concludendum venit,
quod fratres omnes, qui indubitatam dona-
16 tionis scientiam habebant, illam resolutam
supposuerint dum per divisionem verbis, &
clausulis adeò amplis conceptam diversimo-
dè disponendo, censetur ab ea recedere vo-
luisse *Rota post. Merlin. de pignor. decis.*10.
*num.*7. *& cor. Zarat. decis* 98. *num.*2., *& in*
Romana Legati 4. *Feb.* 1707. §. *prima enim*
coram Me.

Quibus omnibus adstipulatur, quod Tho-
mas matrimonium contraxit non solum ante
lapsum 15. annorum in donatione præfixum,
sed etiam absque consensu fratrum, prout
expleverat Jo. Baptista, & fuerat præcisè in
donatione descriptum ibi -- *Ricadino al Sig.*
Tomaso se però vorrà pigliar moglie con con-
senso de suoi fratelli conforme hora fà il Sig.
Gio. Battista. Undè ex non adimplemento
17 istius quoque conditionis concludendum
venit, donationem prædictam fuisse resolu-
tam. Et licèt prætendatur, quod Franciscus,
& Jo. Baptista fratres dicto matrimonio con-
consenserint; ex quo illud non impugnarunt,
adducendo ad hunc effectum nonnullas epi-

stolas officiosas ab eisdem occasione dicti
18 matrimonii conscriptas; Nihilominus existimarunt DD. illas nullius esse relevantiæ ad inducendum consensum explicitum in hoc actu requisitum per modum conditionis, & pro forma, quo casu per æquipollentiam ille suppletus esse non potest *Rocc. disput. jur. 25. num. 5. Rot. dec. 154. n. 7., & seqq. par. 13. recent., & in Romana Immissionis 12. Februarii 1700. §. Nec relevat. cor. Rmo Conchen. confirmata 20. Jan. 7106. §. Quidquam cor. Reverendissimo Decano*: Tantoque magis,
19 quia deductum fuit in pactum expressum in Instrumento donationis, quod consensus præstaretur eodem modo, & forma, quibus in matrimonio Jo. Baptistæ præstitus fuerat.

Non relevante replicatione, quod si prædicta haberent locum, irrogaretur præjudicium filiis ex dicto Thoma natis, & nascituris, quia ex contextu donationis resultat, quod filii masculi suscipiendi tam à dicto Jo:
20 Baptista, quam Thoma nunquam fuerunt ex propria persona contemplati, sed sola persona utriusque donatarii dumtaxat, adeò ut uterque juxtà proprium beneplacitum favore filiorum disponere posset, ibi: *Perchè esso possa lasciare a suo beneplacito Eredi dell' infrascritta robba donata li suoi figli maschi, quali non potranno succedere al medesimo loro Padre, come contemplati da detti Signori Donanti, ma solamente come figli di lui, che doverà essere della robba libero, ed assoluta*
21 *Padrone &c.* Ex quibus cum cesset contemplatio, & vocatio filiorum ex propria persona, indè sequitur, quod in illis nunquam fuerit contemplata agnatio, & sic nullum eisdem ex resolutione controversæ donationis
22 præjudicium illatum dici potest *Rot. coram san. mem Alexandro VIII. dec. 99. num. 23. & in recent. dec. 98. num. 7. & 8. part. 10. & dec 264. num. 3. part. 13., & in Lauretana Associationis 8. Aprilis 1703. §. Expletis oppositionibus coram Reverendissimo Decano.*

Et ita utraque &c.

ÆSINA IMMISSIONIS.

Veneris 1. Junii 1708.

ARGUMENTUM.

Collige a Summario.
Est in eadem Causa ista, ac superior Decisio.

SUMMARIUM.

1 *Fratres utrinque conjuncti fratri sine filiis decedenti pro æquali succedunt.*
2 *Immissio fratri pro virili competit contra alium fratrem prædefuncti fratris cohæredi, & bonorum possessori.*
3 *Titulus resolutus, redigitur ad non titulum insufficiens pro impedienda debita immissione cohæredi pro virili.*
4 *Immissio cohæredi retardari nequit; nisi titulus à possidente cohærede allegatus justus, validusque sit.*

DECISIO DLXIV.

Sicuti in contemporanea hujus Causæ decisione, declarata fuit resoluta donatio per fratres de Nobilibus reciprocè expleta, ita, & in præsenti non detractarunt DD. pro effectu resolutionis immissionem concedere Jo: Baptistæ ad bona ad eumdem spectantia per obitum ab intestato Canonici Francisci fratris, & per Thomam fratrem sub prætextu dictæ Donationis retenta.

Cum enim Canonicus Franciscus intestatus decesserit nullis relictis ascendentibus, vel descendentibus successoribus præter Joan-
1 nem Baptistam, & Thomam fratres utrinque conjunctos, qui uti unici transversales pro æquali portione eidem succedere debent: *Authen. plurimas §. Igitur de hæred. ab in-*
2 *testat.* Et sic Jo: Baptistæ cohæredi posita resolutione controversæ donationis negari nequit Immissio, quæ eidem contra Thomam fratrem, & cohæredem competit pro sua virili portione ad *Text. in l. 1. ff. quorum bonorum Ridolphin. in prax. part. 2. cap. 10. n. 44. & 45. Rot. coram Cavaler. dec. 386. n. 1. & per tot. & dec. 48. n. 6. & dec. 68. n. 2. part. 6. rec.* & alibi passim.

Non attento, quod Thomas dicta bona justo validoque titulo donationis, de qua in alia decisione possideat. Etenim titulus donatio-
3 nis, utpotè resolutus tàm per non adimplementum contentorum in illa, quam per recessum ab eisdem contrahentibus reciprocè factum redactus fuit ad non titulum, & per consequens inefficax ad impediendam immissionem Jo: Baptistæ vero cohæredi ab intestato venienti, cum titulus ad illam retardandam esse debeat justus, & validus *Ridolphin. dicto cap. 10. num. 39. Rota coram Seraphin. decis. 256. in princ., & decis. 755. num. 5. par. 12. rec.*

Et ita utraque &c.

ROMANA, seù TIBURTINA CAMBIORUM.

Lunæ 4. Junii 1708.

ARGUMENTUM.

Procurator cum Judicis decreto à muliere deputatus ad accipiendas pecunias ad cambium pro dimittendo creditore anteriore, qui contra Virum mandatum habet, & ut in ejus dimissi juribus succedat, non potest fidejubere pro cambiis à Viro creatis, & rationes afferuntur.

SUMMARIUM.

1 *Mandatum relaxatum in vim instrumentorum Camerali obligatione vallatorum, est exequendum.*

2 *Man-*

2 *Mandatum relaxatum contra non obligatum non est exequendum.*

3 *Procuratoris factum contra facultates à constituente datas non valet, nec illam obligat.*

4 *Mandatum non habere, & formam non servare, paria sunt.*

5 *Præsertim cum facultas data est cum clausula:* tantùm:

6 *Clausula:* tantum: *actum ad certam formam restringit, & coarctat.*

7 *Clausula:* non aliàs: *casu quo forma præscripta ad unguem non servetur, removet consensum ab actu, & resolubilitatem importat.*

8 *Fidejussio est actus de sui natura damnosus, & læsivus.*

9 *Procurator mulieris cum solemnitatibus deputatus ad accipiendam pecuniam ad cambium pro liberando viro cum sola dimissione prioris creditoris, non potest ejus nomine fidejubere in cambiis à viro contractis, & quare?*

10 *Decretum pro contractu mulieris à judice ad certum contractum sub certa forma mulieri utili, non suffragatur ad alium omnino diversum, & præjudicialem.*

11 *Præsertim, cum si judex hunc alium contractum scivisset, decretum non interposuisset.*

12 *Judicis decretum contractum mulieris ab evidenti nullitate, & præjudicio non præservat.*

13 *Petitio salvę medietatis dotis pręsefert validitatem confessati contractus.*

14 *Petitio à Procuratore facta sub falso supposito, eo detecto variari potest.*

15 *Procurator in committendo nullum pręjudicium Principali infert.*

DECISIO DLXV.

AD evitandam carcerationem, quæ imminebat Joanni Francisco Ægiptio in vim mandati executivi, quod ad sui favorem relaxari obtinuerat Marcus Antonius Citarella, pro consequutione sortis principalis cambii sc. 600. debiti usque ab anno 1657. ejusque fructuum decursorum; Anna de Ferris illius uxor cum decreto, & auctoritate Judicis die 7. Aprilis 1663. in Procuratorem constituit Joannem Mariam Bossium, ad effectum sumendi ad cambium sc. 250. ut cum eis dimitti deberet præfatus Citarella tantum, & non alias &c. sed oblitus hujusmodi facultate sibi limitatè concessa, Procurator prædictus loco ineundi dictum Cambium, & dimittendi Citarellam die 10. April. 1663. dicto nomine Annæ fidejussit tam in cambio in summa scut. 62. 50. per Egiptium virum contracto favore Scardinetti, quam in aliis duobus initis favore Dominici Bossi sub diebus 8. & 23. Januarii 1664.

Cum autem Petrus Michaelis cessionem dictorum creditorum, & iurium reportasset à Scardinetto, qui in eisdem successerat, institit ipse coram A.C. pro eorumdem satisfactione, & mandatum obtinuit relaxari tam contra Egiptium debitorem, quam contra bona hæreditaria qu. Annæ Ferræ uxoris; sed opponentibus Praxede illius filia, & hærede, ac Augustino Ursino conjugibus bonorum possessoribus, quod ex peculiari privilegio dotis, ista saltem prò medietate salva, & illæsa remanere debeat; decretum extitit, quod procederetur ad ulteriora, salva medietate dotis quond. Annæ Ferræ, non amota dicta Praxede à possessione pro dicta medietate, & dummodò oblationes excedant, ad effectum deponendi; Quamobrem consumpta executione super domo, & vinea spectantibus ad Egiptium debitorem, & à dictis Conjugibus retent. titulo dotis quondam Annæ Ferræ; ipsi ad eorumdem bonorum subhastationem retardandam Commissionem mihi directam signari curarunt cum clausula: *Alteri qui ad legitimam*, ad cujus normam quæsitum fuit a me sub die 11. Aprilis 1707. *An esset procedendũ ad legitimam executionem*; sed nulla resolutione tunc capta, hodie reproposita causa DD. *esse ad illam procedendum salva integra dote responderunt.*

Siquidem separando unam speciem bonorum ab altera, quatenus mandatum A.C. relaxatum fuit contra Egiptium, eiusque bona illius justitia non potuit in controversiam deduci: remanet enim probata ex quatuor publicis instrumentis cambiorum, in quibus cum ille reperiatur in forma Cameræ obligatus:
1 nulli dubium est, quin pro eorum satisfactione mandatum jamdiu relaxatum legitimæ executioni sit demandandum ad firmata per *Rotam dec. 154. num. 1. part. 19., & in Romana Nullitatis Contractus 18. Junii 1700. §. Sic namque coram R. P. D. meo Scotto.*

Quatenus verò relaxata leguntur contra bona hæreditaria quond. Annæ uxoris, eorum injustitia satis manifestè visa fuit, quia cum domus, & vinea, super quibus executio facta fuit, Praxedi, & Augustino conjugibus tradita fuerint in dotem ab ipso Egiptio debitore, modoque ab eisdem retineantur ex juribus anterioribus dotis Annę matris ascen-
2 dentis ad summam sc. 1000., sicut ipsa obligata non extitit in pręfatis instrumentis cambiorum; ita nullum relaxari poterat mandatum contra ejus bona hæreditaria; quando super eis reis conventis competebat retentio non pro sola medietate, sed pro tota, & integra dote, quæ præservanda erat.

Non obstat, quod Anna de Ferris Praxedis mater accesserit, & cum decreto Judicis fidejusserit in omnibus prædictis Instrumentis cambiorum: Ita ut, cum ejus dos pro medietate ad commodum Creditorum hipotecata remanserit; Praxedis illius filia, & hæres pro altera medietate, non autem pro integra dote retentionem obtinere valeat, quoniam præmisso, quod Anna in prænarratis contractibus non fidejussit pro viro; sed illius Procurator mulieris nomine accessit: cum iste dumtaxat constitutus fuisset limitatè ad suscipiendum ad cambium sc. 250., ad effe-

dum præcisum dimittendi Citarellã creditorem omnibus anteriorem, & liberandi virum à carceratione, quæ ad dicti Creditoris instantiam imminebat; eo ipso, quod Procurator prædictus citra voluntatem constituentis negotium non gessit sub dicta lege certa, & limitata sibi commissum; sed alterum omnino diversum explevit fidejubendo in cambiis, de quibus agitur; cessante causa finali pro qua mulier Procuratorem constituit, & Judex decretum suum interposuit Procuratoris factum constituentem nullatenus obli-
3 gare valuit; per *Text. in l. diligenter* 5., *l. potest* 41., *l. si quis pro eo* 46. *ff. mandati*, *l. si Procurator* 10., *C. de Procuratoribus*, mandatumque per mulierem datum ad se obligandum sub dicta lege, illa non servata, ha-
4 betur, ac si nunquam concessum fuisset: cum paria sint mandatum non habere, & illius formam non servare; *Bonden. collect. legal.* 27. *num.* 38., *Fenzon. ad stat. vobis lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 38., *Pacion. de locat. & conduct. c.* 36. *num.* 2., *Rocca disput. select. cap.* 152. *num.* 2. & 3., *Rot. cor. Coccino*, *dec.* 1849 *num.* 5. *cor. Pamphilio dec.* 195. *num.* 2., & *in rec. decis.* 143. *n.* 2. & 7. *part.* 17., & *decis.* 535. *num.* 1. *part.* 19.

Quod lignanter procedit, quando facultas Procuratoris concessa fuit, ut hic, cum
5 clausula *tantùm*, quæ actum ad certam for-
6 mam restringit, atque coarctat; ad firmata per *Rot. cor. Emerix dec.* 1086. *num.* 6. & *in Reginen. Fideicommissi* 27. *Jun.* 1698. §. *Minusque cor. R. P. D. meo Ansaldo*; addita
7 etiam altera clausula, & *non aliter*, quæ removet consensum ab actu, & resolubilitatem importat, casu quo forma præscripta ad unguem non impleatur; benè *Rot. decis.* 107. *num.* 2. *part.* 12. *decis.* 365. *num.* 9. *part.* 16., & *in Firmana Associationis* 10. *Maji* 1694. §. *Nec obstat coram R. P. D. meo Priolo*.

Nec subsistit, quod Procurator pinguius adimpleverit mandatum, & negotium mulieri magis utile gesserit ejus nomine fidejubendo: quia vir relevationem promisit, non cambium contrahendo, quo casu ipsa principalis debitrix effecta fuisset, Quoniam ultra quod fidejussio est actus de sui natura da-
8 mnosus atque læsivus; ut ait *Text. in l.* 1. *Cod. de fil. fam. minor.*, *l. ait Prætor* §. 1. *ff. de minor.*, *Soccin. iun. conf.* 47. *n.* 7. & *seq. lib.* 4., *Rot. cor. Gregor. dec.* 333. *n.* 2. cessat difficultas in præsenti, ex quo agitur de muliere, & persona ex dispositione statuti effecta incapaci ad contrahendam, & per Judicem cum suo decreto, ceterisque solemnitatibus habilitata, ut susciperet ad cambium
9 certam pecuniarum summam pro dimittendo Citarella creditore anteriore sui viri: ex quo ita in ipsius locum subintrando, præservata remanebat a quorumque præjudicio, & damno, & illæsa reddebant ejus jura dotalia ab omnibus aliis creditoribus posterioribus.

Quamobrem nulli dubium est, quod decre-
10 tum ad certum contractum sub illis formis interpositum suffragari, & extendi non potest ad contractum fidejussionis omnino diversum, & præjudicialem, *Cyriac. contr.* 219. *à num.* 5. & *per tot.*, quem sequitur *Card. de Luca de alienatione*, & *contract. prohib. disc.* 11. *num.* 4.

Et merito quidem, quia judex interveniendo in actu constitutionis Procuratoria, si co-
11 gitasset de fidejussione facienda per mulierem, vel non interposuisset decretum, quia agnovisset, quod causa liberandi virum ab imminenti carceratione ad instantiam Citarellæ creditoris nullum habuisset effectum: dum ejus creditum, una cum aliis debitis cum sui fidejussione contrahendis, adhuc in suo esse permansisset. Et interim mulier nullum habuisset relevatorem: quia ut eventus ostendit paulo post debitis involutus ad miserabile beneficium cessionis bonorum fuit admissus.

Vel si decretum interposuisset, adhuc nihil
12 profuisset, tanquam non præservans obligationem mulieris ab evidenti nullitate, & præjudicio; ut in debilioribus terminis *Panimoll. decis.* 53. *annot.* 1. *n.* 16 & 17., *Rota decis.* 143. *num.* 2. *part.* 3. *recent.*, & *in Auximana Prædii* 20. *Martii* 1705. §. *Nullitati cor. R. P. D. meo Omanna*.

Parumque pensa fuit exceptio, quod in prima instantia coram A. C. imploratum fue-
13 rit beneficium, quod salva remaneret medietas dotis, præferens confessionem validitatis obligationis emissæ per Procuratorem nomine mulieris; quippe quia talis petitio processit sub erroneo, & in subsistenti supposito, quod obligatio Annæ valida foret: unde cum postea illius nullitas detecta fuerit,
14 vetitum non est modo illam allegare: etiamsi aliquando Judici contrarium implicitè per Procuratorem dictum sit: cum in jure noto-
15 rium sit, quod Procurator in committendo nullum præjudicium principalibus inferre possit; juxta firmata per *Rot. in Cavallicen. aquarum* 25 *Jun.* 1706. § *Nullum prorsus cor. R. P. D. meo Caffarello*.

Quibus ita stabilitis circa indemnitatem mulieris è converso DD. censuerunt esse quoque consulendum creditoribus; & ob id pro hujusmodi effectu advertentes, quod bona, super quibus lata fuit exequutio; fuerunt Egiptii communis debitoris, quæ cum omnibus hypothecis super eis ad commodum creditorum contracti transierunt ad manus Praxedis; quodque licet ista sit ceteris anterior ex juribus dotalibus Annæ matris; non tamen per hoc impedire valeat subhastationem bonorum communis debitoris: quia satis est, quod ipsa suum creditum consequatur. Idcirco, cum possibile sit, quod ex eorum subhastatione retrahantur tot pecuniæ, ut tam integra dos Annæ Ferræ, quam ceteri creditores satisfieri valeant; DD. utrique parti consulentes fuerunt in sensu, quod Praxedi super bonis Egiptii patris præservetur integra dos Annæ matris scut. 1000., eaque salva, procedatur ad legitimam executionem, ad effectum deponendi, & dummodo oblationes excedant.

Et ita utraque &c.

MELE-

MELEVITANA COMMENDÆ.

Lunæ 4. Junii 1708.

ARGUMENTUM.

Habes in superioribus decisionibus 22., & 532.

SUMMARIUM.

1 *Commendæ sacræ Religionis Hjerosolymitanæ non datur in titulum, sed sunt tanquam beneficia manualia, & ad nutum amovibilia. Declara tamen aptitudine esse perpetuas*, ut n. 3., *& de istis judicatur, ut perpetuis* num. 4., & 16.

2 *Ad Episcopatum promotus, licet beneficia amovibilia retinere possit, quia jus Canonicum & S.C.T. loquuntur solum, quod tunc vacent beneficia perpetua, non tamen retinere potest dd. commendas*, & n. 19.

5 *Commendam Sac. Religionis possidens eam retinet in perpetuum, nec ab illa, nisi propter delictum, vel inobedientiam Religioni removeri potest.*

6 *Aliàs daretur recursus ad superiorem.*

7 *Beneficia regularium sunt in se perpetua, amovibilia vero, quia hæc facultas descendit a vi professionis, & obedientiæ.*

8 *Beneficia regularium perpetuitatis naturam non admittunt, licet moveatur provisus.*

9 *Idem est de commendis.*

10 *Intellige auctoritates has antecedentes tres conclusiones firmantes loqui ad effectum sequestrandæ possessionis.*

11 *Declara verò militare etiam pro firmanda natura beneficii, seu Commendæ.*

13 *Beneficia verè, & propriè manualia non comprehenduntur sub* Clementina unica de sequestrat.

14 *Commendæ, aliaque dignitates Sacræ Religionis Meliten. non datur ex mera gratia magni Magistri, sed ex justitia ratione antianitatis functis omnibus muneribus a Statuto requisitis.*

15 *Lites quotidie in Rota agitantur super prælatione obtinendi commendas Religionis Meliten. inter ejus equites.*

17 *Equites Meliten. Commendis, absque gravi causa, nunquam privati fuerant.*

18 *Episcopus ob assumptionem ad Episcopatum, non reportata prius dispensatione Apostolica, retinere non potest Commendas Religionis Meliten., sed statim vacant, ut confirmando sententiam A. C. constituit* Gregorius VIII. constit. 82. Bull. tom. 2.

20 *Amplia hoc procedere etiam in collatione commendæ in perpetuum arrendamentum.*

21 *Vacationis ratio ex* constitutione 82. dicti Gregorii VIII. *est incompatibilitas commendæ Religionis Meliten. cum dignitate episcopali.*

22 *Constitutio Pontificia per viam legis universalis facta, venit inviolabiliter attendenda, & facit statum.*

23 *Consuetudo contra jus ex contraria possibilitate excluditur.*

24 *Consuetudinem habentem juris assistentiam, unicus actus constituit.*

25 *Episcopus Melivitanus est decoratus magna cruce, & conciliis generalibus intervenit.*

26 *Non est tamen magno Magistro subiectus.*

27 *Eques Melevetanus per assumptionem ad Episcopatum prorsus liberatur a subiectione a magno magistro, etiamsi aliquos religionis honores, & prebeminentias retineat.*

28 *Religiosi per assumptionem ad Episcopatum a subjectione superiorum regularium liberantur, etiamsi habitum, & vota religionis retineant.*

29 *Monachum, vel Religiosum factum Episcopum monstruosum est subiacere posse Superioribus regularibus.*

30 *Episcopi subsunt immediatè Sedi Apostolicæ.*

DECISIO DLXVI.

ADeò solida recognita fuerunt fundamenta præteritarum decisionum coram me sub diebus 17. Maii 1702., & 3 Februarii præteriti; informante dumtaxat Fratre Nicolao Calvario editarum super commenda a R.mo Palmerio prius retenta, & deinde per promotionem ad Episcopatum vacata, ut in hodierna audientia, illo quoque informante existimaverint DD. persistendum esse *in decisis*.

Nec relevare visa fuerunt ea, quæ per Reverendissimum Episcopum adducebantur: cum jam omnibus preventivè in aliis causæ decisionibus responsum fuerit. Nullam etenim
1 nim subsistentiam habet prætensio, quod
commenda Sac. Religionis non in titulum,
sed tanquam Beneficia manualia ad nutum
seu amovibiliter assignantur, juxta *constit.*
9. §. 6. *San. me. Pii IV.*: unde inferebatur,
2 quod posita manualitate, non intret disposi-
tio Juris Canonici, & Sac. Conc. Trid. quia
sicut loquuntur de beneficiis perpetuis in ti-
tulum collatis, ita liceat Reverendissimo
Episcopo post promotionem ad Episcopa-
tum commendas uti Beneficia retinere.

Quoniam posito etiam, quod commendæ
non conferantur in titulum, juxta disposita
per San. me. Pium IV., nihilominus illæ ap-
3 titudine sunt perpetuæ, nisi eas obtinentes
amoveantur, & de iis judicatur uti de per-
petuis, ut per hæc verba respondit *Rota*
dec. 473. n. 10. p. 5. rec., & advertunt *Garz.*
de benef. p. 4. cap. 4. n. 20, *& 45. usque ad*
52. Rebuff. de beneff. tit. de commend. n. 41.;
ea potissima inter cæteras ratione, quia pos-
5 sidentes eas retinent in perpetuum, nec ab
illis, nisi ex legitima causa propter delictum,
vel inobedientiam erga Religionem remove-
6 ri possunt, alias daretur recursus ad superio-
rem, ut habetur in simili casu Beneficiorum
7 regularium, quæ in se sunt perpetua; facul-
tas vero amovendi descendit magis a vi pro-
fessionis, & obbedientiæ, quam a natura
8 Beneficii, quod tamen non relinquit natu-
ralem perpetuitatem, licet amoveantur pro-
visi, *Corad. in praxi Benef. lib. primo cap. 6.*
n. 277. cum seq., & in præcisis terminis hu-
jus-

9 jusmodi Commendarum *Card. de Luc. de benefic. disc. 57, n. 22. Rota decc 474. n.8.p. 5.*
10 Et licet dd. authoritates loquantur ad diversum effectum sequestrandę nempè possessionis,
11 attamen animadverterunt DD. eamdem in in utroque casu militare rationem, quia si commendæ, vere, & propriè essent manuales, & ad nutum, utique non comprehen-
12 derentur sub dispositione *Clement. unic. de sequest. poss.*, ut patet ex authoritatibus supra recensitis.

Quæ omnia magis confirmantur, ex quo similes commendæ prioratus, aliaque dignitates, quæ in hac Sacra Religione distribuun-
14 tur, non proveniunt ex mera gratia, & liberalitate magni Magistri, sed ex justitia, ratione antianitatis, vel benemerentiæ erga religionem, cum illas obtinere non possunt, nisi illi, qui prius expleverant omnia per statuta religionis præscripta, ut notat *Lotter de re benef. disc.* 68. *n* 4. *Rota coram Dunozet. Jun. dec.* 662. *n.* 4. Et quotidie in hoc nostro S. Auditorio magnæ ortæ sunt controversiæ inter equites super prælatione obtinendi hujusmodi commendas, & prio-
15 ratus, ut habetur ex tot decisionibus in hisce causis editis, ut videre est *cor. Dunozet. jun. dec. 376. n. 3., & dec. 540., & dec. 675., & 691., & 702., & cor. Priolo dec. 69., & in rec. dec. prima p. 11., & dec. 13. p. 12., & dec. 147. p. 15., & dec. 106. p. 16., & dec. 7. p. 17. & dec. 185 p. 18.*, & alibi passim.

Ex quibus manifeste concludendum venit
16 dd. commendas esse perpetuas, alias nimis supini fuissent Equites illi, qui voluissent tot disputationes, & graves expensas facere pro obtinendis dd. commendis, quando posita manualitate earumdem potuissent sequenti die ab illis removeri, quod nunquam evenit, nec ullum ex parte Episcopi alla-
18 tum fuit exemplum, quod aliqui Equites fuerint de commendis, absque gravi causa privati, sed illas semper retinuerunt usque ad obitum, vel donec fuerunt de altera pinguiori provisi &c.

Omnemque removet difficultatem, prętensamque manualitatem penitus excludit
18 constitutio San. me Greg. XIII. in ordine 82. relata in Bullar. t. 2., & per *Barbos. de offic., & potest. Episc. allegat. 57. n. 72.*, quę est specialiter confirmatoria sententię latę ab A. C. de voto nostri Tribunalis, per quam stabilitum fuit, commendam retentam per Gargallum ob illius assumptionem ad Episcopatum, non reportata prius dispensatione Apostolica vacasse, unde opus non est aliud inquirere ad arguendam perpetuitatem commendarum, quę alias si vere
19 manualia fuissent potuissent absque dispensatione retineri.

Non attento, quod collatio in casu prædicto San. me. Greg. VIII. facta erat in perpetuum arrendamentum, nam Summus Pontifex declaravit preceptoriam esse per assumptionem ad Episcopatum vacantem quocumque titulo vacari posset ibi — *Quare nos attendentes Episcopum d. preceptoriam, sivè prædium, sive beneficium, sivè quodvis aliud cum sua Ecclesia sine dispensatione Apostolica retinere non posse* — Ex quibus colligi-
21 tur Pontificem illius vacationem determinasse, non ex motivo, quia ageretur de commenda perpetua, sed ratione incompatibilitatis ejusdem cum dignitate Episcopali, dum illius vacationem sancivit, sivè esset Beneficium, sive esset quodvis aliud, cujus verba ita generaliter expressa omnia indistinctè comprehendant, & hæc Pontificia constitutio cum sit maturo consilio, ac
22 per viam legis universalis facta venit inviolabiliter attendenda, & facit statum.

Neque juvat recurrere ad prętensam consuetudinem in contrarium, quia illa nullo modo probatur, nam ex his, quæ per Episcopum adducuntur nonnullę verificantur de collationibus commendarum factis ab Episcopis, postquam fuerunt jam promoti, & sic non attendendę, cum sint extra casum pręsentis controversię; reliquę vero potius retorquentur, cum ad Episcopatum promoti pro retentione earumdem dispensationem Apostolicam reportaverint. Quę circumstan-
23 tia sufficit ad destructionem contrarię observantię, quando e converso pro hac parte
24 Juris assistentiam habente unius etiam actus sufficeret, *Rota in Colonien. Canonicatus primæ gratiæ 15. Junii 1699. §. ad excludendam cor: R. P. D. meo Sconto*, Et de facto hanc veritatem agnoscens Reverendissimus Palmerius moderus Episcopus Melevitanus dispensationem ad hunc effectum procuravit: sed illam postea, nescitur quo facto, reportare neglexit.

Minus tandem refragatur, quod Episcopus Melevitanus post assumptionem ad Episcopatum adhuc magno Magistro subjaceat, & reputetur uti verus Religiosus Hierosolimitanus, cum sit decoratus magna Cruce, & interveniat in Conciliis generalibus, quia non per hoc, quod Episcopus nonnullos honores, & præeminentias retineat, dici potest remanere subjectum magno Magistro,
26 sed ab illius jurisdictione potest assumptio-
27 nem prorsus solutus evadit, ad instar alio-
28 rum Religiosorum, in quibus dietim videtur, quod licet retineant habitum eorum religionis, & subjaceant votis, tamen per assumptionem ad Episcopatum non subsunt eorum superioribus regularibus, cum mon-
29 struosum esset, quod Moracus, vel Reli-
30 giosus factus Episcopus subjaceret superiori Religionis, quando Episcopi immediatè subsunt Sedi Apostolicę.

Et ita utraque &c.

MONASTERIEN. LEGITIMITATIS PARTUS.

Mercurii 6. Junii 1708.

ARGUMENTUM.

Est brevis decisio in causa, de qua supra decis. 541., 542.

SUM-

S V M M A R I V M.

1 *Quæ veniunt in necessariam consequentiam a firmatis in decisione, possunt in sententia concedi.*

2 *Rota solet ad majorem cautelam brevi decisione explicare, quæ necessario descendunt a decisione, & mens DD. fuit.*

DECISIO DLXVII.

IMmissio ad bona hæreditaria Baronis Ferdinandi de Graesſ per Joannem Antonium ejus filium susceptum à Baronissa Marja Agnete illius uxore, denegata fuit in partibus ab officiali Curiæ Archiepiscopalis Colonien sub pretextu, quod ipse Joannes Antonius esset illegitimus, & propterea excludendus ab hereditate successionis ejusdem Ferdinandi, sed in gradu appellationis devoluta causa ad nostrum Tribunal examinandum dedi dubium sub die 12. Martii præteriti -- *An constaret de legitimitate partus ita ut esset danda immissio* -- & DD. certo scientes, immissionem omni jure deberi quatenus par-
1 tus esset legitimus, constare de illius legitimitate responderunt, & successivè sub die 14. Maii preteriti expeditionem causæ mihi demandarunt: ita ut in sequelam immissionem concedere debuissem.

Hodie autem non sine DD. admiratione cum ex parte Hermanni de Graesſ rei conventi in memoriali per eum porrecto prætensum fuerit, quod Joanni Antonio concedi non posset immissio, ex quo id expressum non fuerat, injunctum mihi fuit, ut ad
2 majorem Cautelam in hac breviter explicarem, quod mens Sac. Rotæ fuit usque ab initio concedendi immissionem Joanni Antonio prædicto, quodque firmata legitimitate partus, illam in necessariam consequentiam veniret.

Et ità &c.

MILITEN. SEU PANORMITANA PATRIMONII.

Mercurii 6. Junii 1708.

ARGUMENTUM.

In Patrimonio relicto Nepotibus, & eorum filiis, & descendentibus, ut unus post alium ad Sacerdotium posset promoveri, non sunt admittendi illi de eorum linea contentiva: nec observantia, vel donantis declaratio post perfectam donationem exaratam, claræ litteræ est anteponenda: & deficientibus vocatis, cum constituens voluit, ut tunc in alios usus magis ejus animæ proficuos converteretur. est servandum.

S V M M A R I V M.

1 *Successionem prætendere nequeunt ad eam non vocati.*

2 *Nomine descendentium veniunt illi de linea contentiva, cum donans vocatos consideravit in statu Sacerdotali.*

3 *Declara conclusionem cum omnes vocatos in statu sacerdotali consideravit; secus si aliquot.*

4 *Donans non omnes Sacerdotes consideravit, cum demandavit, ut inter tot nepotes unus post alium ad donatum patrimonium admitti deberet, ut fieret Sacerdos.*

5 *Adeout interim alii non repugnat, quod possint uxorem ducere, & libros suscipere, qui ad hunc patrimonium sint admittendi, absque necessitate intelligendi sub nomine descendentium illos de linea contentiva.*

6 *Substitutio facta favore filiorum, & descendentium ex institutis lineam contentivam excludit.*

7 *Voluntas donantis litteraliter restricta ad lineam contentivam, in qua suum effectum sine repugnantia sortiri potest, impropriari non debet ad lineam contentivam.*

8 *Nomen familiæ late patet, & aptum est comprehendere lineam contentivam.*

9 *Limita cum ejusdem mentio simpliciter, & absolutè facta non fuit, sed relativè ad personas primo loco vocatas: quia tunc illi de linea contentiva venire nequeunt.*

10 *Observantia non desumitur a firmatis in decisione rotali unica Parte informante edita, & que validè impugnatur.*

11 *Concordia in consecutione rei obtenta ex alterius juribus observantiam non producit illam consequendi jure proprio.*

12 *Observantia deservit in rebus dubiis: minimè cum clare disponentis voluntati repugnat.*

13 *Epistola Donantis de alia re agens, non potest induci ad declarandas personas in donatione comprehensas.*

14 *Donans in Donatarii præjudicium alias personas in donatione comprehendere nequit, post eam perfectam.*

15 *Testator, quę omisit, consulto omisisse dicitur.*

16 *Descendentibus vocatis deficientibus in capellaniis admittuntur transversales extraneis præferendi.*

17 *Secus cum agitur de descendentibus vocatis ad Patrimonium, quod, eis defectis, in aliud Patrimonium magis animæ Instituentis proficui converti debet.*

18 *Animę favor cuicumque interpretationi est præferendus.*

DECISIO DLXVIII.

CUM in donatione annuarum unciarum sex centum per Hieronymum Prænestinum favore PP. Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii Panormi ex pieta, ad effectum constituendi certa Patrimonia annui redditus unciarum viginti quatuor pro totidem Pauperibus Clericis, respiciens ipse donator commodo propriæ familiæ demandaverit deinde: *Quod si aliquis ex infrascriptis ejus consanguineis, & nepotibus, videlicet Prænestinus vel Melchior Malarbi. vel Stephanus Prænestinus vel Vespationus Prænestinus elegerit sacris initiari, & esse Sacerdos; tunc hujusmodi ejus nepti assignentur uncię 150. annuales ex summa dictarum*

unci-

unciarum 600. *&c. Et sic servetur tam pro*
prędictis nepotibus supranominatis, quam
pro eorum filiis legitimis & naturalibus, &
descendentibus in infinitum. Ideò Canoni-
cus Didacus Scaglione prætendens se in dicta
donatione compræhensum, tanquam descen-
dentem ex sorore Melchioris Malarbi con-
troversiam ex integro nostro Tribunali diri-
gi curavit, quam DD. proposui sub dubio:
An familia Didaci de Scaglione sit de voca-
tis, & comprehensis ad patrimonium uncia-
rum 150. *de quo agitur, & Didacus de Sca-*
glionibus veniat admittendus ad dictum Pa-
trimonium, & negativè in omnibus habui
responsum.

Etenim in donatione prædicta compertum
fuit, quod Hieronymus Prænestinus expres-
sè demandavit ad participationem prædicti
Patrimonii unciarum 150. admittendos esse
dumtaxat dd. nepotes, quos specialiter, &
nominatim vocavit, & post illos eorum filios,
& descendentes. Unde cum Didacus à nullo
ex prædictis nepotibus vocatis descendat:
Sed tantummodo proveniat à Laura sorore
Melchioris Malarbi unius ex nepotibus vo-
catis, qui erant filii Faustinæ sororis donan-
1 tis; manifestè sequitur, quod nunquam ad con-
troversum patrimonium veniat admittendus;
cum de eo dici possit dispositio de te non lo-
quitur, *Soccin. Sen. consf.*62. *num* 4. *lib.*3.,
*Altograd. cons.*79. *num.*1. *lib.*2., *Rocca di-*
sput. jurium cap 2. *num.*15., *Rota dec.* 524.
*num.*4. *part.*18. *rec.*

Non attento, quod cum donans considera-
verit dd. ejus nepotes in statu Sacerdotali
2 habiles ad consequendum hoc patrimonium;
ideo sub nomine eorum filiorum, & descen-
dentium intelligere non potuerit de descen-
dentibus de linea effectiva, quos Sacerdos ha-
bere nequit, sed verè intellexerit de descen-
dentibus ex linea contentiva, inter quos Di-
dacus prædictus reperitur.

Quoniam objectum urgeret, si donans vo-
luisset ut omnes dd. nepotes actu Sacerdotes
3 existerent, quod nunquam consideravit, nec
verisimiliter in mente habere potuit: ex quo
4 demandavit, quod inter tot nepotes unus post
obitum alterius ad patrimonium admitti de-
beret, & fieret Sacerdos; & sic omnes super-
vivere possent: hinc dicendum venit, quod
dum donans unum dumtaxat ex illis ad di-
ctum Patrimonium, non autem omnes in si-
5 mul prælegit; utique considerare voluerit,
quod cęteri possent interim uxorem ducere,
& filios procreare: qui progressu temporis ad
hujusmodi patrimonium essent admittendi (ut
6 manifestè desumitur ex vocatione filiorum,
& descendentium ex dictis nepotibus): unde
7 cum verba donationis sint, litteralia, & re-
strictiva ad descendentes nepotum vocato-
rum dumtaxat; in quibus voluntas Testato-
ris, sine ulla repugnantia effectum suum sor-
tiri poterat; indè patet, quod impropriari non
debent illa ad lineam contentivam extenden-
do, *Carol. Ant. de Luc. de lin. legal. in re-*
sponf. lineal. 8. *num.*9., *Rot. dec.* 15. *num.*19.
*& seq. part.*7. *rec.*, *& cor. Merlin. dec.* 669.
& cor. sa. mem. Alex. VIII. dec. 217. *num.*1.
& seq., *& in Aflen. Prioratus super perti-*
nentia 20. *Januarii* 1708. *§. Non attenta*
cum seq. cor. me.

Nec juvat quod in aliis partibus instrumen-
8 ti donationis habeatur mentio de familia, quæ
utporè magis latè patens, apta sit compræhen-
dere omnes descendentes à tribus sororibus
Hieronymi donantis: etenim in præsenti hi-
9 pothesi mentio familiæ non fuit facta. Simpli-
citer & absolutè; sed semper relativè ad cer-
tum stipitem, & personas, nepotum primo lo-
co vocatas ad hujusmodi patrimonium; non
autem facta fuit relativè ad præfatas sorores:
ac proindè remanet inconcussum, quod qui
non descendit a præfatis certis, & designatis
personis nepotum, frustra contendit se am-
mitti sub generali nomine familiæ, ex allega-
tia per *Rot. in rec. dec.*300. *num.*20 *part.*1.
*dec.*15. *num.*5. *& seq. part.*7. *& coram Cerro*
*dec.*233. *à n.*23. *& seq. cum aliis in dec.*1216.
*n.*9. *cor. Emer. jun.*

Quidquam refragante prætensa observan-
tia, quæ pro tali effectu deducitur ex nomi-
natione facta a Congregatione S. Philippi
Nerii de anno 1660. in qua admissus fuit ad
dicti patrimonii participationem Dominicus
Scaglione filius D. Lauræ & Didaci senioris,
ut notatur in decisione edita occasione simi-
lis controversiæ super hoc ipso patrimonio
coram R. P. D. meo Scotto sub die 17. *Mar-*
10 *tii* 1702. Tum quia dictæ nominatio, in qua
fundatur dicta decisio, quæ altera parte non
informante, ac nemine in contrarium audito
prodiit, fuit usque tunc validè impugnata per
Abbatem Franciscum Hieronymum descen-
dentem a Vespasiano, qui postea ad concor-
11 diam devenit: non ex quo repelli timeret
a juribus propriis Dominici; sed quia ille ces-
sionem jurium reportaverat ab Agatio filio
Baltassaris Malarbi in dicta donatione in
quinto loco vocato, ut aperiè resultat ex alia
decisione *Militen. Transactionis sub die* 28.
Februarii 1684. *§. Nec obstat cum seq. cor.*
bo. mem. Florez. Tum etiam quia, si quæ ad
esset observantia, illa deservire deberet pro
12 interpretatione in rebus dubiis, non autem
in claris; prout est in præsenti, ubi ad sua
expressa verba donationis, quæ Didacum
litteraliter excludunt, *Gratian. discept.* 712.
*n.*56., *Carol. Ant. de Luc. de lin. legal re-*
*sponf.*8. *n.*5., *Rot. cor. Emerix jun. dec.*549.
*n.*11. *& in rec. dec.*414. *n.*50. *part.*12.

Minusque urget quædam epistola donantis
in qua facta mentione obitus Melchioris Ma-
larbi secundo loco vocati, scribebat Didaco
seniori viro Lauræ prædictæ ibi: *Con la per-*
dita, che si è fatta di Melchiorre resta V.S.
*in suo luogo, ut in Summar. Didaci num.*3.
13 quoniam per hanc epistolam recognitum
fuit, nil aliud intelligere voluisse donantem,
quam de regimine, & guberno rei familiaris,
uti ipse Didacus loco Melchioris præesse de-
beret: non autem de subrogatione Didaci ad
participationem controversi patrimonii, de
quo

quo ipse tanquam uxoratus erat omnino incapax; maximè quia dicta epistola conscripta
14 fuit sexennio post expletam donationem, quam ipse donans etiamsi voluisset, non potuisset alterare novas personas addendo in praejudicium Congregationis Oratorii: cum actus donationis esset undequaque perfectus, ad *Text. in l. si quis argentum* 35. §. *Sin autem Cod. de Donat.*, *Carol. Ant. de Luca de linea legali respons.* 8 *num.* 8., *Cord. de Luc. de fideicommiss. disc.* 136. *num.* 6. *Rota cor. Emerix dec.* 594. *n.* 11.

Pariterque non relevat, imo potius retorquetur testamentum eadem die donationis a donante conditum, in quo ad cetera bona vocavit descendentes a suis sororibus, a quarum altera nempè Faustina Didacus descen-
15 dit; quia si donans voluisset hujusmodi patrimonium invitare collaterales de linea contentiva Melchioris; utique non vocasset in donatione filios, & descendentes Melchioris; sed descendentes a Faustina sorore; prout fecit in testamento praedicto; Unde concludendum venit, quod si hoc omisit, consulto fecit, *Fusar. de subftit. qu.* 11. *num.* 3. & 4. *Card. de Luc. de Jurepatr. disc.* 34. *n.* 13. *Rot. cor. Emerix dec.* 1216. *n.* 8.

Quibus ita positis inapplicabiles remanent auctoritates, quae in contrarium adducuntur;
16 firmantes, quod in Capellaniis vocatis descendentibus, illis deficientibus, praeferendi sunt transversales personis extraneis, uti verisimiliter magis dilecti. Etenim in praesenti controversia non agitur circa praelationem, cum nullus adsit extraneorum concursus praetendentium Patrimonium unciarum 150. sed
17 agitur dumtaxat in casu, quo deficientibus filiis & descendentibus vocatis cessare debet Patrimonium annuarum unciarum 150., & constitui debent alia patrimonia minora, quae respiciunt majus beneficium animae donantis,
18 cujus favor praeferri debet cuicumque interpretationi in contrarium forsan adducendae, *Card. de Luca de Fideicomm. disc.* 136. *num.* 6. & *de donat. disc.* 18. *n.* 13. *Rota cor. Emerix jun. d. dec.* 594. *n.* 11.

Et ita utraque &c.

ASTEN. PRIORATUS SUPER INSTITUTIONE.

Lunae 11. *Junii* 1708.

ARGUMENTUM.

Accipe a superiori Decis. 525., & in hac causa est decis. 524. cum sequenti.

SUMMARIUM.

1 *Praesentato a legitimo Patrono, qui insuper utpotè in jurepatronatu activo, in passivo quoque comprehensus dicitur, institutio denegari non potest alteris hanc qualitatem non habentibus rejectis.*
2 *Jurepatronatui locus factus non dicitur favore illius, cui relictum fuit post evacuatam aliam lineam, nisi hoc effective evenerit.*
3 *Juspatronatum in fundatione legitima, & ab Ordinario approbata constitutum in sequenti testamento Fundator revocare nequit.*
4 *Transactio inter extraneos facta, sine beneplacito Apostolico, corruit una cum alia, quae ab eadem dependet.*
5 *Patronus jure proprio ad jus patronatum venientibus praejudicare nequit.*
6 *Transactio super jurepatronatu ab ipso transigente tanquam simoniaca impugnata non attenditur.*
7 *Juspatronatum tanquam ab aliquo descendens praetendens, descendentiam per gradus distinctos, & separatos debet probare.*
8 *Impetrans ex capite Simoniae, eam probare tenetur, alias rejicitur*, & num. 10.
9 *Remissio ratae fructuum a nominato Patrono facta simoniam non inducit, cum in fundatione adest, quod non existentibus Clericis de Familia vocata, Patronus posset percipere fructus cum onere adimplendi celebrationem missarum per quemcumque Sacerdotem.*
11 *Simonia a Patrono commissa in jurepatronatu gentilitio non praejudicat filiis, & nepotibus, in quos recta via juspatronatum transit.*
12 *Sed poena suos dumtaxat tenere debet auctores.*

DECISIO DLXIX.

IN eadem audientia diei 20. Januarii proximi praeteriti, qua resolutum fuit cor. me constare de pertinentia juris patronatus favore Mariae Elisabethae, & Caroli Josephi illius filii, responsum quoque fuit, institutionem ad Prioratum de quo agitur eidem Carolo Josepho, esse dandam, & Litteras Apostolicas Francisci Brainerii exequendas non esse: verum quia utriusque decisionis fundamenta ad examen hodie revocata fuerunt, & circa pertinentiam jurispatronatus DD. persisterunt, in decisis, hoc idem respectu institutionis, & Litterarum Apostolicarum Francisci respondendum esse censuerunt.

Eo enim ipso, quod in altera contemporanea decisione, quae prodiit hodie coram me firmatum fuit, juspatronatus de quo agitur ad tenorem fundationis ann. 1627. spectare ad Mariam Elisabetham, quae praesentavit Carolum Josephum filium, in necessariam
1 consequentiam venire debet, quod isti, tanquam praesentato à legitima Patrona, & specifice comprehenso in jure patronatus passivo, tamquam de linea vocatorum in activo, concedenda venit institutio, excluso Francisco in neutro ex eis vocato, ex firmatis *in dec. quae revidetur* §. *maximè*

In nihilo suffragantibus geminis exceptionibus per Franciscum deductis, altera, quod ipse nuper praesentationem reportaverit à Joan. Gaspare de Briziis asserte Patrono, & descendente ab Antonia de Lunellis, cujus

 favore

favore fuerat à fundatore reservatum juspatronatus in ejus ultimo testamento, Altera, quod Litteras Apostolicas à Sanctissimo impetraverit. Nam respectu primæ, cum juspatronatus fuisset in fundatione reservatum favore Secundini de Bucchis, ejusque filiorum masculorum, & omnium descendentium utriusque sexus, & illis deficientibus favore Antoniæ de Lunellis, ibi - *e dopo tutti essi alla Signora Antonia, & alli figli di essa maschi e femine, e loro descendenti, come sopra* -- donec, & quousque non fuit
2 evacuata, & extincta tota linea, & descendentia secundini, numquam dicitur factus locus vocationi descendentium ex dicta Antonia secundo loco vacatorum, ut Advertit *Card. de Luc. de fideic. discurs. 9. n. 17., Pax. Jordan. var. lucubrat. tom. 2. lib. 10, tit. 27. n. 32. Garz. de benef. p. 7. cap. 15. vers. quamvis, Rocca, disput. select. cap. 3. num. 9.*

Et quamvis replicetur, quod fundator
3 reservationem jurispatronatus factam in instrumento fundationis anni 1621. mutaverit, & in testamento per eum subinde condito, Antoniam de Lunellis, ejusque descendentes dumtaxat vocaverit, quodque Joannes Gaspar de Britiis, qui presentavit Franciscum, reperiatur in quasi possessione presentandi, ex quo in transactione anni 1665. Joannes Baptista, & alii de Lunellis ipsius asserti auctores adhæserunt provisioni Apostolicæ reportatæ per Castellium, qui de controverso prioratu, tanquam de devoluto, provideri obtinuerat. Tamen quia fundationis actus fuit Ordinarii authoritate comprobatus, & in omnibus sui partibus ad esse perfectum deductus, non poterat fundator eum immutare, & dispositionem revocatoriam illius condere in suo ultimo testamento, ut firmatum fuit in altera decisione quæ hodie prodiit coram me super pertinentia, §. *sed ex facto*. Transactio verò, ut supra, Inita ultra quod vires sumit ab altera anni 1633. corruente propter defectum beneplacitiA po-
4 stolici corruere quoque debet & altera ab illa dependens; Nàm Secundinus per eam nullum potuit inferre præjudicium suis descen-
5 dentibus jureproprio, & independenter ab ab eo vocatis, exfirmatis per *Rotam dec. 36. num. 3., 4. par. 7., & dec. 316. num. 16. 33. par. 10. rec.*, cum aliis relatis *in d. contemporanea decisione §. Quibus ita*.

Maximè quia hoc ipsum transactionis instrumentum anni 1665. tanquam simoniacum, fuit positivè impugnatum per Franciscum,
6 qui cum hujusmodi supposito litteras Apostolicas impetravit: ideoque illo in presenti juvari minime potest, *Pax Jordan. var. Lucub. vol. 3. lib. 14. tit. 2. num. 278., Boer. dec. 250. num. 4* Immo neque Britius justificat per
7 gradus distinctos, & separatos ipsum descendere ab Antonia aliisque de Lunellis, itaut præsentatio per Franciscum reportata tanquam nulla, & in efficax nihil penitus operetur, *Text. in cap. ex eo ff. de reg. jur. in 6. Gratian. discept. 276. num. 35., Rota coram Carillo dec. 135. num. 5., & in rec. dec. 299. num. 4. par. 18.*

Quo vero ad litteras Apostolicas, cum agatur de odiosissima impetratione ex capite
8 asserti criminis simoniæ, eo, ut hic, non probato, ex quo fructus Prioratus per Castellium pro certa rata Secundino fuerunt remis-
9 si coherenter ad instrumentum fundationis, quo cavetur, quod non existente Clerico de familia, prout casus evenerat, possent Patroni pro tempore fructibus prioratus frui, cum onere tamen adimplendi celebrationem missarum per quemcumque sacerdotem, repellitur impetrans à consecutione gratiæ,
10 ejusque deneganda venit executio, ut alias respondit *Rota dec. 141. n. 16. 17. par. 16. rec. & in Barchinonen. Benefic. 14. Aprilis 1698.* § *quamvis cor. R. P. D. meo Ansaldo*, Certius quia quatenus etiam ad omne pejus prætensum simoniæ crimen esset justificatum ad-
11 huc quia versamur in jurepatronatus gentitio, hujusmodi delictum tanquam à Secundino patratum, non præjudicat ejus filiis, & nepotibus, in quos recta via transitum fecit
12 Juspatronatus; Cum pæna suos dumtaxat tenere debet auctores, *Lotter. de re benef. lib. 2. quest. 14. num. 12. & 33.*

Et ita utraque &c,

ASTEN PRIORATUS SUPER PERTINENTIA,

Lunæ 11. Junii 1708.

ARGUMENTUM.

Fundator, quamvis sibi reservaverit facultatem variandi in jurepatronatu; post illius perfectam, integramque fundationem uti nequit, etiamsi eadem authorizata sit a Vicario foraneo ab Episcopo deputato cum reservatione approbationis, & confirmationis: & quid eadem importet, & operetur? Absque eo, quod obstet transactio inter Invitatos in fundatione, in successiva vacatione postmodum gesta, quæ venientibus jure proprio ex juribus fundationis non præjudicat. Beneplacitum Apostolicum, ut ex lapsu temporis præsumatur quid requiratur?

Est confirmatoria superioris decisionis 524., & in hac causa est proximè antecedens.

S V M M A R I V M.

1 *Vocato per posterius successio debetur extinctis prius vocatis.*
2 *Fundator Jurispatronatus potest reservare sibi facultatem variandi.*
3 *Presertim si ab iis, quorum interest, post ejus mortem fuerit confirmatum.*
4 Descendentium *nomine veniunt tàm masculi, quàm fæminæ.*
5 *Fundator statim ac beneficium validè, perfecteque erexit, amittit facultatem variandi in prejudicium eorum, quibus ex indè jus quæsitum fuerat.*
6 *Fundatio valida, perfectaque dicitur, cum omnia ad id necessaria intervenerint, & præcipuè Episcopi consensus.* 7 *Vica-*

7 *Vicarius foraneus ab Episcopo deputatus beneficii fundationem potest authorizare.*
8 *Et tunc dicitur Episcopi intervenisse consensus, & approbatio.*
9 *Fundatio cum Episcopi authorizatione perfecta dicitur irrevocabilis.*
10 *Delegatio Vicarii ad authorizandam fundationem beneficii ab Episcopo facta cum reservatione approbationis, & confirmationis, quid importet, & operetur?*
11 *Et post Vicarii sic deputati authorizationem etiam ante Episcopi ratificationem, non potest fundator eam revocare.*
12 *Fundator, qui reservavit sibi variationem in jurepatronatu cum consensu Episcopi, si variet, nec ille approbet, nullum jus secundò invitatis acquiritur, & variatio nulla, & caduca remanet.*
13 *Non quid geri debuisset, sed quid gestum fuit, cum res non est integra attendi debet.*
14 *Variatio in nominatione ad juspatronatus, quam Episcopus noluit approbare, absque eo, quod secunde invitati reclamaverint, nullum eis postea jus tribuit.*
15 Bellon. *celebris I. C. laudatur.*
16 *Sententia arbitramentalis, quę in judicatum transiit facit de albo nigrum.*
17 *Et pro veritate habetur.*
18 *Transactio coram Episcopo facta non praesumitur, licet enunciatur, cum ejus decretum non adest.*
19 *Transactio, sivè factum antecessorum ex jure proprio venientibus prejudicare nequit.*
20 *Transactio super jurepatronatus sine beneplacito Apostolico non sustinetur.*
21 *Quamvis sit reservatum cum clausula*--non altrimenti, &c. *cum non apparet obtentum.*
22 *Beneplacitum Apostolicum ex lapsu temporis praesumptum non suffragatur, cum partes voluerunt expressum.*
23 *Beneplacitum Apostolicum absque actus observantia in eo ex lapsu temporis praesumi nequit.*
24 *Consensus à proviso ad compescendas lites a praetensis patronis postmodum reportatus beneficio novum jurispatronatus statum non imprimit*, & n. sequenti.
26 *Beneplacitum Apostolicum non inducitur ex observantia dubia, & aequivoca.*
27 *Praesertim si actus isti ab allegante fuerint solemniter, ut simoniaci impugnati:*
28 *Actu a se impugnato, quis uti nequit.*

DECISIO DLXX.

CONstare de jurepatronatu favore q. Mariae Elisabethae de Rattis, & Caroli Josephi Junioris illius filii responsum fuit *cor. me die 20. Januarii proximi praeteriti*, cumq; adversus hujusmodi resolutionem Carolus Antonius, & Franciscus fratres de Raineriis audiri obtinuissent, causa hodie iterum ad examen revocata, non obstantibus iis, quae noviter in facto fuerunt deducta, DD. in *decisis* standum esse censuerunt, & eo sub fundamento, quod licet Raynerii, mediante persona Annae Marcellinae Matris descendant a secundino fundatoris filio, tamenquia juspatronatus in instrumento fundationis anni 1627. reservatum legitur favore Secundini ipsius ex fratre Nepotis, & post ejus obitum *alli suoi figlioli maschi, e loro descendenti maschi, e femine in perpetuo, & in infinito, & in difetto de' maschi alle femine*--In necessarism consequentiam venit, quod defunctn Secundino cum unico filio masculo, nempe Carolo Jo-
1 sepho seniore successio debeatur Mariae Elisabethae istius filię tanquam per posterius vocatae in defectum masculorum, & postea Carolo Iosepho juniori ipsius filio, *per text. in l. cum ita §. in fideicomm. if. ff. de legatis 2.* cum aliis relatis *in dec.*, *quae revidetur §. Agitur enim.*

Ut evitarent hoc solidissimum fundamentum scribentes pro fratribus de Rayneriis curarunt in praesenti causae repropositione ostendere, quod Federicus fundator sibi in actu fundationis reservaverat facultatem--*di poter revocare, disporre, e mutare circa la successione della parentela, e di fare alienatione contratto, e distratto in servizio di detto Beneficio, mediante l'approvazione di Monsignor Illmo Vescovo*-- Unde cum postea in vim hujus facultatis condendo testamentum variaverit circa nominationem successorum in jurepatronatus, & vocaverit Antonium Lunellam pronepotem, ejusque filios, & descendentes, nulla sit amplius habenda ratio primae dispositionis, tanto magis quia orta lite inter Secundinum primum reservatarium, & Antonium praedictum, Juspatronatus pro medietate divisum remansit 2
3 inter illos, & eorum descendentes, quorum
4 nomine sicut comprehenduntur tam masculi, quàm faeminae, ita cum Secundinus reliquerit post se Carolum Josephum Patrem Mariae Elisabethae, & Annam Marcellinam Matrem illorum de Rayneriis, juspatronatus pro rata ad utramque lineam fuerit devolutum.

Sed ex facto cessare visa fuit quaelibet difficultas, ut enim adverterunt DD., statim ac fundator anno 1627. beneficium valide erexit, itaut fundatio fuerit in suo esse tota-
5 liter perfecta, utique extincta remansit facultas variandi, & non potuit amplius recedi a pactis, & conditionibus in illa adiectis, in praejudicium eorum, quibus jus jam quesitum fuerat *Tondut. qu. Benef. p. prima cap. 91. n. 1. cum seq. Lambert. de jurepat. disc. 16. n. 2., & seq. Rota dec. 37. n. 1., & seq. p. 7. & dec. 117. n. 3., & dec. 220. n. 33. p. 11. rec.*

Quod autem talis fuerit in praesenti casu fun-
6 datio manifestè evincitur ex eo, quod intervenerunt omnia necessaria ad ejus perfectionem, & signanter approbatio Episcopi, ille enim delegavit Vicarium Foraneum ad authorizzandam suo nomine fundationem d. Juris-
7 patronatus, cujus vigore cum potuerit Vicarius praeinscriptus authoritatem suam interponere ad tradita per *Gara. de Benef. p. 5. c. 9. n. 75. Barbos. de offic.*, *& potest Episcopi* al-

legat. 74. *n.* 74. *in fine*, *Rota cor. Royas dec.* 99. *n.* 19., *& in Majoricen. Jurispatronatus* 16. *Maii §. haud subsistente*, *&* 29. *Novembris* 1704. *§. minimè*, *&* 12. *Maii* 1703. *§. Altera cum seq. cor. bo. me Muto*. Hæsitandum non est, quin intercesserit ejusdem Ordinarii consensus, & approbatio, sicut etiam Secundinus, & Antonia de Lunellis fassi fuerunt in instrumento transactionis anni 1633., ideoque fundatio prædicta remansit irrevocabilis ad notata per *Card de Luc. de Parochis disc.* 26. *n.* 8. *Rot. in d. Majoricen.* 28. *Novembris* 1704. *§. altera*, *&* 11. *Maii* 1705. *§. altera cor. bon. me. Muto*.

Nihilque refert, quod Episcopus in eadem delegatione sibi reservaverit approbationem, & confirmationem, quoniam hujusmodi reservatio est compatibilis cum facultate jam delegata, & præsefert duntaxat simplicem ratificationem ejus, quod gestum fuisset a Vicario, reddisque actum resolubilem, quatenus ipsi placuisset, ut demonstrant verba subsequtæ ratificationis factæ per Episcopum ibi -- *quamvis nomine nostro jam acceptata sit donatio prædicta*, *quatenus opus sit*, *& non aliter approbamus*, *& confirmamus* -- Ideoque ratificatione pendente
11 non poterat fundator revocare donationem, & reservationem jurispatronatus jam perfectam per medium Vicarii Foranei, qui ejus nomine decretum, & authoritatem interposuerat *Rota cor. Seraph. dec.* 724. *n.* 11. *& cor. Merlin. dec.* 568. *n.* 7., *&* 8. *cum seq.*

Ac omnem occasionem dubitandi substulit animadversio, quod fundator non sim-
12 pliciter. & indefinitè facultatem variandi sibi reservaverat in instrumento fundationis, sed limitatè, & conditionaliter, quatenus accederet approbatio ipsius Episcopi ibi -- *mediante l'approvatione di Monsignore Illustrissimo* -- & rursus *conforme le parerà*, *e piacerà* -- Unde cum tota hæc variatio penderet ab approbatione Episcopi, eo ipso, quod iste mutationem Jurispatronatus factam in testamento admittere recusavit, & reservationem primævam ex abundanti iterum confirmavit cum clausula -- *quatenus opus sit & non aliàs* -- nullum jus acquiri potuit favore Autoniæ Lunellæ, ejusque descendentium tàm ex testamento, quam ex subsecuta transactione, & variatio circa successionem in jurepatronatu nulla, & caduca remansit, *Antonin. var. resol. lib. primo resol.* 81. *n.* 9. *in fin. Rota cor. Coputaguen. dec.* 290. *n.* 4. *p.* 2., *& in majoricen. Jurispatronatus* 16. *Maii* 1704. *§. non relevante cor. bo. me Muto*, *& in Valentina Beneficii* 22. *Junii* 1703. *§. talia cor. me*

Non attenta replicatione, quod Episcopus non potuisset denegare consensum præfatæ variationi; Etenim quidquid sit de hujusmodi supposito, hoc unum certum est, quod cum hodie res non sit amplius integra, atten-
13 di non debet id, quod tunc fieri debuisset, sed quod in rei veritate gestum fuit, ac propterea eum Episcopus non consenserit secundæ dispositioni, & Antonia non reclamave-
14 rit frustra prætenditur jus patronatus illius favore sine Ordinarii consensu fuisse acquisitum.

Cæterum opus non fuit tamdiù immorari super rejectione facultatis prædictæ, quam circa variationē, quam sibi reservaverat Budericus fundator, cum jamdiu prodierit sententia arbitramentalis lata per tres arbitros
15 concorditer electos, inter quos adfuit Bellon. celebris jurisconsultus, & auctor tractatus in lucem editi super jure accrescendi, qui laudum proferentes censuerunt, firmam & validam remansisse reservationem jurispatronatus factam in d. fundatione favore Secundini, illamque immutare non valuisse ad comodum Autoniæ, ejusque descenden-
16 tium, cumque hæc transierit in judicatum,
17 facit de albo nigrum, & pro veritate haberi debet, *l. res judicata* 208. *ff. de reg. jur.*, *Rota cor. Cerro dec.* 382. *n.* 2., *& dec.* 104. *n.* 8. *p.* 19. *rec.*

Quibus ita positis multominus desumi valet pertinentia jurispatronatus ex transactione inita anno 1633 inter Antoniam Lunellam auxiem Raynerii, & Secundinum, in qua inter se pro medietate diviserunt juspatronatus, quia licet dicta transactio fuerit
18 facta præsente Episcopo, & ut ibi dicitur ad ejus insinuationem, tamen nullum decretum approbationis legitur ab eo factum, & d. transactio nullo modo sustinetur, vel
19 quia non afficit descendentes jure proprio vocatos, quibus Secundini factum nullum præjudicium irrogare potest *Card. de Luca de Jurepat disc.* 63. *n.* 14. *Rota dec.* 220. *n.* 27. *p.* 11. *rec.* cum pluribus relatis in *firmana Jurispatronatus* 21. *Aprilis* 1704 *§. finali*
20 *cor. bon. me. Muto.* Vel quia tanquam destituto Beneplacito Apostolico, quamvis ex-
21 pressè reservato cum clausula resolutiva *e non altrimente* -- eo nunquam obtento remanet nullius roboris, & momenti, perinde ac si nunquam facta fuisset, *Adden. ad Buratt. dec.* 374. *n.* 17. *Rota cor. Greg. dec.* 192. *n. primo cor. Bich. dec.* 660. *n.* 13., *& in rec. dec.* 624. *n.* 12. *p. prima*, *& dec.* 373. *n.* 11. *p.* 16.

Absque eo quod recurri valeat ad Beneplacitum ex lapsu temporis præsumptum, quia ultra quod istud non suffragatur, quan-
22 do partes ut hic ex pacto voluerunt expressum ibi -- *che non vi sii corso*, *ne corra tempo alcuno loro pregiudiziale* -- *cap.* 2. *de preben. cap. fin. de procuratoribus in* 6. *Federic. de Senis Consil.* 233. *vers. sed ubique requiritur Mantich. de tacit. lib.* 3. *tit. primo n.* 7. Ad illud præsumendum deficit ob-
23 servantia, ad hujusmodi effectum omnino necessaria, pro qua ab anno 1633. usque ad presens non affertur nisi unicus actus desumptus ex concordia anni 1665., in qua Castellus provisus Apostolicus ex Jure devoluto ad redimendam vexationem sibi illatam a Secundino, & Lunellis assertis patro-

trona is approbationem suæ provisionis reportavit ab eis, & continuando in possessionem vigore tituli primævi eorum consensum exquisivit cum clausula -- *ove sia espediente* --
24 quæ nullatenus dare potuit proviso jus aliquod imprimens novum statum d. jurepatronatus ad tenorem concordiæ anni 1633, ut egregiè firmavit *Rota dec.* 136. *n.* 18. *p.* 19. *rec.*, & in terminis consensus reportati post
25 provisionem ad redimendam vexationem Patronorum *Adden. ad Greg. dec* 349. *n.* 7. *Rota dec.* 333. *sub n.* 6. *p. prima rec.*, *&* *in Placentina jurispatronat.* 23. *Martii* 1703. §. *hujusmodi autem*, *&* 10. *Martii* 1704. §. *eoque minus cor. Rmo D. meo Decano*.

Et in omnem casum cum ex d. unico actu
26 observantia reddatur dubia, & equivoca, ea non suffragatur ad effectum inducendi Beneplacitum præsumptum, *Adden. ad Buratt. dec.* 45. *n.* 8. *Rot. cor. Coccin. dec.* 301. *n.* 4., *& in rec. dec.* 99. *n.* 10. *p.* 14. Potissimè quando actus præscriptus solemniter
27 fuit impugnatus sub prætextu, quod simoniæ labe esset infectus à Rayneriis, quorum alter litteras Apostolicas impetravit, & super earum executione sub alio dubio certat in præsenti Judicio, quæ contradictio ope-
28 ratur, ut illis modo actu prædicto uti permissum non sit, per *text. in cap. ex eo de reg. jur. in* 6. *Gratian. discept. forens. cap.* 276. *n.* 35., *& seq Rota coram Carillo dec.* 135. *n.* 5., *& dec.* 178. *n.* 45., *& in rec. dec.* 299. *n.* 4. *p.* 18.

Et ita utraque &c.

AMERINA FIDEICOMMISSI DE GERALDINIS SUPER AGNATIONE.

Veneris 15. *Junii* 1708.

ARGUMENTUM.

Accipe a Decis. 526., quæ hìc confirmatur.

SUMMARIUM.

1 *Agnationis probatio habetur cum descendentia legitimè per gradus distinctos probatur.*
2 *Multiplicitas Personarum ejusdem nominis, & cognominis non præsumitur.*
3 *Nec fortius quatnor gradus personarum ejusdem nominis, & cognominis, & de eodem tempore in duabus diversis familiis*; & num. seq.
5 *Appositio cognominis in aliquibus actibus antiquis, & aliquando Patris, personarum duplicitatem non concludit.*
6 *Præsertim cum in aliis quoque id factum cognoscitur.*
7 *Personæ de alia familia existentia probatur; si eadem in aliquibus publicis actibus de eadem familia sit nuncupata, in quibus relatio ad alia habetur, in quibus cognomen non adjicitur; & tunc in omnibus istis de eadem persona agi convincitur.*
8 *Ascanius Episcopus Cathacen. de familia Geraldina interfuit Sac. Conc. Tridentin., & fuit Vicelegatus in Piceno.*
9 *Filius Sacerdotis naturalis fuisse non probatur, cum potuit ab eodem ante ex legitimo matrimonio haberi.*
10 *Filia legitima fratris, non plebejo nupta, consideratur, si alter frater vir nobilis cum propriis filiis comparavit, & cur?*
11 *Matrimonia ultra duo sæcula inter conjunctos contracta fuisse cum dispensatione non excluditur, si ea non exhibetur.*
12 *Denominatio in libro reformationum a nobilibus antiquitus confecto, & admissio in consilio nobilis, probat denominatum talem fuisse.*
13 *De vera familia aliquis præsumitur; cum talis in publico instrumento antiquo fuit declaratus a persona de eadem familia, & cur?*
14 *Præsertim cum postea ab omnibus de eadem familia uti talis recognitus, tractatusque fuit.*

DECISIO DLXXI.

CUM ex firmatis in alia decisione præsentis causæ *coram me sub die* 23. *Januarii præteriti*, agnoverint DD. benè fuisse responsum, constare de agnatione Geraldina, tam favore Alexandri, & Laurentii filii, quam favore Joannis Matthei, & Lucæ omnium de familia Geraldina nuncupat., ideo in hodierna audientia persisterunt *in decisis*.

Subsistere namque visa fuerunt ea, quæ dicebantur de agnatione Alexandri, & Laurentii, ex quo illi per plures distinctos gradus benè probant suam descendentiam à Bartholomæo Geraldino, qui fuit de vera familia, ut resultat ex instrumento donationis Episcopi Angeli, qui erat alter ex quinque fratribus de Geraldinis fideicommittentibus,
1 ut inter partes non controvertitur; Unde sequitur, quod de agnatione eorumdem dubitari non possit., *Rota cor. Merlin. decis.* 669. *num.* 18., *& in recent. decis.* 342. *num. fin. part.* 18.

Frustraque repetebantur ea, quæ alias opposita fuerunt adversus Hieronymum, à dicto Bartholomæo per medium Angeli Antonii descendentem; allegando quod idem Hieronymus non fuerit verè filius dicti Angeli Antonii Geraldini; Cum imo istum sine prole decessisse prætendatur; sed alterius Angeli Antonii plebei. Addendo etiam quia si ille de vera familia Geraldina extitisset, utique nec Episcopus Angelus eidem Lauram suam filiam naturalem in matrimonium tradidisset, nec ipse contentus fuisset eam uxorem ducere, ne sanguinis integritas deturpata remaneret.

Etenim dependentia Hieronymi ab Angelo Antonio de vera familia Geraldina benè à prædictis objectis vindicata remanet; cum nullum adducatur documentum ad probandum dictum Angelum Antonium sine prole
2 decessisse, sicut etiam non probatur asserta multiplicitas personarum dicti Angeli Anto- 3
nii

nii quondam Bartholomæi, quæ penitus exclusa dignoscitur ex illa circumstantia in præterita decisione deducta §. *Adbuc as-*
3 *sumptum*; quod nempè quatuor gradus personarum ejusdem nominis, & de eodem tempore in duabus diversis familiis verificari deberent; cum ex instrumento solutionis dotis Moriconæ uxoris dicti Angeli Antonii de anno 1467. constet prędictum Angelum Antonium esse filium Bartholomæi Angeli Celli de Amelia, quæ omnes sunt personæ gradualiter enunciatæ in vera familia Geraldina; ut non controvertitur. Ex quibus manifestè sequitur Angelum Antonium prædictū tunc virum Moriconæ, & deinde ob illius obitum, ut præsumitur de anno 1514. virum Medeæ juxta deducta in præterita decisione §. *Nec relevat* fuisse de vera familia Ge-
4 raldina; cum non sit verisimile tot personas ejusdem nominis adesse potuisse eodem tempore in duabus distinctis familiis.

Nec ad suadendam multiplicitatem personarū, quidquam relevat, quod nomen Angeli Antonii, quandoque in nonnullis instrumentis legatur cum cognomine de Geraldinis;
5 quandoque vero sine illo; cum hoc non concludat existentiam duorum ejusdem nominis Angeli Antonii quond. Bartholomæi; Quoniam antiquis temporibus pro eorum arbitrio cognomen apponere, & omittere consueverant; prout benè recognitum fuit ex juribus hinc inde per scribentes adductis, in quibus tam ascendentes quinque fratrum fideicommittentium de Geraldinis, quam ipsimet quinque fratres modo eum cognomine, & modo sine illo reperiuntur descripti.
6 Unde nil mirum, si ita quoque practicatum videtur in Angelo Antonio cujus favore, etiam concurrunt plures enunciativæ in proportionatis actibus emissæ, cum cognomine de Geraldinis.

Et prima de anno 1514. in instrumento quietantiæ factæ per Episcopum Angelum favore Pompilii Geraldini, qui procuratorio nomine ejusdem persolvit Angelo Antonio Geraldino ratā dotis Lauræ uxoris Hieronymi filii, ut *ex Summario hodierno Alexandri num.* 3. & altera in quietantia generali facta ab Angelo Antonio prædicto de anno 1519. pro residuo dotis Lauræ, *ut in Summario præteritæ informationis Alexandri in calce num. unico*, in quibus omnibus Angelus Antonius cum cognomine de Geral-
7 dinis expressè nuncupatur, quæ quidem reiteratæ denominationes, cum cognomento de Geraldinis diverso tempore emissæ, & relativæ ad alia instrumenta in quibus non expressum fuit cognomen, manifestam inducant observantiam declarantem, Angelum Antonium patrem Hieronymi extitisse de vera familia Geraldina, *Rot. in Romana Officii* 16. *Mart.* 1694. §. *Sed dato cor. Emo Capr.*

Quo verò ad matrimonium initum per Hieronymum cum Laura filia Angeli Episcopi Cathacen. ex quibus conjugibus etiam
8 ortum habuit Ascanius alter Episcopus Cathacen., qui Sac. Concil. Trid. interfuit ac vicelegationem in Piceno substinuit; ultra responsiones alias datas in mea præterita decisione §. *Conflito*, urget ulterius alia circumstantia in præsenti adducta, & resultans ex recognitione testamenti quondam Pompilii de Geraldinis, a quo desumitur prætensa qualitas naturalitatis Lauræ, & compertum fuit in illo non adesse expressum verbū illud *naturalis*, ut prætenditur, sed dumtaxat quamdam abbreviaturam, quæ per notarium examinata extensionem suppositam non patitur; prout una cum notario prædicto ingenuè fassus fuit alter testis, qui pariter testamentum recognovit; ut ex fide quæ datur ab Alexandro in suo præsenti *Summario num.* 1. & 2., & sic remanet exclusa impicta qualitas naturalitatis in Laura; cum benè potuerit Episcopus Angelus filias antea
9 ex legitimo matrimonio procreatas habere, quæ sola possibilitas sufficiens visa fuit ad hoc, ut dici nequeat concludens probatio naturalitatis Lauræ, *Rot. cor. Celso dec.* 155. *num.* 23., & *in rec. dec.* 531. *num.* 2. *part.* 3., *dec.* 413. *n.* 3. *par.* 5. & *in Ferrarien. Primogeniture* 10. *Mart.* 1704. §. *Ultra quod cor. me.*

Itaque possibilitas confirmatur ex legato facto a Pompilio Geraldino in suo testamento iam favore d. dictæ Lauræ, quam propriarum filiarum ad hoc, ut in casu viduitatis, vel necessitatis ad testatoris domum possent redire, ubi sic loquutus fuit: *Item jussit, voluit, & disposuit, quod d. Almona Olimpia Elisabetha ejus filiæ, d. Laura filia R. D. Angeli Episcopi Cathacen. & altera filia dicti Rmi Episcopi Cathacen. in omnem casum viduitatis, & necessitatis possint, & valeant quelibet earum possit, & valeat reverti in domo dicti Testatoris.* Unde sequitur, quod vere Laura sit filia legitima Episcopi Angeli,
10 cum verisimile non sit, quod Pompilius Geraldinus vir nobilis, si Laura fuisset spuria, & viro plebejo, & ignobili nupta, illam propriis filiabus equiparasset demandando, quod in propria domo reciperetur, eo modo, & forma, prout proprias filias recipiendas esse mandavit; adeout cum illis æqualiter Laura pertractanda foret.

Nec relevat replicatio quod si Laura esset filia legitima Episcopi Angeli, opus fuisset dispensatione (quæ non exhibetur) pro contrahendo matrimonio cum Hieronymo filio
11 Angeli Antonii, ex quo iste in tertio, & quarto consanguinitatis gradu cum illa reperiebatur adstrictus. Quoniam cum agatur de matrimonio contracto de anno 1514. valde difficilè redditur, post lapsum ferè duorum seculorum, dispensationem, quatenùs intercedere debuisset, exhibere.

Prout etiam non subsistit, quod Hieronymus nunquam se denominari fecerit, cùm cognomine de Geraldinis, nisi postquam dictam Lauram duxit in uxorem. Contrarium namque manifestè resultat ex lectura libri reformationum, in quo Angelus Antonius pater Hieronymi ab anno 1475. usque ad 1514.

cum

cum cognomine de Geraldinis reperitur descriptus; à quo tempore & ab inde citra Hieronymus quoque semper eodem modo denominatus fuit: cui quidem denominationi cum cognomine de Geraldinis standum omnino est, cum ista facta fuerit in dicto libro per nobiles dictæ Civitatis exarato. Illi enim non permisissent tam Angelum Antonium, quam
12 Hieronymum filium ita denominari; si de familia Geraldina vera non extitissent, nec in consilio decem virorum Hieronymum non adscripsissent, si fuisset filius alterius Angeli Antonii plebei, & non Angeli Antonii nobilis, qui sine filiis decessisse prætenditur.

Firmata ergo qualitate agnatitia Alexandri, & Laurentii, facilè fuit illam quoque probare, respectu Joannis Matthæi, & Lucæ, cum isti optimè suam descendentiam per gradus claros & distinctos probaverint, ut firmatum fuit in alia *decisione coram me* §. *Et hæc*.

Non attento repetito obiecto, quod Joannes, à quo isti descendunt, non esset filius Geraldini Serarcangeli, qui erat de hac familia; allegando quod eodem tempore duo adessent istius nominis, quorum unus erat nobilis, à quo descendere prætenditur Joannem Matthæum & Lucam; eo quia Joannes qui erat filius dicti Geraldini, & ascendens Joannis Matthei non reperiatur descriptus in Consilio decem inter nobiles, sed solum inter simplices cives: etenim, prætermissis ceteris omnibus, valdè satisfecit responsio etiam in præterita decis. adducta, quod R. P. D. Angelus Episcopus Svellanus (qui non controvertitur de familia Geraldina) de anno 1473. in quodam publico solemnique instru-
13 mento donationis, ad tollendas quascumque dubietates declaravit quinam essent de familia Geraldina inter quos expressè quoque nominavit Joannem, super quo cadit controversia, aliosque filios Geraldini, à quo descendunt Joannes Matthæus, & Lucas, undè pernecesse sequitur, quod isti quinque à communi stipite quinque fratrum fideicommittentium descendant: cùm inverisimile sit, quod Episcopus Angelus, illos declarare voluerit de vera familia Geraldina, post habito altero Geraldino prætenso de vera familia; quando illi verè tales non extitissent. Accedente præsertim, quod non solum Episcopus Angelus, sed etiam cæteri omnes il-
14 los uti de parentela 26. illa familia descendentes recognoscere, & pertractare non recusarunt: quod multum confert ad patefaciendam qualitatem agnatitiam de Geraldinis in Joanne Mattheo, & Luca, *Rot. dec.* 246. *num.* 16. *part.* 15. *& dec.* 44. *num.* 6. *& per tot. part.* 19. *recent.*, *& in Vasionen. Primogeniture* 25. *Junii* 1700. §. *quibus cor. bo. me. Jacometto*.

Et ita utraque &c.

EADEM SUPER IMMISSIONE, ET SUCCESSIONE.

Veneris 15. *Junii* 1708.

ARGUMENTUM.

Repete à Dec. 527., quæ confirmatur.

SUMMARIUM.

1 *Immissio retardari non potest proximioribus vocatis*.
2 *Juspatronatus ad quod vocantur fratres, ac eorum successores, & hæredes dicitur mixtum*.
3 *Et in eo servatur ordo fideicommissariæ successionis, præferendo remotioribus proximiores*.
4 *Successionis ordo dubius in Jurepatronatu ab observantia declaratur*.
5 *Observantia est multum attendenda*.
6 *Observantia successionis in Jurepatronatu cum eodem ordine fideicommissi, magis declaratur, si nunquam evenerit, ut omnes, de familia fuerint indistinctè admissi*.

DECISIO DLXXII.

Sicuti non dubitarunt DD. persistere in decisis cor. Me *sub die* 23. *Januarii præteriti* super qualitate agnatitia Alexandri & Laurentii; prout in alia contemporanea decis., ita placuit, persistendo quoque in decisis, iterum concedere eisdem immissionem ad bona, & jura per Adrianum modo retenta, & de quibus in brevibus Sa. Me. Xysti IV. ad illos, qui sunt de familia de Geraldinis, spectantia; illorum enim successio eis debetur uti proximioribus quinque fratribus fideicommittentibus; ideo nequeunt illæ pri-
1 vari; ut præter authoritates in alia præterita Decisione adductas firmatum fuit *Amerina fideicommissi* 26. *Junii* 1697. §. *& porro cor. bo. me. Muto*.

Nec obstat quod Alexander non gestet stegmata familiæ Geraldinæ; ita ut juxta dispositionem fideicommittentium, & determinationem in 2. Brevi contenta, sit incapax succedendi. Contrarium namque probatur & testibus in responsione adductis, ex quibus habetur usus insignium domus Geraldinæ, & probatur, ipsum habitare in domo hujus familiæ in Contrada Burgi, in qua sunt parietibus affixa Stegmata gentilitia familiæ Geraldinæ.

Sicut etiam non subsistit respectu jurispatronatus, quod in primo brevi Xysti IV. simultaneè admitti debeant omnes de familia, absque prælatione proximiorum, in concursu remotiorum. Etenim Juspatronatus de quo est controversia; non est simpliciter gentilitium, & familiare, sed dumtaxat mixtum;
2 cum ad illud vocentur fratres, & eorum successores, & hæredes, *Rot. dec.* 25. *num.* 9. *part.* 11. *rec. & in Parmen. juris patronatus* 4. *Decembris* 1699. §. *Neque obstat coram Reverendissimo Conchen., & in Mediolanen. Præpositura* 3. *Martii* 1704. §. *Et sanè cor. R.P.D.*

3 *R.P.D. meo Ansaldo*, ideoque in eo servandus est ordo fideicommissariæ successionis, præferendo semper in ejusdem exercitio proximiores remotioribus, ut de similibus *Card. de Luc. de Jurepatr. disc.61. n.10. Lotter. de re benef. lib.2. quæst.11., Rot. decis.267.num.8. part.6., & decis 354 num.17. part.11.recent.* Et quatenus circa qualitatem Jurispatronatus prædicti aliqua oritetur dif-
4 ficultas; ista penitus sublata remaneret ex inconcussa observantia, qua semper proximiores juxta ordinem fideicommissariæ successionis, post habitis remotioribus, præsentarunt; & quæ venit multum attendenda, *Card. de Luc. de Jurepatr. dicto disc.61.n.9. Rot decis.75. n.7. & 8. part.11., & dec.342. num.9. part.18. & dec.99. n. 8. part.19. rec.*,
5 Tantoque magis quia nulius datur casus, in quo omnes de familia indistinctè reperiantur admissi: quod maximè confert ad auctorizzandam observantiam prædictam, *Rot. in dicta Mediolanen. Præpositura 3. Martii 1704. §. Nusquam tamen cor. R. P. D. meo Ansaldo*.

Et ita utraque &c.

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE CÆSARINIS SUPER EXHIBITIONE.

Lunæ 18. Junii 1708.

ARGUMENTUM.

Assume à Decis.312. cum ibi notatis, quæ confirmatur.

SUMMARIUM.

1 *De exhibitione integra, & sufficienti non constat, quoties non restituantur omnes libri consignati, & quos promissum fuit reddi ad omne mandatum Judicis.*

2 *Inventarium factum à Procuratore proprio marte in foliis consignatis Notario, in quibus describuntur etiam res absentes, non est legitimum.*

3 *Et tamen non potest impugnari ab illo, qui talem Procuratorem ad hoc specialiter constituit, & cur?*

4 *Procuratoris factum subire voluisse dicitur, qui sciens illi acquievit.*

5 *Acceptans sententiam per renunciationem liti, nequit ampliùs sub variis prætextibus impugnare.*

6 *Existere præsumitur res coram eo, qui retinere, & restituere se obligaverat.*

7 *Et cum illius partem exhibuit.*

8 *Libri penes eos existere dicuntur, qui plura ex eis desumpta scripturaverunt.*

9 *Contrarium cum de illis partitis aliundè potuit notitia haberi, vel per accessum ad locum ubi dicti libri asservabantur.*

10 *Existentia unius non probat existentiam omnium.*

11 *Consignata non censetur insignis librorum quantitas absque recepta.*

12 *Libri, qui inter effectus liberos hæredis gravati fuerunt considerati ejusdem hæredi traditi censentur.*

13 *Testes deponentes de existentia librorum penes eum, qui eosdem repetit, identitatem nisi probent, non concludunt restitutionem.*

14 *Testes mendaces fidem non merentur.*

DECISIO DLXXIII.

FUerat usque sub die 27. Januarii 1707. coram me disputatum dubium, *An constaret de integra exhibitione librorum; itaùt sit locus juramento in litem, & prò qua summa*, sed negativù responsum habui solum quoad primam partem, *dilata* in reliquis resolutione, cumque postmodum fuerit demandata expeditio causæ, quoad articulum respicientem non integram exhibitionem, assumpta fuit disputatio circa juramentum in litem, & summam prò qua illi locus esse posset; interim verò, quia causa non fuerat expedita, & D. Principissa Somneni prætendens non esse locum juramento in litem supponebat sibi nimis esse præjudiciale, quod post demandatam causæ expeditionem super articulo exhibitionis, non posset in hac disputatione illius fundamenta impugnare; ideò nè causa in plures partes scinderetur; atquè ut omnia possent hinc indè deduci, fuit concessa nova audientia, quoad supra recensitum articulum exhibitionis, & proposita hodie causa, DD. agnita subsistentia d. decisionis editæ 27. Januarii anni præteriti *in decisis* standum esse responderunt.

Posita enim obligatione D. Principissæ conservandi omnes libros domus Cæsarinæ sibi à bo. me. R. P. D. Arrigo Auditore san. mem. Innocentii XI. consignatos, illosque restituendi ad omnem mandatum Judicis,
1 eo ipso, quod non restituit libros existentes in septem armariis, & sibi consignatos, dici nequit constare de integra, & sufficienti exhibitione, *Paris. cons. 57. n. 11. lib. 1. Rota cor. Coccin. decis. 2202. n. 12., & cor. Cerr. dec. 243. n.9. cum aliis relatis in d. mea decisione §. Fundamentum*.

Quales autem fuerint libri existentes in dd. septem Armariis, licet non legatur expressum in actu d. consignationis factæ à d. R.P.D. Arrigo; tamen distinctè exprimitur in inventario postmodùm confecto de anno 1685. per D. Principissam, & cujus particula in necessariis ad præsentem disputationē exabundanti fuit nuper in actis exhibita; cumque ibidem legantur descripti 439. libri, eo ipso, quod solum ex eis fuerunt exhibiti quinquaginta confecti usque ab annum 1634. exinde patet nimis aperta deficientia in exhibitione.

Non obstat, quod inventarium prædictum fuerit confectum sine subscriptione D. Principissæ, & tantum cum illa solius Franciarini
2 Procuratoris, qui sinè ulla præcedenti descriptione, & confrontatione prò illo exarando tradidit Notario 64. folia continentia plures libros, plura que mobilia etiam Ca-

stri

ltri Cinthlani , Civitatis Laviniæ , & Civitatis novæ , quæ Franciarinus tamquàm in Urbe commorans , neque videre potuit . Ideoquè inventarium isto modo confectum pro legitimo reputari non possit . Quoniam cum illud fuerit exaratum in vim specialis
3 mandati procuræ per D. Principissam facti in personam Franciarini judicari debet , ac si fuisset per eamdem Principissam confectum ; itaut nequeat modo illius validitatem , & legalitatem impugnare . *Coll. de factis scientia, & ignorantia inspect.* 32. *n.* 1. *Rota cor. Emerix dec.* 534. *n.* 8. , *& seqq.*, *& in rec. dec.* 534. *n.* 13. *par.* 19. *tom.* 18.

Non attento , quod asseratur ex parte D. Principissæ , ipsam non assumpsisse in se obligationem expressam conservandi , & restituendi dd. libros : quia satis, est quod iidem fuerint consignati Franciarino sub d. obliga-
4 tione , ad effectum , ut illa sciens factum sui Procuratoris, acquiescendo censeatur subire voluisse obligationem dd. librorum conservandi ; *Alexand. cons.* 84. *lib.* 5. *n.* 7. *Mans. consult.* 192. *n.* 12. *Rota dec.* 353. *n.* 41. *par.* 9. *& dec.* 12. *n.* 14. *&* 15. *par.* 18. *rec.*

Imò cum ipsa per sententias Rotales in judicatum transactas , & quas ipsa acceptavit
5 renunciando liti, condemnata fuerit ad exhibitionem , nequit illam hodiè sub dictis prætextibus detractare , *Bonden. collect. legal.* 43. *n.* 20. *lib.* 2., *Rota cor. Celso dec.* 48. *nu.* 12. *cor. Duran. dec.* 331. *n.* 32. , *& in rec. dec.* 314. *n.* 6. *par.* 16.

In nihilo relevante exceptione , quod hujusmodi libri fuerint deperditi . Ultra enim, quod super eorum deperditione usque nunc nulla adducta fuit concludens probatio semperque contra Principissam militat præ-
6 sumptio , quod ad hùc existant penès ipsam, ex quo illos retinere , & respectivè ex obligatione restituere tenebatur ; contrarium convincitur ex eo, quod per D. Principissam exhibiti fuerunt 50. libri ; ex quo facto pro-
7 manat præsumptio , quod si illos habuit alios quoque habere censeatur.

Replicatio autem , quod libri, & filzæ scripturarum respicientes tempora quæ deficiunt Ducis Philippi , remanserint in computistaria domus Cæsarinæ penès æconomum, ut ipse posset ordinatè gerere suam administrationem , quodque hujusmodi veritatem demonstret facti circumstantia, quod æconomus scripturavit in novis libris per eum confectis plures partitas desumptas ex
8 libris, qui cadunt in quæstione ; undè inferebatur , quod absoluta æconomia , susceptaque per Ducissam Liviam anno 1687. possessione bonorum primogenialium, omnes libri ad illius manus pervenerint ; cessare visa fuit ex pluribus , & signantèr , quod exceptis libris ultimi , & penultimi anni , quibus vixit Dux Philippus , necessè non erat, quod prò d. administratione æconomus haberet controversos codices complectentes fere spatium 50. annorum : cum circa nomina debitorum aliundè potuisset informatio-
9 nem capere ; quodquè d. descriptio , & adnotatio facta in novis libris potuit evenire , vel mediante ostensione librorum , de quibus agitur in accessu forsàn facto ab æconomo ad ipsam computistariam , & patientia præstita per ministros D. Principissæ , vel mediante traditione notularum .

Ulteriùs asserta relatio facta in novis libris non verificatur, nisi respectu unius ex eis olim retenti per Ducem Philippum signati *litt. D.*
10 à quo non benè infertur , quod cæteri omnes extiterint penes æconomum ; & tandem, quod nullo modo constitit factam fuisse consignationem dd. librorum æconomo ; & inverisimile prorsùs est , quod sinè ulla recepta , aut alio quoquomque documento con-
11 signata fuisset adeò considerabilis quantitas librorum ; Quinimo oppositum convincitur, ex quo iidem libri tanquàm considerati
12 inter effectus liberos Ducis Philippi consignati fuerunt una cum mobilibus, aliisque bonis ipsi D. Principissæ ; undè fateri oportet , quod ad manus Ducissæ Liviæ numquam pervenire potuerint .

Et hinc non relevat assertio æconomi , quod libros restituerit Ducissæ Liviæ ; quia ex hujusmodi æquivoco in consequentiam non venit , restitutionem verificari super libris , de quibus agitur , cum possit stare simùl , quod restituerit libros existentes in computisteria , & quod inter eos non adessent illi , qui modo sunt in controversia . Cæteri verò testes , qui deponunt vidisse omnes libros in computistaria Domus Cæsarinæ , & posteà in Palatio Ducissæ Liviæ ,
13 non solum sunt irrelevantes, quia non probata librorum identitate exclusa remanet eorum existentia penes Ducissam ; Verum etiam deteguntur mendaces, quia impossibile est, ipsos vidisse omnes libros in Palatio Ducissæ Liviæ ; quando eadem Principissa
14 nonnullos retinebat penes se quos tandem ultimo loco exhibuit, undè tamquàm Mendaces nullam fidem merentur *Farinac. de Test. quæst.* 65. *n.* 2. , *Rota cor. Dunozett. Jun. decis.* 864. *n.* 12. , *& decis.* 429. *num.* 12. *par.* 19. *tom.* 2. *rec.*

Et ità , omnibus DD. suffragantibus , responsum fuit .

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE CÆSARINIS SUPER ARTICULIS.

Ven. 22. *Junii* 1708.

ARGUMENTUM

Assume à superiori decis. 529. hic confirmata . Et in hac causa sunt decisiones in 312., & in 483. notatæ .

SUMMARIUM.

1 *Testis depositio non concludens non admittitur .*

Depositio non concludens quando sit circa existentiam alicujus rei ad effectum exhibitionis non attenditur .

2 *Et eorum fides loco articulorum tanquam irrelevantium non admittuntur.*
- *Existentia librorum non concluditur ex eo, quod ab illis notabilia sint desumpta, & cur?*
4 *Existentiam aliorum librorum probat exhibitio partis eorum.*
5 *Existentia rei apud eum præsumitur, qui accepit cum obligatione conservandi, & restituendi ad mandatum Judicis.*
6 *Consignatio rei maximi momenti, & pro qua non leves molestiæ inferri poterant, non præsumitur facta absque recepta.*

DECISIO DLXXIV.

Articulos, quos petiit admitti D. Principissa Cleria ad effectum probandi libros, de quibus agitur deperditos fuisse, nec dolo suo habere desiisse, admittendos non esse censuit Rota coram me die 27. *Januarii præteriti* ex duplici fundamento; & primo, quia cum fuisset tunc temporis demandata expeditio causæ pendentis super exhibitione, & lis versaretur super diverso articulo Juramenti in litem, incongrua videbatur instantia pro admissione articulorum ad probandam integram exhibitionem contra ea quæ jam fuerant resoluta, & supponendaerant. Secundo vero propter eorumdem articulorum irrelevantiam, & inverisimilitudinem, ut ex decisione, quę prodiit. Cum autem ex post fuerit concessa nova audientia d. D. Principissæ super articulo exibitionis librorum, cessavit primum fundamentum decisionis præfatæ, quia de medio sublatum fuit obstaculum præcedentis resolutionis, sed adhuc non defuit alterum respiciens irrelevantiam, & inverisimilitudinem, quare in hac nova propositione ex hoc fundamento DD. in *decisis* persistendum esse non dubitarunt.

Et sane irrelevantia resultare visa fuit ex eo, quod D. Principissa loco articulorum produxit fidem nonnullorum testium, qui deponunt vidisse prius in computis tertia Domus Cæsarinæ omnes libros, eosque omnes postes vidisse in Palatio DD. de Sfortiis penes Ducissam Liviam, quod assumptum
1 ad intentum nullo modo conducit, quia specificè articulari debuisset existentia librorum, qui modo sunt in quæstione, eorumque qualitas, & quantitas, ut advertitur in decisione, quæ revidetur §. *Tertius autem*; cum possit æquè stare simul, quod fuerint translati codices ad Computistariam Ducissæ Liviæ, quodque sint illi met, qui confecti fuerunt ab Æconomo tempore suæ administrationis. Unde sicut testes deponentes de libris in genere, verificari possunt de illismet qui confecti fuerunt durante æconomia, quique tanquam concernentes primogenituram in executionem Sententiarum Rotalium Ducissæ consignati fuerunt, super quibus nulla cadit contentio, ita cum pernecesse non concludant aliarum existentiam testium de-
2 positio non suffragatur, & articuli tanquam irrelevantes admittendi non sunt, *Gratian. discept. Forens. cap. 803. n. 15. Crammatic. dec. 45. n. 5., & seqq. bene Rota cor. Bich. dec. 66. n. 17., & dec. 606. n. 17. p. 5. tom. 2. rec.*

Non attenta responsione, quod ex partitis istorum librorum resultet Æconomum
3 multa notabilia desumpsisse ex libris Primogenituræ, quæ in præsenti deficiunt, quoniam ex hujusmodi æquivoco inditio, inferri non valet, illos penes Æconomum fuisse relictos, quodque subindè iidem traducti fuerint ad Computistariam D. Ducissæ, quia Æconomus pro regulanda scriptura, & habendis necessariis notitiis potuit partitas extrahere a libris controversis, etiamsi existerent in posse D. Principissæ, vel ab ejus Ministris haberè notulas, prout præsumendum venit ex facto subsequuto ipsius D. Princi-
4 pissæ, quæ exhibendo partem, nempe quinquaginta libros, ostendit illos penes se extitisse, quodque, & alii extare quoque censeatur.

Inverisimilitudo autem satis manifestè apparuit ex eo, quod major pars articulorum, in substantia tendit ad probandum, quod D. Principissa non habeat penes se controversos libros ab anno 1634., usque ad annum 1685. Sed illos reliquerit in Palatio primogenitali penès Æconomum deputatum a S. me Innocentio XI., quando ab Urbe discessit, quia hujusmodi factum sua mole ruit, tùm quia de mense Aprilis 1685. controversi libri per
5 R.P.D. Auditorem san. me. Innocentii XI. fuerunt dimissi eidem D. Principissæ, sub obligatione illos conservandi, & restituendi ad omne mandatum Judicis, deindeque ipsa eosdem in inventario descripsit in *n.* 439.
6 tum etiam quia si vere libros penes Æconomum reliquisset, utique receptam ab eo, vel aliud documentum pro sui cauthela reportasset, dum ipsa jam cosia erat, quod obligationem emiserat restituendi, inverisimile est, quod in re tanti momenti adeo oscitanter se gerere voluisset, quod ex causis hujusmodi librorum poterat prævidere, quod sibi non leves inferri potuissent molestiæ, *Mans. consult. 376. n. 31. Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 77. Rota cor. Dunoz. jun. dec. 543. n. 43.*

Et ita omissis cæteris deductis in altera contemporanea decisione, eamdem articulorum irrelevantiam demonstrantibus, omnibus DD. suffragantibus, responsum fuit utraque &c.

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE CÆSARINIS SUPER NEGOCIO PRINCIPALI.
Ven. 22. Junii 1708.

ARGUMENTUM.

Inventarium ab auctore factum ab eo, & ejus hæredibus servandum non est, nec argui potest

test de errore, ad quem excludendum contra illos possibilitas sat est, nec de illegalitate ex defectu Archiviationis, aut ex insertione foliorum tempore non suspecto ab auctore facta, & cur? Suppositio *omnium*, & *singulorum* bonorum fideicommisso omnia comprehendit, nec coarctatur ab aliis verbis *modo*, & *forma*, quæ veniunt intelligenda de ordine succedendi.

In hac causa sunt decisiones in proxima superiori indicatæ.

SUMMARIUM.

1 *Confessio a tutore iteratè in inventariis emissa, & secumferens bonorum separationem, eorum pertinentiam contra confitentem plene probat.*

2 *Et contra ejus hæredem.*

3 *Maxime si iste factum sui auctoris approbavit.*

4 *Confessio pertinentiæ bonorum ad fideicommissum provenit ex eorum apprehensione ex ejus juribus.*

5 *Confessione propria nulla major datur probatio.*

6 *Error contra propriam confessionem ex sola contraria possibilitate excluditur, & n. 9.*

7 *Verba* omnia, & singula *sunt universalia, & indefinita, & apposita in separata oratione non restringuntur ad species supra expressas, sed omnia comprehendere sunt apta.*

8 *Clausula* -- modo, & forma præmissis, *non coarctat dictiones*, omnia, & singula *in separata oratione positas ad species supra recensitas, sed intelligitur circa ordinem succedendi.*

10 *Error ab auctore, qui prætenditur factus, & ab eo per 40. annos non fuit allegatus, eo minus præsumitur.*

10 *Inventario archiviationis defectus fidem non minuit, & cur?*

11 *Negligentia Notarii in bona fide existenti grave præjudicium irrogare nequit.*

12 *Instrumenti fidem quando insertio foliorum non minuit.*

13 *Præsertim quando in aliis similibus approbatis idem apparet*, & n. seq.

15 *Factum ejus, a quo causa non habetur non præjudicat.*

16 *Auctoris factum impugnans hæres non auditur.*

DECISIO DLXXV.

PER geminas decisiones infirmantes sententiam latam ab A. C. de voto nostri Tribunalis, quæ prodierunt coram me *sub diebus* 8. *Aprilis* 1707., & 30. *Januarii præteriti*, responsum fuit, D. Principissam Clariam teneri favore D. Ducissæ Liviæ ad restitutionem mobilium spectantium ad Primogenituram, quæ non erant fragilis materiæ descriptorum in inventario anni 1665. per Ducem Philippum. Cumque concessa nova audientia d. D. Principissæ utriusque decisionis fundamenta ad examen hodiè fuerint revocata, quia firmissima visa fuerint, DD. *in decisis* persistere non dubitarunt.

Ut enim fuit animadversum in præfatis decisionibus, actio competens D. Ducissæ pro restitutione prædictorum mobilium fundatur tàm in solemni inventario per Ducem Philippum exarato de anno 1665., in quo ipse describendo hujusmodi mobilia professus fuit describere bona omnia ad Primogenituram Cæsarinam spectantia, quam in alia simili confessione per eumdem facta in altero inventario tutelari confecto nomine filiarum Ducis Juliani fratris, cum expressione, quod ibi fiebat tantum descriptio rerum spectantium ad hæreditatem d Ducis separatam ab aliis mobilibus, & effectibus spectantibus ad Primogeniruram Cæsarinam, addito etiam quoad argenta, quæ & non describebantur, quia spectabant ad Primogenituram, & in ejus inventario jam fuerant adnotata, quæ propterea reiterata confes-
1 sio per tutorem emissa tanquam secumferens separationem bonorum, plenam constituit probationem non solum contra ipsum Ducem Philippum ad *Text. in l. fin. C. arbitr. Tutelæ*, *Rota cor. Buratt. dec.* 557. *n.* 6., & 8., & *in Romana Jocalium* 20. *Martii proximi præteriti* §. *Præterea cor. R. P. D. meo Polignac.*

Verum etiam contra D. Principissam Cle-
2 illius immediatam hæredem ad firmata per *Rot. cor. Bich. dec.* 591. *n. primo*, *cor. Dunoz. Jun. dec.* 696. *n.* 6 *cor. Priolo dec.* 374. *n.* 2. *cor. Cerro dec.* 272. *n.* 3. *in Romana fideicommissi Mutii de Bubalo super mobilibus* 13. *Januarii* 1702. §. *finali cor. R.ma Conchev.* Maximè quia ipsamet D. Princi-
3 pissa hujusmodi veritatem agnoscens factum sui auctoris approbavit, dum ad effectum
4 succedendi in hac Primogenitura, possessionem adepta fuit omnium bonorum, quæ possidebantur per Ducem Philippum cum specifica expressione, quod essent d. Primogenituræ subjecta, ex quo actu resultat clarissima confessio ejusdem D. Principissæ, qua
5 nulla major dari potest probatio, ut pluribus comprobatum fuit in secunda mea decisione §. *Prædictis*.

Nec valent supradicta impugnari sub prætextu erroris, ex quo scilicet inventarium prædictum non correspondeat præcedentibus inventariis, & signanter illi confecto anno 1613., quoniam ubi etiam verificari posset objectum, adhuc animadverterunt DD. quod longè post Dux Jo. Georgeus primus in eadem Primogenitura successor protestatus fuit, velle eidem supponere ibi -- *omnia*, & *quæcumque sua bona spectantia*, & *pertinentia*, & *quæ spectare*, & *pertinere possent in futurum* -- unde cum dd. mobilia, quæ continentur in controverso inventario anni 1665., potuerint adesse anno 1635. de tempore obitus Jo. Georgei, prout verè adfuerunt, & respectivè augeri ex post ab aliis Pri-
6 mogenitis, hoc sufficit ad excludendum quemcumque errorem, cum sola possibili-

tas in contrarium ad hunc effectum sufficiat, ut præter firmata in d. secunda decisione §. *Nec probatio*, tradunt *Altimar. de nullit. tom. 3. q. 9. n. 14. Palm. alleg. 357. n. 78., Rot. cor. Celso dec. 378, n. 8., & 9 cor. Priolo dec. 457 n. 5., & in rec dec. 161. n. 2., & seq.* absque eo quod replicari valeat, quod sub verbis predictis nullatenus comprehendantur mobilia, sed tantumodo stabilia, ad quę fuit habita relatio per ea verba -- *modo, & forma prædictis* -- quodque Dux Jo. Georgeus se obligaverit ad supponendum tantum Primogenituræ mobilia ab Antenatis provenientia, non autem ab ipso in posterum acquirenda, quia cum illa adiecta fuerint in diversa, & separata oratione, ut fuit animadversum in decis. edita in *Romana cambii* 11. *Aprilis* 1707. *cor. R. P. D. meo Scotto*. Negari non potest, quin -- *omnia & quæcumque bona* -- dd. verba tanquam
7 universalia, & indefinita apta sint comprehendere quamcumque speciem bonorum, quæ fuerunt in illius hereditate reperta, quia forsan voluit præbendo exemplum successoribus, sponte omnia sua bona etiam
8 mobilia Primogenituræ subicere; Et clausula illa *modo, & forma præmissis* intelligi debet circa ordinem succedendi, ut plene firmatum fuit in *secunda dec.* §. *Non obstante*, & tamen ut mox firmatum fuit, sufficeret
9 hoc esse possibile, ut inde probatio remaneat dubia, & per consequens inepta ad justificandum errorem, *Rota cor. Duran. dec. 336. n. 36. cor. Royas dec. 172. n. 5. in rec. dec. 1. n. 4. p. 8., & dec. 349. n. 33. p. 9.* Maxime quia dux Philippus, qui in inventario anni 1665. præfata mobilia tamquam Primogenituræ subiecta descripsit, licet pos-
10 tea per 20. annos supervixerit, nunquam tamen errorem suæ descriptionis allegavit, undè error tanto magis excluditur, ut pariter advertitur in *d. secunda dec.* §. *Imo etiam*.

Multoque minus de illegalitate redargui valet inventarium prædictum; vel ex quo deficiat solemnitas archiviationis, vel ex quo fuerint in eodem introclusa plura folia successivè superaddita postquam illud fuerat confectum. Quoniam respectu archiviationis, hujusmodi defectus d. Inventario fidem
11 non adimit, quia sola negligentia Notarii operari non potest præjudicium tam grave ei, qui fuit in bona fide *Rot. dec. 588. n. 9. & dec. 729. n. 18. ad 21. p. 19. rec., & in Romana, seu Farphen. reintegrationis 2. Junii 1698.* §. *Neque obstat cor. Reverendissimo Domino meo Decano*.

Quo vero ad inclusionem dd. foliorum ea ex pluribus argumentis fidem d. instru-
12 menti minuere non potuit, quia scilicet omnia prædicta folia reperiuntur singulatim cartulata in omnibus paginis, & quidem ordinatè absque cassatione, aut deformitate adeo ut bene deprehendatur, quod fuerint inserta a Notario tanquam constitutiva ejusdem instrumenti, alias enim facile fuisset ea de aliquo vitio connotari, prout respondet decisio, quæ revidetur §. *Perperam*: ulterius si dd. folia non essent integrantia d. inventarium sequeretur, quod ex adeo insigni, numerosa supellectili primogeniali superfuissent tantùm modica mobilia in eodem inventario descripta, cum reliqua legantur in prædictis controversis foliis. Addito tandem, quod in altero inventario tutelari facto anno subsequenti 1666. per eumdem Ducem Philippum de bonis liberis Ducis Juliani fratris reperiuntur alligata, & inserta similia folia continentia descriptionem residui bonorum d. Ducis Juliani exarata eodem caractere, quo conscripta leguntur hæc folia, de quibus est quęstio: unde dum
13 Principissa non negat præfatum inventarium fuisse in omni parte legale, tametsi habeat dd. folia inserta, ita controvertere non potest legalitatem hujus inventarii ex solo motivo insertionis foliorum.

Immò ex hac circumstantia oritur etiam aliud argumentum, quia scilicet, aut negari non potest quin dd. folia tempore non suspecto fuerint in controverso inventario inserta vivente Duce Philippo, & de ejus or-
14 dine, cum id ipsum praticatum fuerit in altero tutelari, & sic cessat qualibet difficultas. Aut hoc non obstante persistit D. Principissa in allegando defectum probationis, & iste proveniret ex facto Ducis Philippi ejus auctoris, nec refundi posset in
15 Ducissam Liviam, cui nullam ab eo causam habenti præjudicium irrogari non valet, quando e converso adscribi debet damno D.
16 Principissæ illius hæredi, quæ ideo in hujusmodi allegatione audiri non debet, ex regula, de qua *Bart. in celebri consil 65. n. 1. lib. 1. Farinac. de simulat. q. 162. n 62 Mascard. de probat. conclus. 439. n. 31., & 32., Rota cor. Coccin. dec. 1175. n. 5., & in Vercellen. Pensionis 5. Julii 1694.* §. *Rationem cor. bo. me. Pio*.

Et hęc quoad mobilia, quo vero ad argenta undique pariter firmissima visa fuerunt fundamenta decisionum, ad quas DD. in omnibus relativè se habuerunt.

Et ita omnibus DD. suffragantibus, responsum fuit, utraque &c.

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE CÆSARINIS SUPER JURAMENTO IN LITEM.

Veneris 22. Junii 1708.

ARGUMENTUM

Hæc dec. est confirmatoria, deducta aliqua quantitate, superiorum dec. 484., & 528.

In hac causa sunt decisiones in antecedentibus indicatæ.

SUMMARIUM.

1 *Juramento in litem actori locus est contra renuentem exhiberi, cum aliunde probationem habere nequeat.*

2 *Ju-*

2 *Juramentum in litem ut deferatur tria requisita recensentur.*

3 *Dolus necessarius, ut deferatur juramentum in litem contra recusantem exhibere suppletur a contumacia non parentis mandato judicis exhibitionem demandantis.*

4 *Dolo non caret, qui imperio magistratus non obtemperat.*

5 *Difficultas probationis ad dictum juramentum necessaria desumitur cum agitur de probanda re domestica, cujus libros exhibere detractatur.*

6 *Domus secreta non facile pandi solent, ut aliunde quam a libris domisticis probentur.*

7 *Juramentum in litem contra exhibere non obtemperantem facit, ut quantitas incerta in ejus pœnam certa evadat, & cur.*

8 *Limita non procedere cum de certa provenientia pecuniarum non constet, & quomodo?*

DECISIO DLXXVI.

IN sequelam aliarum resolutionum totalium
quibus firmatum fuit, non constare de in-
tegra, & sufficienti exhibitione librorum
pertinentium ad primogenituram Domus
Cæsarinæ, ad quam tenebatur D. Principis-
sa Cleria, censuit nostrum Tribunal posse
propter difficultatem probationum deveni-
ri ad juramentum in litem, cui primo loco
sub die 8. Aprilis 1707. esse locum respondit
pro summa scutorum 48. mil., postea vero
sub die 27. Januarii præteriti. relicta in su-
spenso quantitate sc.20. mil., juramentum
esse tantum deferendum pro scut. 28. mil.
quam summam tamen in præsenti repropo-
sitione accurate pensatis omnibus facti cir-
cumstantiis, reduxerunt pro nunc ad scu-
ta 21878. 60., demandando, ut quoad re-
siduum, & quoad mobilia, & argenta parti-
cularitur videretur.

Stante enim defectu dictæ integræ exhibi-
1 tionis sequitur, quod sicut probatio facienda
aliunde desumi non potest, ita etiam, at-
tenta hujusmodi difficultate succurrendum
sit D. Ducissæ Liviæ actrici mediante legali
re medio delationis juramenti in litem, per
*Text. jul. in actionibus ff. de in litem juramen-
dum l.3 §. Præterea ff. ad exhibendum, &
l. non ignorabit 4. Cod. eodem titulo* cum aliis
cumulatis in *dec. edita 8. Aprilis 1707. §.
Etenim, & 27. Januarii præteriti §. Ete-
nim coram Mè.*

Parum relevante, quod supposita etiam
2 d. contumaciali exhibitione, ut locus esse
possit juramento in litem concurrere per-
necesse debeant, dolus sive contumacia de-
bitoris, non exhibentis, dificultas probatio-
nis, & certitudo crediti, itaut istis defici-
entibus silere debet in hac parte actoris præ-
tentio. Etenim non dubitarunt DD. quin
hæc omnia copulativè inpræsenti casu satis
probata remanserint. Quo enim ad dolum
3 jam alias dictum fuit, quod contumacia
non parentis mandato Judicis, qui exhibi-
tionem demandavit sufficit pro hoc primo re-
quisito, per *Text. in leg. 160. ff. de reg. jur.*
ibi *Non potest dolo carere qui imperio ma-*
4 *gistratus non obtemperat*, & ex eo notant
*Aretinus in §. præterea Institution. de actio-
nibus, Seraphin. de privileg. Juram. pri-
vileg. 31. num.23. in fine Pavian. de prob.
lib.1. cas.66. num.149., Trentacinque var.
resolut. lib.2. resolut. 2. de dolo num.5. Ro-
ta post. Albic. de inconstant. in judiciis de-
cis.30. num.6.*

Difficultas vero probationum promanat
ex eo, quod hic non exhibentur libri fami-
liares Ducis Philippi, ex quibus deprehen-
di posset quænam bona vere spectant ad Pri-
5 mogenituram, quive fructus conflari potuis-
sent ex effectibus, & redditibus primogeni-
turalibus ad hoc, ut circa partitam sc.48.m.
repertam pænes Bancum S. Spiritus, certa
capi possit resolutio, & aliunde hujusmodi
probatio desumi non potest, quia secreta
6 domus non ita de facili ponderi solent, ut
firmat prima decisio, quæ revidetur §. *re-
spectu vero, & secundo §. Præter dolum.*

Et tandem quoad creditum, & illius
quantitatem certam satis resultare visum fuit
in summa sc.21875. 60 pro nunc ex ipsis par-
titis depositi facti in Banco S. Spiritus, in
quo, licet appareant depositatæ longæ ma-
jores summæ, tamen DD. ut tutius proce-
derent in hac materia delationis Juramenti,
separando certa ab incertis, recognoverunt
dictam quantitatem provenire ex effectibus,
herbis, frumento aliisque fructibus prove-
nientibus ex bonis Primogenituræ, quorum
respectu nulla cadere potest difficultas.

Non attenta responsione quod hæc quanti-
tas præsumi debeat consumpta in propriam
alimoniam Ducis Philippi. Etenim cum hoc
suppositum non justificetur, & possibile sit,
quod eos Dux Philippus intactos reliquerit,
convertendo in proprios usus alios fructus
ejusdem Primogenituræ, hoc sufficit, ut in
pænam contumaciæ D. Principissæ non exhi-
bentis libros ex quibus facili haberi posset
probatio certa, debeat d. Ducissæ deferri
7 juramentum in litem, quo mediante quan-
titas incerta ex culpa colligantis evadat
certa, & in quantitate certa liquidetur,
*Plot. de in litem juran. num.568., Manci
nus de juram. par.2. artic.8. num.8., Cyriac.
controv. 544. num 9. Rota cor. Coccino de-
cis.2092. num.8.*

Sicut autem ex prædictis DD. censuerunt
posse deferri juramentum pro dicta summa
sc.21875., ita e converso existimarunt tu-
tum efformari non posse judicium quoad mo-
bilia, & argenta, ac quoad residuales par-
8 titas, quia licet possent etiam ad hanc cau-
sam referri, tamen quia nulla in eis legitur
facta expressio unde proveniant, & Dux ha-
beret effectus proprios, & alia bona non
primogenialia, dubium remanet, ex qua
pecuniarum specie fuerint conflatæ summæ
in Banco depositatæ, unde stante hac dubie-
tate, donec factum melius dilucidetur,
non potuit super illis capi certa resolutio.

Et ita

Et ita, omnibus DD. suffragantibus, responsum fuit, utraque &c.

TROJANA DELATIONIS CRUCIS SUPER BONO JURE.

Lunæ 25. Junii 1708.

ARGUMENTUM.

Habes in superiori decis.545. hic confirmata.

SUMMARIUM.

1 *Immemorabilis probatur cum requisitis gloss.* in cap.1. *verbo* memoria de prescript in 6.
2 *Exceptiones Testium personales ab eorum numero removentur.*
3 *Immemorabilis ut probetur, non requiritur, ut Testes dicant eorum majores ab aliis antiquioribus audivisse.*
4 *Testes dicentes verum esse quod in articulo continetur, habendi sunt ac si super expressis in articulo deposuissent.*
5 *Regulares exigere possunt aliquod emolumentum ratione oneris, quod subeunt pro associandis cadaveribus.*
6 *Correspectivitas, ut talis dicatur adfuisse in actibus per immemorabilem probatis, requiritur, quod sit immemorabilis.*
7 *Immemorabilis consuetudo per unicum actum contrarium præsentationis monitorii excluditur.*
8 *Concordia prætensa cujus contrarium postea resultat, penitùs excluditur.*
9 *Resolutiones sacræ Congregationis, quod regulares extra claustra crucem deferre non possint.*
10 *Regulares extra claustra processionem facere nequeunt, nisi de licentia, aut cum Cruce Parochi ex decreto san. me. Urbani VIII. edito anno* 1628. *relat.* per Pignatell. tom. 8. *consult.*73. ou.97., *quod non comprehendit, ne possint in funeribus extra claustra crucem deferre.*
11 *Et ratio diferentiæ affertur.*

DECISIO DLXXVII.

PLacuerunt DD. fundamenta decisionis presentis causæ æditæ coram me sub die 21. Martii preteriti in qua canonizatum fuit bonum jus quod assistit regularibus Fogglæ super jure deferendi propriam Crucem occasione funerum peragendorum etiam cum interventu Capituli Collegiatę Ecclesię S. Mariæ dictæ terræ ideoque perstiterunt in *decisis*.

Posita namque immemorabili consuetudi-
1 ne, qua juxta requisita *glossa in cap. 1. verba memoria de præscript.in* 6. probatum fuit potiri regulares prædictos hujusmodi facultate etiam in presentis casibus, prout plene firmatum fuit *in d. præterita decis. coram Me* §. *quamvis cum seq.* frustra enim iterum repetebantur exceptiones alias adductæ adversus testes illam concludentes. Etenim quod adpersonales illas sublatas remanere, visum
2 fuit ex numero testium easdem supplentes ut præter authoritates in alia decisione adductas §. *Minusque firmavit Rota in Romana seu nullius super manuten.*3. *Aprilis* 1702. §. *finali corom R.P.D. meo Scotto*.

Quo vero ad alterum objectum, quod non
3 deponent eorum majores ab aliis antiquioribus ita practicari audiverint iterum omisso examine, an hujusmodi depositio sit necessaria, cum negativam opinionem sequta fuerit *Rot. in nulliùs seu Urgel. Primitiarum* 27. *Aprilis prox.pret.cor.R.P.D.meo Aldrov.* cessare visum fuit ex facto, cum etiam de præfato requisito deponant nonnulli ex testibus prædictis, & signanter 5.6.8. & 10. qui deponentes super articulis in quibus hoc requisitum con-
4 tinebatur asserant verum esse - *quanto in detto articolo si contiene dal principio fino al fine, ne vi è memoria incontrario* - ac proinde de illo satis aperte deponunt cum habendi sint, ac si de singulis in articulo expressis deposuissent. *Barthol. in l. labeo num. 7. ff. de sup. legat. Rot. cor. Merlin. dec.*35. *num.*3. & 4. & *cor. Gregor. dec.* 568. *num.*3. *ibique adden. num.* 13. & 14.

Nec ad declinandam dictam immemorabilem consuetudinem recurri valet ad prætextum abusus & damnabilis avaritię regularium, ex quo ratione delationis Crucis propriæ exigant qualibet vice carolenos quinque.
5 Quoniam hujusmodi exactio non fit ratione delationis Crucis sed solum ratione interventus regularium in compensationem damnorum, quæ substinent trahendo moram pro exequiis, & associandis cadaveribus, cumque hæc omnia onus præseferant, rationabile est, ut aliquo emolumento compensentur *Abbas Panormitan.q.*3.*incipien.Sempronius Clericus Gab.cons.*190.*n.*6.*in fin.n.*11.*Rot. cor. Celso dec.* 135. *num.*5. & *coram Cerro dec.*450. *num.*11.

Minusque substit quod talis consuetudo sit correspectiva ad ingressum olim Capitulo permissum in Ecclesiis regularium ad exequias per agendas; reste enim non fuerunt formiter examinati & tale quid concludunt non asserant id factum fuisse ab immemorabi-
6 li tempore prout opus esset, ut exinde prætensa correspectivitas resultaret adversus aliam immemorabilem consuetudinem undique probatam & regularibus assisteotem. *Cravet. cons.*461. *num.*29. *Rota coram Penia dec.*348. *num.*3. & *in rec. dec.* 122. *n.*12. & *seq. par.*17. sed ulterius deponunt ingressum Capituli in Ecclesiis prædictis non fuisse pacificum cum regulares reclamaverint & de facto probetur quod ab anno 1660. super hujusmodi controversia monitorium cor. A. C. presentarunt unde sequitur quod nulla per Capitulum Coosuetudo, vel concordia valeat allegari, Dum si allegatur consuetudo immemorabilis ista per tot controversias imo
7 etiam per unicum actum cootrarium presentationis monitoril remansit exclusa ut firmatum fuit in *Colonien.Canonicatus primę gratię* 15. *Junii* 1699. §. *ad excludendam cor.R. P.D.*

8 *P.D. meo Scotto*. si vero allegatur pretensa antiqua concordia, & ista non exibetur, & quod plus est nec fuit deducta in sac. Congregatione Concilii occasione disputationis presentis Controversiæ, imo potius nullo facto verbo concordiæ dictum fuit officiaturam per capitulum in Ecclesiis regularium fieri consentientibus illis, *ut in summar. præterito regular. num.*9. ac propterea stante illorum dissensu cum subsecuta abstinentia Capituli elisa penitus remanet prætensa concordia super qua magnum construebatur fundamentum.

Nec contra prædicta recurri valet ad reso-
9 solutiones Sac. Congregationis Concili quoniam illis sedolo examinatis in preterita propositione agnitum fuit non comprehendere casum in quo adsit immemorabilis & decre-
10 tum San. Me. Urb. VIII. editum de an. 1628. *relat per Pignatel. tom.*8. *consult.*73. *nu* 97. nih il ob esse potest in pretensi controversia, in illo namque non statuitur quod extra claustra non liceat regularibus in funeribus Crucem deferre, sed solum dicitur, quod eisdem non liceat extra Claustra processionem facere nisi de licentia aut cum Cruce Parochi ac propterea delatio Crucis regularium non remanet exclusa cum aliud sit, quod
11 regulares velint facere processiones cum propria Cruce excluso Parocho, itaut Clerus secularis incedat sub Cruce regularium, & aliud est quod regulares incedant sub propria Cruce ab illa Capituli Collegiatæ distincta, ut advertit eidem *Pignattel. ubi supra d. num.*97.

Et ita, utraque &c.

EADEM SUPER MANUTENTIONE.

Eadem die mense, & anno.

ARGUMENTUM.

Habes in decis. 546., quæ confirmatur.

SUMMARIUM.

1 *Manutentio regulatur a bona jure.*
2 *Crucis delatio a regularibus fieri solita resultat, cum deimmemorabili per Testes constat, nec actus contrarius datur.*

DECISIO DLXXVIII.

Concurrente favore regularium Foggiæ immemorabili consuetudine deferendi propriam Crucem in funeribus per agendis etiam cum interventu Capituli, ut plene in alia contemporanea decisione super bono jure firmatum fuit, non dubitarunt DD. Iterum
1 eisdem manutentionem indicto jure concedere, cum illa ad normam boni juris veniat regulanda ad *Text. in cap. cum contingat, & in cap. cum in tua de decimis Rota coram Greg. dec.*449. *num.*1. *& cor. bo. me. Fmerix dec.*31. *num.*2.

De bono Jure eorumdem nulla cadere potest dubitatio cum illud resultet ex deposi-
2 tionibus testium dictam immemorabilem consuetudinem concludentibus & nullum in contrarium detur actus, ut in aliis decisionibus loculenter fuit examinatum ad quas DD. placuit remissivè se habere in presenti dubio manutentionis.

Et ita utraque &c.

PLACENTINA BONORUM.

Lunæ 25. *Junii* 1708.

ARGUMENTUM

Agitur quando fideicommissum in divisione censeatur remissum, & quæ scientia ad id requiratur; & quando cohæres cohæredi defectum inventarii ad detractiones faciendas opponere nequeat, & ex quibus tunc consumptæ censeantur, nec ne?

SUMMARIUM.

1 *Manutentio contra quemcumque in possessionem intrusum datur donatario cum clausula constituti in bonis à donante possessis.*
2 *Bona fideicommisso subjecta a donante gravari nequeunt.*
3 *Secus si a fideicommissario illud fuit remissum.*
4 *Fideicommissi remissio loquens de purificando non operatur in purificato.*
5 *Potissimum si de eo nulla mentio habita fuerit, de quo, nec fuit cogitatum, nec habita notitia.*
6 *Mentio facta Testamenti in divisionibus non convincit scientiam fideicommissi, & conditionum in eo contentarum.*
7 *Pro inducenda in divisione remissione fideicommissi, requiritur illius scientia certa, & indubitata.*
8 *Nec eam inducunt clausulæ generales translativæ dominii; & quid operentur?*
9 *Acceptatio reservationis ususfructus cum protestatione amplissima eidem contradicendi, eidem non præjudicat.*
10 *Disponi ad libitum potest de portione ad se spectante.*
11 *Detractio legitimæ, & trebillianicæ a filiis non facta ad hæredes facienda transmittitur:*
12 *Detractiones filio competentes consumptæ censentur, si paternam hæreditatem sine privilegio legis, & Inventarii adiverit, pluresque fecerit alienationes.*
13 *Inventarii defectus a cohærede opponi nequit, nec ab habentibus causam ab eo.*
14 *Inventarii solus defectus hæredi gravato non impeditione faciat suas detractiones.*
15 *Alienationes ad impediendas detractiones justificari debent a fideicommissario, vel ab eo causum habente.*
16 *Alienationes necessariæ, quia pro extinguendis fideicommittentis debitis, gravato detractiones competentes non impediunt.*

17 *Nec*

17 *Nec si sint modicæ non aptæ præsesferendo detractionum consumptionem.*

DECISIO DLXXIX.

BArtholomæus Bernus in remunerationem quamplurium beneficiorum, quæ receperat à familia Suzzana, omnia bona sua præsentia, & futura donavit inter vivos Nicolao Gelasio Suzzano, ejusque nepotibus, & eorum descendentibus in infinitum, reservando tamen sibi certam summam ad effectum testandi, necnon etiam integrum usumfructum super rebus donatis vita sua naturali durante, & post sui obitum favore Josephi Antonii Berni ejus Germani fratris, cum ea lege, quod iste ante sui obitum favore dicti donantis similem reservationem ususfructus facere teneretur, qua non facta, vel in aliqua parte etiam minima deficiente reservatio prædicta pro non apposita censeretur.

Hujusmodi donationem acceptavit Joseph Antonius reservatarius,. qui ut adimpleta remaneret memorata conditio sub di 27. Martii 1700., bona sua donavit Comitibus de Baldinis, servando similiter eorum usumfructum ad sui favorem, & post sui obitum ad commodum dicti Bartholomæi ad ejus vitam. Verum quia hujusmodi reservatio non erat similis illi factæ per Bartholomæum, propterea iste revocavit, & annullavit alteram à se factam favore Josephi Antonii.

Mortuo autem Bartholomæo, donante de anno 1703. statim Suzzanus primus danatarius ad omnem meliorem finem, & effectum mandatum de immittendo à Judice reportavit, cujus vigore actualem possessionem apprehendit bonorum donatorum, sed è converso Joseph Antonius prætendens ad sui favorem purificatum fuisse usumfructum, quem ei reservaverat Bartholomæus, & quasi non adesset de medio illius revocatio, Suzzano possessore non citato, in eorum possessionem se se intrusit, & ad effectum magis in illa se confovendi Judicium super manutentione introduxit coram Vicario Generali Placentiæ, qui post lapsum ferè duorum annorum statuit terminum quindecim dierum in summariissimo possessorio utrique parti communem ad faciendum eorum incumbentia in causa, & interim nihil innovari mandavit: à quo decreto appellavit Suzzanus ad A.C., atque ab isto manuteneri obtinuit, sed interim defuncto etiam Josepho Antonio asserto reservatario ususfructus. scriptis sibi Hæredibus Comitibus de Baldinis, mandavit etiam A.C. contra illius hæredes procedi ad ulteriora in expeditione mandati de manutenendo, & in ejus sequelam Baldinos condemnavit ad restitutionem fructuum à die obitus Bartholomæi, tam ab ipsis, quam à Josepho Antonio donante eorum authore perceptorum. Devoluta autem causa ad nostrum Tribunal cum facultate manutenendi, quem de Jure ad commissionis normam proposito dubio coram me sub die 16. Decembris præteriti, dilata resolutione Causæ mandarunt Domini, quod videretur de bono jure etiam ad effectum manutentionis; cumque in executionem mandatorum Rotalium dubium proposuerim *An, & de cujus bono jure constet etiam ad effectum manutentionis* responsum prodiit, constare de bono jure Nicolai etiam ad effectum manutentionis, juxta modum infrà exprimendum.

Habet enim ipse pro se publicum, ac solemne instrumentum donationis controversorum bonorum illius favore factæ per Bartholomæum de Bernis, quæ cum fuerit positivè acceptata à Josepho Antonio Authore illorum de Baldinis, & contineat Clausulam constituti, ea mediante omne dominium, & quælibet anterior possessio residens penes
1 donantem apta ad obtinendam manutentionem adversus quemcumque in possessione intrusum in Donatarium translata remansit ad *Text. in l. Quod meo ff. de acquir. possess. Rota penes Posth. de manutent. dec.89. num.5. in rec. dec.355., & dec.356. Utrobique n.1. & per totas par.9. in Forosempronien. Manutentionis 12. Maii 1692. §. Receptissima cor. Rm̃o meo Decano.*

Contra hanc regulam validè insurgebant
informantes pro Baldinis allegando, quod
prædium donatum nuncupatum -- *Delle Case basse* -- sit suppositum fideicommisso reci-
proco ordinato à quondam Joanne Maria Ber-
no communi patre Bartholomæi, & Josephi
Antonii, quod per præmorientiam dicti
Bartholomæi favore fratris purificatum re-
2 mansit, ita ut eadem bona, non obstante
dicta donatione hodie pertinere debeant ad
Baldinos illius hæredes. Et licet opponere-
3 tur, quod in divisione inter fratres facta re-
missum fuisset fideicommissum, tamen prom-
pta allata fuit responsio, quod divisio loqui-
tur de fideicommisso purificando, & sic non
4 poterat verificari, quoad fideicommissum,
de quo nunc agitur tunc temporis jam puri-
ficatum, ac proinde censeri non potest re-
missum *Rota coram Gregor. dec.624. per tot. & coram Cerro dec.286. num.5., & 6.* Potis-
sime quia in ea nulla legitur facta mentio hu-
5 jusmodi fideicommissi, de quo dividentes,
vel non cogitarunt, vel scientiam non ha-
buerunt, ideoque noluerunt illud remitte-
re, *Rota dec.607. num.5., & 6. par.19., & in Balneoregien. Fideicommissi 5. Decembris 1691. §. Minus urget coram Em̃o Caprara.*

Non obstante, quod fratres in prædicta
divisione mentionem fecerint paterni testa-
6 menti, cujus etiam scientia desumitur ex
alia antiqua divisione anni 1662. quia illius
sola mentio non sufficit ad convincendam
scientiam fideicommissi, aliarumque condi-
tionum in ea contentarum, & inducendum
7 notabile præjudicium remissionis fideicom-
missi, pro quo requiritur scientia certa, &
indubitata *Fusar. de substitutionibus quæst. 594. nu. 22., Urceol. de transact. qu. 47. num. 17. Rota cor. Pamphil. dec. 502. n. 2. & in rec.*

rec. dec. 735. *num.* 19. *& seq. part.* 18. Clausulæ verò generales translativæ dominii, & possessionis in d. divisione adjectæ, sicut fa-
8 mulantur ipsi contractul, & secum ferunt solam partium distributionem, ita fideicommissi remissionem non important, ut ponderat *Rota decis.* 601. *&* 607. *num.* 3. *& seqq. par.* 19. *rec.* ubi quod idem dicendum est etiam de actibus divisioni consequutivis.

Quibus omnibus addebatur, quod recensita acceptatio donationis fuit facta per Josephum Antonium cum expressa reservatione Jurium illam impugnandi ibi -- *Ita, & taliter, quod semper, & quandocunque possit agere, & excipere de ejus Juribus ad sui libitum, tàm contra dictum ejus fratrem, quam contra bona donata*, propterea attenta adeo amplissima protestatione, acceptatio
9 præmissa nullum potuit irrogare præjudicium acceptanti, *Rota cor. Cavaler. dec.* 62. *n.* 6. *& cor. Zarat. dec.* 60. *n.* 16.

Hæc omnia maximam intulere difficultatem, nihilominus, quis Bartholomæo donanti in bonis patris, tàm ex propria persona, quàm uti cohæredi fratrum prædefunctorum competebant detractiones legitimæ, & Trebellianicæ ascendentes ad septem uncias cum dimidia, attento numero quinque filiorum Donatio ex hoc titulo substineri
10 debet, cum de portione ad ipsum liberè spectante potuerit ad libitum disponere juxta *Text. in l. mandata* 21. *C mandati, Rot. cor. Buratt. dec.*863. *n.*1. *& cor. Dunoz. jun. dec.*775. *n.* 14.

In nihilo adversante, quod hujusmodi detractiones debeantur solum ad ratam portionis spectantis ad Bartolomæum in bonis communis parentis. Cum enim ille fuerit hæres aliorum trium fratrum præmortuorum, qui nullam fecerunt detractionem legitimæ, & Trebellianicæ, planum est,
11 quod utraque deductio transmissa fuit in Bartolomæum illorum hæredem ad tradita per *Soccin. jun. consf.* 170. *n.* 6. *&* 8. *lib.* 2. *Peregrin. consf.* 46. *n.* 8. *lib.* 3. *Cyriac. controv.*284. *n.* 32. *Urceol. consult.*38.*n.* 4. *Rota dec.* 203. *n.* 2. *par.* 4. *dec.* 269. *n.* 7. *par.* 8. *& dec.* 248. *n.* 4. *par.* 17. *rec.*

Haud suffragante, quod idem Bartolomæus adiverit hæreditatem Jo: Mariæ patris, & fideicommittentis sine beneficio legis, & Inventarii, pluresque fecerit alie-
12 nationes bonorum fideicommissariorum per quas præsumptio sit, quod consumptæ remanserint. Quoniam respectu defectus Inventarii duplex occurrit responsio; altera quod cum Joseph Antonius author illorum de Baldinis fuerit cohæres communis Patris, & in ejus hæreditate pariter se se immiscuerit nullo confecto Inventario, exinde sequi-
13 tur, quod iidem tanquam induentes illius personam, & Jura nequeunt hujusmodi defectum opponere contra Suzzanum Causam habentem ab altero cohærede, cum inter duos, aut plures cohæredes adeuntes sine beneficio Inventarii talis defectus non sit allegabilis, ex animadversis per *Card. de Luca de credito disc.* 41 *nu.* 3. *& de hærede disc.* 21. *num.* 12. *Rota coram Coccin. dec.* 1886. *num.* 23. *in rec. dec.* 295. *num.* 10. 11. *par.* 13. *& dec.* 532. *num.* 19. *par.* 14. *& in Ravennaten. Immissionis* 20. *Junii* 1707. *§. Mi-*
14 *nimè relevante coram R. P. D. meo Aldrovando*. Altera, quod sola ommissio Inventarii non impedit hæredi gravato, quin facere possit suas detractiones, ex adductis per *Rot. coram Celso dec. prima num.* 4 5. *&* 7. *san. mem. Alex. VIII. dec.* 235. *num.* 30. *& cor. Emerix dec.* 135. *num.* 2.

Quo verò ad alienationes, ultra quod non justificatur bona alienata extitisse in hæreditate fideicommittentis, prout à fideicommis-
15 sario, vel ab eo causam habente probandum esse inquit *Rota cor. Cerro decis.* 946. *sub n.* 11. *& in rec. dec.* 173. *ante n.* 2. *par.* 15. *& dec.* 118. *n.* 17. *par.* 16. Illæ positivè impugnantur, vel quia aliquæ fuerunt factæ ab
16 omnibus cohæredibus pro extinguendo ære alieno fideicommittentis, & consequenter tanquam necessariæ non sunt imputabiles in detractiones hæredi gravato competentes, ut per adden. ad Gregorium *dec.*580.*n.* 10. *Rodulphin. alleg.* 113. *n.* 55. *Rota post Torres de pactis futur. succ. dec.* 211. *n.* 4. *& in rec. dec.* 279. *n.* 9. *par.* 15. vel quia nonnullæ factæ fuerunt à Petro Antonio altero ex fratribus, non autem à Bartholomæo, & quamvis unica ex eis facta fuerit ab omnibus fratribus de Bernis cum pacto redimendi, ista imputari non potest Bartholomæo, nisi
17 pro quinta parte, & sic prò modica quantitate, quæ apta non est ad præferendam consumptionem detractionum in valdè superiorē summa ad eundem Bartolomæū spectantium, prout non obstante defectu Inventarii censuit *Rota cor. Celso dec.* 1. *n.* 4. *&* 10. *in Eugubina Cautelæ Angeli* 23. *Martii* 1703. *§. Non attento cor. R. P. D. meo Omanna, & in Melevitana Bonorum* 21. *Junii* 1706. *§. penult. cor. me.*

Et ita DD. explicantes modum, ut supra reservatum, constare de bono Jure Suzzani, etiam ad effectum manutentionis respectu portionis bonorum, quæ competunt prò detractionibus tantum legitimæ, & Trebellianicæ responderunt utraque &c.

ROMANA IMMISSIONIS. SUPER FRUCTIBUS.

Mercurii 27. *Junii* 1708.

ARGUMENTUM.

Fructus a quo tempore debeantur, vel a contestatione litis, vel productione jurium quando eorum scientiam habebat possessor, & à quo tempore in judicio universali.

In hac causa est superior decis. 500.

SUMMARIUM.

1 *Lis contestata dicitur ex comparitione, & replicatione rei.*

2 *Fructus restituendi sunt a possessore a die litis contestationis, quia ex tunc dicitur in mala fide.*

3 *Mala fides ad effectum restitutionis fructuum non producitur a reproductione monitorii, sed jurium.*

4 *Secus cum plenariam jurium scientiam habuerint; quia tunc debentur fructus a die motæ litis.*

5 *Fructus debentur in judicio universali a die motæ litis, non attenta jurium productione, & cur?*

DECISIO DLXXX.

Terminato mediante renunciatione à PP. S. Pudentianæ Urbis emissa Judicio Immissionis per transmissionem monitorii intentato usque ab anno 1675. à Margarita de Calice & deinde reassumpto de anno 1706. à Fausta Maria, Alexandra Martinelli, & Susanna Caffi, ut in dec. coram me edita *sub die 22. Junii 1705.* ad bona per obitum Caroli Antonii Crivelli de anno 1666. ab intestato devoluta ad Margaritam prædictam ut latius in d. mea decis. orta fuit postmodum controversia super restitutione fructuum à Patribus perceptorum ideoque disceptandum dedi dubium — *An & à quo tempore sint restituendi fructus*, & DD. illos restituendos esse à die 5. Aprilis 1675. responderunt.

Cum enim jus successionis proveniat ex renunciatione facta occasione ingressus in religionem à Hieronymo Crivellio favore Caroli Antonii, cui Margarita successit, & de dicta renunciatione actum fuerit usque de anno 1666. cum Patribus S. Pudentianæ in alio Judicio tunc pendente. Cum postea Margarita tali fundamento suffulta de dicto
1 anno 1675. litem introduxit per expeditionem monitorii, & reproductionem illius, eaque litem fecerit contestatam ob comparitionem, & replicationem PP., *Ridolphin. in prax. part. 2. cap. 4. num. 27. & seq. Rot. cor. Burat. dec. 652. n. 2, & cor. Priol. dec. 437. n. 2., & in rec. dec. 178. num 3. par 19.* Inde
2 sequitur, quod fructus à d. die ab eis indistincte veniant restituendi, cum dicantur in mala fide constituti *Card. de Luc. de Fideicommiss. disc. 186. n. 11. Rot. dec. 288. n. 3. par. 17. rec. & in Romana, seu Portuen. Tenutarum super fructibus 10. Januarii 1698. §. è converso cor. Rev. Conchen. & in Firmana annuæ præstationis 12. Decembris 1707. §. absoluta cor. R. P. D. meo Scotto.*

Nec relevat, quod ad inducendam malam fidem satis non sit expeditio monitorii, sed re-
3 quiratur productio jurium ex quibus PP. certiorari potuerint de eorum malo iure super successione prædicta; quoniam facti series per Auctores exposita omnem subsituit difficultatem quippe quia, licet Judicium immissionis fuerit cæptum anno 1675. ut præmissum fuit, tamen usque de anno 1666. ipsimet PP. post acquisitam possessionem bonorum vocarunt ad judicium Margaritam mediante monitorio Jactationis jactationum, quæ inter alias exceptiones opposuit, quod sibi tanquam proximiori debebatur hæreditas deducendo ad notitiam PP. renunciationem, indigitando annum, & rogitum notarii; cumque in d. Judicio nihil amplius gestum fuerit, & solum anno 1675. cæptum aliud judicium inter easdem partes super immissione satis dicitur contra PP. reos conventos inducta mala fi-
4 des absque necessitate iterum producendi d. renunciationem attenta illius plenaria scientia, & notitia *Rot. cor. Rojas dec. 70. n. 10. & cor. Bich. n. 22. & cor. Cerr. dec. 34. n. 41. & seq.*

Eoque magis prædicta locum habent in præsenti, cum agatur in Judicio universali intentato contra injustū occupatorē hæreditatis,
5 quo casu nulla fit distinctio inter bonam vel malam fidem, & an possessor fuerit instructus ex juribus productis, nam per simplicem litis contestationem mala fides inducta præsumitur, quæ sola sufficit, in his tamen terminis, ad hoc ut fructus veniant per Possessorem à die motæ litis restituendi *Rot. cor. Seraph. dec. 170. n. unico & cor. Emerix dec. 887. n. 3. & in rec. dec. 605. n. 6. par. 18. & in dec. Romana, seu Portuen. Tenutarum super fructibus 17. Junii 1697. §. absoluta cor. R. Conchen.*

Et ita utraque &c.

BURGEN. JURISDICTIONIS

Lunæ 2. Julii 1708.

ARGUMENTUM.

Agitur de territorio separato, & jurisdictione quasi Episcopali, quam habet Abbas S. Benedicti Burgen. in Ecclesia Parochiali quoque S Adelelmi; de qua licet non nominatim dictum fuerit in antiqua re judicata, tamen jurisdictio, & jura tribuuntur, quæ eidem expressioni æquipollent; Ideoque d. Abbas potest liberè, & absolutè sine Episcopo actus Parochiales exercere. Cætera in Summ.

Receditur ab hac Decis. ex defectu suppositi infra decis. 619. & in hac causa est decisio sequens cum e us revocatoria 620.

SUMMARIUM.

1 *Sententia quæ procedit per confirmationem alterius, uniformitat controverti nequit.*

2 *Abbas qui sit Præsul, & verus Curatus Parochialis Monasterio unitæ, potest liberè, & absolutè exercere per se ipsum actus parochiales, sine Episcopi licentia, vel approbatione.*

3 *Rota cum proponitur dubium in sequelam rescripti Signaturæ, & quoad aliquam quæstionem tres conformes non adsint, & tamen existentium Sententiarum justitiam cognoscit, præscindendo à dubio, respondere solet pro confirmatione Sententiæ.*

4 *Rota resolutiones Sacræ Congregationis Concilii solet reverenter amplecti.*

5 Cu-

5 *Cura Animarum in Diœcesi Burgen. est penès Archiepiscopum.*
6 *Quod declara in locis, qui sunt in, & de Diœcesi secùs in eis, qui sunt in territorio separato.*
7 *S. Adelelmi Ecclesia propè civitatem Burgen. est in territorio separato Abbatis S. Benedicti, & sub illius privativa, & omnimoda jurisdictione.*
8 *Et dictus Abbas habet territorium separatum.*
9 *Territorium separatum licèt in Sententia non expressum, tam cum tribuatur jurisdictio Abbati privativa in civilibus, criminalibus, & plenaria quasi Episcopalis cum jure instituendi, destituendi, & omnimodè disponendi, per æquipollens importatur.*
10 *Et ex istis jurisdictio quoque in Clerum, & Populum importatur.*
11 *Territorium separatum, & jurisdictio quasi Episcopalis melius, quam per rem judicatam ex tribus conformibus non declaratur.*

DECISIO DLXXXI.

Monasterium cum Parochiali S. Joannis extra muros civitatis Burgen. Ordinis S. Benedicti Congregationis Hispaniarum, necnon alteram Parochialem Ecclesiam sancti Adelelmi pleno jure tam in spiritualibus, quam in temporalibus unitam eidem Monasterio eum personis ibi degentibus nullatenus dependere à Jurisdictione & superioritate Reverendissimi Archiepiscopi Burgen., sed omnimodam tam civilem, quam criminalem intrà limites dicti Monasterii, & Parochialis S. Andelelmi privativè spectare ad Abbatem firmatum fuit per tres Sententias Rotales in judicatum transactas, ut videre est ex pluribus decisionibus impressis penes, *Tamburin de jur. Abbat. in ordine la* 41. 42. 43. *& part.* 1. *diversor. decis.* 165. *&* 717. *atque in recen. decis.* 37. *parte prima.*

Verum quia post centenariam observantiam hujusmodi rei judicatæ Reverendissimus Archiepiscopus excitavit pretensionem, quod non posset Abbas per se ipsum, vel per alios cũ ejus licentia actus Parochiales exercere, quodque Vicariis ab ipso deputatis pro exercitio Curæ approbatio solum ad certum tempus non autem indefinitè concedenda foret, & semel approbatus, iterum examini subjiciendus esset. Propterea introducto judicio coram Reverendissimo Hispaniarum Nuncio, iste sententiam protulit, qua declaratum extitit, Abbati competere jus exercendi per se ipsum omnes actus Parochiales, & Vicarios indefinitè, non autem ad tempus limitatum esse per Reverendissimum Archiepiscopum approbandos, semelque approbatos novo examini non esse subjiciendos, quæ tamen sententia a Vicario generali Toletano in secunda instantia confirmata extitit respectu primæ partis; respectu verò indefinitæ approbationis Vicariorum, & iterati examinis revocata fuit; causa verò per appellationem delata ad nostrum Tribunal præter recensitos tres articulos fuit etiam quartum examinatum, & superaditum, an nempè exercitium curæ animarum in Ecclesia S. Adelelmi Vicariis deputatis per Abbatem committendum sit per ipsum, vel potius per Archiepiscopum, & in omnibus favorabiles resolutiones reportavit Abbas, ut convincitur ex quatuor decisionibus editis coram R. P. D. meo Ansaldo sub diebus 11. & 14. Jun. 1706. ad quarum normam lata fuit Rotalis sententia adversus quam commissa mihi appellationis causa cum clausula constito de tribus dedi dubium -- *An constet de tribus*, & DD. constare de tribus juxta modum respondetunt.

Etenim separando unam quæstionem ab altera, si loquitur de jure competente Abbati exercendi per se ipsum functiones Parochiales & administrandi Sacramenta Parochiali S. Adelelmi, DD. constare de tribus respondere non dubitarunt; dum præter Sententiam Nuncii Hispaniarum, & alterum judicis delegati accedit & illa Rotalis lata per R. P. D. meum Ansaldum, cumque secunda
1 & tertia procedant per viam confirmationis alterius, earum uniformitas controverti non potest ad firmata per *Rot. cor. Celso dec.* 64. *nu. primo & in rec. decis.* 667. *n* 1 *part.* 19.

Potissime quia supposita earum validitate justitia convincitur ex eo solidissimo, & incontrovertibili principio per antiquam rem judicatam Rotalem canonizata quod Ecclesia Parochialis S. Adelelmi tam in spiritualibus, quam in temporalibus pleno Jure subjecta reperitur Monasterio S. Joannis ejusq. Abbati, & omnimoda facultas jurisdictionis in ea spectat in totum ad Abbatem ut præseferunt recensitæ decisiones impressæ post *Tamburin. de jure Abbat dec.* 41. 42. 43. *in part.* 4. *diversor. dec.* 165. *&* 717. *& in recent. dec.* 37. *part.* 1., & clarè patet ex tribus Sententiis in illarum sequelam prolatis cum subsequutis executorialibus, *Summario Abbatis n* 1., quo posito in necessariam consequentiam ve-
2 nit, quod Abbas, qui est Præsul, & verus Curatus dictæ Parochialis unitæ dicto Monasterio, potest liberè, & absolutè exercere per se ipsum actus Parochiales sine ulla Archiepiscopi licentia, vel approbatione, ex plenè firmatis in Decisionibus editis coram R. P. D. meo Ansaldo, tam super exercitio functionum Parochialium, quam super commissione curæ sub die 11. Junii 1706.

Si verò loquimur de reliquis quæstionibus quarum respectu non intercessit tantus numerus Sententiarum, nam super commissione curæ animarum citra necessitatem institutionis authorizabilis procurandæ ab Episcopo per Vicarios deputatos ab Abbate, iste non habet nisi postremam Sententiam R. P. D. mei Ansaldi, & quoad approbationem eorumdem Vicariorum absolutè per Episcopum uti viciniorem faciendam, non autem ad tempus ei benè visum, ac super reiterato examine, cui subjiciendos esse Vicarios prætendebat, Archiepiscopus habet geminas conformes Nun-

tii videlicet Hispaniarum, & nostri Tribuna-
3 lis inter mediante contraria Vicarii Generalis Toletani, propterea DD. praescindentes à supranotato dubio respondere magis propriè censuerunt pro confirmatione Sententiae Rotalis.

Moti signanter ex justitia Sententiarum, quae latae fuerunt super hujusmodi articulis, & quae manifestè resultare visa fuit, tam ex praenotatis Decisionibus editis in praecedenti instantia, quam ex resolutione Sacrae Congregationis Concilii recenter edita super simili
4 controversia in Pragen. jurisdictionis die 9. mensis Junii praeteriti, quam nostrum Tribunal solet reverenter amplecti, ut testatur *Rot. cor. Celso dec. 5. num. 12. & dec. 60. n. 4. & alibi passim*.

Neque ad obtenebrandam justitiam Sen-
5 tentiarum profuit allegare, quod in Diecesi Burgen. cura animarum sit penès Archiepiscopum, ad quem proinde spectat illam committere, quia hujusmodi suppositum solum verificatur respectu eorum Locorum, qui sunt
6 in, & de ejus diaecesi, non autem potest applicari respectu predictae Ecclesiae S. Adelemi, quae est in Territorio separato Abbatis,
7 sub illius privativa, & omnimoda jurisdictione, prout constat ex antiquis decisionibus supra relatis, & sententiis cum executorialibus, & firmant decisiones aeditae *cor. R. P. D. meo Ansaldo*.

Frustraque impugnatur, quod Abbas habeat territorium separatum, quia illud praese-
8 ferunt antiquae sententiae, & res judicata in quibus licet litteraliter non legatur termi-
9 nus territorii separati, tamen eo ipso, quod ad judicatur jurisdictio tam in causis civilibus, quam criminalibus, & matrimonialibus, ac plenaria quasi Episcopalis Abbati privativè ad Archiepiscopum, cum jure instituendi, & destituendi, atque omnimodè disponendi in dicta Parochiali, hoc Territorium separatum demonstrat, prout de eo apertè loquuntur antiquae Decisiones nempè post *Tamburin. de Jur. Abbat. dec. 42. n. 1. 3. & 4. & dec. 43.*
10 ex quibus etiam probata remanet jurisdictio in Clerum, & Populum, ita ut clariùs de juris-
11 dictione quasi Episcopali, & Territorio particulari Abbatis constare non possit, dum concurrit res judicata ex tribus conformibus constata, prout advertunt Decisiones editae coram R. P. D. meo Ansaldo ad quas DD. remissivè se habuerunt.

Et ita Abbate solum informante Archiepiscopo remissoriam petente resolutum fuit &c.

BURGEN. JURISDICTIONIS SUPER REMISSORIA.

Lune 2. Julii 1708.

ARGUMENTUM

Remissoria in causa superioris decisionis, cujus ope Archiepiscopus Burgen. probare volebat immemorabilem pacificam possessionem exercendi jurisdictionem in Parochia S. Adelelmi de separato territorio Abbatis Benedictini reycitur, quia articuli sunt improbabiles, irrelevantes, vel quia poterat suppleri per scripturas.

Revocatur decisio 620., & in hac causa sunt proxime atecedens, & ejus revocatoria 619.

SUMMARIUM.

1 *Articuli tendentes ad probandum contra id quod definitum, & terminatum fuit, per rem judicatam reyciuntur.*
2 *Res judicata facit de albo nigrum.*
3 *Articuli improbabiles non admittuntur.*
4 *Nec irrelevantes.*
5 *Nec qui possunt suppleri per scripturas, & n. 15.*
6 *Articuli continentes immemorabilem possessionem Episcopi contra Abbatem, cum obstant Testes contrarii convincentes possessionem Abbatis canonizatam per rem judicatam, videntur improbabiles.*
7 *Actus gesti contra, & post rem judicatam, nulli sunt, & attentati.*
8 *Nec in istis jus, aut possessio, aut immemorabilis fundari potest.*
9 *Immemorabilis ex git, ut nihil dictum, vel anditum fuerit in contrarium.*
10 *Cura in diaecesi Burgen. est penes Archiepiscopum.*
11 *Ecclesia S. Adelelmi est in separato territorio, & sub privativa jurisdictione Abbatis Benedictini S. Joannis Burgen.*
12 *Vicarii ab Abbatibus deputati non sunt ad limitatum tempus approbandi, & iterato examini subiiciendi.*
13 *Quod fuit etiam decisum a Sacra congregatione Concilii.*
14 *Remissoria ratione irrelevantiae denegatur: cum articulantur ea, quae habent contra se resolutiones Tribunalium.*
16 *Et cum petitur post rem judicatam, & cur.*
17 *Territorium separatum cum in sententia non exprimitur: ex qua concessione jurisdictionis, & jurium dicatur per aequivalens comprehensum.*

DECISIO DLXXXII.

Censuerunt DD. denegandam esse remissoriam petitam à Reverendissimo Archiepiscopo Burgen. in hac audientia, in qua etiam super meritis fuit contra eum capta resolutio, ut in aliamet contemporanea decisione.

Articuli enim in substantia sunt directi ad probandum, quod ipse habuit semper, & exercuit in Ecclesia parochiali S. Adelelmi omnimodam jurisdictionem in Clerum, & Populum, quod de diametro repugnat antiquae rei judicatae nostri Tribunalis, qua per tres conformes latas a bo. me. Orano, Seraphino, & Pamphilio definitum fuit, jurisdictionem quasi episcopalem in d. Parochiali Ecclesia in omnibus spectare ab Abbatem, eamdemque Ecclesiam esse liberam, & immunem a quacumque jurisdictione, & superioritate Archiepiscopi; in his enim ter-
1 minis remissoria venit deneganda, cum aun-

nunquam concedatur ad probandum id, cujus contrarium definitum, & terminatum existit per rem judicatam, quæ facit de albo nigrum juxta firmata per *Adden. ad Greg. dec.* 154. *Rota cor. Cavaler, decis.* 208. *cor. Sa. me. Alex. VIII. dec.* 39. *n.* 19. *cor. Cerro dec.* 543. *n.* 4., & *in rec. dec.* 51. *p.* 3.

Fortius quia iidem articuli partim sunt improbabiles, partim irrelevantes, & quatenus aliqui essent admittendi probatio haberi posset per scripturas, itaut proindè tantominus admitti debeant, ut de articulis im-
3 probabilibus *Rot. cor. Burat. dec.* 551. *n.* 4. & *dec.* 661. *n.* 2., & *in rec. dec.* 344. *n.* 6.
4 *p.* 11., & *cor. Celso dec.* 104. *n. primo* de irrelevantibus *Card. de Luc. de judic. disc.* 31. *n.* 21. *Rot. cor. Bich. dec.* 668. *n.* 2. 3., & *in rec.* 227. *n. primo p.* 19., & de his, qui pos-
5 sunt suppleri per scripturas ex firmatis per *Rot. cor. Arguell. dec.* 69. *n.* 8., & *coram Sa. me. Alex. VIII. dec.* 114. *n. primo*, & *seq.*

Sane improbabilis est secundus; in eo enim articulatur, quod Archiepiscopus sem-
6 per ab immemorabili exercuit Jurisdictionem sine contradictione Abbatis, quando ipse è converso tum ex testibus, tum etiam ex Apostolicis privilegiis probavit se jurisdictionem exercuisse etiam ante antiquam rem judicatam confirmatam per modernas sententias, unde sicut materia articulata probari non potest quoad tempus antiquum, ita multo minus est probabile, quod post rem judicatam fuerit exercita jurisdictio per Reverendissimum Archiepiscopum, quia om-
7 nes actus ab inde citra, qui gesti fuissent, nulli, & attentati ful lent super quibus fundari
8 non potest nec Jus aliquod, nec possessio,
9 multoque minus immemorabilis, quæ exegit, ut nihil fuerit dictum, vel auditum in contrarium juxta *Glos. in cap. primo verbo memoria de præscriptionibus in* 6. *Rot. decis.* 36. *n.* 4. *cor. Ottobon.*, & *dec.* 104. *n. primo*, & *seq. cor. Celso*.

Irrelevantes sunt alii, in quibus continetur, quod in diœcesi Burgen. Cura sit penès
10 Archiepiscopum; id enim non controver-
11 titur, sed negatur Ecclesiam S. Adelelmi esse de d. Diæcesi, dum est in Territorio Abbatis, & sub ejus privativa Jurisdictione, prout fuit firmatum in decisionibus editis coram R. P. D. D. meo Ansaldo die 11. Junii 1706. Ejusdemque naturæ sunt alii articuli
12 dati ad probandum, quod Vicarii ab Abbatibus deputati sint ad limitatum tempus approbandi, & sub reiterato examine, quando hoc in Jure non sustinetur, ut in dd. decisionibus firmatum fuit, & contrarium de-
13 cisum etiam extat à Sac. Congregatione Concilii in Pragen. jurisdictionis die 9. Junii
14 præteriti; quoties autem articulautur ea, quæ habent contra se decisiones, & resolutiones Tribunalium, denegari solet ratione irrelevantiæ articulorum admissio, *Rot. dec.* 26. *n.* 3., & 5. *cor. Otthobon. dec.* 83. *n.* 3. *cor. Pampil. dec.* 212. *n. primo p. prima*, & *dec.* 251. *n.* 4., & 8. *p.* 17. *rec.*

Cetera vero, quę respiciunt tàm conces-
15 siones licentiarum in administratione Sacramentorum, quam absolutiones à votis, & similibus, cum possint probari per Scripturas concedi nequit remissoria ex supra allegatis.

Unde de primo ad ultimum, cum remissoria petatur post rem judicatam, & postquam causa fuit toties discussa, & in ea emanarunt tot sententiæ, & decisiones, atque articula contineant materiam improbabilem, & irrelevantem, præsumptio est, quod petatur remissoria ad finem protrahendi imminen-
16 tem causæ terminationem, quæ his attentis multo magis venit deneganda *Adden. ad Greg. dec.* 211. *lit. B. E. Rot. cor. San. me. Alex. VIII. dec.* 39. *n.* 21. & *seq.*

Non obstat, quod cum in executorialibus rotalibus mentio nulla habeatur de Territorio separato, res judicata veniat intelligenda circa Jurisdictionem passivam, & exemptionem ipsius Monasterii, non autem circa exercitium jurisdictionis activæ nam
17 eo ipso, quod in illis statuitur omnimodam jurisdictionem in Clerum, & Populum privativè spectare ab Abbatem, indè sequitur fuisse eidem constitutum territorium separatum prout expressè firmatum fuit post *Tamburin. de jure Abb. dec.* 41. *n.* 2., & 4. Non attento, quod contrarium firmatur in dec. 382. post Posth. de manut. àntequam adesset antiqua res judicata resultans ex tribus conformibus, quæ supervenit anno 1598., itaut bene retorqueatur, cum in ea firmetur, quod manutentio solum competebat, donec per tres conformes contrarium firmatum fuerit, quod evenit isto casu biennio post.

Et ita utraque &c.

FERENTINA BONORUM.

Lunæ 2. *Julii* 1708.

ARGUMENTUM.

Repete a superiori hic confirmata decis. 463.

SUMMARIUM.

1 *Sub donatione universali particularis res donantis venit.*
2 *Immissio donatario ad rem donatam retardari nequit.*
3 *Validitas, & subsistentia donationis ex servatis omnibus solemnitatibus ab examine totius negotii &c. suadetur.*
4 *Seductionis suspicio in donatione excluditur, si facta sit favore alterius mulieris absentis, & ab intestato successuræ, & legitimo tempore insinuata.*
5 *Insinuatio donationis legitimo tempore facta, sat est ad illam validandam.*
6 *Præsertim si a donante non revocata, sed bis confirmata fuerit.*
7 *Donationis observantia desumitur ex constanti perseverantia donantis usque ad mortem.*
8 *Donationem redarguere non valent tertii,* cum

cum illa a donante, & primo hærede spatio multissimi temporis fuit observata.

9 *Mulier viri creditrix ejusdem, rem quam possedit in proprii crediti satisfactionem appropiasse ex ministerio legis presumitur*

10 *Vir, quia occasione matrimonii se obstrinxit extinguere debita existentia in bonis dotalibus, si fecerit nullam pro hac extinctione reintegrationem petere valet.*

11 *Immissio retardari non potest ex creditis, quæ ex fructuum perceptione, vel extincta, vel illiquida remanserunt.*

DECISIO DLXXXIII.

Iterum & DD. steterunt in decisis cor bo. me. Ursino sub die 25. Junii 1698: sicut alias in presenti causa dictum fuerat coram Me sub die 7. Februarii 1707. favore P.P. scholarum Nursiæ successorum Abbatis D. Passerini, quibus ex persona ejusdem concessa fuit immissio ad omnia bona per veronicam de Cerrinis donata Claudiæ Tibaldeschę dictiq. Abbatis Passerini autricis; do-
1 natio namque dubitari nequit, quin domum controversam comprehendat, cum ille
2 fuerit universalis omnium bonorum, & sic ad eandem retardari nequit immissio *leg. credit. d. cod. de pignor. rot. dec.*258. *num.*1. *& 2. par.* 15. *rec.*

Validitas autem & subsistentia ejusdem convincitur ex quo celebrata fuit servatis omnibus solemnitatibus a Jure & statuto requisitis, & cum decreto judicis, quem causam meritorum aliasque in eadem expressas recognovisse censendum est, & ulterius justificata fuit ab examine totius negocii præcedenter gesti, nec non à depositione viri religiosi probæ integritatis: Quæ omnia mul-
3 tum conferunt ad suadendum validitatem, & subsistentiam similium donationum. *Rot. in Rom. Census* 21. *Januarii* 1707 §. *potissimè & in ferrarien. bonorum super datione insolutum* 11. *Maii* 1705. §. *Consimilis cor. Me.*

Eoque magis excluditur quælibet seductionis suspicio, ex quo donatio facta fuit favo-
4 re alterius mulieris absentis à loco contractus sanguine donanti conjunctæ, & ab intestato successuræ, suitque etiam tempore legitimo
5 insinuata. quod satis est ad validandum contractum *ad Text. inl. penult. in fin. Cod. de donat. dec.*594 *num.*11. *par.*19 *rec.*

Accedit, quod nec unquam fuit à Veronica donante quousque vixit, & in morte impu-
6 gnata, imo geminatè ratificata, tam scilicet in actu inter vivos, donando ratam scut. 700. ad effectum testandi reservatorum, quam etiam in morte legando in ejus testamento residuum dictæ quantitatis in donatione sibi reservatæ, ut *in sum. Auctor. nu.*5.; Ex qui-
7 bus reiteratis actibus semper magis convincitur observantia istius donationis in Veronica donante ex constanti perseverantia usque ad obitum *ad text. in l. Papinian. ff. de donat inter Vir. & Uxor. rot. post. moder. Asculan. ad stat. Urb. dec.*148. *n.*39. *& cor Cerro dec.*696. *n.* 10. *&* 11. *& cor. Priolo dec.* 249. *num.*8.

Prout quoque nec illam unquam hæres ejusdem impugnovit, itaut eo minus eandem per spatium annorum 63. observatam redar-
8 guere valeant tertii possessores, quales sunt Paulus de Bompalnis, & de Gasparris aliique rei conventi, quique nullam à Veronica causam habent *Rot. Lucens. peues Mans. cons.* 33. *num.*9. *& Rot. Rom. peues Modern. asculan. ad stat. Urb. dec.*139. *num.*19. *& alibi passim.*

Vindicata itaque validitate donationis prædictæ, nullius momenti visa fuit prætensio retentionis medietatis controversæ domus, ex quo Laurentius Cerrinus frater Veronicę suam medietatem vendiderit Flaminio dictæ Veronicæ Viro, & à quo, rei conventi causam habent; Compertum namque fuit, Laurentium non dimidiam domum favore Flaminii alienasse, sed unam stantiam & cameram pro-
9 modico dumtaxat prætio scut. 20. Unde cum Veronica donans reperiretur creditrix sui viri in majori summa scut. 90. utique præsumendum venit, quod ex ministerio legis dictam ratam domus illi tangentem sibi in proprii crediti satisfationem appropiare voluerit, ut ultra authoritates in alia *dec. cor. bo. me. Ursino* §. *neque majorem & coram Me* §. *posita autem adductas firmavit rot. peues Card. de Luc. de camb. decis.*2. *num.*4.

Sicut etiam insubsistens apparuit altra prætensio retentionis ex causa extinctionis trium censuum factæ, ut dicitur cum pecuniis Flaminii, & Impositorum à Tiberio Patre Veronicæ in totum ascendentes ad scut. 300. Etenim cum Flaminius occasione Matrimo-
10 nii cum Veronica initi in instrumento dotis pacto expresso se obligaverit extinguere debita, quibus bona dotalia reperiebantur obnoxia, inde sequitur, quod si ille in executionem proprię obligationis census super illis existentes extinsit, functus est officio suo, nullamque pro hujusmodi extinctionibus reintegrationem petere valet, prout ipse agnoscendo proprium debitum nullum jus in actu solutionis sibi preservavit. Quibus omnibus ac-
11 cedit ulterius, quod rei conventi sunt In urgenti summa debitores fructuum perceptorum à Domo controversa, cum quibus vel satisfacti fuerunt de dicto prætenso credito, vel saltem illud adeo turbidum evasit, ut peritam immissionem ex eo retardare non valeant *Rota cor. Cerro decis.* 560. *num.*30. *& cor. bo. me. Emerix. dec.*1181. *num.*28.

Et ita utraque &c.

ROMANA SALVIANI.

Lunæ 2. *Julii* 1708.

ARGUMENTUM.

Ad hanc causam refertur superior dec. 414.

SUMMARIUM.

1 *Immissio in Salviano contra tertium non datur, nisi creditum ita clarum sit, ut nullam*

lam patiatur exceptionem, & n. seq.

3 *Creditum clarum non dicitur, pro quo in judiciis contra diversas personas Creditor succubuit.*

4 *Judex quietantiam ante decretum productam contrario decreto revisionis computorum spreviße dicitur.*

5 *Decretum primum a secundo inter diversas personas, & in causa, & jure diverso lata, circumductum non dicitur.*

6 *Creditum, quod cum debitore illiquidum fuit agnitum, ineptum est ad agendum contra tertios possessores.*

7 *Rota rejicit quietantias ad suggestionem pregnantissimis verbis factas a viro minus facili ad illas faciendas in folle sine revisione partitarum.*

8 *Decisio in gradu restitutionis in integrum confirmata facit statum, & venit attendenda, donec revocetur.*

9 *A decisione recessum non dicitur per aliam, quæ emanavit in casu diverso*

10 *Quietantia, seu solidatio non justificata nullius est effectus.*

11 *Actio, quæ non vincit debitorem apta non est ad operandum contra tertios illius bonorum possessores: & contrarium esset absurdum.*

12 *Hæres beneficiatus creditum proprio nomine acquisitum non reddit illiquidum ex non reddita ratione administrationis, a defuncto rerum debitoris.*

13 *Contrarium.*

14 *Replicatio per rem judicatam rejecta, donec ista de medio non tollatur remanet inanis.*

15 *Exceptio turbida immissionem non retardat*

16 *Exceptio clara dicitur cum fundatur in re judicata.*

17 *Res judicata facit rem claram, & manifestam.*

18 *Replicatio turbida contra claram exceptionem obtinere nequit petitam immissionem contra tertios.*

DECISIO DLXXXIV.

PAncratius Constantinus dum universalem Rerum familiarium Domus Ludovisiæ administrationem tanquam illius exactor, & præfectus exercebat, reportavit a bo. mem. Principe Joanne Baptista de anno 1676. generalissimam quietantiam suæ administrationis, in qua d. Princeps se constituebat debitorem in scut. 13069. 59 eumdem liberando a redditione rationis, & absolvendo pro omnibus per eum exactis, & administratis, eum expressione, quod omnes libri, computa, scripturæ, & quodcumque aliud pro solidatione computorum necessarium, & opportunum ab eodem fuerit restitutum, nec non etiam de anno 1682. adhuc in administratione prædicta continuando obtinuit, quod idem Princeps per aliud simile instrumentum omnia jam expleta confirmaret, & ulterius eidem assignaret tot credita in totum ascendentia ad scuta 137080. pro quibus se debitorem fassus fuit, se quoque obligando pro solutione fructuum tàm decursorum, quàm decurrendorum pro d. summa, & ulterius se constituit debitorem aliorum scut. 4813. ultra summam prædictam. Cupiens autem d. Pancratius magis propria jura consouere, & suum creditum erga Domum Ludovisiam augere reportavit eodem anno 1682 sub nomine Constantii fratris cessionem unius census in sorte scut. 2000. impositi a bo. mem. Principe Nicolao Ludovisio.

Vita functo Pancratio Constantius illius frater, & hæres, ac deinde Sorores de Nisis actrices illius hæredes plura, ac diversa judicia contra diversas personas pro solutione d census, & fructuum in ingenti summa decursorum intentarunt, & licet in omnibus attenta exceptione non redditæ rationis a Pancratio succubuerint, & signanter in causa *Romana Status Zagaroli* 10 *Maii* 1706. *cor. me*. Attamen in alio Judicio contra Petrum de Enriquez authorem Joannæ Perez, & Eleonoræ Enriquex reportarunt sententiam immissionis in salviano pro fructibus d. census ad nonnullas terras in Territorio columnæ positas, & a reis conventia possessas, confirmatam deinde per nostrum Sacrum Tribunal coram Reverendissimo Turonen. adversus quas, cum ex rescripto Signaturæ reportata fuerit commissio cum clausula *constito de duabus*, ideo dubium illi conforme bis absque resolutione proposui, quod tandem adscitis quinto, & sexto ex DD. in hodierna propositione *negativè* resolutum fuit.

Injustitia namque sententiarum resultare
1 visa fuit ex quo in hujusmodi Judicio Salviani nunquam contra tertium concedi solet immissio, nisi creditum ita clarè, & concludenter probetur, ut nullam pènitus exceptionem patiatur *Rot. dec* 196. *n.*17. *p* 10. & *dec* 243. *n.* 4., & 5. *p.* 11. *rec.* Unde eum creditum controversi census undequa-
2 que turbidum recognitum fuerit, inde sequitur illud ineptum remanere ad effectum expoliandi reas conventas tertias posseditrices ex allegatis.

Turbiditatem autem non modicam præseferre visa fuerunt Iudicia per Constantium contra diversas personas pro istomet credito promota, in quibus semper succubuit. Et primo contra Principissas de Ludovisiis, quibus opponentibus eumdem Constantium teneri tanquam hæredem Pancratii Fratris ad reddendam rationem de bonis administratis per eum in d. Domo Ludovisia, Judex mandavit videri computa. Unde patet, quod hujusmodi creditum adeo clarum dici nequeat, ut illius fomento reæ conventæ valeant inquietari.

Nec dicatur, quod eatenus Judex ita decrevit quatenus de eo tempore nondum per Constantium producta fuerat solidatio, seu generalis quietantia per Pancratium a Principe Joanne Baptista Ludovisio reportata. Quoniam ex facti combinatione recogni-

gnitum fuit, instrumentum quietantiæ prædictæ fuisse per 14. menses ante decreti prolationem productum, cum illud exhibitum legatur sub die 25. Januarii 1692.; decretum verò prolatum extitit sub die 13. Martii
4 1693. Et sic male arguitur, Judicem ex non productione d. quietantiæ motum fuisse ad demandandam revisionem computorum; Cum imo potius judicandum venit eumdem in totum solidationem, seu quietantiam, prędictã sprevisse, ex quo recognovit illam multas pati exceptiones, de quibus infra.

Replicatio autem, quod prædictum primum decretum super revisione computorum fuerit per aliud prolatum sub die 8. Julii 1693. penitus circumductum visa fuit insubsistens; quoniam recognita veritate fac-
5 ti compertum fuit, quod hæc duo decreta lata fuerunt inter diversas personas in causa pariter, & jure omnino diverso, unde prętensa circumductio primi decreti, attenta diversitate prædicta penitus exclusa remanet.

Rursus in alio Judicio, quod Costantius postquam vidit nihil contra DD. Principissas obtinere potuisse, intentavit contra Principem Joannem Baptistam Ludovisium principalem debitorem pariter succubuit, cum illi oppositum fuerit, quod Pancratius post reportatam ab eodem Principe d. generalem solidationem, & quietantiam, ipse in vim mandati in eadem contenti quamplura credita, & effectus Domus Ludovisiæ exegerat, ac propterea instabat, quod ille uti hæres Pancratii Fratris condemnandus esset nedum ad reddendam rationem de exactis, verum etiam ad exhibitionem librorum, quos nunquam exhibuerat, ut patet ex summario additionali rearum n. 2., & de facto Judex agnoscendo relevantiam oppositionum à Principe factarum condemnavit eumdem Constantium d. Pancratii fratris hæredem, tàm ad tradendam notulam juratam de exactis, quàm ad restitutionem librorum, quos ipse adhuc penes se retinebat signanter *il libro mastro, ed il giornale*, ut patet *ex d. summ. n.* 2. ipsum ulterius ex utroque capite sub pęna scuti unius pro quailbet die gravando.

A quo decreto, licet Constantius appellationem interposuerit, eamque dirigi curaverit Em̃o Capraræ tunc temporis nostro emeritissimo Collegæ, nihilominus benè deinde insubsistentiam proprii juris agnoscens maluit causam sub amico silentio præterire. Ex quibus itaque concludendum venit, quod si Constantius author Sororum de Nisis actricium etiam cum ipsomet Principe principali debitore succubuit, nil ulterius inquirendum venit ad patefaciendam turbiditatem, ac illiquiditatem prætensi crediti,
6 quod propterea ineptum remanebit ad effectum agendi contra reos tertios possidentes.

Et merito quidem fuit toties rejectus: Inspecta siquidem ipsa asserta quietantia bene apparet, quod illa fuit ad suggestionem Pan-
7 cratii procurata cum tanta verborum prægnantia, quando fuit facta in folle, & absque ulla partitarum dispunctione & sine inspectione foliorum dati, & accepti à Principe Joanne Baptista Ludovisio viro nimis notoriæ facilitatis ad emittendas similes solidationes sibi præjudiciales, quemadmodum videndum est *in Romana Cambii 14. Junii 1697. coram Em̃o Decano*, in qua nostrum Tribunal aliam similem solidationem ex supradictis met rationibus improbavit, quæ decisio cum deinde confirmata fuerit in gradu restitutionis in integrum coram R. P. D. meo Ansaldo, semper
8 facit statum, & venit attendenda donec revocetur *Rota dec.223. num.7. par.11., & decis.34. num.1. par.17., & dec.204. num.7. par.16. rec.*

Non subsistente, quod à firmatis in prædicta decisione recessum fuerit in alia Romana pecuniaria edita 14. Martii 1701. Coram Eminentissimo della Tremoille, quia illa emanavit cum causa õnino diversa, quę nil habet agere
9 in causa præsenti, cum ibi in revisione causæ verificata fuerit similis confessio per Principem elicita ex partitis librorum, & ex computis *del dare, & avere* cum quibus illa quam piene justificata remansit quod neutiquam evenit in præsenti hipotesi, in qua confessio Principis prorsùs erronea detegitur, non solum ex quo numquam per Pancratium fuit reddita ratio, ut alias opposuit idem Princeps debitor, sed ulterius quia in illa asserunt restituti libri domus Ludovisiæ, & tamen probantur semper extitisse tam pęnes Pancratium, quam apud illius Constantium hæredem etiam post ultimam quietantiam anni 1682. per Principem Joannem Baptistam favore Pancratii exaratam. Ex quibus manifeste sequitur, præfatas solidationes, seù
10 quietantias nullius remanere efficaciæ, cum justificatæ non reperiantur, prout opus esset *Pacion. allegat.* 194. *num.* 6. *Rota dec.*436. *num.*15., *& 16. par.9. rec., & in Sabinen. Testamenti 21. Junii 1706. §. namque cor. R. P. D. meo Omanna*.

Neque contra prædicta quidquam attendi merentur cætera omnia, quæ per actrices inutiliter opponuntur. Etenim quid quid in contrarium obici posset allegabile forsan erit in alio Judicio appellationis à decretis prædictis, non autem hic, & nunc, dum contra actrices militat evidens res judicata quæ si effectum suum peperit favore principalis debitoris, multo magis debet favore reis con-
11 ventis tertiis possidentibus, ne alias oriatur absurdum, quod actio illa, quæ vincere non potuit debitorem, apta esset ad operandum contra tertium possessorem. *Maur. de fidejus. cap.* 15. *num.*4. *Guzman. de vict. quæstion.*16. *num.*39. *in fin. Rot. dec.*132. *nu.*18. *par.*2. *diversor.*

Posita itaque turbiditate, ac illiquiditate prætensi crediti census ponenda erit ad partes replicatio, quod Costantius sit hæres
12 Pancratii cum beneficio legis, & inventarii, & sic creditum utpote acquisitum sub ne-

nomine Constantii non remaneat illiquidum ob administrationem Pancratii. Etenim visum fuit DD. idem creditum fuisse verè acquisitum à Pancratio. & in omnem casum
13 sufficeret, quod Constantius sit hæres illius,
quia donec non reddat rationem administrationis sui authoris, non potest agere adversus bona Principis. *Fescobar. de ratiocin. cap 3. num.31. in fin. Rota dec.67. num.7. coram Bich.*, & *dec.200 num 30. coram fan. mem. Alex. VIII.* Addito ulterius, quod ille tanquam hæres in utroque superius enunciato Judicio condemnatus fuit, & ad reddendam rationem, & ad restituendos libros; unde sequitur, quod donec dicta duplex res judicata
14 de medio sublata non veniat, replicatio
prædicta remaneat inanis, & vacua *Rota coram Priol. dec.414. num.4.*, & *in Romana fideicommissi 15. Januarii 1700. §. Sed ut diximus coram R. P. D. meo Ansaldo.*

Sicut etiam dici nequit, quod exceptio redditionis sit turbida, & per consequens
15 in hoc judicio non attendenda: Quia ea fundata dignoscitur in re judicata actricibus re-
16 sistente, quæ facit rem claram, & manifestam *Caputaquen. dec.336. in fin. par.1. n.4.*
17 & *cor. bo. me. Emerix dec.461. n.4.* Et si aliqua turbiditas considerari potest, ea tota re-
18 sidet in replicatione fororum de Nisis quæ
ideo prò dicto credito census illiquido, & turbido molestare nequeunt tertios possidentes.

AVENIONEN. SALVIANI SUPER FRUCTIBUS.

Lunæ 2. Julii 1708.

ARGUMENTUM.
Non est opus.

SUMMARIUM.

1 *Fructus in Judicio Salviani reficiendi sunt a die latæ sententiæ usque ad diem actualis immissionis actoris.*

2 *Fructus pensionum liquidatio concludentissimè habetur ex instrumentis locationum, & quietantiis:*

DECISIO DLXXXV.

Reportata vigore Census sc.500. provenientis ex fideicommisso à Joanne de Tulles Episcopo Auriacensen. ordinato per tres sententias conformes immissione in Salviano per Com. Gasparem de Villa franca successorem Marchionis Joannis de Tulles pendente lite defuncti ad quamdam Domum cum horto contra Laurentium Rosti illius detentorem; orta deinde fuit controversia super restitutione fructuum, & informante dumtaxat Co. Gaspare, DD. illas esse restituendas in summa sc.245. responderunt.

Immissio namque per Co. actorem obtenta in Judicio Salviani efficit, ut fructus à die latæ primæ sententiæ veniant à Reo restituendi usque ad diem actualis immissionis actoris *Rota post Posth. de Subbastat. decis.156. num.12.*, & *coram bo. me. Emerix dec.476. num.7.*, & *dec.1210. num.11.* Unde cum prædicta sententia lata fuerit sub die 5. Junii 1699., & possessio capta die 3. Octobris 1704., cum pensiones Domus, & horti controversi ad rationem annuorum scut.46. per totum dictum tempus ascendant ad scut. 245. Inde sequitur, quod pro dicta summa veniat relaxandum mandatum.

Quod autem pensiones prædictæ ascenderent ad dicta sc.46. superlativè justificatum
2 remanet, non solum ex quam pluribus Instru-
mentis publicis locationum dictæ Domus factarum prò dicta summa à Laurentio Rosti; Verum etiam ex quietantia ab eodem favore inquilini facta omnium pensionum ad dictam rationem usque tunc decursarum, quæ omnia concludentem probationem indueunt pro liquidatione fructuum. *Rota coram Arguell. dec.113. num.22.*, & *seq.* & *dec.61. in fine par.2. divers.*, & *in recent. dec.481 num.5. par.3.*, & *in Romana Manutentionis 1. Decembris 1692. cor. bo. me. Benincasa.*

Et ita altera &c.

MEDIOLANEN. BENEFICII.

Lunæ 2. Julii 1708.

ARGUMENTUM.

Capitulum subsequens quando convocari valeat de ejusdem, vel senioris mandato, quando Prior, ad quem spectabat, non intervenit in antecedenti ab ipso intimato; & quando ejus resolutionem annullet non interventus omnium, qui suffragium habent, vel eorumdem, aut Prioris contemptus in non illos vocando; vel quando ad unum finem convocatum, illum excedit. Qui gratiam obtinet in beneficialibus, alterius tituli invaliditatem non confitetur. A quo die currat terminus patronis datus ad præsentandum, & a quo, & quomodo ejus expiratio probanda sit, ad effectum sustinendi gratiam pro devoluto.

SUMMARIUM.

1 *Institutio ad beneficium concedenda est canonicè electo intra legitima tempora à Patronis.*

1 *Congregationes convocari debet auctoritate, & placito Prioris ejusdem.*

3 *Limita cum in congregatione legitimè facta statutum fuerit, quod alia die altera Congregatio haberetur, in qua secunda, nisi intervenerit legitimè, a Congregatis statuitur alia subsequens dies pro alia Congregatione.*

4 *Quod amplia etiamsi Prior intercesserit, & per protestationem se facerit extraneum.*

5 *Et tunc potestas, vel tralsata remanet in vocalibus, qui possunt sine Prioris licentia diem electionis determinare.*

6 *Vel facultas convocandi devolvitur ad seniorem in locum Prioris voluntariè absentis.*

7 *Ad canonicam electionem perficiendam non requiritur, ut interveniant omnes illi, qui in prima congregatione ad fuerunt.*

8 *Vocales fat est quod ad Congregationem pro ejus validitate vocentur, & intimentur, licet postea non intervenerint.*

9 *Præsertim si protestationes non interveniantium facta appareant a consanguineo, ad effectum, ne intra legitima tempora nominatio fiat, & obtineri possit gratia Apostolica.*

10 *Excessum non dicitur in Capitulo, in quo juxta resolutionem procedentis statutum fuerat, ut in sequenti sermo habendus esset de modo tenendo; si statutum in illo secundo fuerit, in novo Capitulo habendam esse novam electionem, quia duo paritatem votorum obtinuerant*, nu.12.

11 *Ad novam electionem deveniendum est durante quadrimestre, dum duo æqualia suffragia reportaverint.*

13 *Contempti non dicuntur vocales si intimatio fuerit transmissa pro congregatione, nec eam acceptare voluerint.*

14 *Vel cum per Nuntium fuerint intimati.*

15 *Intimandi non sunt vocales ad tertium Capitulum, si in primo dies pro secundo fuerit statuta, in quo intervenerunt, & tertium fuit stabilitum.*

16 *Gratia sit neutri obtenta ad cautelam non præjudicat legitimæ præsentationi.*

17 *Titulorum multiplicitas datur in beneficialibus.*

18 *Ex petitione vigore unius tituli in beneficialibus, non provenit confessio mali juris alterius, sed tantum conditionalis, & quomodo?*

19 *Devolutum non dicitur beneficium, ad quod adest legitimè, & in tempore præsentatus.*

20 *Provisio de Beneficio tamquam de devoluto non sustinentur, quæ habet datam antecedentem lapsui termini patronis ad præsentandum dati.*

21 *Terminus Patronis ad præsentandum incipit currere a die notitiæ vacationis.*

22 *Impetrans jure devoluto docere tenetur de certa, & indubitata scientia vacationis beneficii in Patronis, ut ab eo die per lapsum termini fiat locus devolutioni.*

DECISIO DLXXXVI.

Beneficium, seu Cappellania erecta in Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum loci Carati Mediolanen. Diœcesis, quam Joannes Baptista de Bene fundator conferri jussit ad præsentationem Prioris, & Deputatorum Fabricæ Templi D. Mariæ apud S. Celsum Mediolani vacavit die 4. Martii 1707. per obitum Antonii Castiglionis. Qua de re à Priore, & Deputatis Fabricæ prædictæ, & si pluriès sese invicem præcedenter congregassent, tamen electio nonnisi quàm sub die 5. Junii facta fuit, & ex iis, qui propositi fuerunt, duo tantum eligi prævaluerunt in votis, nempè Comes Carolus Ayroldus, & Comes Galeottus Balbianus Belgiojosus, pro quibus vota fuerunt æqualia: Unde cum in illorum paritete electio conclusa non remanserit, capta fuit determinatio, -- *che per Domenica prossima si debba fare altro Capitolo per discorrere semplicemente del modo si debba pratticare in questo caso, atteso l' egual Concorso.*

Die itaquè Dominica subsequenti 12. Junii accesserunt pro Congregatione habenda Prior, & omnes Deputati, eaque nondum incepta Comes Franciscus Belgiojosus Prior, ac filius Com. Galeotti alterius ex concurrentibus cum nonnullis Adhærentibus locum Capitularem ingredi recusarunt, unde vocales jam coadunati, & repræsentantes totum Capitulum determinarunt, quod in futura proxima Dominica nova fieret Congregatio pro habenda electione per hæc verba ibi -- *hà il Capitolo ordinato, che domani si debba mandare il viglietto à tutti per convocare il Capitolo Domenica prossima con l' espressiva, che restano invitati anche per fare detta Elettione* -- prout cum effectu præcedente legitima intimatione die 19. Junii convocato Capitulo Comes Carolus Ayroldus electus remansit, factisque Instantiis pro illius institutione post formalem Causæ discussionem, Vicarius Generalis Mediolani Sententiam protulit super validitate Electionis, mandando etiam, quod ille ad Cappellaniam esset instituendus: Sed per appellationem devoluta Causa ad nostrum Tribunal, postquam Galeottus litteras Apostolicas ex Jure devoluto à Dataria obtinuerat, & similes litteras sibi concedi Carolus expetierat, contigit hodiè examinari dubium: *An Institutio danda sit Carolo, vel potius litteræ Apostolicæ Galeotti sint exequendæ*, & DD. Institutionem esse dandam Carolo res-
1 ponderunt eo sub fundamento, quod cum ipse ostendat se fuisse intrà legitima tempora electum per Deputatos Fabricæ Templi Divæ Mariæ controversi Beneficii Patronos, eidem tanquam canonicè electo concedenda est Institutio ad vulgarum *Text. in cap. Quoniam de Iurepatron. Cap. Cùm Bertoldus de Sententia, & re Iudic. Rota coram Emerix Iun. decis. 5. nu.2. cum aliis in Tuden. Parochialis 7. Decembris 1703. §. Fuit enim coram Eminentiss. Caprara.*

Non obstant plures nullitates cumulatæ contrà dictam Electionem, & quidem prima, quod Congregatio habita die 19. Junii 1707. in qua extitit nova electio, convocata non fuerit auctoritate, & placito Prioris di-
2 ctæ Congregationis, ad quem tanquàm digniorem, tam de Jure, quàm ex consuetudine spectabat legitimè Congregationem convocare; quoniam omisso, quod Prior interrogatus, an vellet dare ordinem transmittendi Biglietta, recusavit procrastinando etiam responsionem: Adverterunt DD., quod
3 cùm in præcedenti Congregatione habita die 5.

die 5. Junii, & Prioris auctoritate convoca-
ta propter paritatem Votorum resolutum
fuisset, quod die Dominica sequenti ea ite-
rùm coadunaretur ad effectum agendi de
modo tenendo circà Electionem, utiquè
Prior dicta die simul cum suis Adhærentibus
intervenire debebat, si conservare volebat
facultatem convocandi aliud subsequens Ca-
4 pitulum, quod cum facere recusaverit, licet
accessisset, imò omnes protestati fuerint de
nullitate Electionis, ex quo non aderant
omnes Vocales, qui interfuerant in primo
Capitulo se fecerunt extraneos, & potestas
5 Capitularis, vel translata remansit in cæte-
ros Vocales, seu Deputatos, qui proptereà
benè potuerunt sine Prioris licentia destina-
re diem electionis faciendæ in futuro Capi-
tulo juxta *Text. in cap. Cum nobis olim* 19.
de Elect., *Lambert. de Iurepatr. par.*2. *lib.*2.
*num.*5, *Pafferin. de Elect. cap.* 11. *n.*68. *&*
*cap.*13. *num.*34. *Castellin. eodem tractat cap.*
6. *num.* 5., vel saltem devoluta fuit ad De-
6 canum, qui tanquam antiquior, & senior suc-
cessit in locum Prioris voluntariè absentis,
Bald. in cap. 1. *de majorit, & obed. num.* 2.,
Ioannes de Anania num. 1., *Felin. ibidem*
*num.*2., & probant *Ceccoper. lucubrat. Ca-*
nonic. lib. 4. *nu.* 13. *Pafferin, dicto cap.* 11.
num. 10., *Franc. Marc. decis.* 1036. *num.* 3,
par. 1.

Minus obstitit altera nullitas deducta ex
eo, quod in Congregatione habita die 5. Ju-
nii fuerit demandata nova coadunatio, ut
omnes, qui suffragium tulerunt, interveni-
rent in decernendo modo faciendi Electio-
nem: Quoniam hujusmodi suppositum non
subsistit in facto, dum tale quid non legitur,
& nec de Jure, nec de facto servatur, imo
ex ipso fundationis Instrumento contrarium
7 habetur, cum decernatur canonica Electio
ea, quæ facta fuisset a tribus Partibus Voto-
rum ex illis Deputatis, qui in Congrega-
tione interfuissent.

Et in omnem casum satis est, quod omnes
8 fuerint vocati, & intimati, licèt postea non
accesserint *Gloss. in cap. Cum omnes verbo*
Constitutum de Constitution., *ibique Felin.*
*num.*14. *in fine*, *& num.* 22. *Pafferin. citato*
cap. 11. *nu.* 98., *Rota decis.* 36. *num.* 4. *&* 5.
par. 6. *& in Giennen. Iuris mutondi* 11. *Fe-*
bruarii 1708. §. *Non tamen coram R. P. D.*
meo Priolo. Maximè, quia nimis artificiosa
& affectata fuit absentia, dum ex ipsis prote-
stationibus factis a d. Priore, ac filio Com. Ga-
leotti alterius ex nominatis ut supra dictum
est, apparent emissæ ad solum finem pro-
9 trahendi Electionem, ut interim jus eligen-
di devolutum remaneret, & Galeottus Pater
gratiam Apostolicam obtinere posset, pro
qua jam porrectæ fuerant preces, unde tan-
tò minùs impediri poterat Electio *Innocent.*
in dicto cap. Cum nobis num. 1. *de Elect.*,
*Franch in cap. Quamvis num.*2. *de Elect. in*
6., *Pafferin eod. tit. cap.* 32. *num.* 6., *Ro-*
*ta decis.*40. *n.*3. *&* 4. *par.* 19. *Rec.*

Nec pro tertia nullitate allegari valet,

10 quod Capitulum die 12. Junii fuerat con-
gregatum juxta stabilimentum captum in al-
tero præcedenti -- *per discorrere semplice-*
mente del modo si debba pratticare in questo
caso -- & nihilominus fuisset excessum desti-
nando diem 19. Junii pro facienda nova Ele-
11 ctione. Etenim modus magis proprius, &
proportionatus capi non potuit, quam ut
ad novum scrutinium in paritate suffragio-
rum procederetur, prout semper peragi
permittitur, donec, & quousque durat tem-
pus quadrimestris ad eligendum præfixi jux-
ta firmata per *Rotam in Albaricen. Cano-*
nicatus 10. *Maii* 1700. § *Sicque nolente*
coram Reverendissimo Domino meo Decano,
ac proindè cum in secundo Capitulo nulla
12 facta fuerit electio, sed nova Congregatio
destinata, allegari nequit aliqua nullitas Ele-
ctionis, quæ peracta deindè fuit in tertio Ca-
pitulo diei. 19. legitimè determinato a tota
Congregatione.

Atquè ex his cessat quæcumque alia nul-
litas ducta ex supposito contemptu Prioris
tanquam non moniti ad interessendum, ac
etiam nonnullorum Vocalium: Nam respe-
ctu Prioris obiectum removetur ex facto su-
pra enunciato, quod præsefert eidem factam
fuisse Intimationem, licet noluerit eam ac-
ceptare, nam cum Portitor vulgò *il Portiere*
se contulisset ad effectum illi præsentandi
Intimationem, ipse præcepit, ne sibi aliquod
13 Bigliettum transmitteretur. Undè sicut illi
tota culpa venit adscribenda, ita cessat quæ-
libet exceptio contemptus, & haberi debet
pro intimato *Cap. Quoniam frequenter* §.
Porrò ut lite non contestata Rota cor. Celso
*decis.*113. *n.*16. *& decis.*117. *num.*3.

Respectu verò aliorum absentium, licet isti
14 in Diœcesi commorarentur, continuatio
allegabilis non est, dum constat eos per nun-
tium intimatos, & invitatos fuisse *Rota dec.*
467. *n.* 7. *& seq. par.* 19. *Recent.* ultra quod
jam omnes fuerant certiorati in Capitulo ha-
15 bito die 5. Junii de nova Coagregatione fa-
cienda, ut possent illi intervenire, prout
de facto intervenerunt, sed extra locum ad
opponendum, & protestandum, & per con-
sequens non erant iterùm certiorandi, ut
venirent ad hoc subsequens Capitulum, sivè
Congregationem *Pafferin. de Elect. d. cap.*
12. *nu.*57. *& Rota dicta decis.* 467. *num.* 13.
*par.*19. *Recent.*

Nec quidquam in contrarium operatur pe-
16 titio facta ex parte Caroli pro gratia si neu-
tri, & pro devoluto, quia nihil prorsus ori-
tur ex ea, quod trahi possit ad Confessionem
nullitatis Electionis, sivè quia explicitè pe-
tita fuit ad majorem cauthelam sine præju-
dicio Juris jam quæsiti, & Jura Juribus ad-
dendo; sivè quia notum est, quod in Bene-
17 ficialibus datur multiplicatio titulorum, ut
quis pluribus modis insistere possit, itaut ex
petitione modo ut supra concepta non resul-
18 tet confessio mali Juris, sed tantùm con-
fessio conditionalis, quatenùs nempè prior
titulus non subsistat, & sit necessarius alter,

ut probant *Bellamer. conf. 11. num. 54. Rosa de executi. Litter. Apostolic. par. 1. cap. 17. n. 189.*

Posita ex prædictis validitate Electionis, nequit illam infringere Galeottus sub prætextu, quod obtinuerit sibi de beneficio tanquam de devoluto a Sancta Sede provideri,
19 tùm quia devolutum dici non potest Beneficium, quando constat aliud adesse legitimè, & in tempore præsentatum, *Rota coram Emerix Iun. decis. 1254. nu. 1.* cum aliis cumulatis in *Cracovien. Parochialis 9. Februarii 1705. §. Exposuit enim, & in Mediolanen. Beneficii 9. Decembris 1707. §. Sicuti coram R.P.D. meo Caffarello.* Tum
20 quia litteræ habent datam diei 16. Julii, de quo tempore non probatur lapsum fuisse Patronis terminum ad præsentandum, quia
21 licet Beneficium vacaverit die 14. Martii ejusdem anni, tamen non probatur, quando Patroni habuerint notitiam vacationis, cum
22 Impetrans Jure devoluto de ea docere teneatur non quidem præsumpta, & verisimili, sed certa, & indubitata, *Antonell. de tempor. legal. lib. 3. cap. 15. num. 8., & Rota in dicta Mediolanen. §. Et quatenùs, & in Capuana Iurispatronatus 11. Maii præteriti §. final., coram Me.*

Et ita resolutum fuit utraque &c.

ROMANA QUINDENNIORUM.

Mercurii 21. Novembris 1708.

ARGUMENTUM.

Reassume a decis. 519. quæ confirmatur.

SUMMARIUM.

1 *Emphitheuticus contractus dicitur ex requisitione consensus, recognitione in dominum directum, & promissione solvendi canones & quidennia.*
2 *Simplex enunciativa locationis in Instrumento talem non probat, quando principaliter de enunciato quæritur; nisi ostendantur alia instrumenta, ad quæ habita fuit relatio.*
3 *Locationis simplex vocabulum in concessionibus antiquis non excludit alium titulum emphiteusis, cum promiscue usurpentur.*
4 *Et ideo prò videnda natura contractus ad pacta, & examinandum quid, & quantum fuerit conventum recurrendum est.*
5 *Contractuum propria natura ex pactis, & conventionibus deducitur.*
6 *Emphiteuticus contractus censendus est, quamvis locatio denominetur, cum responsio fructibus est inferior, & tota certo anni die est stabilita; juncto n.8. Præsertim adstipulante observantia num.9.*
7 *Solutio annuæ responsionis ad distinguendum locationem ab emphiteusi debet in duas vices distribui.*
10 *Canonis titulus sub quo responsiones conventæ, & solutæ fuerunt propriè aptatur emphitheusi, non locationi.* ..
11 *Actus, qui pro interpretatione, & observantia afferuntur, non refert si careant beneplacito Apostolico pro eorumdem validitate necessario.*

DECISIO DLXXXVII.

Revocatis iterum ad trutinam fundamentis decisionis alias in præsenti causa editæ cor. me sub die 16. decembris 1707. illisque undequaque firmissimis recognitis DD. ab iisdem recedendum non esse putarunt,

Subsistere namque visa fuit favore Archiconfraternitatis Sanctissimæ Annunciatæ qualitas emphiteutica controversæ domus per PP S. Honorii possessæ, utpote resultans ex geminis publicis, ac solemnibus instrumentis annorum scilicet 1577. & 1673. in quo postremo signanter PP. prædicti Capitulariter congregati fassi fuerunt contractum esse emphiteuticum, dum recognoverunt Archiconfraternitatem in dominam directam, prout antea de anno 1577. jam expleverat P. Procurator Generalis recognoscendo in dominum Formicitium Archiconfraternitatis authorem cum promissione eildem quindennia tam præterita, quam futura solvendi. Ex quibus omnibus evidenter decla-
1 rata remanet qualitas emphiteutica dictæ domus controversæ, dum re quisitio consensus, recognitio in dominum directum, & promissio solvendi canones, & quindennia, omnino conveniunt contractui empitheutico, adeout non sit amplius dubitandum super qualitate contractus *Cravett. conf. 126. num.6. Menoch. conf. 2. num. 373. Altograd. conf. 19. n. 2. lib. 1. Rot. cor. Emerix. Jun. dec.88 n.40.*

Posita ergo qualitate emphiteutica frustra revertitur ad instrumentum anni 1549., quod noviter repertum dicitur, in quo enunciatur, quod concessio situs controversi facta fuerit in locationem perpetuam, non autem in emphiteusim; quoniam præmissa generali responsionem, quam simplex enunciativa locatio-
2 nis non probat, quando principaliter de enunciato dubitari contigit, nisi ostendantur alia instrumenta ad quæ fuit habita relatio, quod deficit in præsenti *Rot. decis. 1135. num.20. & decis. 1175 num 12. coram bonæ memoriæ Emerix* Urget ulterius altera responsio, quod simplex vocabulum locationis præsertim in concessionibus antiquis non præfelert
3 verùm titulum contractus, itaut excludat alium titulum emphiteusis cum promiscuè accipiantur *ad text. in §. adeo Instit. de locat. & conduct. Fulgin. de jur. emphit. in præl. par. 5. num 1. Rot. coram Seraphin. dec. 288. num. 2. & in Romana domus seu domorum 13. Januarii præteriti §. 9. cor. R.mo Decano.*

Quamobrem ad effectum dignoscendi veram naturam contractus recurrendum ve-
4 nit ad pacta, & ad examinandum quid, & quantum fuerit in concessione conventum cum ex pactis & conventionibus contractus
5 propriam naturam assumat. *Surd. conf. 243. num. 3. Fulgin de jure emphit in prælud. q 4. num. 21. Pacion. de locat. & conduct. cap. 3. num.*

nu.n.9 & seq.: unde cum in instrumento non
solum conventa fuerit annua responsio unius
6 julii pro qualibet canna terreni, quæ nullo
modo correspondet fructibus, qui ex dicto
sito percipi possent, cum ille positus sit in Ur-
be in via Lungariæ in quo loco terrenum non
est tam modici valoris, ut nequeat excedere
fructus ad rationem unius julii pro qualibet
canna: Verum etiam solutio hujus annuę re-
sponsionis destinata fuit unica vice in Pascate
Resurrectionis, quando ad distinguendam lo-
cationem ab emphiteusi debebat distribui in
binas vices, quę omnia cum interveniant con-
tinuo in omnibus contractibus Emphiteuti-
cis, utique talis judicandus erit pręsens, quam-
8 vis nomen locationis præseferat, ut de prima
Fulgin. de jur. Emphit. in d. prelud. quæst. 15. n. 5. Mart. ù Medices. dec. senen. examinal. 12. n. 35. Surd. dec. 198. num. 27., & de secund. Gratian. discept. 351. num., 10. Rocca disput jur. cap. 67. num 4. Rota coram Burat. decis 334. num 7. & cor. Celi. dec. 328. num 4.

Et licet prædicta omnia satis essent ad pa-
tefaciendam qualitatem emphiteuticam di-
ctæ domus controversę, illa tamen ad exube-
9 rantiam declarata remansit ex observantia
subsecuta; & desumpta ex duabus recensitis
instrumentis annorum 1577. & 1673. in qui-
bus PP. ultra quod expleverunt omnia, quæ
in contractibus emphiteuticis practicantur,
ut ex illorum lectura resultat, ulterius tam
Formicino dictæ Archiconfraternitatis au-
thori, quam dictæ Archiconfraternitati sem-
per annuas responsiones convenerunt, & res-
10 pectivè persolverunt, sub expressione, &
titulo canonis, qui proprie adaptatur Emphi-
teusi, non autem locationi *Menoch. cons. 372. num. 4. Marescot. var. lib. 2. cap. 79. nu. 23. Fulgin. de jure emphit. d. quæst. 15. in prælud n. 16. Pacion. de locat. cap 3. n. 28.*

Defectus vero beneplaciti Apostolici in
dictis postremis instrumentis quidquam rele-
11 vare non potest, ut alias responsum fuit in *d. mea decisione §. finali*, cum hic non agatur de
viribus illorum, sed pro actu declarativo
dumtaxat, & pro inducenda interpretativa
observantia accipiuntur.

Et ita utraque &c.

SPOLETANA FIDEICOMMISSI.

Lunæ 3. Decembris 1708.

ARGUMENTUM.

Juri accrescendi, ut cohęredi locus fiat per prę-
premorientiam alterius ante delatam succes-
sionem mortis tempus est concludenter pro-
bandum, quæ non convinciter ex teste unico,
vel cum a contrariorum testium dictis con-
quassantur.

SUMMARIUM.

1 *Causa deserta dicitur, cum post reportatam restitutionem in integrum intra biennium nihil actum fuit, & tunc in judicatum transit.*
2 *Restitutio in integrum non datur, cum constat de validitate, & justitia sententiarum.*
3 *Validitas deducitur ex revolutione actorum*
4 *Successioni pro medietate locus fit substitutis post alicujus obitum, conditione ista verificata.*
5 *Consubstituto de tempore delatæ successionis præmortuo locus fit juri accrescendi respectu alterius.*
6 *Sed præmorient. a ista concludenter probari debet.*
Fundamentum intentionis est ab allegante concludenter probandum.
7 *Testis mortis alicujus tempus non probat, cum deponit illum non agnovisse.*
8 *Testis unicus non attenditur.*
9 *Testes ab aliis contrarium deponentibus conquassantur.*

DECISIO DLXXXVIII.

Scripsit Dominicus Votalana in ultimis tabu-
lis hæredes Antonium Franciscum, & Vin-
centium Nepotes, quibus sine filiis deceden-
tibus substituit Regulum, & Tiberium fra-
tres, eorumque hæredes pro ęquali portio-
ne: Cum autem ob pręmorientiam instituto-
rum factus fuisset locus substitutioni, hinc
quia etiam præmortuus fuerat Regulus, Fra-
tres de Bonannis illius hæredes egérunt pro
immissione ad integram hæreditatem Domi-
nici fideicommittentis per Annam Mariam,
& Apolloniam de Aquilantibus uti hæredes
Mariæ, quæ ab intestato successit Tiberio
coæqualiter substituto possessam, & immis-
sionem ad medietatem dumtaxat, tàm in
partibus, quàm coram A. C. per geminas
sententias reportarunt; illisque commissis
deinde cor. Emo Caprara tunc in nostro Au-
ditorio sedente cum Rescripto *sine præjudicio trium conformium* -- Non acquiescen-
tes tamen fratres de Bonannis curarunt mihi
committi causam in gradu restitutionis in
integrum, sed non amplius eorum Jura de-
ducere curarunt; Hinc est, quod illis in-
formare detrectantibus ad instantiam Soro-
rum de Aquilantibus proposui dubium -- *An constaret de re judicata, seu potius de causa deserta, & affirmativum quoad primum, negativum vero quoad secundum habui responsum.*

Res enim judicata clare resultare visa fuit,
ex quo fratres de Bonannis, nec intra bien-
nium, nec illo elapso quidquam peragerunt
ad effectum evitandi causæ desertionem *Ridolph. in prax. p. prima cap. 13. n. 52. Rot. dec. 491. n. primo p. 19. rec.* Et cum ex de-
2 ductis hucusque in causa constet de validita-
te, & justitia sententiarum, exinde cessat præ-
tensa restitutio in integrum *Rot. cor. Cavaler. dec. 190. n. 2., & cor. Burat. dec. 323. n. 2., & cor. Cerro dec. 547. n. 2.*

Validitas autem controverti nequit, cum
3 ex revolutione actorum deducatur juxta ce-
lebrem *dec. Caputaquen. la 260.* Justitia ve-
rum

rò ex lectura testamenti optimè depromitur, cum ille post conditionem obitus Nepotum institutorum sine filiis pro æquali substituti legantur Regulus, & Tiberius, eorumque heredes. Unde purificata conditione obitus institutorum sine filiis, factus fuit locus successioni tam favore Reguli, quam Tiberii coæqualiter substituti, eorumque heredum pro medietate scilicet unicuique tangenti, ut plenè firmatum fuit in altera decisione præsentis causæ *edita cor. Emo Caprara sub die 26. Novembris 1703. §. Instituit enim in fine.*

Nec quidquam relevare visum fuit aliàs repetitum obiectum, quod nempe de anno 1672. tempore delatæ successionis Tiberius
5 adhuc in humanis non existeret, ideoque integra hereditas per jus accrescendi in personam Reguli, ejusque heredum consolidata
6 remanserit. Etenim hujusmodi supposita premorientia nullo modo per fratres de Bonannis concludenter probata fuit, prout omnino debuisset, cum hoc sit fundamentum intentionis ipsorum, ut præter relatos in *dec. Eminentissimi Capraræ §. quoniam, tradit Rot. cor. Puteo dec. 427., & cor. Cerro dec. 14. n. 10., & cor. Emerix dec. 52. n. 2.,* & testes, qui ad probationem alias adduce-
7 bantur nihil probant, tum quia alter depo-
8 nit non agnovisse Tiberium, alter remanet
9 unicus; tum quia eorum dicta conquassantur ab aliis, qui supervenientiam Tiberii concludunt, ut prosequitur *d. ultima dec. Eminentissimi Capraræ*, & cum qua DD. ad illam remissivè se habentes transierunt, dum nihil in contrarium deductum fuit.

Et ita altera tantum &c.

TUDEN. PARROCHIALIS DE REVERTEME.

Veneris 7. Decembris 1708.

ARGUMENTUM.

Fundationis jurispatronatus legalitas probatur cum alias legitimè fuit compulsata, & desuper lata sententia juspatronatum canonizans, quæ procederet etiamsi ea non sit originaliter exhibita, cum est factus extractus a Cancellario, in cujus officio existit, & etiam si esset sumptus de sumptu cum multifariam adminiculatur. Descendentia vocati ex quibus probetur, & ex quibus testium depositionibus non.

SUMMARIUM.

1 *Patronus unicus ultimus superstes, cum de fundatione non constat, potest jure patronatus alias qualitates adicere, & de hereditario in gentilitium convertere.*
2 *Fundationis instrumentum legale dicitur, cum alias fuit ritè compulsatum a Protocollo originario Notarii, & in vim ejus producti sententiam protulit Ordinarius super jurepatronatus existentia.*
3 *Et cum a transactionibus, & actibus judicialibus, & implicita oppugnantis confessione fuit approbatum.*
4 *Et in his casibus etiam sine adminiculis plenam probationem constituit.*
5 *Extractui facto a Cancellario actorum in ejus officio productorum, plena fides habetur.*
6 *Præsertim, si adsint multa adminicula comprobantia.*
7 *Sumptui de sumpto multifariam adminiculato, plena fides adhibetur.*
8 *Testes contra eum, ad cujus instantiam sunt examinati, plenè probant.*
9 *Existentia de genere vocatorum constat, cum ab eo prognatus probatur, qui talis per sententiam fuit declaratus.*
10 *Institutio danda est existenti de genere vocato.*
11 *Descendentiam non probant Testes de auditu auditus, nec adminiculati carentes requisitis in* cap. Licet 47. de Testibus.
12 *Descendens a genere vocatorum non censetur, qui fundationis instrumentum impugnavit, in quo tali generi juspatronatus passivum legitur reservatum.*

DECISIO DLXXXIX.

In Parochialibus SS. Cipriani, & Jacobi simul unitis, quarum Rector, & respectivè unicus Patronus tunc temporis effectus fuerat Alvarus Gil de Arauxo anno 1552. Beneficium fundavit sub invocatione S. Mariæ de remedio cum reservatione jurispatronatus favore Ferdinandi Gil, & Alvari Junioris Gil ejus consanguineorum cuilibet pro eorum medietate, & ipsorum Primogenitis de primogenito in primogenitum sub ea tamen lege, quod præsentare tenerentur Clericum de suo genere, itaut si aliquis ex istis se opposuisset, alter præsentare non posset ibi-- *gli do, e fo donatione delli patronati, e dritti di presentare, con questo, che sempre nelle vacanze siano preferiti alcun Chierico o Chierici, che saranno della mia generazione, e che essendovene &c. non possino presentar' altro.*

Defuncto Alvaro seniore fundatore, inter prædictos facta fuit divisio bonorum, ex quibus Turris, & Domus de Barro pervenit ad Alvarum Juniorem, & ideò illius descendentes vocari ceperunt cum denominatione Gil de Barro; ad Ferdinandum vero obvenit Domus de Fundan., cujus ratione ipsius descendentes quoque nuncupari ceperunt Gil de Fundan., qui omnes ad tenorem d. fundationis semper præsentarunt ad d. Beneficium, singuli pro eorum medietate. At quia anno 1682. in d. Parochialibus vacaverat prænotatum Beneficium Maria Gil Troncoso præsentavit Gregorium de Castro filium: Alvarus verò Gil Benedictum fratrem, ortaque propterea controversia cor. Ordinario Tuden. super eorum institutione deventum fuit ad concordiam, in qua stabilitum extitit inter Patronos prædictos, quod dissolveretur unio dictarum Parochia-

chia lium attento, quod unaquæque ex illis haberet redditus sufficientes pro Rectoris substentatione, prout Episcopo annuente unio dissoluta remansit cum præcisa conventione, quod in futurum d. Maria Gil, & Gregorius de Castro Conjuges, eorumque successores de familia de Fundan. præsentarent ad Parochialem S Jacobi de Reverteme. Alvarus autem Gil, & successores in familia del Barro præsentarent ad alteram S. Cypriani, semper tamen servata ab omnibus lege, & ordine expresso in instrumento d. fundationis, & pro d. vice institutio concessa extitit Gregorio de Castro Gil, per cujus obitum sequutum anno 1698. cum vacasset Parochialis Ecclesia de Reverteme Antonius Gil de Castro dictæ Mariæ filius præsentavit alterum Gregorium Gil nepotem, qui cum non esset in legitima ætate constitutus cum eo cumulativè quoque præsentavit Petrum Gil in hac causa collitigantem.

Verum cum se opposuisset Hiacyntus Gil filius Alvari Gil de familia del Barro tanquam vocatus in instrumento fundationis factæ per Alvarum seniorem anno 1552., & petiisset ad d. Parochialem institui introducta fuit lis cor. Ordinario Tuden., qui per sententiam illo excluso declaravit juspatronatus spectare ad possessores familiæ de Fundan., & ideo institutionem esse concedendam Petro Gil cumulativè præsentato per Antonium Gil Mariæ filium, a qua sententia commissa appellationis causa Eminentissimo Capraræ tunc in nostro Sac. Auditorio consedenti, ille sententiam præcedentis confirmatoriam protulit. Cumque in tertia instantia coram R. P. D. meo Ansaldo fuisset ad causam admissus Joannes Gil Barbeyto alter coppositor, qui etiam tanquam vocatus ex sæpedicta lege fundationis anni 1552. de dicta Parochiali a Sanctissimo provideri obtinuerat, proposita causa sub die 25. Junii præteriti prodiit decisio favorabilis Hyacinto Gil filio Alvari Gil del Barro, in cujus sequelam lata fuit sententia aliarum præcedentium revocatoria. A qua commissa mihi appellationis causa, quæsitum hodiè fuit a me -- *An sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda* -- & DD. *confirmandam esse* censuerunt.

Siquidem omnisso articulo, an Alvarus Gil tanquam unicus Patronus effectus dictarum Parochialium potuerit Alvaro Juniori, & Ferdinando Gil imponere onus in jurepatronatus passivo favore illorum de ipsorum genere, & descendentia, utpote plenè examinato atque resoluto in decisione R. P. D. mei Ansaldi §. Ceterum, ubi firmatum extitit, quod quando de effectiva fundatione
1 non constat, ultimo superstiti unico Patrono effecto permissum est adjungere jurepatronatus alias qualitates, illudque de hæreditario in Gentilitium convertere per Text. in Clem. plures de jurepatr. aliosque ibidem allegatos.

In controvertibilia visa fuit legalitas Instrumenti fundationis anni 1552., quæ licet in præteritis causæ disputationibus semper impugnata fuisset, hodie tamen manifestè apparuit.

Tum quia occasione prætensionis excitatæ anno 1648. per Promotorem Fiscalem super libertate dd. Ecclesiarum ad Instantiam
2 patronorum fuit compulsatum d. instrumentú ex protocollo originali Vasqui Fernandez Notarii de eo rogati cum omnibus solemnitatibus illoq. in actis producto cum aliis documentis, Ordinarius Tuden. illius legalitatem agnosceus in vim d. Instrumenti fundationis sententiam protulit declarantem Pa-
3 rochiales prædictas esse de jure patronatus. Tum quia non solum in transactione inita anno 1682. inter Mariam Gil Troncoso, & Alvarum Gil del Barro, qua post dissolutam unionem Parochialium conventum extitit, quod præsentationes fieri deberent cum lege & ordine expresso in præcitata fundatione. Verum etiam canonizzatum apparuit ab altera sententia Ordinarii Tuden. anno 1684. ac tandem ipse met Petrus Gil collitigans implicitè fatendo legalitatem dictæ fundationis onus assumpsit probandi suam descendentiam, quodque ipse esset de genere à fundatore vocato mediante formali examine quatuor testium. Quibus stantibus præcitatum
4 instrumentum etiam sine aliis adminiculis plenam probationem constituit ad firmata per *Rotam cor. Cocc. dec.* 351. *n.* 3. *& in rec. dec.* 30. *n* 6. *part.* 19. & plenissimè in decisione hujus causæ edita *cor. R. P. D. meo Ansaldo* § *Primario*.

Parum suffragante, quod occasio ne præsentis controversiæ non fuerit originaliter exhibitus in actis d. processus compulsorialis anni 1648, sed illius sumptum, quia cum d. processus fuerit conservetur in curia Episcopali Tuden. & transumptum per Hyacintum productum fuerit extractum ab eo mediante persona notarli majoria d. curiæ, exinde sequitur,
5 quod eidem plena fides venit adhibenda, maximè quia præter alia transumpta extracta
6 ab originali protocollo, quę cum Instrumento de quo agitur ad unguem concordant, concurrunt tot, tantęqualiæ probationes, & adminicula pro legalitate d. Instrumenti desumptæ vel ex confessionibus emissis ab ipso Petro Gil, vel ex depositionibus testium ab eodem formiter examinatorum, ut etiamsi
7 adesset merum sumptum de sumpto, adhuc illi omnino foret deferendum ad firmata per Verall. *dec.* 234. *n.* 2. *part. prima Seraphin. dec.* 1192. *n.* 2. *Rot. cor. Priolo dec.* 433. *n.* 3. *& in rec. dec.* 52. *n.* 6. *part.* 12.

Posita legalitate d. fundationis multo minus hæsitarunt DD., quin Hyacintus esset de descendentia vocata a fundatore, docuit enim ipsum esse filium Alvari Patroni & possessoris domus del Barro primogeniti ejusdem fundatoris ex testibus ad ejus instantiam, & ex aliis ab eodem Petro collitigante examinatis, qui plenam probationem contra ipsum
8 constituunt, & in his terminis firmatum fuit *cor. me in Amerina fideicommissi de Geraldinis*

dinis super agnatione 20. *Januarii proximi præteriti* §. *Verum*. Necnon etiam ex eo, quod anno 1647. fuit ab ordinario Tuden. pronunciatum, juspatronatus controversi Beneficil spectare ad Balthassarem & Susannam Gil æqualiter, tanquam descendentes ab Alvaro Fundatore; unde cum a d. Balthassare natus sit pater Hyacinti, ut liquet ex duplici sententia altera lata de anno 1684., altera vero de anno 1693. occasione vacationis Parochialis Ecclesiæ S. Cypriani: Ex his ad eviden-
9 tiam convincitur Hyacintum esse de genere
10 vocatorum, ideoque tanquam tali eidem
omnino Institutionem esse concedendam *Rot. cor. Bich. dec.* 444. *n.* 1. *in rec. dec.* 206. *n.* 2. *part.* 3. *& dec.* 87. *part.* 7. in exclusionem Petri Collitigantis, qui licet ad probandam propriam descendentiam curaverit examinari formiter nonnullos testes; isti tamen
11 carent requisitis de quibus *in cap. licet* 47. *de Testibus* deponunt de auditu auditus, nec ab aliis probationibus, & documentis fuerunt unquam adminiculati. Quinimo contra eum stat verisimilitudo, quod si ipse fuis-
12 set de genere volito a fundatore, utique usque adhuc non impugnasset d. instrumentum fundationis in quo jus patronatus passivum legitur reservatum favore hujusmodi personarum, ut fuit animadversum in Decis. *R. P. D. mei Ansaldi* §. *non omittendo*.

Et ita unica tantum parte informante, Joanne Gil Barbeyto non comparente, Petro vero dilationem & remissoriam respective petente, resolutum fuit &c.

TUDEN. PAROCHIALIS DE REVERTEME SUPER REMISSORIA.

Veneris 3. *Decembris* 1708.

ARGUMENTUM.

Remissoria conceditur cum confert ad causæ victoriam, & fumus concurrit, etiam pro probando id, quod alias assumptum, nec probatum fuit; quando articuli nova contineant, vel saltem magis distincta; cum clausula tamen in Beneficialibus sine retardatione causæ, & facta obligatione de stando unicæ. Maxime si altera pars id obtinuerit Descendentia quoad unum probata quoque dicitur quoad alium fratrem Patruelem.

SUMMARIUM.

1 *Rota in beneficialibus remissoriam concedere solet sine retardatione causæ, & facta obligatione de stando unicæ, & cur?* num. 9. & 10.

2 *Remissoria cum articuli ad causæ victoriam conferunt, & adest fumus veritatis, est concedenda.*

3 *Fumus veritatis resultat ex depositionibus Testium.*

4 *Descendentia probata respectu unius probata dici debet respectu alterius fratris Patruelis.*

5 *Remissoria concedi nequit, & dicitur calumniosa, cum aliàs onus talis probationis assumptum nec perfectum fuit.*

6 *Maximè si in probatione fuerit variatum.*

7 *Limita cum continet vel materiam diversam a prima, vel saltem magis distinctam.*

7 *Remissoria etiam in varietate probationis uni parti concessa, alteri non est deneganda ad servandam æqualitatem in Judiciis.*

DECISIO DXC.

Cum ex dispositione Alvari Gil Fundatoris Beneficii in Ecclesia Parochiali S. Jacobi de Reverteme conferri illud debuisset Clericis, qui futuri essent de ejus generatione, orta fuit controversia inter Petrum & Jacynthum super ejus consecutione, & licet primo loco per geminas sententias fuisset adjudicatum Petro, tamen postea compertum fuit, quod ejus probationes non concludebant parentelá volitam a testatore fuit in tertia sententia *cor. R. P. D. meo Ansaldo* contrà illum judicatum, & Institutio concessa Jacyntho; idque etiam hodie in quarta sententia coram me confirmatum, ut in altera mea decis. hoc ipso die edita; verum quia unico contextu Petrus, qui super meritis informare recusavit exhibuit articulos ad probandam descendentiam prædictam, censuerunt DD. at-
1 tenta illorum relevantia, & fumo remissoriam petitá esse eidem concedendam sine tamen retardatione causæ, & facta obligatione de stando unicæ.

Et sanè relevantia satis apertè desumitur ex eo, quod probatio facienda tota directa est ad concludendum, quod Petrus per gradus distinctos descendit ab Ambrosio, & altero Petro; ille verò ab altero filio alterius Alvari fundatoris Qua descendentia probata, Petro utpote qualificato, facile esset obtinere controversum Beneficium. Ita hoc sufficit, ut remissoria tanquam ad causæ Victo-
2 riam conferens veniat concedenda, ut ex pluribus allegatis respondit *Rota in Beneventana Testamenti super remissoria* 11. *Decembris* 1702. §. *Relevantia cor. R. P. D. meo Emerix*.

Quo vero ad fumum veritatis, iste nedum promanat ex depositione testium, qui in pri-
3 ma instantia super parentela Petri cum Alvaro seniore formiter examinati fuerunt: Verum etiam ex depositione Alvari Gil Patris Jacynthi collitigantis, qui examinatus ad Justitiam Thomæ Gil medio juramento fassus fuit eundem Thomam esse de sua parentela, ipsumq. descendere a Petro filio Alvari filii alterius Alvari senioris, quæ descendentia eo
4 ipso, quod probata fuit respectu Thomæ, probata quoque dici debet respectu Petri ejusdem Thomæ fratris patruelis juxta firmata per *Rot. cor. Coccino dec.* 105. *n.* 1. *cor. Bich. dec.* 189. *n.* 5. *& in rec. dec.* 159. *num.* 8. *part.* 10.

Nec a concessione remissoriæ retraxit DD. objectum, quod idem Petrus alias coram Ordinario in partibus onus probandi hanc suam de-

descendentiam assumpserit, & licet fuerint
examinati testes, tamen nihil probatum re-
manserit. Unde inferebatur, quod hodie non
5 essent admittendi novi articuli, & potius in-
stantia videtur calumniosa ad firmata per *Rot.*
cor. Greg. dec. 414. *n. primo* & 2. & *in rec.*
dec. 752. *n.* 5. *part. prima dec.* 495. *n.* 2 *part.*
2. & *in Carpentoraten. fideicommissi super*
remissoria prima Julii 1699. §. *septimus cor.*
Emo Tremoille. Maxime quia in præsenti va-
6 riavit probationẽ probando descendentiam
modo diverso ab eo, quo illam prius probare
conatus fuit.

Etenim pro responsione animadversum
fuit, quod nunquam denegari solet remissó-
7 ria secundo loco petia, quoties continet ma-
teriam vel diversam a prima, vel saltem ma-
gis distinctam. *Rot cor. Merlin. dec.* 455. *n.* 7.
& *dec.* 356. *n.* 3. & 4. *in rec. dec.* 183. *nu.* 3.
part. 4. & *dec.* 338. *num.* 9. *part.* 19. Et hoc
ipsum practicatum fuit in hac causa inter eos-
dem collitigantes, quia non obstante quod
Jacynthus in partibus examinari curasset te-
stes ad probandam negativã, quod Petrus non
esset de parentela Fundatoris, adhuc illi fuit
sub die 6. Februarii 1705. concessa remissó-
ria, ut eandem probationem faceret coram
Eminentissimo D. meo Caprara tunc in no-
8 stro Auditorio sedente. Quamobrem ad ser-
vandam æqualitatem non dubitarunt DD. il-
lam etiam Petro concedere, ut alias firma-
tum fuit per *Rot. cor. Celso decis.* 353. *n.* 7. &
in rec. dec. 3. *n.* 4. *part.* 8. & *dec.* 378. *num.* 1.
part. 19.

In præsenti autem certum est, quod mate-
ria articulata non solum est magis distincta,
& non contrariatur probationibus alias fa-
ctis. Sed immo illas optimè coadjuvat, &
continet etiam materiam novam non am-
plius articulatam, ut videre est in quinto &
sexto in quibus articulata fuit parentela &
consanguinitas Thomæ fratris Patruelis Pe-
tri cum Alvaro Gil de Barro mutuique tra-
ctatus inter ipsos habiti sub dictæ consangui-
nitatis titulo, itaut proinde locus fuerit con-
cessioni ejusdem remissoriæ ex allegatis.

Cęterum annuerunt DD. instantiæ præd.
eodem prorsus modo, quo responsum fuit fa-
9 vore Hiacynthi in concessione alterius re-
missoriæ apponendo scilicet clausulam non
retardata, ne ex inde inferatur præjudicium
collitiganti mediante retardatione processus
Rot. dec. 138. *n.* 6. *part.* 14. *dec.* 145. *num.* 10.
part. 19. & *in Asculana Dotis*, & *legitimæ*
16. *Januarii* 1699. §. *fin. cor. me*, & facta
10 obligatione de stando unicę, prout practi-
cari solet in causis beneficialibus ad evitan-
dam diuturnam Beneficiorum vacationem,
Rot. dec. 165. & *dec.* 1476. *utrobique num.* 5.
& *cor. Pamphil. dec.* 252. *n.* 14. *cum aliis in*
Giennen. Beneficii 29. *April.* 1699. §. *Quam-*
obrem cor. Rmo D. meo Decano.

Et ita utraque &c.

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE CÆSARINIS SUPER ARTICULIS.

Lunæ 17. Decembris 1708.

ARGUMENTUM:

Articuli quando sint admittendi? Libri pęnes Æconomum non autem illum, qui postea hæreditatem assumpsit continuasse ex multis convincitur. Res judicata non attenditur ad ea, quæ ejus executionem respiciunt. & cum super eo eadem pars dubia in Rota disputari obtinuit. Actio ad exhibendum contra eum, cui libri fuerunt consignati cessat, si sine fraude in utilitatem, & necessitatem pęnes Æconomos reliquit.

Est revocatoria superiorum dec. 529., & 574. Etin hac causa sunt dec. in eis indicatæ.

SUMMARIUM.

1 *Rota pro concedenda remissoria non solet rigorosè procedere ad decernendas probationes, etiam quando relęvantia materiæ articulatæ dubia est.*

2 *Et aliquando sufficit, quod, vel directè, vel indirectè ad causam conferre possint.*

3 *Articuli semper admittuntur, cum constat de relevantia materiæ articulatæ.*

4 *Et dubio procul cum superaccedit fumus materiæ articulatæ.*

5 *Pręsertim cum testes in curia sunt examinandi, & cur?*

6 *Actio ad exhibendum excluditur, dum ex testibus librorum existentia in hęrede exclusa remanet.*

7 *Libri Computistariæ pænes Æconomum stetisse præsumitur, & cur?*

8 *Libri veteres Computistariæ pænes Æconomum stetisse præsumuntur, qui cum eorum spolio alios de novo fecit.*

9 *Testes deponentes per fides juratas de veritate materię articulatæ faciunt magnum fumum, & conferunt, ut formaliter debeant examinari.*

10 *Libri antecedentes pænes Economum stetisse dicuntur, cum in libris Æconomiæ ab ipso confectis continentur partitæ ex illis desumptæ, & expressiones Scripturarum de tempore librorum antecedentium in filsis repositarum.*

11 *Libri penes eum remansisse præsumuntur, quem habuisse, & retinuisse constat.*

12 *Libri antecedentes Computistariæ penes eum fuisse dicuntur, qui exactè partitas faciliter, & cum nulla confusione transcripsit.*

13 *Nec ista exacta tot partitarũ transcriptio cum bonorum administratione, & novorum librorum confectio fieri potest mediante singulari accessu, & extractione a libris extra scribentium aspectum.*

14 *Ratiocinatoribus in materia ad ipsos spectante plena fides est habenda.*

15 *Res judicata super exhibitione nihil habet commune cum nova pretensione respiciente qualitatem, & quantitatem librorum exhibendorum, quæ ejus executionem respicit.*

16 *Rei judicatę exceptio incongrua est quoad ea, pro quibus eam prætendens obtinuit dubia in Rota disputari.*

17 *Inverisimilitudo allegabilis non est ad effetum impediendi admissionem articulorum cum illius relevantia post formiter examinatos testes sit examinanda.*

18 *Obligatio, & actio ad exhibendum cessat, licet libri fuerint consignati, cum sine culpa, & fraude, imo ex necessitate, & utilitate permisit in eadem computisteria retineri, etiam quando ille, cui fuerant dati ibidem non degebat.*

DECISIO DXCI.

Quamvis sub diebus 27. Januarii, & 18. Junii præteriti D. Principissę Clerię denegata fuisset articulorum admissio petita ad effectum probandi, quod ipsa integrè exibuit libros spectantes ad Primogenituram Cęsarinam, quodque alii in ejus manibus non remanserunt, tamen hodiè agnita articulorum relevantia, visoque fumo veritatis articulatę, DD. *a decisis recedendum esse* censuerunt.

Eo sub fundamento; quod si nostrum
1 Tribunal ex ejus inveterato stylo non solet rigorosè procedere in decernendis probationibus, etiam quando dubia esse potest relevantia materię articulatæ, ut pluries protestatur, & signanter *cor. Celso dec.* 33. *n.* 10. *& seq.*, *& cor. San. me. Alexandro VIII.*
2 *dec:* 14. *n*, 2. Quodque pro hujusmodi effectu sępissime contentatur, ut aliquo modo, sivè directè, sivè indirectè ad causæ victoriam conferre possint, *Rota cor. Priolo dec.* 168. *n.* 12., *& dec.* 447. *n*: 9. *coram Cerro dec.* 835. *n.* 5., *& dec.* 934. *n.* 3. *coram Cavaler. dec.* 232. *n*: 2., *& in rec dec* 227. *n.* 9. *p.* 18.

Tantoque facilius annuendum esse putarunt in presenti, quò clarè constitit de rele-
3 vantia materiæ articulatæ, qua stante articuli semper solent admitti, ex firmatis *cor. Celso d: dec.* 32. *n.* 2., *& cor. Ubago dec.* 19. *n primo*. Et ulterius accedit fumus verita-
4 tis eorum, quę in articulis continentur, quo casu semper, & inconcussè Sacram Rotam affirmativè respondere consuevisse dubium non est, *ut cor. Celso dec.* 353. *n.* 3. *coram Ubago dec.* 63. *a n.* 6. *ad nonum cor. Priolo dec.* 447. *n.* 2., *& in rec. dec.* 247. *n.* 9. *cum sequen* Presertim quando, ut hic, testium
5 examen faciendum est in Curia, tum quia probatiò brevi temporis spatio completur, tum quia abest quęcumque calumnię suspicio ex firmatis *cor. Bichio dec.* 269. *n.* 1., *& 2. cor. Priolo dec.* 435. *n.* 1., *& seq. cor. Ubago dec.* 63. *n.* 1., *& in rec. dec* 416. *n.* 7. *p.* 5.

Et sanè articulorum relevantia apertissimè convincitur, tàm ex primo articulo, in quo ponitur, quod post obitum Ducis Philippi Cæsarini secutum de mense Februarii 1685. bo. me. Philippus Columna Princeps Somneni ex medicorum consilio de mense Maii ejusdem anni se contulit cum D. Principissa Cleria ipsius Coniuge ad Civitatem Albani nullis amotis mobilibus, sed illis omnibus relictis in Palatio Primogeniali, quam ex secundo, & tertio, in quibus legitur, quod d. Principe Philippo cum D. Principissa Couluge ad Urbem reversis, iidem se contulerunt ad habitandum non ad Palatium Primogeniale, ut prius, sed ad illud, quod erat eorum proprium. Quodque defuncto d. Principe de anno 1686. reassumpta fuerunt mobilia, quę extabant in Palatio primogeniali, remanente tamen in Computisteria magna quantitate Librorum, qui subindè comperti fuerunt in Computisteria D. Ducissę Livię, quę omnia si a testibus probata forent, sicut exclusum remaneret quodcumque tempus, quo libri Ducis Philippi, de quibus nunc agitur, existere potuissent pęnes Principissam Cleriam, ita in
6 tuto esset victoria causę, dum exclusa librorum existentia, in consequentiam exclusa quoque remaneret actio ad exhibendum per D. Ducissam Liviam intentata, *ad text. in l. fin. C. de rei vindicat. Rota cor. Greg. dec.* 304. *num.* 6. *cor. Sa. me. Alex. VIII. dec.* 68. *n.* 2., *& in rec dec.* 575. *n.* 15. *p* 5.

Non attento, quod in tertio articulo prętendatur à D. Principissa Cleria probari existentia librorum in genere, quę sit prorsus irrelevans, ex quo necesse sit probare in Computisteria remansisse libros confectos tempore Ducis Philippi, quia ex lectura d. tertii articuli difficultas removetur, cum in eo assumatur probandum - *Che li libri della Computisteria del d. Signor Duca Philippo Cesarini in molta quantità restorono nel Palazzo à Cesarini.* - Unde cum ex hisce verbis appareat articulatam non fuisse permanentiam librorum in genere, sed illorum specificè pertinentium ad Computisteriam Ducis Philippi, frustra de irrelevantia excipi valet.

Quo vero ad fumum materię articulatæ, ista resultat ex pluribus, & primo, quod pro administrandis bonis Primogenialibus cum fuisset in Æconomum deputatus Dominicus Arrigonus, eo ipso, quod iste die 26. Aprilis Anni 1775. œconomiam acceptavit, in consequentiam necessariam venit, quod de mense Maii subsequentis, quo D. Principissa Cleria accessit ad Civitatem Albani,
7 libri Ducis Philippi remanserint in Computisteria Palatii primogenialis pęnes d. Æconomum, quia impossibile prorsus fuisset administrationem gerere sine dd libris, qui inservire debebant pro directione, & notitia qualitatis, & quantitatis bonorum primogenialium, ac etiam reddituum, qui fuerant maturati.

Maximè quia mediante monitorio expedito ad instantiam D. Ducissę Liviæ sub pęna excomunicationis contra d. Arrigonum iste deposuit, quod tempore suę admissionis ad œconomiam libri Ducis Philippi existebant in Computisteria Palatii Cęsarini, & in manibus Scriniarii Computistę d. Ducis, &
8 œconomię, pro cujus administratione neces-
sa-

sarium fuit novos libros creare, illosque desumere ex spolio precedentium concludendo -- *E questo avendolo fatto, tengo per indubitato, che il precedente non li mancasse* -- ut latius in d. attestatione, *Summ. Principissæ n. 11.*

Secundò verò resultat ab extraiudiciali fide trium testium, quorum duo sacerdotali charactere sunt insigniti, & medio eorum juramento de facto proprio deponunt totum id, quod in articulis continetur, nempe quod in Computisteria permaneret magna librorum quantitas, quę potest verificari in illis a quinquaginta annis citra compositis. Altero ex eis superaddente eosdem libros vidisse in computisteria d. Ducissę Liviæ. Qui sanè testes totam facti seriem deponentes, sicut prębent non modicum fu-
9 mum veritatis materię articulatę, ita censetur ad effectum obtinendi eorum formale examen, ad notata per *Rotam cor. Ubago d. dec. 63. n° 9, & in rec. dec. 336. a n. 4., & seq. p. 13.*

Ideoque confirmatur geminis circumstantiis, prima, quod libri per Ministros œco-
10 nomię confecti, & à Ducissa Livia producti continent tam partitas desumptas e libris ejusdem Ducis defuncti, quam expressionem scripturarum, quæ remanserant pęnes ipsos in filsis, quęvè tempore Ducis Philippi confectę fuerunt. Cumque hujusmodi partitę desumi non potuerint e libris, &
11 scripturis vivente Duce confectis, nisi pręcedenter Ministri eosdem habuissent, atque retinuissent, ita in necessariam consequentiam venit, quod illi pęnes ipsos remanserint, ut post *Bartol. in l. si quis ex argentariis §. cogentur n. 3. ff. de edendo*, firmavit *Rota dec. 409. n. 4. coram Bich.*

Secunda vero, quod in libro exarato per ratiocinatorem ipsius Ducissę Livię positivè admittitur, quod scripturę etiam privatim confectę in vita Ducis Philippi reperiuntur in ejus propria Computisteria, addita etiam circumstantia, quod in eodem adnotata leguntur omnia nomina debitorum, & summę maturatę usque ad primam diem Maii 1686., qua vigebat œconomia. & respectivè debitorum a Canonistis Vinearum Castri Ardeæ, cum relatione tamen ad librum Ducis Philippi, in quo debitores adnotati reperiebantur, ex qua diligenti, & exacta descriptione pernecesse fateri oportet dd. libros, & scripturas pęnes Ministros D. Ducissę Livię remansisse, nam alias absoluta œconomia de anno 1687. sine illis,
12 utpote pręseferentibus distinctam notitiam rerum primogenialium, nequivisset D. Ducissa Livia tanta facilitate, nullaque intercedente confusione, possessionem apprehendere Palatii primogenialis, aliorumque corporum Primogeniturę subiectorum.

Frustraque pętenditur pręfatas partitas verisimiliter extrahi potuisse ab eisdem libris existentibus pęnes D. Principissam Quoniam impracticabile visum fuit, administrationem bonorum primogenialium, & creationem novorum librorum cum translatione
13 tot, tantarumque partitarum fieri potuisse, mediante singulari accessu, & extractione a libro existente, extra conspectum scriptorum, prout testantur duodecim primarii Ratiocinatores Urbis, quibus in hac
14 materia ad ipsos spectante piena fides est adhibenda, *Bald. in l. 2. n. 25. Cod. de rescindend. vendit. Rota cor. Seraph. dec. 836. n. primo, & in rec. dec. 222. num. 5., & 6. p. 10.*

Quibus ita firmatis, obstare minime visa fuerunt duo principalissima obiecta, in quibus totum fundamentum constituunt decisiones pręcedentes, quę revidentur, alterum, quod facultas probandi non existentiam librorum pęnes D. Principissam locum modo obtinere non possit admitti, post absolutam rem judicatam super exhibitione, quę cum supponat omnes libros cōtroversos existere apud ipsam D. Principissam, illa operetur, ut non possit talis exceptio; alterum quod cum D. Principissa in dimissione eidem facta bonorum primogenialium de mandato San. me Innoc. XI. obligationem assumpserit conservandi, & respective restituendi Primogeniturę, seu cui de jure omnes libros, & codices, quos repetierat in hęreditate Ducis Philippi: inverisimile sit, quod occasione ipsius discessus è Palatio primogeniali fuerit sollicita in recuperandis cęteris mobilibus etiam inferioris notæ, & e converso negligens in secum asportanda tanta librorum copia, complectente longissimum tempus quinquaginta annorum, apud ipsam degentium sub recensita obligatione, quodque si verè iidem libri relicti fuissent apud Ministros œconomię non omisisset ab eis reportare receptam, vel quietantiam.

Quoniam respectu primi satisfecit responsio, quod controversia per d. rem judicatam Rotalem terminata respiciebat dumtaxat articulum puræ, & simplicis exhibitionis librorum ad Primogenituram spectantium, in qua cum nostrum Tribunal pluries respondent D. Principissam teneri ad eorum exhibitionem liti cessit, & libros exhibuit Ideoque res judicata præcedens jam habuit effectum. Verum promota ex parte Ducissæ Liviæ nova prætensione super non integra exhibitione, cum D. Principissa intendat probare ipsam exhibuisse omnes libros pęnes eam existentes, aliosque per Dominam Ducissam Liviam retineri, hujusmodi intentioni nullum afferre potest impedimen-
15 tum præcedens res judicata, quæ tanquam respiciens generalem obligationem exhibendi, nihil comune habet cum hac nova prætensione respiciente solum quantitatem, & qualitatem librorum exhibendorum, quæ potius secumfert executionem ejusdem rei judicatæ, ut in his præcisis terminis respondit *Rota in Eugubina Tutelæ 11. Martii 1699. in principio, & §. Tanto minus coram R.P.D. meo Triolo.*

Quę omnia comprobantur ex facto ipsius
D. Ducissę Livię, quę post terminatum dic-
tum judicium exhibitionis in genere per ge-
minas vices sub diebus 21. Januarii 1707., &
18. Junii præteriti, obtinuit disputari du-
bium super integra, vel non integra exhi-
16 bitione librorum; unde postquam nostrum
Tribunal, & ipsa collitigans verbis, & fac-
tis declararunt necessitatem assumendi hu-
jusmodi examen, & super illa bis judicatum
extitit, incongrua apparuit exceptio d. rei
judicatę.

Respectu vero secundi, omisso, quod d.
asserta inverisimilitudo non reportandi re-
17 ceputas a Ministris ęconomię allegabilis
non est ad effectum denegandi admissionem
articulorum, quia quanti facienda sit reco-
gnoscendum erit post factum formale exa-
men, ne præposteretur judicialis ordo, &
antequam sit facta probatio rigorosè exami-
netur illius relevantia, ex firmatis per *Rot.
cor. Priolo dec. 444. n. 7. cor. San. me. Ale-
xandro VIII. dec. 129. n. 9., & in rec. dec.
720. n. 7. p. 2.* Hoc unum satis est, quod
cum ante obitum Ducis Philippi Computi-
steria retineretur a Scrinario illius Compu-
tistę, & iste continuando etiam tempore ęco-
nomię in eisdem mansionibus retinuerit d.
Computisteriam, & usus fuerit eisdem li-
bris, sine quibus, nec Arrigonus ęcono-
miam, nec ipse Computisteriam, & admi-
nistrationem regulare potuisset, licet ali-
quando dd. libri consignati fuissent eidem D.
18 Principissæ, tamen sine illius culpa, frau-
de, imo ex necessitate, & utilitate Primo-
geniture permisit, quod continuarent apud
illius ratiocinatorem, & persisterent in Pa-
latio primogeniali, etiam quando ipsa D.
Principissa ibi non degebat, consequens est,
quod in illis terminis cessare debeat obliga-
tio, & quęlibet actio ad exhibendum, ut
respondit *Rota apud Posth. de manutentio-
ne dec. 59. per tot.*

Et ita, omnibus DD. suffragantibus, res-
ponsum fuit, utraquè &c.

SENOGALLIEN. CANONICATUS DE LUCHIS.

Veneris 25. Januarii 1709.

ARGUMENTUM.

Conditio à jure abhorrens à fundatore volita, ut est institutio etiam infantis ad canonicatū, ut valida sit requirit simul Episcopi assensum in fundatione, quam cum in eo non approbaverit, & Patroni acquieverint amplius observari pretendere non possunt. Et quomodo ex institutionibus subsecutis ab Episcopo approbatam non fuisse convincatur? Et quomodo facultatem hanc juri contrariam lineæ dilectæ tributam in subsidiariè vocatam Testatorem repetere noluisse convincatur.

In hac causa sunt decis. 325. & 376.

SUMMARIUM.

1 *Præsentato a patrono legitimo habenti omnes necessarias qualitates a fundatore, & jure requisitas institutio denegari nequit.*

2 *Proximiorum vocatio a Patrono facta ad jus patronatum passivum intelligitur de capacibus de tempore vacationis.*

3 *Ætas ad obtinendum Canonicatum in Cathedrali pręscripta a Sacro Concilio Tridentino est 22. annorum.*

4 *Proximior incapax non est legitimus contradictor ad impediendam institutionem remotiori capaci.*

5 *Conditio, seu dispositio a jure aberrans in limine fundationis beneficii, ut apponatur, fundatoris requiritur voluntas, & simul Episcopi approbatio.*

6 *Conditio a jure aberrans ab Episcopo approbata non dicitur, sed rejecta, si ille delegavit Vicario generali approbationem sub ea lege --* dummodo sacris canonibus, & Constitutionibus Summorum Pontificum non adversantur -- *& Vicarius habita ad hoc relatione fundationem approbavit.*

7 *Clausula --* dummodo -- *consensum restringit ad limites juris.*

8 *Observantia declarat Episcopi mentem fuisse non approbandi in fundatione Canonicatus conditionem à jure aberrantem, scilicet admittendi etiam infantem.*

9 *Et si in subsecuta vacatione, cum præsentatus conciliarem ætatem non haberet injunxit obligationem reportandi dispensationem super ætate, quam obtinuit.*

10 *Actus subsecuti facti dicuntur in executionem tituli præambuli.*

11 *Ordinarius cogi potest, ut approbet conditionem in limine fundationis a fundatore canonicatus volitā ad eum admittendi etiam infantes.*

12 *Declara procedere tempore habili, non postquam in fundatione non fuit factum. & patroni ipsam fundationem, & ad ejus formam præsentationes permiserunt: quia tunc attenditur quid factum fuit, non quid fieri potuit.*

13 *Observantia facilius admittitur in linea interpretativa, quam præscriptiva rejectionis conditionis aberrantis a Jure a Testatore volitæ in beneficio ab ipso erecto, cum de clara voluntate testatoris non constat.*

14 *Facultas a testatore tributa favore lineæ ad juspatronatum passivum dilectæ, si in altera in subsidium non expressit vigore discretivæ non repetita censetur.*

15 *Facultas odiosa ecclesiæ in jurepatronatu uni tributa, ubi expresse a fundatore data non fuit, in altero non debet intelligi.*

16 *Potissimùm nisi non ad sint dictiones copulativæ diversas dispositiones conjungentes.*

17 *Et cum agitur de dispositionibus separatis in diversa oratione favore diversarum personarum.*

18 *Et cum diversitas rationis in eo cui datur uti predilecto concurrit, ac in alio subsidiariè vocato non militat.*

19 *Fa-*

19 *Facultatis juri contrariæ repetito cum exclusa remanet ex conjecturis eam fundatorem noluisse dicendum est.*

20 *Fundatorem a juris, & conciliari dispositione non recessisse dicendum, nisi verbis expressis, & necessario concludentibus declaraverit.*

DECISIO DXCII.

AD Canonicatum erectum in Ecclesia cathedrali Senogalliæ ex bonis Cristophori Luchi, cum reservatione jurispatronatus favore familiæ de Sopranis, præsentavit Gregorius Sopranus clericum Dominicum Valerium de Claudiis, sed quia sese opposuerunt Joseph, & Felicianus fratres de Leona, & Joseph de Albertinis, prætendentes uti proximiores ex lege fundationis, se eise præ eligendos, hinc orta fuit triangularis quæstio coram Ordinario super institutione, quæ per illum concessa fuit Josepho de Leona. Verum commissa mihi causa appellationis ad instantiam Dominici Valerii, proposui dubium -- *An, & cui sit danda institutio* -- quod tamen nunquam resolutum fuit, donec videntibus omnibus DD. Dominico concessa fuit institutio; ipse enim docet se præsenta-
1 tum fuisse à legitimo patrono, & est de vocatis à fundatore in defectum illorum de Sopranis, utpote in secundo, & tertio consanguinitatis gradu conjunctus cum Gregorio Soprano patrono, & præsentante, habetque insuper omnes qualitates, aliaque requisita tam de jure, quam ex apostolicis constitutionibus, & sanctionibus Sac. Conc. Trid. necessaria pro assecutione canonicatus in Ecclesia cathedrali: imo eidem nullo modo venit denegandа institutio ad *Text. in Can. decernimus, & Can. Monasterium* 16. *quæst.* 7., *Rot. cor. Bich. dec.* 138. *n.* 1., *& in rec. dec.* 337. *num.* 1. *part.* 2., *& dec.* 152. *num.* 1. *part.* 5.

Neque obstare potest oppositio fratrum de Leona contendentium prælationem, cum supposito, quod alteri ex eis assisteret lex fundationis, tanquam proximioribus. Etenim
2 & si negari non possit, quin testator proximiores vocaverit; tamen hujusmodi vocatio semper intelligenda est de eis, qui sint capaces. Quamobrem cum illi de tempore vacationis, essent prorsus incapaces ad obtinendum canonicatum in cathedrali, & ad explenda onera per testatorem injuncta; ut-
3 pote constituti in longè minori ætate annorum vigintiduo à Sacro Concilio Tridentino in *cap.* 12. *sess.* 24. *de reformat.* præ-
4 scripta; hinc est, quod eisdem suffragari non poterat major proximitas: & sic dici non possunt legitimi contradictores ad impediendam institutionem Dominico Valerio, licet remotiori, competentem, *Barbos. ad Sac. Conc. dicto cap.* 12. *sess.* 24. *de reformat. num.* 46. *& sequen.*, *Garz. de Benef. par.* 7. *cap.* 4. *n.* 20. *& seq.*, *Lotterius de re benef. lib.* 3. *q.* 27. *n.* 21., *Vivian. de Jurepat. lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 3., *Rot. cor. Seraph. dec.* 1138. *num.* 1. *& in rec. dec.* 56. *num.* 30. *& seq. part.* 19.

Non attenta replicatione, quod cum ex tenore fundationis admittatur nominatio etiam infantis, ibi - *Voglio che sia chiamato, nominato, e presentato, l'altro nato susseguentemente sempre di maggior età, ancor che infante* - non veniat repellendus Felicianus, licet in minori ætate constitutus. Etenim ad hoc ut ex firmitate robur obtineant hujusmodi dispositiones à jure oberrantes, &
5 in limine fundationis appositæ, necesse est ut, ultra testatoris voluntatem, concurrat quoque primario consensus, & approbatio Episcopi *Tondut. q. Benef. tit.* 1. *part.* 1. *cap.* 5. *Amostaz. de causis piis lib.* 5. *cap.* 5. *n.* 33. *Card. de Luc. de jurepat. disc.* 68. *n.* 10. *Rot. cor. Burat. dec.* 21., *& coram Rojas dec.* 294. *n.* 20., *& in rec. dec.* 561. *n.* 2. *part.* 2. Unde cum in præsenti utrumque deficiat; indè sequitur, quod præfata dispositio nullius roboris sit.

Et sanè deficit expressus Episcopi consensus, quoniam, ille dumtaxat desumitur,
6 ex quo idem Ordinarius delegavit Vicario Generali approbationem conditionum, sub ea tamen expressa lege -- *Dummodo sacris Canonibus, & Constitutionibus Summorum Pontificum non adversarentur* -- & Vicarius prædictus, habita expressa relatione ad decretum Episcopi, fundationem approbavit. Quapropter cum facultas nominandi infantes repugnet tam sacris Canonibus, quam etiam Tridentinæ Synodi decretis, utique supradicta conditio nunquam approbata dici poterit; sed expressè rejecta censenda
7 venit, vigore clausulæ illius *dummodo*, quæ consensum restringit ad limites juris, ut in præcisis terminis firmatum fuit in una *Burgen. juris instituendi, seu conferendi* 23. *Junii* 1690. §. *Et in omni casu cor. R̃mo Molines Decano*.

Quodque talis fuerit mens, & voluntas
8 Ordinarii manifestè desumitur ex immediata semperque uniformi, & continuata observantia: in prima namque institutione in actu fundationis expleta in personam Eleodori Soprani, Episcopus nominato institutionem concessit, injuncto onere suscipiendi Ordines sacros infra annum. Sicuti de anno 1681. evenit Clerico Almadero Soprano, cui concessa fuit institutio, cum expressa lege, quod ad sacros Ordines se promoveri faceret, denegatis interim voce, & stallo in capitulo; & demum de anno 1699. non fuit diversimodè practicatum cum Gregorio ultimo de familia Soprana, (& moderno patrono, ob cujus transitum ad matrimonium, evenit vacatio controversi Canonicatus) qui ob defectum ætatis, institutionem ab Episcopo aliter reportare non valuit, quam sub conditione obtinendi à S. Sede Apostolica dispensationem super illo, prout de facto illam obtinuit. Quæ quidem injuncta necessitas repor-
9 tandi dispensationem super ætate apertè declarat mentem Ordinarii servatam in approbatio-

batione fundationis non admittendi infantes
ad Canonicatum controversum; cum actus
10 subsequuti facti dicantur in exequutionem
tituli præambuli, *Panimoll. dec.*1. *annot.* 2.
*n.*16., *Rot. cor. Peutinger. dec.*288. *num.*6.
*& cor. Priolo dec.*275. *n* 6.

Nullamque vim facit objectum, quod Or-
11 dinarius cogi potuerit ad approbandam in
limine fundationis conditionem prædictam:
quia hoc obtineri potuisset tempore habili;
12 sed cum non fuerit effective coactus, quin-
imò Patroni permiserint, ipsam fundationem,
& deinde institutiones fieri juxta formam
præscriptam. Ideo non est ampliùs locus
pœnitentiæ, & non est attendendum quid
fieri potuerit, sed quid factum fuit; ut dixit
Rota in Asten. Prioratus 7. *Decembr.*1708.
§. *Nihilque, coram R. P. D. meo Aldro-
vando*.

Quæ omnia simul juncta valde urgere visa
fuerunt in præsenti; Cum non agatur de in-
ducenda observantia præsumptiva, sed in-
13 terpretativa dumtaxat; quæ dubitari ne-
quit, quin locum habeat, ubi dubietas exu-
beranter resultat, tam ex supra recensitis
actibus, quam ex non satis clara voluntate
testatoris admittendi infantes extra familiam
Sopranam ad Canonicatum controversum,
Vivian. de Jurepatr. lib. 6. *cap.*6. *num.* 18.,
*Rot. penes eundem dec.*41. *n.*20. *& cor. Vba-
go dec.*24. *num.* 14. *& seq., & coram Baratt.
dec.*183. *n.*23., *& cor. Priol. decis.*46. *n.*16.
& seq.

Et de facto, quod testatoris voluntas sit du-
bia satis depromitur, ex quo ipse vocando
proximiorem ultimo patrono familię de So-
pranis, nunquam in mente habuit tribuendi
facultatem nominandi etiam infantes, dum
illam concessit dumtaxat favore illorum de
familia Soprana jam defecta; non autem fa-
vore proximiorum eidem Patrono ratione
cognationis. Unde cum talis facultas non fue-
14 rit exprese in hac altera parte repetita,
ideo præsumendum non est, quod illa taci-
te veniat intelligenda; dum testator ubi vo-
luit apponi conditionem prædictam, aperte
illam expressit; & sic ex discretiva disposi-
tione, diversa venit arguenda voluntas. *Card.
de Luc. de Fideicommissis disc.* 53. *n.* 4. *& de
donat. disc.* 8. *n.* 23., *Rot. cor. Dunoz. jun.
dec.*46. *n.*19., *& cor. Celso dec.*145. *n.*15., *&
in rec. dec.*269. *n.*14. *& seq. par.*15. *& dec.*307.
*n.*12. *part.*16

Tantoque magis, quia cum hujusmodi fa-
15 cultas sit valde odiosa Ecclesiæ, cujus fa-
vor unicæ prævalere debet; inde sequitur,
quod ubi exprese data non fuit, non possit
16 intelligi repetita. Tum quia non adsunt di-
ctiones copulativę invicem conjungentes di-
versas dictorum casuum dispositiones. Tum
17 quia agitur de dispositionibus omninò sepa-
ratis, & per distinctam orationem conceptis
favore diversarum personarum. Tum demum
18 quia ultra diversitatem personarum concur-
rit quoque diversitas rationis; Illi namque
de familia Soprana fuerunt à fundatore præ-
dilecti, ut apparet ex testamento: ideoque
illos prius invitavit ad juspatronatus, tam
activum, quam passivum: Unde bene quoad
istos voluit, quod eisdem tributa foret fa-
cultas nominandi etiam infantes, quæ ratio
considerari nequit quo ad alios proximiores
subsidiariè tantum vocatos, post deficien-
tiam scilicet eorum de Sopranis, quos præ-
dilexerat, *Rot. cor. Greg. dec.*224. *n.*9., *&
cor. san. me. Alex. VIII. dec* 265. *n.*16. *& seq.
& cor. Emerix sen. dec.* 70. *n.* 5. *& seq. & in
rec. dec.*199. *n.*19. *part.*15. *& dec.*307. *num.*19.
*part.*16. *& dec.* 642. *n.*17. *part.*19. *& in Me-
levitana Fideicommissi* 3. *Julii* 1690. §. *Pra-
terea coram Rm̃o Turonen., & in Romana,
seu Savonen. Legati* 9. *Junii* 1698. §. *Et ter-
tiò demum cum seq. cor. bo. me. Vrsino*.

Ex quibus omnibus sicuti exclusa remanet
repetitio facultatis nominandi infantes,
quando juspatronatus ad proximiores per-
19 veniat; ita, & multo magis censendum erit,
Fundatorem illam noluisse, utpote adver-
20 santem dispositionibus tam juris communis,
quam Conciliariis, à quibus nullo modo re-
cessisse præsumendũ est, nisi id testator decla-
raverit verbis expressis, & quæ necessario
concludant; prout explevit favore illorum
familiæ de Sopranis prædilectæ, *Rot. cor.
Durano dec.* 228, *n.*5. *& seq. & in Aprutì-
na Beneficii* 19. *Junii* 1705. §. *Absque eo,
quod, & §. finali cor. R. P. D. meo Scotto,
& in Volaterrana Beneficii* 7. *Decem.*1708.
§. *Hinc est cor. R. P. D. meo Crispo*.

Et ita, videntibus omnibus DD., utra-
que &c.

ROMANA IMMISSIONIS

Lunæ 21. *Januarii* 1709.

ARGUMENTUM.

Revocatoria est quoad immissionem denega-
tam Marchioni Nunez, ex quo integrè satis-
factum censuit superior decis. 562.

SUMMARIUM.

1 *Creditum pluries in judicio approbotum ex
solo contrario calculo in dubium revocari
nequit*.

2 *Creditum illiquidum non dicitur, ex quo
immissio pro eo est concessa, cum nunquam
ad actum, mediante fructuum perceptione
est deducta*.

3 *Creditor anterior cæteris posterioribus est
præferendus*.

DECISIO DXCIII.

IMmissionem dandam esse Mariæ Victoriæ
Manucciæ de Palazzeschis, exclusis tam
sororibus de Mannuccis quam Marchione
Francisco Munez, licet anterioribus respon-
sum fuit coràm Me *die* 14. *Maii* 1708., & sub
fundamento, quod sorores prædictæ pro cre-
dito dotali Elisabethæ Matris scut. 3456. fru-
stra peterent, quod initus habebant median-
te

re occupatione bonorum majoris valoris sc. nempe 4430. Cammilli debitoris, quodque Marchio Nunez vel ex calculo desumpto ex propriis libris appareret integrè satisfactus de suo Credito, vel quod illud turbidum, & illiquidum effectum fuisset mediante immissione per ipsum obtenta super quodam appartamento Francisci Manucci: Verùm quia in hodierna causę propositione respectu dicti Marchionis neutrum ex prædictis fundamentis subsistere visum fuit, non dubitarunt DD. respondere pro recessu à decisis quo ad Marchionem eidem tanquam anteriori immissionem concedendo, & quo ad sorores de Manuccis stante controversia exorta super valore vineæ mandare mihi, quod tertium peritum eligerem ad effectum illam æstimandi.

Si quidem loquendo de calculo ex facto constitit, contra eum pugnare veritatem & evidentiam rei: Nam eo ipso, quod Marchio Franciscus Nunez licet creditor in longe majori summa citato D. Principe Instiniano creditore per geminas rotales sententias, alteram latam à Rmo Conchen., alteram verò à R. P. D. meo Decano cum pluribus decisionibus, quæ illas de more præcesserunt, immissionem obtinuit ad appartamentum domus Francisci communis debitoris pro rata tamen scut.3000. ædemque sententiæ fuerunt postmodum à plena signatura canonizatæ cum clausula *sine præjudicio*, creditum Marchionis tanquam non semel, sed iteratè

1 approbatum à nostro Tribunali ex dicto solo calculo in dubium amplius revocari non potest, *ad Text. in l. ingenuum ff. de stat. homin. e. cum interde re judicat*, *Surd. cons.* 61. *num.*2. *& seq.*, *Rota decis.* 306. *num.*46. *par.*7. *decis.* 320. *num.*4. *par.*10., *& dec.*360. *num.*12 *par.*19 *rec.*

Minusque ob esse valuit asserta turbiditas

2 & illiquiditas crediti; quia licet Marchioni in dictis sententiis rotalibus immissio concessa fuisset, tamen ea nunquam ad actum potuit deduci mediante effectiva pensionum perceptione: quia Pendente supradicto Judicio, Maria Victoria rea convencta appartamentum, de quo agebatur pro scut.1572. vendidit Equiti Carolo Fontanæ, & ipsa ad effectum dirimendi quamcumque controversiam promovendam super dicta venditione attentatè celebrata illam extinsit mediante amicabili transactione cum Marchione inita, in qua, receptis per eum scut. 1272., residualis summa scut. 3000. pro complemento prætii supradicti appartamenti remissa, & condonata fuit. Undè cum illius creditum esset in quantitate scut 3000. subtractis ab istis scut.1572., modo quo supra receptis, remanet incomperto, quod ipse Marchio est verus, & liquidus creditor residualium scut 1428., prout in præfata transactione ab ipsa Maria Victoria comprobatum fuit, pro quibus eidem Marchioni tanquam ante-

3 riori petita immissio de jure debetur, & preferendus venit cæteris aliis creditoribus illi posterior ibus, ut respondit *Rot. dec.*408.*num.* 26. *par.*9 *& decis.*118.*num.*28. *par.*10. *rec.* Et ita utraque &c.

ROMANA IMMISSIONIS,

Lunæ 21. *Januarii* 1709.

ARGUMENTUM.

Eo non indiget, quia habetur in superiori decis.562., cujus hæc est confirmatoria in parte, quæ excludit creditum sororum de Manuccis: cum in altera parte fuerit revocata in superiori proxima decisione.

SUMMARIUM.

1 *Creditor, qui bona debitoris, sui crediti valorem excedentia, retinet, alteri creditori etiam posteriori in aliis debitoris bonis immissionem non potest retardare*, & num.3.

2 *Extimatio ea est attendenda, quæ a Perito communiter approbato sit; non illa aliorum.*

4 *Confessio illius, qui decoctus prætenditur tenet, dum decoctio, non probatur ulla judicis sententia.*

5 *Vel cum decoctio non convincitur de tempore confessionis.*

6 *Præsertim cum dicta confessio est adminiculata.*

DECISIO DXCIV.

Certantibus inter se creditoribus quondam Francisci Manucci pro obtinenda immissione ad domum olim spectantem ad fratres de Capellettis debitores dicti quon Francisci ex istius jure, responsum fuit coram me die 14. Maii 1708., immissionem concedendam esse Mariæ Victoriæ Manucciæ de Paluzzeschis filiæ quondam Neapolionis Manucci excluso tam Marchione Nunez, quam Lucretia, aliisque sororibus de Manuccia filiabus quondam Camilli, licet anterioribus, cum supposito, quod omnes fuissent de eorum credito satisfactæ; ille mediante perceptione pensionum alterius domus adquam fuerat immissus: istæ mediante occupatione, & retentione bonorum majoris valoris, scutorum nempè 4430. Cumque illarum creditum dotis maternæ non excederet scuta 3436., non solum non essent creditrices, sed è converso remanerent debitrices scutorum 995.

Verum, quia revocatis hodiè ad examen fundamentis prænarratæ decisionis, constitit creditum anterius Marchionis Nunez nec satisfactum, nec liquidum remansisse, ut supponebatur, ex quo immissio per eum obtenta executioni demandata non extitit, DD. illius respectu pro recessu à decisis respondere non dubitarunt, eidemque tanquam anteriori concedendo immissionem ex fundamentis recensitis in altera contemporanea decisione edita pariter hodie coram me. Respe-

ſpectu vero Lucretiæ , aliorumque Soro-
rum de Manuccis , cum tota quæſtio verſa-
retur in ſtabiliendo valore vineæ poſitæ in
contrada nuncupata *di Monte d'oro* per eas
ultra alia bona retenta in cauſam dicti cre-
diti dotalis , quæ à duobus peritis Agrimen-
ſoribus fuit appretiata in ſcut.2080. quan-
do e converſo eam eſſe valoris ſcutor.1010.
prætendebant dictæ ſorores , itaut hoc caſu
ipſæ remanerent creditrices ſcut.771. Pro-
pterea DD. ad amputandas omnes contro-
verſias , mandarunt , quod à me daretur re-
ſolutio præcedentis confirmatoria , quate-
nus Partes concordaſſent circa valorem vi-
neæ , ſin minus ad alterius periti electionem
devenirem , prout attentata partium di-
ſcordia decretum fuit à me , qui alterius Pe-
riti electionem demandavi . At poſtea reco-
gitando iidem collitigantes , quod hujuſmo-
di circuitus , & multiplices peritorum æſti-
mationes plures expenſas , pluraque grava-
mina involuere ſolent , conſultius putarunt
viciſſim admittere , quod valor dictæ vineæ
ſtatueretur in ſcutis 1534. 80. Quo ſic firma-
to cum ſubſiſtere videretur defectus crediti
earumdem ſororum in executionem prænar-
rati reſcripti , exindè ſequitur *Standum eſſe
in deciſis* .

Siquidem undique admiſſa veritate , &
certitudine crediti Mariæ Victoriæ , quod
provenit ex publico ſolemnique inſtrumen-
to cum juramento , & obligatione Camera-
li vallato , in quo Franciſcus Manuccius red-
dendo fidele computum adminiſtrationis
geſtæ ex cauſa tutelæ , & curæ per eum ſu-
ſceptę ſub die 17.Decembris 1674.ſe debito-
rem conſtituit in ſcut.5000., & ultra : E con-
tra vero,cum creditum dotis maternæ à ſoro-
ribus appoſitum hodie noſcatur totaliter ex-
tinctum , quia poſito valore vineæ in dicta
quantitate concorditer admiſſo , remanet
in comperto , quod habent in manibus bona
valoris ſcut. 3924. longè ſuperantia dictum
earum creditum , quod non excedit ſc.3436.
adeo ut remaneant debitrices in ſcut 488. ,
1 & ſic petitam immiſſionem retardare non
poſſunt ex plene firmatis in diciſione , quæ
revidetur §. *reſpectu vero* .

In nihilo ſuffragante, quod juxta hujuſmo-
di calculum & ſi ſorores ſatisfactæ reperian-
tur de earum credito dotis , non tamen cano-
nizandæ ſint debitrices in dictis ſcutis 488: ,
ex quo ipſarum favore ſit quoque ſubſtrahen-
da partita ſcutorum 278. prò totidem de
proprio impenſis per Eliſabetham in ædifica-
tione ſcalæ unius domus per ipſas retentæ :
Quamobrem ſicut illa prætioſior evaſit, ita
diminutionem pati debeat in prætio, & tan-
to minus dicendum ſit ſorores recepiſſe in
cauſam maternæ dotis: Quoniam ultra quod
talis diminutio fieri non debet , quoties co-
ram Perito deventum fuit ad concordem va-
lutationem dictę domus,& unanimi conſenſu
ſorores illam ſtabiliverunt in ſcut.1399. , ut
convincitur ex declaratione ab ipſis ſorori-
bus deſcripta , & per extenſum regiſtrata in
peritia, in qua etiam fuit habita ratio , cujuſ-
libet diminutionis faciendæ ibi -- *Quanto
anco fatto ogni defalco per gl'acconcimi . ſel-
ciate , & altro , reſti fermato in ſcudi* 1390.
Quidquid poſtea dixit alter peritus , qui ad
2 complacendum eiſdem ſororibus commodi-
tatem reſultantem ex dicta ſcala ęſtimavit in
d. ſc.278. cum, non veniat attendendus , ſed
ſolum pendenda ſit ęſtimatio inter partes de
communi conſenſu ſtabilita , ut reſpondit
Rota in Romana pecuniaria 6. *Jun.*1701. §.
6. *coram bo. mem. Muto* , placuit DD. ani-
madverſio , quod eſto etiam ſubtrahenda
foret dicta partita ſc. 278., adhuc ſorores re-
manerent debitrices ſc.211.,ut etiam reſpon-
3 ſum fuit in deciſione , quæ revidetur §. *quo
verò*;& per conſequens deficiente earum cre-
dito impedire non poſſunt immiſſionem Ma-
rię Victorię licet poſteriori,ex ſupra firmatis.

Atque ex ipſa ratione rejecta fuit exceptio
retentionis pro quodam cenſu ſcutorum 100.
quoniam ubi etiam non fuiſſet bonificatus a
Perito , quod non ſubſiſtit , ut videre eſt in
relatione partita 9. , non ideo dictæ ſorores
remanerent creditrices .

Tandem non fuit admiſſa retentio prò
cambio aſcendente una cum fructibus ad ſc.
1181. , cum illud ſit potius credito Mariæ
Victorię ad ſcribendum, quod origînē ſumit
à die ſuſceptę per Franciſcũ tutelæ : Non at-
tenta reſponſione , quod iſtud deſumatur ex
confeſſione ejuſdem Franciſci decocti , nam
4 hujuſmodi ſuppoſita decotio vel non proba-
tur , quia nulla exhibetur ſententia Judicis
prò illius canonizatione, vel ſaltem non pro-
5 batur de tempore præciſo confeſſionis;Maxi-
mè quia agitur de confeſſione adminiculata ,
6 tum ex præcedenti adminiſtratione , tum ex
quo fuit emiſſa cum aſſiſtentia peritorum,
recognitiſque libris , & partitis introitus , &
exitus .

Et ità &c.

ROMANA ATTENTATORUM.

Lunæ 28. Januarii 1709.

ARGUMENTUM.

Penſionum domus ab injuſto poſſeſſore exactæ & reſtituendæ ex locationibus antecedentibus , & ſequentibus quantæ apparent , tantæ continuatæ præſumuntur , & in ejus odium nunquam domus non locata ſtetiſſe præſumitur , & cur ? Examinatur quando æquitas *L. curabit Cod. de act. empt. locum habeat* .

SUMMARIUM.

1 *Res judicata oritur ex quo intra legitima tempora appellatio interpoſita non fuit a ſententia juſta , & valida .*

2 *Reſtitutio in integrum non datur , deficiente læſione .*

3 *Penſiones domus ſemel in ejus locatione ſtatutæ pro certa ſumma , pro eadem continuatæ præſumuntur , nec domus diſlocatas ſtetiſſe in odium ſpoliantis , qui ad earum*

rum restitutionem tenetur.

4 *Locationes a spoliatore factæ præsumuntur per apocas privatas, ne earum notitia haberetur.*

5 *Locationes factæ præsumuntur pro tempore antecedenti pro eadem summa, pro qua postea factæ apparent.*

6 *Compensatio in vim* L. Curabit *fieri nequit cum fructibus pecuniarum, quas quis non recepit, vel cum illis earum, quas jure retinuit.*

7 *Decisiones in alia causa editæ sunt supponendæ, donec ille, qui eas contrarias passus fuit revideri non satagat.*

8 *Nec sub earum prætextu retardari potest executio alterius rei Judicatæ super fructibus indebite, & attentate perceptis.*

9 *Compensatio in vim* L. Curabit *non datur pro usuris pecuniarum, quæ receptæ non probatur.*

10 *Quæ attentatè recipiuntur sunt restituenda.*

11 *Pro resolutione causæ diversæ non demandari debet propositio alterius.*

DECISIO DXCV.

POst obtentam reintegrationem à Bernardo aliisque de Gherardis ad quasdam domos per quondam Marchionem Petrum Nerlium attentatè deliberatas, institit ille coram R. P. D. meo Ansaldo sub die 16. Maii 1707. contra Marchionem Philippum Nerlium supradicti hæredem pro liquidatione fructuum, & pensionum dd. domorum indebitè perceptarum, & mandatum favorabile reportavit, ob cujus transitum in judicatum, fuit per Signaturam causa commissa cum clausula *de causis restitutionis in integrum*, mihique directa, dubium illi conforme proposui, quod *pro confirmatione rei judicatæ*, videntibus omnibus DD. resolutum fuit.

Illa namque resultare visa fuit, tam ex quo Marchio Nerlius intra tempus à Jure præfi-
1 nitum appellationem non interposuit à sententia R. P. D. mei Ansaldi, quam ex validitate, & justitia ejusdem, ex quibus re-
2 manet exclusa læsio, quæ restitutioni in integrum viam aperit. *Text. in l. quod si minor. 25. ff. de minor. Rota coram Buratto dec.323. num.1. coram bon. mem. Emerix dec.1272. num.1., & in rec. dec.194. num.1. par.19.*

Et licet circa validitatem nulla adsit controversia, impugnabatur tamen justitia quoad tertiam dumtaxat ex domibus deliberatis, quia locationes, quæ pro illa afferuntur sunt de annis 1680., & 1690., & sic inepte ad justificandum non solum veram quantitstem pensionum anni 1672., de quo tempore facta fuit deliberatio, sed nec etiam quod domus semper locata fuerit, prout probandum esset ad effectum liquidandi fructus. Verum ultra quod locationes, quæ modo exhibentur semel factæ dignoscuntur
3 pro certa summa, pro eadem quoque summa illas fuisse præcedenter factas, nec unquam domum dislocatam remansisse præsumendum est isto casu in odium spoliatoris,
4 contra quem præsumitur locationes factas fuisse per apocas privatas, nec illarum notitia posset haberi, ut firmatum fuit in *Romana liquidationis fructuum 4. Julii 1698. §. Residuum cor. me.*

Urget ulterius altera responsio infacto, quod scilicet domus controversa statim post deliberationem vendita fuit per deliberatarium ad vitam bo. me. R. P. D. Lombardi; unde cum locationes, quæ dantur pro certa summa sint illæ, quæ factæ fuerunt post obi-
5 tum Emptoris; inde optima insurgit probatio, quod pro eadem certa summa fuisset etiam præcedenter locata dicta domus, nisi deliberatarius illam vendidisset.

Nec juvat recurrere ad equitatem *L. curabit. C. de act. empt.* pro reportanda compensatione istarum pensionum cum fructibus pecuniarum per Gherardum exactarum Neapoli. Quoniam dispositio legis prædictæ
6 locum habere nequit in præsenti; cum Gherardus non receperit prætium domorum nulliter deliberatorum, sed illud in manibus Marchionis Nerli devenit, & quoad pecunias Neapoli exactas, si illas retinuit, summo jure id fecit, adeout nostrum Tribunal super eis responderit constare de illius bono jure, ut patet ex decisionibus editis coram Reverendissimo Conchen, & signanter *sub die 20. Januarii 1703.*, quæ de stylo veniunt supponendæ, donec Marchio illas revideri satagat, nec sub hoc prætextu
8 impedire valet prosecutionem alterius rei judicatæ super restitutione pensionum domorum per eundem nulliter, & attentatè deliberatarum, *Rota coram Greg. dec.492. num.5. & dec.159. nu.7., & dec.577. nu.2. par.19. rec.*

Tanto magis, quia nullibi apparet, nec per Marchionem docetur, quod Gherardus ex prædictis pecuniis aliquas usuras conse-
9 cutus fuerit, ut indè eas compensare teneatur cum fructibus domorum, quos tamen tenebitur Marchio Nerlius una cum domibus
10 Gherardo vero Domino restituere in pœnam attentatorum in deliberatione commissorum, ut plenè firmatum fuit in *dec. R. P. D. mei Ansaldi sub die 16. Maii 1707.*

Sicut etiam non obstat, quod antequam resolvatur causa super liquidatione fructuum perceptorum ex domibus, de quibus spoliatus fuit Gherardus, demandari debeat propositio alterius causæ super attentatis, quæ commissa prætenduntur per Joannem Franciscum authorem Betnardi actoris in exactione pecuniarum Neapolis. Etenim
11 causa illa est valdè diversa ab hac, de qua agitur super liquidatione fructuum perceptorum ex domibus per Marchionem attentate deliberatis, cum illa verè tangat perceptionem nonnullarum pecuniarum factam per Gherardum, quæ ritè per eundem fieri poterat, ut patefaciunt binæ decisiones super illa editæ coram Reverendissimo Con-

chen. Et tamen dato etiam per hypotesim, quod Marchio obtineret canonizzari suum bonum jus, adhuc ipse evitare non posset attentata commissa in deliberatione, sed solum exinde resultaret, quod Gherardus nullum haberet creditum, quod cum illo Marchionis concurrere posset, & propterea Gherardus pecunias male exactas restituere teneretur, quod nihil commune habet cum deliberatione attentatè per Marchionem commissa, ut benè satisfactum fuit *in dicta dec. R. P. D. mei Ansaldi*, ad quam DD. remissivè in reliquis se habuerunt.

Et ita, videntibus omnibus utraque.

SENOGALLIEN. CENSUS.

Veneris 1. Februarii 1709.

ARGUMENTUM:

Prębetur a superiori decis. 198. quam ista confirmat.

SUMMARIUM.

1 *Heres mandati executionem in bonis propriis non evitat, nisi de bonis inventariatis integrè rationem reddat*, & num. 27.

2 *Privilegium salva medietate dotis competit soli mulieri, & quare?*

3 *Nec extenditur ad hæredes.*

4 *Declara conclusionem locum habere, quando mulier in contrahendo decepta non fuit.*

5 *Sententia, quæ in rem judicatam transit, ob non interpositam appellationem, nequit in dubium revocari, nisi obtenta restitutione in integrum.*

6 *Mulier allegare non potest privilegium salva medietate dotis contra primum, pro quo infra medietatem se obligavit, si dimisit alios posteriores absorbentes dictam medietatem contra quos illud erat allegabile.*

7 *Legitima regulariter non debetur, nisi deducto ære alieno*, & num. 16.

8 *Legitima detrahi non debet ad impediendam creditoribus hereditariis satisfactionem.*

9 *Mater censum imponens præjudicium irrogare nequit filiæ ex primo matrimonio, quæ ipsi erat præservata.*

10 *Legitima ad filiam primi matrimonii statim defertur, ac mater ad secunda vota convolavit ex* Text. in L. Hac edictali C. de secund. nupt. *Declara tamen* num. 15.

11 *Statutum non alterans modum, & formam succedendi matri, quæ ad secundas nuptias transit, sed tantum quantitatem decernens, naturam legitimæ filiis debitam non immutat, sed relinquit sub dispositione juris.*

Et hujusmodi est statutum Mondulphi.

12 *Filii primi matrimonii ex bonis matris, quæ secundò nupsit ejus legitimam hæreditario jure capiunt.*

13 *Et tanquam universales hæredes in portione preservata, onera, & debita per matrem contracta satisfacere tenentur.*

14 *Maximè pro debitis, quæ mater non titulo lucratio, sed ex causa onerosa contraxit.*

15 *Lex* Hac edictali cod. de secund. nupt. *locum habet ad impediendum, nè mater in præjudicium filiorum primi matrimonii in lucro debito secundo viro, vel alia promissione, ejus favore possit prejudicare: secus in debitis contractis cum tertio ex causa onerosa.*

17 *Scripturæ informes, nec legitimè extractæ non attenduntur.*

19 *Identitas, & qualitas fideicommissaria per concludentissimas probationes, & legalia documenta convincuntur.*

20 *Legatum annuum ex fructibus est solvendum.*

21 *Legati annui solutionem repetere nequit, qui ex hæreditariis fructibus aliquid percepit.*

22 *Fructus census sunt solvendi ex hereditatis debitricis fructibus.*

23 *Creditor licet posterior, qui pecunias dedit ad effectum præcisum emendi prædium in illo anterioribus præfertur.*

24 *Ea etiam pro fructibus.*

25 *Hæres ex juribus hæreditatis transigens licet cessionem proprio nomine reportaverit, vel aliquando commodum nactus fuerit hereditati non sibi acquirit*, & num. 26.

27 *Contra hæredem, qui non bene reddidit rationem locus est mandato in bonis propriis pro debitis auctoris.*

DECISIO DXCVI.

NON constare de sufficienti redditione rationis bonorum hæreditariorum qu. Juditta Junctæ debitricis census scut. 300. in sorte, pro cujus fructibus modo agit Confraternitas SS. Rocchi, & Sebastiani, ideoque retardandam non esse executionem mandati jam diù relaxati contra bona propria Eleonoræ Cimarellæ illius hæredis, responsum fuit *coram Me die* 1. *Junii* 1701. Verùm quia repropofita causa die 2. Decembris 1705., plura inutiliter deducta fuerunt ex parte Confraternitatis super inventarii defectibus, pluraque alia ex parte Eleonoræ super nullitate obligationis emissæ per Judittam ejus auctricem: idcirco DD. præscindendo ab his omnibus, mandarunt, quod in futura causæ repropositione strictè scriberetur super detractionibus, & creditis respectivè, quorum titulo Eleonora retentionem sibi debitam esse contendebat, unde ad hujus rescripti tenorem, cum hodie quæsitum fuerit a me — *An sit standum vel recedendum à decisis* Domini *in decisis* standum esse censuerunt.

Si quidem licet collitigantes non modicè hinc inde certaverint in stabiliendo statu hereditario Judittæ debitricis, tamen sivè illè ascendat ad scut. 5989. prout calculavit peritus Curialis judicialiter electus, sive ad sc. 4104., ut per sententiam in prima instantia declaravit AC. Hoc unum adverterunt DD., quod facta valutatione bonorum juxta sensum

sum Eleonoræ, atquè subductis tribus petiis terrarum sitis in territorio montis novi, quę supponuntur fideicommissaria q. Galeotti Arcangeli, & sic tota hæreditas redduceretur ad scut. 1404.; aduhc quia, dempto valore prędiorum in vocabulo *la piana*, *e territoria maggiore*, quæ pretio scut. 2046. 63. partim sub hasta vendita fuerunt pro dimittendis creditoribus Judittæ huic censui posterioribus, partim vero mediante impositione census scut. 900. in sorte favore Borgogelli, nulla redditur ratio residualis summę scut. 2057. 38., in consequentiam venit, Eleonoram juvari non posse beneficio inventarii quan-
1 tumvis fuisset legitimè confectum, minusque evitare posse executionem in bonis propriis, ad notata *per Rotam dec.* 2. *num.* 5. *par.* 6. & *dec.* 324. *num.* 16. *par.* 9. *recent.*

In nihilo relevante, quod d. residualis summa retinenda sit ab ipsa Eleonora, partim in causam medietatis dotis maternę, partim jure legitimæ sibi debitæ in d. hæreditate Judittæ, partim vero pro creditis ad eam spectantibus tam jure proprio, quàm jure fideicommissario d. qu. Galeotti. Quoniam respectu medietatis dotis maternę, quam sibi liberam pręservandam esse supponit, ex quo mater ultra illius medietatem, obligare nequiret: satisfecit responsio, quod hu-
2 jusmodi privilegium, ne mulier ultra dotis medietatem teneatur, est personale, & illius favore dumtaxat inductum a Jure, ut ipsa non remaneat penitus indotata, semperque virum invenire possit, ac proinde cum talis ratio cesset per ejus obitum, eo ipso, quod illa vivens tale privilegium allegare neglexit, transire non potuit ad hære-
3 des, qui modo uti illo non valent, ut præter allegatos *in dec.*, *quæ revidetur* §. *Et sane* firmatum fuit in *Romana pecuniaria* 3. *Decembris* 1696. §. *Privi legium cor. bo. me. Ursino.*

Et quamvis hujusmodi propositio locum
4 sibi vindicet, quando in contrahenda obligatione mulier decepta non fuit; tamen ultra quod in obsequium pręcepti Rotalis assumenda non est inspectio super validitate census, quando pręsertim confraternitas sententiam favorabilem reportavit ab A.C. adversus exceptiones contra illius validitatem deductas, quę propter non interpositam appellationem, cum transitum fecerit in rem judicatam, operatur, ut nequeat amplius va-
5 liditas controversi census io dubium revocari, nisi prius obtenta fuerit restitutio in integrum, juxtà pleoe firmata in *d. Romana Pecuniaria* 3. *Decembris* 1698. §. *In hunc cor. bo. me. Ursina.*

Quæcumque dificultas cessare visa fuit; non solum ex eo, quod census, pro census fructibus modo agitur, consistit in modica summa scut. 300. in sorte, quæ nec per umbram attingere valet medietatem dotis Judittæ scut. 5400. Verum etiam ex eo, quod obligatio per dictam mulierem emissa pro memorato censu est prima, & omnibus aliis creditoribus anterior, itaut etiamsi hodie medietas fortasse d. dotis libera non remaneret, sibi imputare debeat Eleonora, si Creditores posteriores d. censui satisfieri permisit, quando hujusmodi beneficium præservandi medietatem dotis, quod modo opponitur contra confraternitatem, adversus eos allegari debuisset, *Adden. ad Thesaur. dec.* 223. *lit. C. Fontanel. de pact. nupt. clausula* 7. *Glos.* 2. *p.* 2. *cap.* 4. *n.* 63. *Urceol. consult. for.* 24. *n.* 43.

Quo vero ad legitimam, cum ista regulariter non debeatur, nisi deducto ęre alieno exinde in consequentiam venit, quod ea
8 detrahi non possit ad impediendam satisfactionem Confraternitatis Creditricis. *leg. Papinianus* §. *Quarta ff. de inoff. testamen. leg. quoties Cod. de hered. Instit. Amat. resol.* 39. *n.* 167. *Card. de Luc. de legit. disc.* 29. *n.* 2. *Rota dec.* 338. *nu. primap.* 18. *rec.* non attento, quod Juditta mater non potue-
9 rit per impositionem d. census irrogare prę judicium Eleonoræ filiæ ex primo matrimonio in legitimam, quæ ipsi erat pręservata tam ex Statuto Mandulphi, quam ex dispositione *leg. hac edictali C. de secund. nuptiis*
10 illam deferentis ad filiam statimac Mater ad secundas nuptias convolavit. Nam qua-
11 tenus sermo est de statuto, iste sicut non alterat modum, & formam succedendi respectu filiorum, sed dumtaxat decernit quantitatem lucri, quod vir capere debet ex dote Uxoris defunctæ, assignando modum divisionis faciendæ inter virum superstitem, & filios, ita non immutata natura legitimę,
12 eaque remanente sub dispositione juris, per illam filiis eam capere dicuntur ex jure hęreditario matris, ut in similibus statutis advertunt *Honded. conf.* 16. *n.* 15., & *sequ. tom.* 2. *dec. conf.* 386. *n.* 7. *Mans. consult.* 16. *n.* 40 *Thesaur. dec.* 34. *n.* 2. Et tanquam
13 illius universales successores cum portione præservata, onera, & debita per matrem contracta satisfacere tenentur, ad notata per *Castrens. conf.* 441 *n.* 5. *tom. primo Cravet. de antiquit. temp. p.* 4. *n.* 141. *Mertha de succefs. leg. p.* 2. *q.* 3. *artic.* 12. *n.* 26. Maxi-
14 me quando non versamur, ut hic in alienationibus, & debitis a mātre contractis titulo lucrativo, sed ex causa onerosa, ut constanter admittunt *Jason. in l. si ita quis* §. *ea lege n.* 38. *Alex. conf.* 55. *n. primo ibi. primo. Mans. d. consult.* 16. *n.* 38., & 45. *Card. de Luc. de dot. disc.* 103. *n.* 6., & 7., & *de succes. disc.* 35. *n.* 2., & 3., *Bur. dec.* 63. *num.* 2.

Si vero loquimur *de lege hac edictali*, ista extranea prorsus est ab hac hipothesi. Ea
15 enim procedere posset, quotias vel ageretur de lucro debito secundo viro, vel de aliqua alia promissione ad ejus favorem per mulierem emissa. At cum quęstio modo sit de tertio creditore veniente ex titulo oneroso, qui habet obligatam mulierem pro censu per ipsam contracto, inapplicabiles remanent termini d. legis, & per conse-

16 quens prius detrahenda sunt debita, & onera hereditaria, antequam agendum sit de legitima, & portione illa reservata ex censura legis hac edictali, ut probant *Bald. cons. 105. in fine lib. 2. Faber. in cod lib. 5. tit. 5. de secund. nupt. clausula 5. Glos. 8. par. 4. n. 62 de Luc. de donat. disc. 50. n. 14. Merlin. de legitima lib. 2. tit primo qu. 22. n. 26.*

Sublatis ita de medio hujusmodi detractionibus, & descendendo ad credita per Eleonoram pretensa; ista neutiquam subsistere visa fuerunt. Et sane non subsistit creditum scut. 500. monetæ Urbini promanans ex eo, quod Juditta Mater dederit insolutum Monialibus S. Caroli Orciani nonnulla bona, quæ sita reperiuntur in Territorio Montis novi, quando ista tanquam subiecta fideicommisso ordinato per Galeottum Arcangelum, cujus reintegrationem Eleonora, tanquam ad illud vocata prætendit, distrahi nullo modo poterant. Quoniam d. summa scut. 500., vel nullo pacto detrhai debet, cum non justificetur bona predicta
17 fuisse fideicommisso subiecta ex scripturis non authenticis, & divisionibus, nec a publico notario suo caractere, & signo munitis, nec legitime extractis, & sic non merentur attendi, vel in omnem casum, quatenus etiam fideicommissaria detegerentur, cum cesserint in satisfactionem tam legati scut. 200. dd. Monialibus relicti a Pantasilea communi Matre, quam alterius legati scut. 150. ordinati per Galeottum fideicommittentem, tametsi respectu primi, pro quo Juditta tanquam hæres matris tenebatur de proprio peti posset reintegratio, nihilominus pro secundo, utpote per ipsum fideicommittentem demandato, illa non valet pretendi.

Minorem etiam animaduersionem merentur tàm alterum creditum sc. 300. monete Urbini pro totidem, quæ in divisione bonorum fideicommissariorum pervenisse dicuntur ad manus Judittæ cum onere investiendi, quàm alterum sc. 58. similis monetæ per Eleonoram solut. Patribus Conventualibus S. Francisci Terte Montis novi in satisfactionem annui legati missarum ordinatarum per Judittam Seniorem, quia respectu primi, qualitas fideicommissaria desumitur ex memoratis divisionibus, quæ tanquàm
18 informes, & nulla legalitatis nota munitæ non operantur, ut per eas certo asseri possit, quod bona ad Judittam perventa
19 essent fideicommisso subiecta, quia ad eorum identitatis, & qualitatis probationem concludentissima, & legalia documenta requiruntur, ut bene *Cravett. cons. 60. nu. 6. Marescott. var. resol. lib. 1. cap. 12. n. 1., & 7.*, & in omnem casum, detrahenda solum foret eorum tertia pars, quia hæc, & non major habita fuit per Judittam in d. divisione ibi -- *la terza parte di scudi di* 200. *per parte della Sig. Giuditta sono in contanti* -- Secundum verò reduci debet ad sola sc. 27. quia in Instrumento celebrato anno 2679. cum debitum fuisset liquidatum in sc. 39. ab istis detrahi debent sc. 12. pro quatuor annis decursis post obitum Judittæ, quæ cedere debent
20 damno ipsius Eleonoræ hæredis, nàm cum legatum esset annuum, quod solvendum venit ex fructibus; eo ipso quod istos Eleonora percepit, quidquam contra hæreditatem Matris legantis repetere non potest *Spe-*
21 *rell. decis. 177. n. 22., Rota dec. 241. n. 29. par. 9., & dec. 260. n. 3. par. 11. rec., & inter impressas cor. R. P. D. meo Alsaldo dec. 7. nu. 17.*

Et idem dicendum venit de credito sc. 351., quæ supponuntur ab Eleonora soluta Societati SS. Rosarij Montis novi pro fructibus Census debitis à Vincentio Patre Judittæ, nàm cum de tempore illius obitus fructus decursi ascenderent solum ad sc. 106., hæc solùm venirent bonificanda, cum alii fructus successivè decursi satisfieri debuissent per ipsam Eleo-
22 norã hæredẽ cum proventibus Bonorum, quos dicto nomine percepit ex supra allegatis.

Creditum verò census sc. 900. de quo supra facta fuit mentio, quod habebat Borgogellus, licet esset posterius illo de quo hic agitur, tamen quia contractum fuit à Juditta ad effectum præcisum emendi prædium *della Piana*, quod remansit in hac hæreditate, ut jam suprà fuit admissũ, & respective dem-
23 ptum ab asse hæreditario, à quo etiam subducenda sunt alia sc. 100. prò illius fructibus, qui vere, & effectivè eidem Borgogello fuerunt soluta. At quia ulterius prætenduntur fructus, qui in transactione fuerunt per Bor-
24 gogellum eidem Eleonore cessio Domini fuerunt in sensu, quod illi adscribendi non sint commodo Eleonoræ, quia cum eadem ad effectum obtinendi hujusmodi cessionem usa fuerit Juribus hæreditariis jam in litem deductis, & per decisionem canonizatis allegando ex persona Judittæ nullitatem, &
25 excessum obligationis, esto millies, quod cessionem reportaverit ejus proprio, & particulari nomine, semper transactio cedit in commodum hæreditatis, cum non possit hæres ex Juribus hæreditariis transigendo sibi acquirere *Cancer. var. resol. lib. 3. cap. 15. nu. 21. Rot. cor. Cerr. dec. 650. n. 2., & seq. & dec. 86. n. 2. par. 15., & dec. 414. num. 5. part. 19. rec.*, & nuper firmatum fuit in *Sabin. Bonorum* 28. *Junii* 1706. §. *Nec potuit cor. R. P. D. meo Kaunitz.*

Ac tandem omissa partita sc. 100., quæ supponuntur per Judittam debita Eleonoræ filiæ occasione Tutelæ per illam exercitæ, ut potè quià est posterior Censui de quo agitur, & constitit fuisse remissa, & condonata in laudo promulgato per arbitros electos ad decidendas nonnullas controversias ortas inter Matrem, & filiam. Quoad ultimum creditum prætensum in summa sc 500. pro legato, quod Vincentius Judittæ Pater reliquerat Elisabettæ Ancillæ suæ, visum fuit esse bonificandum prò solis sc. 150.: quia licèt Tubiolus d. Elisabettæ cessionarius mandatum reportasset prò tota, & integra summa legata contra Eleonoram tanquam Matris hæ-

hæredem; ista tamen inita transactione cum creditore dumtaxat persoluit sc. 150., ideoque hanc solam quantitatem prætendere potest, non autem ultrá; tùm quia bona Vincentii legantis una cum illis Juditta Matris pervenerunt in Eleonoram, quæ ex fructibus utriusque hæreditatis hujusmodi legatum persoluere tenebatur. Tùm quia si eadem Eleonora fuit pulsata uti hæres matris, & uti talis subindè transegit pro sc. 150. totum comodum quod fuit retractum ex d. concordia cedere debet ad beneficium hæreditatis,
26 non autèm ipsius Eleonoræ *Peregrin. conf. 31. n. 11. lib. 4. Mantic. de tacit. lib. 4. tit. 22. nu. 1. 2., & seqq. Molin. de primog. Hispan. lib. 4. cap. 4. n. 34.*

Atque ex his seclusis detractionibus dotis, & legitimæ, quoad credita, perstringendo calculum partitarum, quæ fuerunt bonificatæ, cum in comperto remaneat, quod ex residuali parte hæreditatis sc. 2057. 38. bonificanda, & respectivè detrahenda fit summa sc. 653., itaut remaneat in manibus Eleonoræ sc. 1400. circiter quatenùs attendenda foret quantitas expressa in sententia; Quatenus vero procedendum esset juxtà relationem Periti remanerent sc. 3289. circiter. Unde quoquo modo res se habeat, semper quantitas, quæ superest longè exuberat prò satisfactione istius census minoris summæ sc. 300. Quare cum de
27 ea non fuerit sufficienter reddita ratio Jure merito censuerunt Domini locum esse executioni contra bona propria Eleonoræ.

Et ita, utraque Parte Informante, resolutum fuit.

SPOLETANA IMMISSIONIS.

Veneris 22. Februarii 1709.

ARGUMENTUM.

Furiosus non potest succedere in fideicommisso agnatitio: secùs in simplici, in quo aditio rite fit á curatore. Ex statuto Spoleti fæmina dotata a patris hæreditate legitimam detrahere prohibetur. Cætera in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Res judicata resultat ex validitate, & justitia sententiarum.*
2 *Restitutioni in integrum viam claudit validitas, & justitia sententiarum.*
3 *Validitas resultat ex revolutione actorum.*
4 *Justitia sententiarum immissionis ex verificatione extremorum necessariorum, & numerantur* n. seq.
6 *Identitas bonorum justificatur ab inventario a primo hærede legitimè confecto.*
7 *Immissio fideicommissario retardari non potest ad bona fideicommissaria ab altero possessa.*
8 *Fideicommissum agnatitium ob alterius dementiam totum consolidatum fuit in cohærede, licet dementi prædefuncto. Limita in fideicommisso simplici, a quo non repelluntur furiosi* n. 11.
9 *Agnatio contemplata non dicitur, nisi fuerit expressum.*
10 *Fideicommissum agnatitium, non dicitur, cum fuit primo instituta fæmina, cui licèt fuerint substituti masculi; tamen in eorum defectum fæminæ vocantur.*
12 *Furiosi curator potest hæreditatem ejus nomine adire, & sic est transmissibilis.*
13 *Ex Spoleti statuto mulier dotata amittit jus detrahendi legitimam in Patris hæreditate.*
14 *Trebellianica tacitè prohibita dicitur, cum testator prohibuit cunctas alienationes, ut hæreditas transiret integra ad substitutos.*
15 *Dotes ex fideicommisso nonnisi in subsidium detrahantur.*
16 *Retentio non datur hæredi pro debitis fideicommissi ex illius pecuniis extinctis.*

DECISIO DXCVII.

Vigore fideicommissi per Vincentium de Firmis ordinati egerunt Joanna de Grandis, & liris consortes, uti hæredes Gabrielis d. fideicommittentis nepotis jam adversus Theodosiam Castrichina integrum fideicommissum possidentem uti hæredem usufructuariam Nicolai alterius dumtaxat fratris Gabrielis prædicti, quam adversus CapitulumCathedralis Spoleti hæredem proprietarii ejusdem; & immissionem ad medietatem bonorum fideicommissariorum d. Gabrielis tangentem tres sententias obtinuerunt. Devolutaque controversia coram me illis dumtaxat informantibus proposui dubium -- *an constaret de re judicata seù potius de causis restitutionis in integrum*, & DD. respondetunt censentes *constare debere judicata*.

Clare namque illam resultare visum fuit
1 tam ex validitate, quam ex justitia sententiarum, quæ restitutioni in inregrum viam
2 claudunt. Prima enim ex revolutione actorum desumitur; & altera ex concursu om-
3 nium extremorum, quę in hoc judicio im-
4 missionis requiruntur, *Rot. cor. Burat. dec. 323. n. 1. & sequen., & in rec. dec. 207. par. 17., & dec. 194. utrobique n. 1. & 2. par. 19.*

Concurrunt enim existentia fideicommissi per Vincentium ordinati, illiusque pu-
5 rificatio favore Gabrielis authoris collitigantium, dum in testamento Vincentii prædicti instituta legitur hęres Virgiuia filia eique substituti proprii filii masculi, unde cum per illius obitum superstites tantummodo remanserint Nicolaus, ea Gabriel, controverti nequit purificatio fideicommissi favore utriusque; & ulterius impugnari non potest identitas bonorum ad quæ petitur immissio: cum illa justificata remaneant ex inven-
6 tario per Virginiam confecto: ideoque cum illorum possessio de præsenti sit penes Theo-
7 dosiam reamconventam; utique immissio ad illa actoribus retardanda non venit. *Rota cor. Arguel. dec. 66. n. 2., & cor. Celso dec. 181. n. 6. & cor. Bich. dec. 559. n. 1., & cor. bo. me. Emerix dec. 1263. n. 1.*

Nec quidquam obstare potest, quod cum aga-

8 agatur de fideicommisso agnatitio ob Ga-
brielis dementiam illud totum consolidatum
fuerit in Nicolaum fratrem prædefunctum,
& auctorem Theodosiæ. Quoniam ex to-
tius testamenti tenore nunquam apparet ha-
bitam fuisse contemplationem agnationis;
9 nedum, quia illa non fuit expressa; sed etiam
quia à principio fuit hæres instituta Virginia,
10 cui licet fuerint substituti masculi, tamen
in illorum defectum iterum vocatæ fuerunt
feminæ. *Rot. dec.* 267. *n.* 23. *par* 11. *&*
dec. 111. *nu.* 13. *par.* 13., *& dec.* 467. *n.* 23.
& 24. *part.* 19. *rec.* illudque remanet simplex,
11 à quo nunquam repelluntur furiosi, ut in
specie *Card. de Luc. de fideicom. disc.* 260.
per tot.

Non attento, quod Gabriel uti furiosus non potest agnoscere hereditatem, & assumere cognomen testatoris ab ipso in suo testamento demandatum: quoniam cum adesset curator poterat utique mediante illius persona omnia prædicta adimplere, & ita hæreditatem ad suos hæredes transferre.

Minusve veniunt attendendæ detractiones,
quæ per Theodosiam opponi possent; legiti-
ma enim, quæ dicitur debita Virginiæ in bonis
Vincentii patris, & fideicommittentis, præ-
tendi non potest, cum præfata Virginia ab eo-
dem fideicommittente dotata fuisset in sc.
13 1000. ideo jus illam petendi ammisit, juxta
dispositionem statuti Spoleti, ut testatur
Card. de Luc. de statut. succes. par. 161. *Rot.*
dec. 9. *n.* 10. *par.* 6, *& dec.* 9. *n.* 10. *par.* 6.
& dec. 87. *n.* 7. *par.* 19. *rec.*

Trebellianica vero censeri debet prohibi-
ta eo ipso, quod in testamento Vincentii pro-
14 hibitę fuerunt cunctę alienationes, ad hoc
ut hęreditas integrè transiret ad substitutos.
Rot. cor. Merlin. dec. 383. *n.* 14. *& cor. sa.*
me. Alex. VIII. dec. 28. *n.* 38. *& in rec.* 199.
n. 13. *par.* 13.

Reliquę tandem detractiones, nempè pro
dote Teclę filię Virginię, & pro dimissione
plurium creditorum fideicommittentis nullo
modo prętendi posse visæ fuerunt: etenim
quoad dotem Teclę, cum ista fuerit congruè
dotata à patre, nihil prætendere potest à fi-
15 deicommisso, quod non tenetur, nisi in subsi-
dium *Card. de Luc. de dote disc.* 145. *n.* 66.,
Rot. cor. Coccin. dec. 862. *c.* 3., *& cor. Cel-*
so. dec. 108. *n.* 9., *& in rec. dec.* 33. *num.* 5.
par. 13. Quo vero ad extinctionem debito-
16 rum fidecommittentis, ista fuerunt soluta
cum pecuniis retractis ex venditione bono-
rum fideicommissariorum; ideoque sicuti pro
eis nullam opponere potest retentionem Vir-
ginia; ita neque Theodosia illius asserta hę-
res opponere potest ad *Text. in l. vindican-*
tem ff. de evict., *Rot. cor. dec.* 514. *n.* 1.

Et ita, altera &c.

ROMANA IMMISSIONIS.

Lunæ 25. *Februarii* 1709.

ARGUMENTUM.

Quid sint officia vacabilia, & in illis venditis habita fide de pretio, an intrent fructus compensativi ad ornatum *l. curabit C. de act. empt.* Fructus census debentur donec supersit pars fundi censiti, & etiam si totus auctoritate Congregationis Baronum sit deliberatus, ratione tamen damnorum, & interesse: & demum quamvis disdicta sit sequuta, vel creditor mandatum pro restitutione sortis obtinuerit usque ad effectivam ejus restitutionem.

Confirmatur infra dec. 611.

SUMMARIUM.

1 *Sub ingressum habet in loco anterioris creditoris, qui cum jurium contemporanea cessione pro eo dimittendo dat pecuniat.*

2 *Æquitas* L. curabit *non intrat in prætio officii vacabilis: contrarium* num. 5.

3 *Subingressus in juribus anteriorit creditoris, qui fructus prætendere non poterat, quoad fructus non suffragatur.*

4 *Officia vacabilia, secluso interesse Principis, sunt sicut cætera bona patrimonialia, & super eorum fructibus & proventibus cadit hypotheca.*

5 *Fructus recompensativi ex æquitate d.* L. curabit *locum habent, cum venditur officium vacabile, habita fide de pretio.*

6 *Equitas* L. curabit cod. de act. empt. *quando locum habeat?*

7 *Officii vacabilis venditio quid sit?*

8 *Decisio facit statum, donec revocetur.*

9 *Fructus census citatorum cessant in bonis deliberatis auctoritate Congregationis Baronum. Declara tamen deberi ratione damnorum, & interesse*; ut n. 11.

10 *Census non remanet usfructiferus, donec supersunt aliqui fundus ex illis, super quibus fuit impositus.*

12 *Satisfactio prompta non dicitur, si minutatim tantum haberi possit.*

13 *Censuarius non cogitur sui census sortem minutatim recipere.*

14 *Fructus census debentur, donec sors effective restituatur, etiam si sit secuta disdicta, vel mandatum creditor reportaverit pro restitutione sortis, & fructuum, & in Congregatione Baronum præsentaverit.*

DECISIO DXCVIII.

Abbas Franciscus Correa Bravo creditor qu. Joannis Francisci Nicolai de Silva, & filiorum pro censu sc. 4087.69. per eosdem in majori summa sc. 6000. imposito de anno 1694. immissionem pro fructibus decursis, & non solutis vigore Salviani interdicti reportavit ad nonnullas domos, & Canones sex Vinearum Tusculi per debitores possessos, ut ex decisione *Romana Salviani sub die* 22.

Junii

Junii 1705. *coram bo: me: Muto*; sed cum ob tenuitatem annuorum fructuum non posset satisfieri, nisi post longissimum tempus, Judicium novæ Immissionis in Salviano intentavit, & obtinuit contra Stephanum de Bolis, & Stephanum de Libert possessores aliorum undecim existentium super vineis Tusculi, quos Æques de Silva insolutum dederat dicto Libert post contractum censum cum dicto Abbate; & in gradu appellationis mihi commissa causa, propositoque juxtà morem dubio *An sit danda Immissio, D D. illam esse dandam responderunt*.

Cum enim non esset controversia circa requisita in hoc Judico necessaria neq; difficultas restricta fuit ad objectum, quod rei conventi possideant ex credito anteriori, contracto, usque ab anno 1693. Verùm ex facto constitit censum Abbatis Correæ licet impositum anno 1694. suam anterioritatem desumere ab anno 1691. eo quia pecuniæ fuerunt erogatæ in extinctionem debiti tunc temporis contracti favore R. P. D. Leoni de Geures, prò quo comes de Silva fructus recompensativos ad rationem sc. 4. prò centenario persolvebat; Quamobrem attenta cessione deindè in actu solutionis juxta præcedentem conventionem reportata dubitari nequit de subingressu in locum dicti R.
1 P. D. de Geures juxta *Gloss. in l. Aristo verbo pignus ff. quæ res pignor. vel hypothec. oblig. non poss. Carneval. de Judic. lib. 1. tit. 3. d spatat. 35. num.* 29 *Card. de Luca de credit. disc.* 1. *nu.* 4. *& disc.* 2. *num.* 2. *Rota in Romana Census* 30. *Aprilis* 1703. §. *& ratio*, *&* 10. *Novembris* 1704. §. *Placuerunt coram Rmo Giennen.*

Non attenta responsione, quod creditum esset infructiferum utpotè consistens in præ-
2 rio officii vacabilis, pro quo non intrat æquitas *l. Curabit Cod. de action. Empt.* Et sic an-
3 terioritas fructus census suffragari nequeat. Quoniam officia vacabilia secluso interesse,
4 & præjudicio Principis sunt in commercio ad instar aliorum Bonorum indifferentium, & super eorum fructibus, & proventibus, cadit hypoteca, & æquiparantur bonis patrimonialibus *Rota dec.* 395. *num.* 9. *& seqq. par.* 12. *& dec.* 338. *num.* 10. *par.* 13. *recent.* & si venduntur habita fide de prætio interim
5 conveniri possunt fructus recompensativi, prout in præsenti conventi fuerant cum R. P. D. Geures, & hoc casu intrat æquitas *l. curabit*, quæ locum habet, quando agi-
6 tur de Credito ex causa prætii rei fructiferæ,
7 qui est casus controversiæ, in quo Officialis retinendo proprietatem Officii apud se usque quo vivit, transfert, & cedit in privatam commoditatem Jus percipiendi fructus ex dicto Officio recepto prætio *Episc. Rocca disput. Civil. cap.* 159. *num.* 15. & bene explicat *Card. de Luc. de offic. venal. disc.* 3. *n.* 45. *& de Regal. disc.* 17. *n.* 12. *Rot. cor. bo. me. Emerix dec.* 1272. *n.* 5.

Tantoquè magis, quia super hac controversia anterioritatis fructuum prædictorum emanavit *dec. Romana Salvani* 22. *Junii* 1707. *quæ sub* §. *fin.* firmat, illos esse debitos, quæque facit statum donec revocetur, *Rota co-*
8 *ram Burat. dec.* 857. *num.* 4. *& coram Bich. dec.* 253. *n.* 3.

Minusque subsistit, quod omnes fundi super quibus impositum fuit controversus census fuerint auctoritate Congregationis Baro-
9 num deliberati citatis omnibus ereditoribus comitis de Silva debitoris, inter quos, & ipse Procurator Abbatis Correæ & sic remanserit extinctus, & incapax pariendi fructus; tum quia non benè doceetur omnes fundos censitos fuisse distractos, ex quo census impositus fuit, tam super casale Sancti Matthæi, quam super septem rubris terreni in contrada formicini, & deliberatio legitur facta de casale S. Matthæi dumtaxat. Undè donec extent septem rubra
10 terreni alter ex fundis censitis excipi nequit census remansisse sine fundo, & evasisse infructiferum *Rota post Cenc. de Cens. dec.* 80. *n.* 8. Tùm etiam quia deficiente etiam fundo censito per auctoritatem Congregationis
11 Baronum, licet fructus exigi nequirent, uti fructus census, semper tamen illi erunt debiti in perniciem debitoris loco damnorum, & interesse *Rota cor. Gregor. dec.* 445. *per tot. cor. Priolo dec.* 238. *num.* 11. *& sequen.* & benè ad propositum *in Licien. Salviani* 8. *Martii* 1706. §. *Fallente coram R. P. D. meo Ansaldo in obiecto allegata.*

Sicut neque obstat, quod Abbas Correa potuisset sibi integraliter de suo credito satisfieri, si procurasset mandatum exequi super illis bonis, in quibus alias obtinuit Immissionem in Salviano pro hoc eodem credito, *ut in dicta Romana Salviani coram bo. me. Muto*. Quoniam eum illa bona reperirentur jam per debitorem distracta, & penes tertios possessores, contra quos agi non poterat via executiva, sed solum in Salviano ad effectum sibi minutatim satisfaciendi de suo credito, utique dici nequit, quod Abbas
12 habuerit promptam satisfactionem, cum
13 ipse non teneatur sortem sui census minutatim recipere, *Rota in d. Romana Census* 16. *Januarii* 1699. §. *non relevante, cor. R. P. D. meo Priolo impressa penès Palm. decis. Lucen. dec.* 250.

Tandem non relevat, quod præcesserit disdicta controversi census, & ulterius Abbas Correa mandatum reportaverit pro restitutione Sortis, & fructuum, illudque in Congregatione Baronum produxerit; etenim tritæ sunt regulæ, quod adhuc his non
14 obstantibus semper exigi possunt fructus census, donec sors principalis effectivè restituta non fuerit, *Rot. in Romana Cambii* 14. *Junii* 1706 §. *Et ratio est coram R. P. D. meo Scotto cum alliis ibi allegatis.*

Et ita, utraque &c.

ROMANA PECUNIARIA.

Veneris 1. Martii 1709.

ARGUMENTUM.

Contractus ineffectuatio ob non adimplementum pactorum non nascitur, quando ea non sunt illius resolutiva, vel lis super eodem pendet presertim cum alter contrahens ea adimpleta declaravit, & quid requiratur tunc ut contractus dissolvatur? Nec ille novatus redditur ex subsequenti contractu inter alios gesto, vel non incompatibili cum primo. Statutum urbis cap 149. locum non habet in contractibus innominatis, in quibus multa hinc inde dantur, & promittuntur; sed tantum in donationibus. Et quomodo æqualiter inter onera, & exigentiam majoris summæ, sed litigiosæ, inducta dicatur. Et cujus favore nullitas a dicto statuto sit inducta? Qualitatem Baronale non habens nullo modo Congregationi Baroniū subjicitur: etiamsi adesset chirographum Pontificium novis, & insolitis facultatibus refertum, sub falso supposito qualitatis Baronalis emanatum. Baroni cum super ejus bonis Congregatio manus apposuit est interdicta administratio in præjudicium creditorum: non vero quod nequeat disponere, & testari de eo, quod superest.

SUMMARIUM.

1 *Cessio facta in verbo Principis habet executionem paratam.*
Item facta sub obligatione camerali.

2 *Auctoris factum impugnari nequit, sed est servandum.*

3 *Donationis ineffectuatio propter non adimplementum ex parte donatarii, excluditur; si donans in testamento onera adimpleta declaret.*

4 *Declaratio donantis, quod quoties donatarius non adimpleverit appositas conditiones intendit in suis juribus remanere, nec sibi præjudicium attulisse, pactum resolutivum donationis non importat, sed tantum modo facultatem redeundi ad jura cessa.*

5 *Præsertim cum donans eamdem legem in testamento confirmavit: & tunc resolutio donationis nec ab eo, nec ab hærede potest allegari.*

6 *Pactum in donatione indefinite præscriptum eam resolutam non reddit, nisi post formalem interpellationem, & terminum a judice præfinitum.*

7 *Donationis resolutio non producitur ab inexecutione pactorum: cum super eadem lis penderet, & quare?*

8 *Nec desumitur ex actu inter alios gesto.*

9 *Novatio non fit per actum inter alios gestum, & cum non concurrit secundi cum primo contractu incompatibilitas.*

10 *Contractus innominati, in quibus contrahentes multa hinc inde facere, & dare promittunt, licet in cortice verborum donationes dicatur: non subiciuntur cap. 149. statuti urbis requirentis solemnitates in donatione.*

11 *Contractus onerosus, & correspectivus dicitur ille, in quo aliquam summam, & onera certa satisfacere quis se obligat absque cautione, & e contra summam majorem, sed litibus intricatam, recuperare pro se debet.*

12 *Æquivalentia onerum assumptorum cum summa majori exigenda producitur, si ea sit litigiosa, adeut donatio dici nequeat: nec servandæ sint solemnitates statuti urbis & num. 13.*

14 *Nullitas in vera donatione ob defectum solemnitatum cujus favore sit inducta.*

15 *Baroni super cujus bonis efformatus est universalis concursus ex Bulla baronum interdicit eorundem administrationem.*

16 *Non Baro congregationi Baronum non subest, & quidquid contra eum ad ista fit ex defectu jurisditionis nullum est.*

17 *Actor adeundo judicem ordinarium non congregationem baronum comprobat reo, uti non baroni, bonorum administrationem ob concursum non fuisse interdictam.*

18 *Papa assignando alicui alimenta, & interdicendo administrationem, quia baronem supposuit, dicta credulitate erronea detecta, non præsumitur eidem suorum bonorum administrationem eripuisse, & congregationi Baronum subjecisse, & quare?*

19 *Amplia etiam si in chirographo processerit cum novis & insolitis facultatibus, & cur?*

20 *Et etiam si in eo dederit facultatem congregationi Baronorum transigendi cum creditoribus, & agendi ea, quæ tutor, vel alius administrator agere potest, & quid ea operetur?*

21 *Bulla baronum baronibus eorum bonorum administrationem interdians operatur, ne creditoribus præjudicare valeant: non vero quod se lusu eorum præjudicio disponere, & testari nequeant de eo, quod superest.*

22 *Absque eo quod eorum heredes possint impugnare.*

DECISIO DIC.

CUM D. Principissa Mariana della Tremoille cessionem omnium bonorum & jurium, quorumcumque spectantium ad prænobilem familiam, & domum Ursinam per apocam sibi fieri obtinuisset à Duce Flavio, & Lelio fratribus de Ursinis sub certis in ea conventis pactis & conditionibus, & in vim cessionis prædictæ cessionem omnium in ea contentarum allegaret adversus D. Ducem Gravinæ in Avitis fideicommissis vocatum, & Ven: Archiconfraternitatem SS. Stigmatum S. Francisci hæredem testamentariam cla. me. D. Principis Lelii, & nonnullos utriusque fratres creditores, assumptum fuit examen super validitate dictæ Apocæ, & licet in prima instantia declaratum fuerit, illam nullitatis vitio laborare. Attamen delata causa ad nostrum Tribunal, post geminas decisiones editas coram R. P. D. meo

Priolo

Priolo, lata fuit rotalis sententia præcedentia revocatoria, qua declaratum extitit, conventiones initas in eadem apoca exequendas fore, & credita ac jura quæcumque Principis Lelii ad dictam Principissam spectare: sed postmodum commissa mihi in hac ulteriori instantia appellationis causa, quæsitum hodie fuit -- *an sententia rotalis sit confirmanda, vel infirmanda*: & DD. *confirmandam* esse censuerunt.

Constitit enim cessionem in hujusmodi apoca contentam fuisse factam in fide & ver-
1 bo Principis & sub obligatione Camerali. Quamobrem in utroque titulo paratam habet executionem, ut late firmatum fuit in *utraq. dec. edita coram R. P. D. meo Priolo*: & Archiconfraternitas prædicta, quæ solo titulo hereditario dicti Principis comparet, nequit ullo modo sui authoris factum impu-
2 gnare, sed illud omni jure observare tenetur, *ad text. in notiss. leg. cum à matre cod. de rei vendicat.*, *de qua Rota coram Buratt. decis. 229. n. 11.*, *cor. Ninot. dec. 36. n. 14. & in rec. dec. 533. n. 12., & dec. 645. n. 16. par. 19.*

Io nihilo penitus refragantibus tribus objectis alias deductis, & iterum etiam in hac propositione repetitis, quod nempè per D. Principissam ex pleta non fuerint ea, quæ adimplere promiserat, & ineffectuata remanserit dicta cessio, quodque nullitatis vitio infecta sit propter defectum solemnitatum, quæ per *Stat. Urbis in cap. 140. lib. 1.* conscripta sunt in donationibus, & tandem, quod Princeps Lelius ad actum dictæ cessionis devenire non posset, utpote carens facultate legitimè disponendi de rebus suis, propter administrationem eidem de mandato supremi Principis interdictam.

Quoniam respectu primi cessat objectum ex facto, quia constat ipsam D. Principissam omnia, quæ ex parte sua ad executionem demandanda erant, quæque directè respiciebant personam ipsius Principis Lelii implevisse. Solvit enim Hipolitæ Ursinæ menstruam præstationem sc. 16. --., & Principi Lelio annuum assignamentum de mense in mensem, quod fuerat conventum, quod &
3 cognovit ipsemet Princeps Lelius in sua postrema voluntate nam relinquendo ea legata quibus d. D. Principissam gravaverat, & disponendo de solis sc. 6000., quæ in dicta apoca sibi conservaverat, ad effectum testandi, in manifestam consequentiam declaravit, apocam non fuisse resolutam, sed sicuti illam adimpleverat D. Principissa, ita & ipse intendebat, ut quidquid conventum fuerat effectum suum consequeretur, ut plenè firmat secunda decisio §. *Alterum vero*.

Replicatio autem, quod defectus adimplementi desumatur ex aliis circumstantiis, videtur ex quo non fuit deventum ad stipulationem instrumenti in cujus actu erant per D. Principissam solvenda sc. mile, quæ de facto soluta non fuerunt, & ulterius illa defecit in solutione sc. 6000. explenda post obitum Principis Lelii in accollatione debitorum in liberatione à molestiis inferendis à creditoribus, & denique in satisfactione Josephi de Comitibus, & Hypolitæ Mariæ Ursini, itaut in vim pacti resolutivi ibi *ogni volta, che non avesse potuto Madama sodisfare le sopradette condizioni, intende il Sig. Principe D. Lelio di restare nelle ragioni e non essersi pregiudicato in modo alcuno* - contractus resolutus remanserit.

De facili submovetur, non solum quia hujusmodi verba non important pactum re-
4 solutivum, sed præseferunt tandumodo animum, seu facultatem redeundi ad jura cessa, in casu non implementi, ut probat *secunda decisio §. Resolutio*, & propterea eo ipso, quod dictus Princeps Lelius voluit contractum esse firmum, suumque habere effectum dum, ut supradictum fuit, in illius executionem exegit annuum assignamentum sibi in apoca promissum: Et quod plus est eamdem legem in apoca conventam voluit in suo ultimo testamento iterum ordinare, de iis tantum disponendo, quæ sibi in apoca reservaverat, consequens est, quod nequeat am-
5 plius resolutionis exceptio ab hærede in præsenti adduci, sicut nec ab ejus authore allegare potuisset. *Gratian. cap. 302. n. 25. Adden ad Buratt. dec. 54. num. 18. in fine Rota coram Duran. dec. 270. num. 9. in rec. dec. 109. num. 4 cum tribus seq. par. 7.*

Verum etiam quia constitit ex facto, quod post exaratam apocam Princeps Lelius, qui tunc temporis lethaliter ægrotabat vix spatio unius mensis supervixit, unde in tam arcta temporis angustia non potuit ad stipulationem instrumenti devenire, cum tamen nec ista pro forma requisita fuisset, sed ad simplicem probationem solutionis, ut præcise legitur in apoca conventum, unde nihil mirum, si solutio pecuniarum, quæ nec fuit conventa per modum conditionis exequtioni demandata non extitit, dum ex d. causa adimpleri nequivit, & respectu accollationis debitorum faciendæ per Principissam adverterunt DD., quod hanc in ipsa apoca adimplevit ibi -- *si accolla il debito di scudi diecimila*. Et cum nullum tempus præfinitum fuisset pro compositione ineunda cum creditoribus contractus, ob illam non factam, haberi nequit pro resoluto, nisi prius constiterit præcessisse formalem interpellationem, ac termini præfinitionem per Judicem decretam, ut præter relatos in *secunda dec. §. resolutio*, probant *Mart. de succes. legal. p. 4. qu. 16. art. 3. n. 27., & 48. Venturin. conf. 50 n 83., & 74. Altograd. conf. 39. n. 27. vol. 2. Censal. ad Pereg. de fideicom. art 12. sub n. 21. Rota cor. Bich. dec. 132. n. 3, & sequ.*

Potissimè quia tam respectu prædictorum, quam etiam respectu non solutionis scutor. 8000. D. Principissa impedita remansit adimplere ex facto ipsius Archiconfraternitatis, quæ nondum elapso mense a die obitus Principis Lelii tanquam heres cæpit molestias inferre super bonis Principis Lelii de man-

mandato Judicis descriptis, & impugnando subitentstionē d. apocę mandatum de immittendo reportavit.qua lite adhuc pendente io
7 nostro Tribunali,sicuti nulla ęquitas patiebatur, quod Principissa cogeretur ad sdimplementum eorum,quę promissis fuerunt in apoca quo usque non fuisset per sententiam, & rem judicatam effects tuta,an Jura,& credita Principis Lelii ad ipsam spectarent, necne; ita stante d. impedimento, contractus resolutio allegari non potest juxta theoricam *Felin. in cap. dervenit. n. 3. de Jur. Jur. Menoch. cons.* 55. *n.* 11, *Capirc. Latr. consult.* 57. *n.* 10. *lib. primo Castald. consult.* 139. *n.* 6 *lib. primo Rota dec.* 146. *n.* 10, *&* 11. *coram Duran., & cor. Greg. dec:* 451. *n.* 2. *cor. Cels. dec.* 321. *n.* 7. *in rec dec.* 26. *n.* 2., *& seq. p.* 17., *& dec.* 123. *n.* 23., *& dec.* 657. *n. fin. p.* 18.

Ea vero, quæ dicebantur circa resolutionem desumptam ab iocompatibilitate istius apocæ, de qua agitur, cum altera sabiodè exarata inter D. principissam, & cla. me. Ducem Flavium ejus virum, sicut sublata fuerunt *in secunda dec. §. nec saltem*, ita in præsenti non meruerunt attendi, cum nova apoca fuerit exarata absque interventu Principis Lelii, immo personæ, quæ interesserunt in primo contractu sunt prorsus diversæ ab iis, cum quibus initus fuit secun-
8 dus, ideoque ex actu inter alios gestos,desumi oon valet precedentis contractus reso-
9 lutio, atque novatio, ad quam inducendam necesse ulterius foret ostendere,quod inter utramque apocam adesset expressa, & omnino incompatibilis repugnantia, de qua usque adhuc nulla exhibita fuit justificatio, ut bene respondit *secunda decisio §. Et super his.*

Sublata de medio ex prædictis exceptione resolutionis apocæ, pari facilitate tolli visum fuit secundum obiectum desumptum ex defectu solemnitatum, quia statutum Urbis
10 *cap.* 129. loquitur de donationibus, qualis non est contractus de quo agitur. In eo enim posposito verborum cortice, & eorum substantia dumtaxat ponderata, contrahentes multa hinc inde dare, & facere promiserunt, & propterea locus oon est censurę d. statuti, cui subiectus non remanet d. innominatus contractus, ut ootant *Altograd. cons.* 7. *n.* 37. *lib. primo Andreol. controv.* 145. *n.* 5. *Actolin resolut.* 24. *n.* 6., *& Fenzon. ad stat. Urbis d. cap.* 149. *n.* 49.

Et sane ultra quod etiam perpenso tenore apocæ, partes hujusmodi contractum denominarunt oon quidem donationem, sed concordiam capitulationes, *& aggiustamento*; ad evideotiam coovincitur, nos versari in contractu ooeroso, & correspectivo: Nam in apoca Princeps Lelius sibi reservavit summam scut. 6000., ac anouum assignamentum scut. 3750. ad effectum de eo disponendi, & ulterius D. Principissa gravats fuit ad accollandum in se æs alienum d. Principis, & solvendum ingentes, & coosiderabiles pecuniarum summas: unde esto etiam, quod Patrimonium d. Principis Lelii in scut. 50. superaret obligationem emissam a D. Princi-
11 pissa; adhuc quia onera per eam suscepta erant certa, quia pecunias exbursare tenebatur creditoribus absque ulla cautione; recuperatio vero e converso ell prorsus incerta propter lites adhuc vigentes, & excitatas ad instantiam Ducis Gravinæ, crescit
12 ad exuberantiam æquivalentia onerum per d. D. Principissam assumptorum, ut optime tradunt *Ciriac. contr.* 589. *n.* 51., *&* 58. *Card. de Luc. de regal. disc.* 20. *n.* 7 *Rota dec* 110. *n.* 4., *&* 8. *p.* 16. *& in Ferrarien. Pecuniaria* 12. *Maii* 1690. *§. conflito cor. bo. me. Ursino*. Et stantibus his circumstantiis, nemo poterit affirmare contractum
13 præponderare in donationis causam, itaut necesse foret servare solemnitates per statutum requisitas iu contractu concernente liberalitatem, & veram donationem, ut observat *prima decisio §. Domini, & secunda §. ex his*. Addito etiam, quod hujusmodi exceptio inducta non est favore Archicon-
13 fraternitatis, illam modo allegantis, sed ipsius D. Principissæ tantum, quæ si non attento defectu solemnitatum vult inerere contractui, utique ea consentiente validitatis robur debet obtinere, *Rota decis.* 397. *n.* 12. *p.* 17. *rec.*

Tandem minorem subsistentiam habere visum fuit tertium obiectum innixum censu-
15 ræ Bullæ Baronum interdicentis bonorum administrationem Baroni, quotiescumque efformatus appsret universalis concursus super ejus patrimonio. Quoniam Princeps Lelius qualitate baronali non potiebatur.
16 Quapropter sicut illius jurisdictioni non subiacebat, ita quidquid ab illa gestum fuit irritum remansit ex defectu jurisdictionis, & interdictio administrationis concernit solumodo bona jurisdictionalia, in quibus Princeps Lelius spem habebat succedendi, non autem alia bona propria ejusdem, quę semper remanserunt in eius libera administratione, ut comprobat factum ipsius Archiconfraternitatis, quæ pro illorum consequtione non comparuit in Congregatione Baronum, sed adivit Judicem Ordinarium.

Et quamvis Sa. me. Alex. VIII. in ejus Chirographo nuncupando d.Principem Lelium Baronem,assignaverit eidem scut.2000. annua alimentorum, ipseque promisit se abstinere ab administratione, tamen DD. duplex satisfecit responsio, altera quod Sum-
18 mus Pontifex supposuit Lelium esse subiectum Congregationi Baronum, & ideo illum talem denominavit, sed cum revera talis qualitate careret, nec unquam fuerit Baro, nullum habebat impedimentum,quominus disponere posset de rebus suis, & d. credulitate erronea detecta corruit dispositio quoad Lelium ex defectu voluntatis Papæ, qui nunquam dici potest voluisse eum submittere Congregationi Baronum, tametsi non esset talis, quaodo positivè coontrarium

sup-

suppofuit, eum denominando Baronem,
ut ad rem observat *Manf. confult.* 279. *n.*8.
verf. nec obeft. Non attento, quod Ponti-
19 fex io d. Chirographo procefferit cum novis,
& infolitis facultatibus, daodo fcilicet facul-
tatem Congregationi Baronum transigen-
do eum Creditoribus Lelii -- *E di far tutto
quello puol fare di più un Tutore, o un'altro
legale amministratore sopra il patrimonio
amministrato*. Quoniam femper eadem re-
currit refponfio, quod fuit proceffum eum
eo fuppofito, quod bona Lelii foreot fu-
biecta administrationi Congregationis,
quodque illa fuper eis poffet manus appone-
re, itaut fi eontrarium Innotuiffet Pontifici,
utique administrationem non interdixiffet,
20 folaque facultas data Congregationi, quod
fe gereret uti tutrix cenfetur adiecta, ut
mitius procederetur eum d. Principe, & ad
hoc, ut fi locus effet tranfactioni eum credi-
toribus, facilius ioiri potuiffet, oe exte-
nuaretur illius Patrimonium.

Altera fuit refponfio, quod ad omne pe-
jus, administratio cenferi debeat interdic-
21 ta favore creditorum, oe bona dilapida-
rentur in eorum prejudicium, quibus & ip-
fa Bulla Baronum voluit providere, non
autem, quod feclufo illorum præjudicio,
Baro non poffet eedere, vel teftari de eo,
quod illis fupereffet dimiffis creditoribus:
Unde eum in præfenti Prioceps Lelius nil
aliud egeret, quam in fui locum ponere
D. Priocipiffam, nihilque feceris in præju-
dicium Creditorum, utique eo feclufo pro-
hibitum non erat Principi ad fecundum
22 contractum devenire, & rebus fuis confu-
lere, nec licere debet ipfius hæredi hujuf-
modi factum impugare.

Et ita remiffivè in cæteris ad decifiones
editas coram R.P.D. meo Prinin, omnibus
DD. fuffragantibus, refolutum fuit utra-
que &c.

ROMANA CENSUS.

Luna 4. Martii 1709.

ARGUMENTUM.
Accipe a Summario.

SUMMARIUM.

1 *Filio fe obligando pro liberando Patre a carceribus dicuntur actum pium, & laudabilem exercere.*

2 *Filii minores cum folemnitatibus fe obligando pro liberando patre a carceribus, valide contrahunt, nec poffunt impugnare, nifi propter ænormiffimam læfionem provenientem ex defecta relevationis in bonis Patris, vel ob omnimodam depauperationem eorum.*

3 *Et dicta enormiffima læfio in alterutro eft a filiis minoribus folemniter pro liberando Patre a carceribus obligatis, concludentiffimè probanda.*

4 *Læfio enormiffima, in qua dd. filii unicè fe poffent fundare ad impugnandam d. obligationem, nihil attenditur non firmato ftatu hæreditario.*

5 *Et eum nullum dant fumum de paupertate Patrimonii.*

6 *Relevationis defectus excluditur, cum de tempore fidejuffionis ille, cui fuit acceffum plura bona poffidebat.*

DECISIO DC.

CUM Fratres de Zamollis fe obligaverint pro cenfu fcut. 2000. impofito ab eorum Patre ufque de anno 1672. favore Annæ Mariæ Rufconæ, ad evitandam imminentem carcerationem Patris, eo quia fidejuffionem preftare neglexerat. Hine AonaMaria prædicta adverfus illos pro folutiooe fructuum ejusdem cenfus judieium intentavit, in quo licet prius coram A. C. fuecubuerit, tamen deinde in noftro Tribunali coram bo. mem. Muto fub die 9. Junii 1702. maodatum pro dd. fructibus reportavit. Verum hoc interim defuncto Collega, in ejufque loeo fuffectus Ego de viribus d. decifionis DD. confului, qui AnnaMaria dumtaxat informante *in decifis* perfiftere non dubitarunt,

Subfiftere namque vifa fuerunt funda-
menta illius, cum in ea firmetur validitas
fubfiftentiæ obligationis emiffæ a filiis pro
liberaodo ejus Patrem ab imminenti carcera-
tione, quo cafu dicuntur actum pium, &
1 laudabilem exercuiffe, ut plenè io eadem
dec. firmatam fuit §. eoque magis. Et licet
obligatio prædicta expleta fuerit de tempo-
re, quo illi effent minores. Attameo eum
in illa adhibitæ fuerint omnes folemnitates
2 neceffariæ, femper firma, & valida rema-
nebit, adeout impugnari oequeat, nifi eon-
currat ænormiffima læfio proveniens vel
ob defectum relevationis in bonis Patris,
vel ob depauperationem filiorum fideju-
bentium, quibus nihil remanet ad hoc ut
vivere poffint. *Odd. de reftit. in integ. parte prima qu.*23. *n.* 47., *&* 65. *Capjic. Galeot. cont.* 34. *n.* 49. *lib.* 2. *Rot. cor. Coccin. dec.* 1523. *n.* 11., *& in rec. dec.* 136. *n.* 11. *p.*18.

Neutrum autem ex his in præfenti hypo-
thefi juftificatum fuit, prout concludeotibus
3 probationibus per filios fieri deberet, cum
deficiat probatio ftatus hæreditarii, ad
quem effectum demaodata fuit electio peri-
ti, & pluries fuerunt præfixi termini, fed
nuoquam per fexennium ejus relatio in ac-
tis exhibita fuit. Unde fequitur, quod ea
deficiente, exceptio prætenfæ læfionis, in
qua tota filiorum defeofio confiftere poffet,
in nihilo veniat attendenda.

Tantoque magis, quia per filios nullus ufque modo datus fuit fumus eirca depauperationem proprii patrimonii, cum eirca deficientiam relevatoris potius urgeat probatio in eontrarium, cum ex depofitionibus nonnullorum teftium habeatur, Patrem de tempore creationis cenfus, pro quo fidejufferunt filii, poffediffe bona valoris fc.

12.

12., ut probatum fuit in *alia dec. præsentis causæ, sub §. in præsenti*, ad quam DD. in reliquis remissivè se habuerunt, cum in ea fuerit plenè satisfatum omnibus obiectis quę in contrarium excitari solent.

Et ita altera &c.

REATINA DONATIONIS SUPER FRUCTIBUS.

Lunæ 11. *Martii* 1709.

ARGUMENTUM.

Fructus quando, vel a die expeditionis monitorii, vel productionis jurium debeantur. Donationis rescissio non impeditur a petitione alimentorum post intentatum judicium facta à donante donatario, & cur: & quę bona donans recuperet, & an jus ad hęredes transmittat? De est hic indicata *dec.7.Febr.* 1707. Et sunt in hac causa infra dec.639., & 645.

SUMMARIUM.

1 *Donatione rescissa, fructus donatario sunt in genere reficiendi.*

2 *Fructus reficiendi sunt a die expediti monitorii, non productionis jurium, cum agitur cum ipso, non tertio, vel hærede qui plenam habet scientiam indubitatam mali juris: & quare?*

3 *Amplia etiamsi actus fuerit nullus coram Judice incompetenti, & extrajudicialis, & quare?*

4 *Petitio alimentorum facta a donante donatario post expeditionem monitorii, ei non præjudicat pro fructibus consequendis a die expediti dicti monitorii: cum petitio facta fuit cum clausulis præservativis quoad intentatam rescissionem.*

5 *Amplia etiamsi dictæ clausulæ præservativæ non adfuerint, & quare?*

5 *Donans pendente judicio super donationis rescissione, aut super bonis donatis ali debet, vel ex bonis donatis, vel ex annuis præstationibus a donatario promissis, quas petens animum a lite recedendi non præbet.*

6 *Donans, donatione rescissa, reportare quoque debet fructus bonorum, qui ex ejus juribus ad donatarium pervenerunt.*

7 *Jus recuperandi bona invalidè donata, cum ejus fructibus transit ad bæredes, cum donans nec tacite, nec expresse donationem confirmavit.*

8 *Peritiam, quæ de errore redarguitur, revideri mandatur.*

DECISIO DCI.

Sicuti in alia propositione hujus causæ habita sub die 7. Februarii 1707. coram me, Valerio Vecchiarello dumtaxat informante, condemnatus fuit Bartholomæus frater ad restitutionem fructuum per ipsum perceptorum ex bonis ejusdem à dicto Valerio donatis in quantitate scutorum 11313., ita & in hodierna audientia Bartholomæo quoque sua jura deducente DD. persliterunt *in decis.*, *juxta modum* tamen inferius exprimendum.

Creditum namque Valerii in genere ratione fructuum pendente lite per Bartho-
lomæum perceptorum undique clarum vi-
1 sum fuit, ex quo ipse in vim rei judicatæ ro-
talis coactus fuit ad restitutionem bono-
rum eidem per Valerium fratrem donato-
rum, ut ad *Text. in l. litigator victus C. de fruct.*, *&c lit. expens.*, *& in l. item veniunt secunda §. præter ff. de petit. hæredit* firmatum fuit in *mea præterita decis.§. satis enim.*

Quod autem liquidatio fructuum sit facienda ab anno 1693., quo expeditum fuit
monitorium, non autem ab anno 1697., quo
illud cum aliis juribus reproductum fuit in
Rota, nulla fuit hesitatio. Quoniam præ-
sens controversia non agitur cum tertio, seu
2 cum hærede, sed cum ipsomet donatario, qui
plenam habebat scientiam tam pactorum in
donatione contentorum, quam contraven-
tionum ab ipso commissarum. Unde ad il-
lum in mala fide constituendum, opus non
erat alia jurium productione, sed satis erat
ipsa declaratio animi donantis super resolu-
sione donationis, quæ resultat ex monitorio
anni 1693. coram A. C. expeditio, ut ad
Text. in cap cum qui de reg. jur. in 6. Coll. de fact., & scien. ignor inspect. 70. per Rot. R.P.D. meus Ansald. de commer., & mercat disc.46. n.4. Sperell. dec.107 n.81. & seq.

Nec obstat, quod cum causa penderet in
nostro Tribunali, & monitorium prædictum
expeditum fuerit coram A.C., nullius effica-
ciæ remaneret, ac incapax inducendi litis
pendentiam, quæ deinde per Rm̃m Deca-
num reassumpta fuit. Quoniam, licet actus
sit de per se nullus, tamen satis esse recogni-
3 tum fuit ad patefaciendum animum Valerii,
& ad constituendum in mala fide Bartholo-
mæum, ad quam incurrendam suffragantur
actus etiam nulli, & facti coram Judice in-
competenti, & extra judiciales: quando,
prout in præsenti in reo convento indubita-
ta scientia concurrit, ut ad *Text. in litem veniunt §. petitur versic. quo ff. de petit hæredit. Rota cor. Merlin. dec.702. num.37. & seqq., & cor. Priol. dec.263, num.8. & seq. & in Rec. dec.56. num.26. & 27. par 6.*

Pariterque non relevat, quod Valerius,
post expeditionem dicti monitorii A. C. institerit prò præstatione annuæ quantitatis sibi
per Bartholomæum intuitu donationis pro-
missę. Etenim, ultra quod semper hujus-
4 modi præstationes petitæ fuerunt à Valerio
cum clausulis præservativis suorum jurium
quoad intentatam rescissionem contractus,
ut patet ex decisionibus hujus causæ, & in
specie *in Rom., seu reatina renunciat. seu donationis* 28. *Junii* 1697. *§. denique coram Rm̃o Decano, confirmata* 27. *Martii* 1699. *§. postremo cor. bo. me. Pio, & in Rom. seu reatina fideic.* 14. *Martii* 1698. *§. minus afficit cor, Em̃o Caprara*. Urget ulterius pon-
deratio, quod cum Valerius lite pendente ali
deberet ex bonis donatis per Bartholomęum
retentis; utique talis instantia prò annuia
5 præstationibus referri non poterit ad ani-
mum Valerii recedendi à judicio rescissionis,
sed potius ad jus alimentorum, quæ ipse ne-
cef-

cessario consequi debebat, aut ex bonis donatis, aut ex annuis præstationibus promissis ut vivere posset. *Rot. cor. Cerro dec.362. un. 3., & in Reatina alimentor. 26. Maii 1697. §. penult, & final. cor. R.P.D. meo Priolo & in dicta Rom. seu reat. renunciat. seu donationis 28. Jun. ejusdem anni §. sic coram Rmo Decano.*

Sicut etiam malè conqueritur Bartholomæus, quod peritus ultra liquidationem fructuum tertiæ partis ad Valerium spectantis factam ab anno 1693. liquidaverit etiam fructus medietatis tertiæ partis Jo. Vinceotii à die obitus ejusdem. Quia cum Jo. Vinceotius decesserit ab intestato, illique pro medietate succedere debuisset eidem Valerius cujus portionem vigore donationis adeptus fuit Bartholomeus, inde sequitur, quod cum fuerit resoluta donatio, & pro ejus effectu concessus fuerit Valerio regressus ad bona,
6 & jura donata, veniat idcirco reintegrandus etiam de fructibus per Bartholomæum prò dicta rata perceptis. *Grotian. discept.748. num.12., & firmant decisiones hujus causæ impressæ penes Card de Luc. de donat. dec.14. num.6., & dec.15. num.4.* Tantoque magis,
7 quia nullibi constat, quod Joannes Vinceotius in vita tacitè, vel expresse declaraverit velle habere donationem pro non resoluta: Unde bene in Valerium tanquam hæredem prò medietate una cum bonis transivit jus recuperandi à Bartholomeo prò sua virili etiam bona, quæ idem Vincentius donavit, prout judicatum fuit, & cum bonis illorum fructus.

Verum, quia peritia circa liquiditionem fructuum, & identitatem bonorum in aliquibus partitis de errore redarguebatur, ideo DD. nihil determinando super quantitate fructuum, demandarunt, quod iterum
8 idem peritus tam super ea, quam super identitate bonorum suam peritiam revideat.

Et ita juxta hunc modum resolutum fuit utraque.

BONONIEN. FIDEICOMMISSI ANIBALIS DE ELEPHANTUTIIS.

Veneris 15. Martii 1709.

ARGUMENTUM
Vide in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Heres ultimi gravati impugnare non potest pertinere ad fideicommissum quantitatem, & identitatem bonorum, quæ in vim d. fideicommissi a Judice ille acquisivit.*

2 *Sententia, quæ transivit in rem judicatam supponenda est, donec obtineatur restitutio in integrum.*

DECISIO DCII.

PER obitum Marci Antonii Mariæ de Elephantutiis, cum purificata fuisset possessio in bonis fideicommissariis q. Anibalis de Elephantutiis, favore q. Ludovici Buccaferri, judicium iste immissionis introduxit con. Com. Aureliam Marsiliam de Dugliolis uxorem, & respectivè hæredem d. ultimi defuncti, & geminas sententias favorabiles reportavit; quarum altera lata fuit ab A. C.; Altera vero rotalis ab R.P.D. meo Ansaldo, quibus con. Buccaferro immissio concessa fuit in genere ad 630. tornaturas situs in loco nuncupatur *la Fantuzza.* Sed commissa mihi appellationis causa cum clausula *conflito de duabus quoad tornaturas 18. & in reliquis sine præjudicio*, quæsitum fuit hodie a me-- *An constet de re judicata, seu potius de causis restitutionis in integrum, & respective de duabus quoad tornaturas 18.* -- & *affirmativè* quoad utrumque dubii partem respondendum esse DD. censuerunt.

Constitit de validitate, & justitia judicati Rotalis, nam omissa validitate, quæ in dubium revocata non fuit, Justitia quoad existentiam fideicommissi Anibalis, ejusque purificationem favore Buccaferri latè firmata in *dec. in hac causa edita sub die 25. Junii 1708 cor. R.P.D. meo Ansaldo* controversa non fuit, utpote quia super illa scribentes pro Comitissa Aurelia amplius non insistunt, & dant manus victas. Quo vero ad quantitatem tornaturarum 18., ad quam hodie totum causæ momentum restrictum fuit DD. nimis patere visa fuit integra earum pertinentia ad fideicommissum Anibalis, ex eo, quod anno 1627. solemniter, & cum authoritate Judicis status hæreditarius illius firmatus fuit in tornaturis 630., quæ sicut in vim sententiæ Rotæ Bononien. adjudicatæ fuerunt Octaviano Josepho tunc temporis ad d. fideicommissum vocato, ita ex hoc facto duo erant validissima fundamenta. Alterum, quod dum
1 ad hæreditatem fideicommittentis facto Judicis declaratum extitit spectare tornaturas 630., postmodum adjudicatas fideicommissario in consequentiam veniat, quod Comitissa Aurelia hæres ultimi gravati impugnare non possit illarum pertinentiam. & identitatem, eo ipso, quod in vim d. fideicommissi, ac sententiæ Rotalis eas acquisivit, ut fuit animadversum *in d. d. dec. R.P.D. mei Ansoldi sub §. final.* Alterum vero,
2 quod cum antedicta sententia Rotæ Bononien. transiverit in rem judicatam non possit illa modo incidenter revocari, sed supponenda sit quousque ope restitutionis in integrum revocari contingat *Rota in Ravennaten. Pecuniaria 12. Februarii 1703. §. nec allegabilis cor. Eminentissimo Caprara, & in Romana, seu florentina census 15. Junii 1708. §. quod si coram R.P.D. meo Ansaldo.*

In nihilo relevante objecto alias excitato, quod nempe ex dd. tornaturis 630. non nisi, quam tornaturæ 420. spectant ad fideicommissum: eo quia in d. sententia Rotæ Bo-

Bononien. folum tot assignatæ leguntur Octaviano Josepho tunc temporis fideicommissario. Quoniam & si verum sit, quod in d. sententia assignatæ fuerunt fideicommissario tornaturæ 420. dumtaxat, æquè tamen certum est, quod in eadem expressè dictum fuit, fideicommissum Annibalis conflari ex tornaturis 630., & in tantum fuit facta assignatio tornaturarum 420., inquantum eędem constituentes duas ex tribus partibus reperiebantur in patrimonio Hipoliti unius ex gravatis, cum de cætero reliquæ tornaturæ 210. constituentes aliam tertiam partem, quot requirebantur ad integrandum numerum tornaturarum 630. reperirentur pęnes Joannem alterum gravatum, ad quem ex eodem fideicommisso obvenerant, ut exprimitur in eadem sententia: quapropter cum universa bona dicti Joannis integrè adiudicata fuerint Octaviano Josepho, clarum inde fit in eodem totam substantiam fideicommissi Anibalis consolidatam fuisse.

Nec ex d. quantitate tornaturarum 630. detrahendę veniunt tornaturæ 18. cum supposito, quod in eadem sententia favore Creditorum plurium fideicommittentium de domo, & familia Elephantutia ex omnibus fideicommissis detrahendas esse declaratum fuerit tornaturas 85., ex quibus, juxta proportionabilem repartitionem ad fideicommissum Anibalis spectabant tornaturæ 18. Etenim constitit ex facto, quod de anno 1644. idem Octavianus Joseph per sententiam arbitramentalem declarari obtinuit prædictos creditores teneri, & obligatos esse ad restituendum nedum tornaturas 85., sed etiam longe majorem quantitatem tornaturarum 134., prout cum effectu restitutæ fuerunt; undè ex causa dictorum creditorum fideicommissi Anibalis nullam penitus diminutionem passus fuit, & immerito controvertitur illud non ascendere ad tornaturas 630., quando ita fuit declaratum in antiquis judicatis.

Et ita resolutum fuit utraque &c.

BONONIEN. TRANSACTIONIS.

Mercurii 20. Martii 1709.

ARGUMENTUM.

Transactio quando afficit ex propria persona venientes, & contemporaneum jus habentes etiam absque beneplacito Apostolico inita. Quæ læsio ad eam rescindendam requiratur, adeout in dubium sustineatur? Dos descendentium desumenda est ex fideicommisso ascendentali deficientibus bonis liberis, quorum existentia non probatur ex testamento, post quem conditum a multo tempore testator decessit, & quare? Cætera dat summarium. Confirmatur dec. 646.

SUMMARIUM.

1 *Transactio donec per tres conformes de medio tollatur est servanda.*
2 *Et interim impedit, ne antiqua jura ab eo consopita quocumque modo experiri possint.*
3 *Transactio inter alios gesta inscios, absentesque afficere non potest.*
4 *Limita si a fratribus facta fuerit sincerè, & bona fide in vim laudi ad finem dirimendi lites cum receptione bonorum: quia tunc afficis alios fratres absentes contemporaneum jus ex propria persona habentes & n. 6.*
5 *Transactio bona fide, & sincerè ad dirimendas lites ab hærede gravato inita afficit quoque successivè vocatos.*
7 *Ratificatio transactionis ab absente positivis factis habita operatur, idem ac si per ipsum ab initio gesta fuisset.*
8 *Protestatio contraria facto non est, nisi pura jurium præservatio, quæ est inefficax ad interverteudam transactionis acceptationem, postquam a facultate illam impugnandi manibus plenis probibetur.*
9 *Transactio inita in vim præcedentis laudi, & bona fide, & sinceritate dicitur actus necessarius, & ideo non requirit beneplacitum Apostolicum.*
10 *Beneplacitum Apostolicum ubi est dubium, an in transactione requiratur, remedio immissionis agi non potest, nisi illa per tres conformes rescindatur.*
11 *Læsio ad effectum rescindendi transactionem debet esse enormissima.*
12 *Dos descendenti solvenda ex bonis fideicommissi deficientibus bonis liberis.*
13 *Existentia bonorum liberorum ad effectum excludendi dotem jam ex bonis fideicommissi constitutam, non probatur, ex quo in testamento ennucietur magna gemmarum quantitas, cum testator diu supervixit, nec relicta in inventario apparet.*
14 *Nec ex quo adessent bona Materna, cum illa viveret de tempore expletæ donationis*
15 *Transactionem impugnare volens prius debet dimittere, quæ ea mediante recepit.*
16 *Dimissio prædii in transactione inita ex causa fideicommissi ejus juribus facta censetur, eidemque subicitur.*
17 *Avocationis eventuitas, quæ de tempore transactionis prævideri potuit, assumpta censetur.*
18 *Transactionis Justitia commensuratur a dubio litis eventu, & aliis, quæ in decisione.*
19 *Transactio non læsiva dicitur, & sustinetur, cum res est satis involuta, & dubia, ac dependet a pluribus inspectionibus.*

DECISIO DCIII.

Denegandam esse immissionem petitam à fratribus de Razzaliis Regularibus ad portionem Palatii retentī per Mariam Hieronymam Manzinam, a qua causam habet Joannes Elephantutius, eisque obstare transactionem initam per alios fratres de Raz-

zaliis fæculares pronunciatum fuit in fenten-
ria lata per R.P.D. meum Anfaldum *præ-
via decifione coram ipfo edita die 16. No-
vembris 1705.* : in gradu autem appellatio-
nis propofito folito dubio, DD. pro ejusdem
fententiæ confirmatione refpondere non
dubitarunt.

Cum enim d. Joannes Palatium nomine,
quo fupra retineat pro nonnullis creditis
recenfitis in d. tranfactione, obllat fratri-
bus de Razzaliis actoribus regula, quod do-
1 nec illa tollatur de medio per tres fenten-
tias conformes veniat fervanda, itaut inte-
rim retardet immiffionem, & alium quem-
2 cumque modum experiendi antiqua jura fic
confopita, ut pluribus relatis firmatum fuit
in *dec. R.P.D. mei Anfaldi §. Potifsimè.*
Et præter ibi adductas fuit noviffimè etiam
decifum in *Pifauren. tranfactionis fuper
exequt. 21. Februarii 1707. §. nec obftare
valet cor. R.P.D. meo Priolo.*

Minime relevante exceptione, quod tran-
3 factio fuerit inita non ab ipfis actoribus, fed
eis abfentibus, & infciis ab aliis fratribus de
Razzaliis fæcularibus, & propterea ipfos
afficere non valuerit. Etenim cum in præ-
4 fenti agatur de actu fincerè, & bona fide
gefto ab aliis fratribus fæcularibus in vim
laudi præcedenter editi ad finem dirimendi
litem cum receptione plurium bonorum,
talis eft virtus, & efficacia hujufmodi tran-
5 factionis, ut ficut fi facta fuiffet ab hæredi-
bus gravatis afficeret quoque fucceffivè vo-
catos ex firmatis in *Romana cenfus 10.
Aprilis 1693. §. Præterea confirmat. 9. De-
cembris dicti anni §. eudem modo cor. Reve-
rendifsimo Zamoren., & in Bononien. fi-
deicommifsi 1. Julii 1996. § Et ficor. Reve-
rendifsimo D. meo Decano.* Ita pari modo
dicendum eft per eam obligatos remanfif-
6 fe alios fratres regulares contemporaneum
jus ex propria perfona habentes, *Card. de
Luc. de fideicommif. difc. 94. n 3. Rota dec.
259. n. 6. p. 13. dec. 548. n. 2. p. 19., & cor.
R.P.D. meo Anfaldo dec. 67. n. 12.*

Fortius quia etiam ipfi præfatam tranfac-
tionem approbarunt, & ratificarunt. Re-
ceperunt enim a fuis fratribus fæcularibus,
qui tranfegerunt duas ex fex portionibus
bonorum, quæ fuerant eis dimiffa per Ma-
riam Hjeronimam, & infuper accollarunt
ratam librarum 12. mil, quæ pariter in vim
ejusdem tranfactionis erant debita, itaut
hæc ratificatio non fimplicibus verbis, fed
pofitivo facto comprobata omnem tollebat
7 difficultatem, cum operetur idem ac fi ab
ipfis ab initio geftum fuiffet, *Rota dec. 229.
n. 1. p. 19. rec., & in Bononien. dotis, &
bonorum 14. Junii 1698. §. Cui amplifsimo
cor. Reverendifsimo Zuronen.*

Non attenta proteftatione per eos emif-
fa in actu ipfo receptionis bonorum, quod
nempe experiri intendebant jura fideicom-
miffi, quia proteftatio prædicta tanquam
8 contraria facto habenda non eft, nifi pura
jurium præfentativa, quæ efficax reputari
non poteft ad intervertendam tranfactio-
nis acceptationem, poftquam à facultate
illam amplius impugnandi manibus plenis
repelluntur, ut in *dec. 412. n. 2. cor Coc.,
cum aliis in dec. R.P.D. mei Anfaldi x. re-
levante parum cum fequen.*

Et hæc omnia procedere vifa funt, quam-
vis in præfata acceptatione nulla folemni-
tas, aut Beneplacitum Apoftolicum inter-
9 venerit, quia cum, ut mox dictum fuit,
agatur de tranfactione inita in vim præce-
dentis laudi cum omni bona fide, & fince-
ritate, dicitur actus neceffarius, *Rota
Cenc. de cenfibus dec. 186. n. 6., & coram
Cich. dec. 525. n. 16.*, Et in omnem cafum
10 ubi hoc effet dubium, adhuc agi non pof-
fet remedio immiffionis, donec tranfactio
non refcindatur per tres conformes ex ple-
ne cumulatis in *dec. R.P.D. mei Anfaldi
§. Actus cum feq.*

Quibus ita firmatis perperam repetebant
informantes exceptionē læfionis defumptę
ex eo, quod Razzalii fufceperint in fe plu-
ra debita, & in eorum compenfationem
ferè nihil receperint, eo quia ex tribus
prædiis tanquam liberis per Mariam Hjero-
nimam dimiffis, primum nuncupat. *de Camo-
la* repertum fuerit obnoxium fideicommif-
fo Mathæi, ideoque jure proprio debitum
Razzaliis, alia vero duo nuncupat. *il ta-
glia menazzo, e la Cofcofa* remanferint
evicta a Com. de Griffonibus, uti vocatis
ad alterum fideicommiffum Ludovicæ Ju-
nioris. Quoniam ultra quod afferta læfio
11 ad effectum refcindendi tranfactionem
deberet effe enormiffima maxime quod, ut
hic pro valida canonizata fuit a noftro Tri-
bunali, ut convincitur ex *dec. 2. Inter im-
preffas cor. R.P.D. meo Anfaldo.*

Quæcumque læfionis umbra fublata re-
manfit ex eo, quod fi loquimur de debitis
accollatis, illud librarum 5000. venit e cal-
culo delendum, quia tanquam provenlens
12 ex refiduo dotis Paulæ Griffonæ defcen-
dentis ab ipfo fideicommittente folvendum
erat ex bonis fideicommiffi, quorum poffef-
fio cum ftaret penes Razzalios, iidem evi-
tare non poterant illius fatisfactionem, de-
ficientibus fignanter bonis liberis Patris,
13 quorum exiftentia probata non fuit, & de-
fumi non valet ex ejus teftamento, in quo
mentio fit quamplurium gemmarum con-
fiderabilis valoris, dum poftea Pater qua-
driennio fupervixit, quo potuerunt illa
diftrahi, prout contigiffe apparet ex inven-
tario, ex quo bona confpicui valoris oppi-
gnoraffe convincitur. Et licet adeffent bo-
na dotalia Matris, tamen cum de tempore
dotationis Artemifiæ, adhuc illa fupervi-
14 veret, conftituenda erat dos ex bonis fi-
deicommiffi, non autem matris viventis,
quæ ex eis alenda erat. Quando e conver-
fo nedum in tranfactione fuit illis dimiffa
poffeffio bonorum fideicommiffariorum,
quam tenebantur capere de manu hæredis,
fed etiam eis fuerunt relaxata omnia ædifi-
cia,

ac melioramenta facta per gravatos in eis-
dem bonis fideicommissariis, & ulterius
cum eis dimissæ fuerunt 65. tornaturę liberę
de bonis existentibus in loco nuncupat *la
boscasa* cum toto credito dotali Comitissę
Malvetiæ librarum 40000., & altero præ-
dio di *taglia menazzo* pariter libero, quo-
rum bonorum portio, sicut hodie possidetur
a DD. Razzaliis, ita antequam admittatur
15 ad impugnandam transactionem, restitue-
re tenerentur quidquid ea mediante fuit ab
ipsis receptum, *ad text. in l. si diversa C.
de transact. Mans. cons. 683. n. 25. cum aliis
relat. in Romana fideicommiss Mutii de Bu-
balo 18. Junii 1700 §. Cætero cor Reveren-
dissimo Conchen., & in Ferrarien. transa-
ctionis 10. Maii 1702. §. sine difficultate cor.
Reverendissimo D. meo Decano.*

Alterum vero creditum proveniens ex
pretio nonnullorum aliorum bonorum, quæ
fuerant alienata favore fratrum de Ghisle-
riis constitit fuisse erogatum pro rata in
8104 fuisse reinvestitum in Palatio *delli Ca-
stagnoli*. Sicut etiam alia partita librar. in
causam dotis Artemisiæ, & prò alia rata libr.
12920., quæ supponitur relaxata, nullam
habebat subsistentiam, quia non erat ascri-
benda debito gravati, dum fuit integre rein-
vestita cum vinculo fideicommissi in predio
nuncupat. *le Pianelle*, & fuit postea par-
tim illius prætium erogatum in restitutio-
nem dotis Antoniæ de Bolognettis pro ra-
ta librarum 8207., & pro residuo in redem-
ptionem alterius prædii fideicommissarii,
quod d. titulo retinebatur.

Nec in facto subsistit, quod prędium de
Comola fuisset uti liberum dimissum, quia
totum oppositum convincitur ex lectura
transactionis, quæ dum inita fuit ex causa
16 fideicommissi ejusdem Mathæi senioris fa-
vore fratrum de Razzalibus purificati, ita
illius dimissio de re tanquam d. fideicom-
misso subiecta censetur expleta: quemad-
modum firmatum fuit in *dec. hujus causæ
edit. 30. Aprilis 1706. §. fin. cor. Reveren-
dissimo Conchen.*

Prædium vero di *taglia menazzo* fuisse
liberum apparet ex testamento Ludovici ju-
nioris, in quo asseritur fuisse dotale Comi-
tissæ Gentilis Malvetiæ Uxoris, a qua illud
ceperat pro rata dd. librarum 7000., & li-
cet alterum nuncupat. *la coseosa* esset fidei-
commissarium d. Ludovici, nihilominus ex
Juribus Aloysii filii poterat competere re-
tentio pro detractionibus legitimæ, & tre-
bellianicæ eidem debitæ, unde si cum dd.
juribus, & prætensionibus Joannis Matthæi
Griffoni maluerunt illa prætertire, & av-
vocationem pati, ad effectum acquirendi
jura pro fundanda prætensa læsione transa-
ctionis contra Hephantutium, qui in dicto
judicio cor. Reverendissimo Conchen, nec
citatus, nec auditus fuit, quando Razzalii
dd. prædia receperunt cum obligatione
liberandi Mariam Jeronymam ejus auctri-
cem a molestiis jam illatis, per d. Joannem
17 Matheum, proindeque si jam de tempore
transactionis prævidere potuerunt futuram
vocationem, hujusmodi eventualitatem in
se assumpsisse censentur, ut in proximis ter-
minis probat *Card. de Luc. de emption. dis-
curs. 51. n. 10., & Rot. cor. Coccin. deci-
sione 422. n. 2.*

Cum igitur pro commensuranda Justitia
18 transactionis sit habenda ratio dubii litis
eventus, & expensarum, nec non meliora-
mentorum, quæ fuerunt pęnitus dimissa, &
quæ non poterant retineri pro reintegra-
tione bonorum fideicommissariorum, quia
ut supra dictum fuit, constat alienationes
fuisse factas ex titulis necessariis, ac tan-
dem relationis plurium bonorum, jam inde
patet, quod læsio totaliter excludatur,
cum tamen sufficeret, rem esse satis invo-
lutam, & dubiam, ac dependere a pluribus
inspectionibus, ut transactio substineretur,
*Urceol. de transact. q. 5. n. 17., & seq. Rot.
dec. 292. n. 15. p. 19., & in Romana pecu-
niaria, seu transact. 15. Decembris 1702. §.
Siquidem cor. R. P. D. meo Scotto.*

Et ita utraque &c.

ROMANA, SEU CABILONEN. CONTRIBUTIONUM SUPER DECLARATORIA.

Lunæ 18. Martii 1709.

ARGUMENTUM.

Accipe a Summario. In hac Causa sunt super
dec. 417., & 456.

SUMMARIUM.

1 *Declaratoria in contumaces post relaxata
mandata cum comminatione censurarum
decernitur post servatos solitos terminos.*
2 *Jura in actis non producta non attenduntur.*
3 *Declaratoria evitari non potest, cum non
sunt adhibitæ necessariæ, & determinatæ
diligentiæ pro paritione* & n. 5.
*Procuratores Cisterciensium debent procedere
mediantibus censuris in vim propriarum
constitutionum pro exigendo a monasteriis
taxas Procuratori generali ab illis trans-
mittendas, nec sufficiunt diligentiæ per
Epistolas, quæ possunt esse collusivæ.*
4 *Declaratoria non potest evitari, cum inve-
risimile esse non potuisse mandatis pareri.*
*Monasteria opulenta tenues summas statim sol-
vere potuisse præsumitur.*

DECISIO DCIV.

CUm Pater Procurator Generalis totius or-
dinis Cistercien. tria judicata, primo co-
ram A.C., & deinde in hoc Sacro Tribunali,
tam coram Reverendissimo D. meo Decano,
quam coram me reportaverit super jure
exigendi contributiones a Patribus Procura-
toribus generalibus Tusciæ, & Lumbardię;
& adhuc isti non obstante rescripto Signa-
turæ Justitię cum clausula S. P. obtempera-
re detrectent: ideò ad instantiam Procurato-
ris Generalis totius ordinis examinatum fuit
du-

dubium -- *An sit concedenda declaratoria* -- quod affirmative resolutum fuit.

Cum enim illi teneantur ad formam dd. judicatorum omnes adhibere diligentias pro exigendis a suis monasteriis annuis contributionibus debitis in summa sc. 217., & adhùc remaneant debitores pro annatis decursis in sc. 1872. 50. pro quibus expedita fuerunt mandata cum comminatione censurarum; inde sequitur, quod ob coutumaciam in pa-
1 ritione, hodie postquam fuerunt servati soliti termini, possit contra eos decerni declaratoria. *Fælin. in cap. ad proban. n. 6. de re judic.*, *Moedan. decis. prima in principio de Sent. excom.*, *Rot. cor. Seraphin. dec.* 113., *& cor. Coccin. dec.* 2001. *n.* 1. *& seqq.*

Nec pro excusatione P. Procuratoris generalis Lombardiæ valuerunt attendi quædam epistolæ responsivæ ipsi scriptæ a superioribus aliquorum monasteriorum, ex quibus prætenditur eum posse diligentias factas pro exactione contributionum, sed inutiliter ob eorum renitentiam ex pluribus causis ibidem allegatis. Etenim omisso, quod dictæ epistolæ non sunt in actis productæ,
2 ideoque non attendendæ. *Rota coram Coccin. decis.* 631. *num.* 4., *& in rec. dec.* 533. *n.* 24. *par.* 19.

Difficultas cessat ex eo, quod ad effectum ostendendi fuisse adhibitas a se omnes possibiles diligentias, prout illis demandatum fuit, non erat procedendum per viam simplicium epi-
3 stolarum, quæ possunt esse collusivæ, & procuratæ ad effectandas diligentias: sed in vim propriarum constitutionum, & Bullarum Apostolicarum Superiores omnes compellere debuisset ad solutionem illarum, etiam mediantibus censuris pro effectu prædicto in iisdem Bullis comminatis; quod cum expletum non fuerit; utique evitari nequit relaxatio declaratoriæ, *Rot. cor. Coccin decis.* 398. *n. primo*, *& decis.* 1768. *n.* 5. *& decis.* 2500. *n.* 1.

Tantoque magis, quia epistolæ, quæ exhibentur ostendunt ad summum requisitiones factas a Procuratore prędicto septem dumtaxat monasteriis; quando in dicta provincia adsunt 19. monasteria, quæ solvunt annua sc. 95. in totum, itaùt portio cujuslibet non excedat tenuem summam sc. 5.,
4 quam inverisimile prorsùs redditur persolvere non posse monasteria adeò opulenta, non obstantibus recantatis exceptionibus.

Quo verò ad P. Procuratorem Generalem Tusciæ res visa fuit clarior; quoniam per eum nulla fuit allata diligentia pro exigendo a monasteriis suę Provincię, adeoùt nec exhibuerit ullas epistolas requisitorias. Unde quoad istum omnis excusatio semper erit insubsistens: maximè quia dicta monasteria sunt 17., ac in totum persolvunt annua sc. 122., itaùt singulo monasterio obtingat tenuis summa sc. 7. circitèr. Qua propter attenta illius inexcusabili contumacia, quia si tempore debito, & oppurtuno diligentias adhibuisset, uti assecutus fuisset contributionum solutionem, & contra eumdem eo fortiùs recurrunt ea omnia, quę pro Procuratore Generali Lombardię firmata fuerunt.

Et ita, utraque &c.

ROMANA DOTIS.

Lunæ 15. *Aprilis* 1709.

ARGUMENTUM.

Receditur a decisis in superiore dec. 551. & demonstratur quomodo sit dimittenda secunda mulieris obligatio, ne sit lęsiva, quando vel prima erat nulla, utpote quę unico contextu facta dotis medietatem excedens; vel pro ea damnum passum junctum cum secunda obligatione dictam medietatem non excedebant, vel adsunt bona viri, & ejus quartum dotale, ex quibus, usque ad dictam dotis medietatem, potest mulier relevari. Illiquidum non efficitur creditum ex quo ex bonis debitoris fructus perceperit statim liquidabiles, ut canones, & pensiones.

SUMMARIUM.

1 *Mulier, ut teneatur ex propria secunda obligatione justa de causa, & cum solemnitatibus pro viro inita, respicitur an damnum revera pro prima passum excedat dotis medietatem; quod si non excedit tenetur*, & num. 10.

2 *Præsertim cum damnum pro prima, & secunda obligatione simul sumptis, dotis medietatem non excedit.*

3 *Læsio in dote, ratione contractuum à muliere initorum, non consideratur, attenta quantitate in obligatione contenta, sed unicè attenta quantitate, inqua mulier, excusso viri patrimonio, de proprio damnum patitur*, & num. 10.

4 *Obligatio mulieris per unicum actum ultra medietatem dotis nulla est in totum.*

5 *Et tunc ex integro ea contempta validè pro alio usque ad medietatem obligatur.*

6 *Mulieris obligatio valida est; cum vir tunc habuit plura bona ex quibus, usque ad dotis medietatem, potest relevari.*

7 *Et cum in bonis viri pro eadem relevatione remanet quartum dotale.*

7 *Quartum dotale mater filiis uti patris heredibus tenetur restituere: & cum illud sufficit pro relevatione obligationis ejusdem matris usque ad medietatem, obligatio ejusdem est valida, & quare?*

9 *Solutio pro residuo supponit reliquum jam fuisse solutum.*

11 *Creditum illiquidum non dicitur, ex quo creditor immissionem obtinuit ad diversa debitoris bona, quorum redditus facilis est liquidatio.*

12 *Canones percepti statim liquidantur ex mero calculo, & cur?*

13 *Pensiones liquidantur ex notula jurata adminiculata.*

Praesertim si idem creditum a Rota, licet inter diversas personas, fuit admissum,

DECISIO DCV.

CUM supposito, quod Comitissa Sylva fidejussisset pro viro, se seque obligasset in summa sc. 14597. 14. favore causae piae venerabilis Servi Dei Sebastiani de Apparitio, censuit nostrum tribunal sub die 20. Aprilis anni praeteriti coram Me, aliam obligationem posteà emissam ab eadem Comitissa favore Abbatis Correae fuisse nullam: cum illa praecedens longè excederet medietatem dotis constitutae in summa sc. 20282. Sed in praesenti causae repropositione, cum cessare visum fuerit hoc fundamentum, putarunt DD. *recedendum esse à decisis*.

Siquidem ex facto constitit, quod Comitissa nequaquàm in vim primae obligationis condemnata fuit ad solutionem integrae summae: sed per decretum Congregationis Baronum coacta fuit dumtaxat deponere ad commodum dictae causae piae sc. 7839. ex quibus posteà illi fuerunt restituta sc. 3565. 60., quia totidem nomine dictae causae piae fuerunt exacta in Civitate Matritis ex bonis haereditariis Comitis de Sylva Principalis debitoris; Et sic Comitissa nullum aliud passa

1 fuit damnum, ex causa obligationis praedictae, quàm pro solis sc. 4273. 47.; quae cum sint longè infrà medietatem suae dotis; jure meritò factus fuit locus executioni alterius obligationis, postmodùm ab illa emissae favore Abbatis Correae cum omnibus solemnitatibus statutariis, & ex justa Causa liberan-

2 di virum ab imminenti carceratione. Tantò magis, quia licèt esset à principio in summa sc. 6000., tamèn redacta fuit ad sola sc.4083. 50. Itaut juncta cum aliis sc. 4273. 47. favore piae causae persolutis, integram medietatem suae Dotis, non attingant. *Gratian. discept. forens.* 108. *n.* 16. *modern. Asculan. ad Statut. Urb. adnotat.* 44. *art.*3. *n.*224., *Rota cor. Emerix juniore dec.*201. *n.*7., *& in Recanaten. fideicommissi* 31. *Januarii* 1695. §. *Sed factum coram R.P.D. meo Priolo*, *& in Romana Cambii* 11. *Junii* 1706. §.*Defectus Causae cor. R. P.D. meo Kaunitz.*

Ad effectum enim mensurandi laesionem in dote ratione contractuum a muliere gello-

3 rum, non venit attendenda qualitas in obligatione contenta, sed unicè considerari debet summa, in qua, discusso viri patrimonio, mulier effectivè de proprio damnum patiatur. *Thesaur. quaest. forens. lib.*2. *qu* 65. *n.*4. §. *Nam licèt*, *Masin. de confiscat. quaest.* 51. *n.*9. *&* 133., *Merlin. de pignor. lib.*2. *tit.* 1. *quaest.*18. *nu.* 71., *Card. de Luca de dote disc.* 95. *n.*6. *& seqq.*, *Panimoll. decis.*2. *annotat.* 3. *num* 17.

Hinc superfluum visum fuit in praesenti hypothesi examinare articulum, an sit prò dignoscenda laesione attendendum tempus factae obligationis, vel potiùs restitutionis dotis. Quoniam ultra quod animadversum fuit nec esse habendam ullam rationem primae obligationis ex alio motivo, quia scilicèt facta fuisset pro debito sc. 14056. 14. & sic pro summa longè excedente medietatem dotis sc. 20272. Inde sequitur eamdem obligationem fuisse in sui initio nullam; juxta regulam

4 communitèr approbatam, quod ubi per unicum actum mulier se obligavit ultra medietatem dotis; tunc ratione individuitatis contractus, obligatio corruat in totum, & in nulla sui parte subsistat. *Gratian. cap.* 763. *n.*7. *Salgad. in Labyrinth. Credit. par.*2.*cap.* 4. *n.*73., *Rot. decis.* 349. *n.* 23. *post Modern. Ascul. ad Statut. Urbis*, *& sic in Melevitana bonorum* 7. *Maii* 1694. §. *neque coram bon. men. Ursino*.

Sublata autem de medio dicta prima obligatione favore causae piae, poterit ex integro

5 Comitissa ad aliam obligationem favore Abbatis Correae devenire, nedùm pro sc.6000.; sed etiam prò alia majori summa usque ad medietatem suae dotis.

Et nihilominùs cessat quaelibet difficultas: quia considerata utraque obligatione, Comes de Sylva maritus eo tempore possidebat plura bona, quae exuberabant ad relevandam Comitissam, saltem quoad medie-

6 tatem dotis, *ut in Summario Abbatis nu.* 1. *&* 2.; maximè quia remanebat etiam in bonis

7 viri quartum dotale sc. 5000., quod ipsa tenebatur restituere filiis uti haeredibus pa-

8 tris; & cum illi promisissent relevare indemnem Comitissam matrem, poterat ista retinere in satisfactionem dotis, vel in omnem casum ex eis in praejudicium filiorum satisfacere debita contracta favore piae causae.

Comprobavit hanc veritatem eventus: quia de facto ex instrumento quietantiae dotis constat, eam recepisse sc. 13380. prò resi-

9 duo dotis, & quarti dotalis, *ut in d. Summario num.*3. *&* 4. quod etiam supponit residuum jam fuisse solutum. Immò factis calculis, constat damnum passum a Comitissa ex prima obligatione facta favore piae causae non excedere summam sc. 4273., itaut sem-

10 per magis magisque excludatur laesio in medietate, ut supra dictum est, & praeter mox allegatos tradunt *Urceol. consult.* 285. *n.*22., *Altimar. de nullitat. contractuum rub.* 1. *par.*4. *qu.*38. *n.*399. §. *Quae Conclusio tom.*6. *Panimoll. dec.*2. *annot* 3. *num.* 48. *& seqq.*, *Rot. dec.*232. *n.* 8. *post Postb. de manuten.*, *dec.*100. *num.* 3. *post Zacch de obligat Cameral.*; *& cor. Duran. decis.*141. *nu.*8. *& in Romana Salviani* 22. *Junii* 1697. §. *Et tantò magis cor. R.P.D meo Priolo*.

Quibus ità positis, nil relevat, quod non constet de liquiditate Crediti Abbatis: utpotè quià fuerat jam pro eo immissus in Salviano ad diversa bona ab haereditate Sylvae

11 provenientia. Quoniam cum illa consistat partim in canonibus, & partim in pensionibus quarumdam domuncularum, facilis est

12 illorum liquidatio: nàm quoad canones dependet à mero calculo, quia sunt certi, & invariabiles, & sic habentur, pro liquidis; *Rot. cor. Priolo dec.*399. *num.*14., *& in re-*

cent. decis.576. num.3. par.5., *& in Romana Salviani 22. Junii 1705. §. Non obstat cor. bon. mem. Muto*; Et quoad Pensiones liquidatio satis resultat ex notula jurata ad-
13 miniculata ex pluribus Apocis locationum, & depositionibus testium; præsertim quia
14 præfatum creditum alias coram Me sub die 25. Februarii proximè præteriti, licèt inter diversas personas admissum fuit.

Et ita, utraque &c.

ROMANA DOTIS SUPER MANDATO SCUT. 1850. EORUMQUE FRUCTIBUS.

Veneris 19. Aprilis 1709.

ARGUMENTUM.

Habes in superiori dec.378., cujus hæc est confirmatoria, & confirmatur quoque infra decis.632. juxta tamen modum ibidem expressum. Et proxime sequens est in hac causa.

SUMMARIUM.

1 *Hæres retardare non potest executionem mandati pro debito ab Actore sub forma Reverendæ Cameræ Apostolicæ libere, & absolutè promisso.*

2 *Verbum* - liberamente -, *& similia perimunt omnem exceptionem, ac si debitor eidem positivè renunciasset.*

3 *Verba respicientia executionem alicujus dispositionis in dubio, in contractibus demonstrative, non taxativè apposita censentur.*

4 *Verba, quod pars dotis data sit in executionem Testamenti alicujus, cum postea addatur reliquum dari pro quacumque prætensione, quam dotata habere posset in bonis dotantis, ideo apposita censentur, ut in dicta dote comprehensa esset quata ex testamento debita, non ad effectum limitandi obligationem tanquam administratorio nomine: cum a dotante in propria persona est contracta.*

5 *Obligatio libetè facta est tanquam sine limitatione, & operatur etiam in bonis propriis.*

6 *Donatio nomine proprio facta conicitur: cum assignatur in quantitate diversa ab ea, quæ ex Testatoris voluntate puellæ debetur.*

7 *Dos proprio nomine assignata censetur: cum nec in capitulis, nec in instrumento mentio facta fuit, illam ex fructibus deberi, ut voluit Testator, nec administratorio nomine.*

8 *Dotis solutio ex fructibus facienda non præsumitur: cum non fuit expressum, & quare.*

9 *Mulieri dotem expedit unico actu habere, potius quam multiplicatis vicibus ex fructibus.*

10 *Obligatio proprio nomine stipulata censetur cum alio nomine initam contrahens potuit exprimere, & non fecit.*

11 *Dotis promissio non administratorio fideicommissi nomine, sed proprio stipulata dicitur: cum ad illius solutionem longius tempus, quam quod ex fructibus fideicommissi percipi potest, est statutum, & fructus interim conventi.*

12 *Fructus pro dote ex fideicommissi fructibus detrahenda, donec ex illis constituatur, non debentur.*

13 *Dos non administratorio fideicommissi nomine, sed proprio promissa censetur, cum constituens fassus fuit teneri actione tam reali, quam personali.*

14 *Et cum in illius instrumento reportata fuit a dotata renunciatio bonis maternis, & aliis quibuscumque juribus favore fratris dotantis.*

15 *Promittens administratorio nomine non utraque personali, & reali actione tenetur, sed tantum personali.*

Dotes de propria persolventi, quæ ex fideicommissi bonis debebantur, in id competit relevatio.

16 *Dotem constituens administratoria fideicommissi nomine nullam validam renunciationem ad sui favorem potest reportare a dotata, & quare?*

17 *Satisfactionem dotis allegans probare tenetur.*

18 *Fructus fideicommissi spectantes proprio jure ad vocatos causam non habentes ab eo, qui proprio nomine dotem solvere tenetur, pro illa non sunt obligati.*

19 *Frustra petitur, quod intus habetur.*

20 *Obligatus ad dotem ex fideicommissi fructibus etiam administratario nomine dandam, si illos perceperit hanc excedentes, de proprio tenetur.*

21 *Fructus ex adjudicatione læsiva a creditore percepti in sortem imputantur.*

22 *Adjudicatio bonorum fideicommissariorum sustinetur solum ad vitam gravati debitoris.*

23 *Læsio in adjudicatione bonorum durante ad vitam debitoris, non ità facile ex pretio rei dijudicatur.*

24 *Exceptio altiorem requirens indaginem ad aliud judicium delegatur in actione pro satisfactione dotis.*

25 *Maximè si actia sit confirmata a longissimi temporis abservatia.*

26 *Bona fructus rediddisse supponuntur, cum altera eorum pars eos opime genuisse constet.*

27 *Fructus dotis post secutam interpellationem ad conventam rationem regulantur.*

28 *Fructus dotales non concurrente pacto ex statuto Urbis regulantur ad rationem scutor.7.50. pro centenario.*

29 *Fructus dotis ubi pactum deficit regulantur à statutaria dispositione.*

DECISIO DCVI.

Mandatum quod R. P. D. Vicesgerens relaxaverat contra bona hæreditaria Jacobi Cevæ pro scut.1650. debit: Ludovicæ so-

sorori pro residuo Captalis dotis in majori summa scut. 2000. per eum promissæ eorumque fructibus, exequendum esse favore dictæ Ludovicæ respondit *Rot. cor. me die 26. Junii an. 1705.* Cumque hodie dictæ decisionis fundamenta subsistere visa fuerunt DD. *in decisis* persistendum esse censuerunt.

Clara siquidem, & undique limpida apparuit obligatio per Jacobum emissa favore Ludovicæ, quia sicut ipse teneri & se obligatum esse voluit eidem Bruto Gottifredo viro scut. 3000 persolvere sub forma consueta R. Cameræ liberè & absolutè, ita Lucretia Zec-
1 cadoro Jacobi hæres nullo prætextu impedire valet executionem mandati pro summa jam promissa relaxati, cum stantibus verbis
2 *liberamente*, & similibus sublata videatur omnis exceptio, ac si debitor eidem positivè renunciasset ad notata per *Cyriac. cont. 120. n.27. & per Rotam in Rom. legati super compensatione 27. Junii 1695. §. & initebatur cor. bo. me. Ursino.*

Non attento, quod post huiusmodi promissionem & obligationem immediate dictum fuerit illam fuisse emissam in executionem testamenti Pontii Cevæ senioris ibi -- *cioè sc. 2000. in essecutione del testamento del q. Pontio Cevi seniore* itaut cum iste mandaverit quod dotes solvi deberent ex fructibus suorum bonorum, censeatur Jacobum dotem prædictam promisisse juxta hunc sensum & ordinem, & sic administratorio nomine ejusdem fideicommissi, non autem quod ipse de proprio teneri voluerit in suis bonis. Quonti-
3 am ultra quod regula est, quod indubium hujusmodi verba censentur in contractibus potius demonstrativè apposita ad tradita per *Altograd. cons. 49. n. 18. lib. 1. Gratian. discept. forens. cap. 644. n. 24. & cap. 950. num. 15. Rota cor. duran. dec. 34. num. 4. & dec. 49. n. 15.* interea lectura ejusdem instrumenti dotalis plenissimè satisfacit, quia ex ea manifestè convincitur, quod dicta verba fuerunt enunciativè adjecta, non autem ad effectum ostendi, quod Jacobus voluerit obligationem assumere administratorio nomine bonorum fideicommissariorum, nam cum successivè subsequantur alia verba, *e scudi 1000 per qualsivoglia protensione che detta Ludovica po-*
4 *tesse havere* -- hæc ad oculum patefaciunt, quod verba præcedentia non ad alium finem adjecta fuerunt, quam demonstrationis causa donaretur quod in summa scutorum 3000. à Jacobo promissa intelligebatur quoque comprhæsa dos eidem Ludovicæ debita in vim testamenti Pontis non autem, ad effectum limitandi obligationem per ipsum ex propria persona contractam, in qua uti principalis de proprio teneri voluit, ut egregiè fuit animadversum *per Rot. dec. 545. num. 10. & seq. par. 5. & dec. 396. sub. nu. 4. par. & in Camerinen. manutentionis, seu censuum, 10. Maii 1698. §. vindicatis cor. Rmo Decano.*

Et sanæ talem fuisse Jacobi mentem suadent plures urgentes & efficacissimæ conjecturæ, inter quas non levis est illa, quod amplissima obligatio per eundem contracta sol-
5 vendi dotem -- *liberamente* -- quæ tanquam sine limite operatur, ut etiam in bonis propriis censeatur inducta, ut in consimilibus terminis firmant *Menoch. cons. 640. num. 4. & de præsumpt. lib. 4. & præsumpt. 288. num. 7. & 8. Rot. in Giennen. Juris mutandi 21. Februarii 1698. §. verum coram R. P. D. meo Ansaldo* legitur emissa pro scut. 2000. respectu executionis testamenti fideicommittentis, quando ut istius intentio dici posset impleta tradi debuisset in scut. 2700., in qua quantitate ex fideicommisso detrahenda esse favore Ludovicæ per sententiam declara-
6 rat AC. Franciottus. Ista enim quantitas, & prorsus diversa ab illa volita per fideicommittentem demonstrat animum, & Jacobi voluntatem fuisse dotandi sororem nomine proprio ut bene observat *Card. de Luc. de dote disc. 28. num. 8.*

Altera vero non minus solida est illa, quod nullum verbum nunquam factum fuit, nec in capitulis, nec in instrumento dotali, quod
7 dos solvenda esset ex fructibus, minusque expressum extitit, quod administratorio & hæreditario nomine Pontii sororem dotabat;
8 quando nunquam præsumitur fuisse conventum, quod solutio facienda sit cum fructibus tanquam modus minus favorabilis doti, nisi fuerit expressè dictum in instrumento: cum
9 magis prosit mulieri habere dotē unico actu quam multiplicatis vicibus ex fructibus bonorum, & quando Jacobus ad evitandum proprium præjudicium, si voluisset administratorio nomine se obligare, exprimere debuisset tali titulo se contraxisse, cum alias semper censeatur obligationem suo nomine stipula-
10 tam fuisse ut in terminis administratoris probat *Postb. resol. civil. 133. n. 11. cum aliis per eum allegatis.*

Et denique altera ponderatione digna visa fuit, quod in actu stipulationis instrumenti dotalis promissa extitit solutio scut. 3000. ad computum dictæ dotis & residualia sc. 2700. solvere promisit Jacobus intra terminum decem annorum cum obligatione interim solvendi fructus; quando si administratorio no-
11 mine se obligasset breviori temporis cursu plusquam satisfacta remansisset integra dos cum fructibus pinguis hereditatis dicti Pontii senioris, nec opus fuisset, quod Jacobus subi-
12 ret onus solvendi fructus, quando dilatio non ejus facto sed ipsius fideicommittentis processisset quousque nempe ex fructibus dos conflata remansisset.

Quibus si addatur expressio facta ab ipsomet Jacobo, qui cum reperiretur debitor pro prima rata scut. 300. non soluta in actu matri-
13 monii ingenuè fassus fuit, quod pro dicta dote poterat actione tam reali, quam personali conveniri cui pro securitate Bruti accessit & fidejussit Ursula Catania ejus Mater nec non etiam addatur renunciatio bonorum mater-
14 norum & aliorum quorumcumque Jurium, quam intuitu dictæ dotis Ludovicæ emiserat favore fratris, utique dicendum venit, quod

omnes

omnes circumſtantiæ ſivè unitim, ſivè ſepara-
tim ſumptæ ponunt in apertum ipſum Jaco-
bum nomine proprio contraxiſſe, nam alias
utraque actione conveniri non potuiſſet, cum
15 adminiſtrator in ſola actione perſonali te-
neatur *Card. de Luc. de cred. diſcur.36. nu.
20. §. attamen Noguerol. allegat.s. à n.102.
ad 104. Palm. allegat.32. num.70. Rot. dec.
499. num.18. par 9. rec.* nec ullam renuncia-
tionem validam potuiſſet reportare à Lu-
16 dovica, ſi dotem ei ſoluiſſet cum bonis ipſi
jure proprio debitis ex diſpoſitione fidei-
committentis, non autem propriis, dum talis
renunciatio reſpiciebat commodum & utili-
tatem ipſius Jacobi, non autem fideicommiſſi
& hæreditatis Pontii.

Conſtito ex prædictis, quod Jacobus erat
debitor dictæ dotis obſtare viſum non fuit,
quod Ludovica ex longeva perceptione fru-
ctuum bonorum fideicommiſſariorum à die
29. Settembris 1657. quo obiit Jacobus uſque
ad annum 1679 remanſerit de ſua dote &
fructibus ſatisfacta, vel quod in omnem caſum
Jacobo debita ſit relevatio contra bona fi-
deicommiſſi ex cujus fructibus dotes fœmina-
rum conſtituendæ erant, nam tantum abeſt
quod concludentiſſime juſtificetur Ludovi-
17 cam fuiſſe ſatisfactam prout opus eſſet, ut
imo potius contrarium reſultet ex eo, quod
mandatum de aſsociando ſuper duabus do-
mibus obtentum die 7. Settembris anni 1657.
nullum habuit effectum, nec fuit executioni
demandatum, & licet poſtea pro conſequen-
da proprii crediti ſatisfactione nonnullorum
bonorum fideicommiſſi poſſeſſionem nacta
fuerit; tamen quia fratres de Ratta ad d. fidei-
commiſſum vocati poſt plures inhibitiones
pluraque decreta ne dum obtinuerunt im-
mitti ad dicta bona, ſed ulterius Ludovicam
condemnari ad reſtitutionem omnium & ſin-
gulorum fructuum ab ipſa perceptorum, indè
ſequitur, quod cum iſti jure proprio ſpecta-
rent ad fratres de Ratta ad dictum fidei-
18 commiſſum vocati irrationabile ſit quod
iidem cedere debeant in ſatisfactionem
dotis debitæ à Jacobo à quo jus ſuum non re-
cognoſcunt nec cauſam habent dd. fratres,
maximè quando illi tranſegerunt ſuper eis
cum Lodovica expreſſe declarando, quod
per dictam tranſactionem juribus dotalibus
illius nullo modo præjudicatum cenſeretur
ut firmatur *in dec. quæ revidetur §. altera
vero*.

Relevatio autem ex bonis fideicommiſſi
ut ſupra prætenſa locum non habet in præ-
ſenti, quia ut fuit animadverſum in *præce-
denti deciſione §. non refragante* cum ex re-
latione periti de communi partium conſen-
ſu electi liquido conſtet, quod calculatis in-
ſimul fructibus tam bonorum fideicommiſſi
quam donatorum ab ipſo Ponſio ſeniore, fa-
ctis que omnibus detractionibus in manibus
dicti Jacobi adhuc remanſerunt ſcuta 3034.,
quæ ſine dubio eroganda erant in ſolutio-
nem dotis Ludovicis controverti non poteſt,
quin ipſe relevationem jam fuerit conſequu-
tus, & id eo fruſtra petat illius hæres, quod
19 intus habet cum etiam ex hac circumſtan-
tia convincatur, quod ubi etiam nomine hæ-
20 reditario Pontii dotem promiſiſſet, adhuc
a ſolutione liberari non poſſet.

Quatenus vero iterum replicabatur quod
Brutus primus vir Ludovicæ in diminutio-
nem crediti dotalis receperat ſc.250. pro-
venientia ex adjudicatione domus ejus favo-
vore facta uſque de anno 1645., & ex illa
perceperat ſpatio duodecim annorum fru-
ctus aſcendentes ad ſcuta 1482. circiter; undè
21 inferebatur adjudicationem ſemper eſſe læſi-
vam, & propterea Brutum fructus non fe-
ciſſe ſuos, ſed illos eſſe in creditum, & ſor-
tem dotis imputandos. Placuerunt reſpoſio-
nes, quod ſcilicet domus erat fideicommiſſo
22 ſubjecta, & ſic adjudicatio poterat ſolum
ſubſtineri durante vita gravatorum, quæ po-
terat modico tempore durare; undè non erat
ita de facili allegabilis læſio, aut ſaltem res
23 non erat ita clara, ut hujuſmodi exceptio
quæ altiorem requirit indaginem veniat ad
aliud Judicium remittenda; maximè attenta
25 obſervantia pacifica 60. annorum ex plene
firmatis in *dicta mea deciſ. §. quibus*.

Cætera vero quæ in hac propoſitione fue-
rant deducta ſuper altera detractione præ-
tenſa pro alimentis Jacobi, & familiæ reje-
cta fuerunt; prorsùs enim inveriſimile viſum
fuit, quod coram Perito, & in tot propoſitio-
nibus præcedenter habitis ſub ſilentio præ-
termiſſum fuiſſet hujuſmodi creditum, ſi verè
26 Jacobus alimenta non recepiſſet ex bonis ab
ipſo poſſeſſis quando è converſo ſolum illa
donata tantam copiam fructuum reddidiſſe
ſuadent, ut longè ſuperent quantitatem ali-
mentorum neceſſariorum pro dicto Jacobo,
& familia.

Abſoluto examine mandati pro ea parte
continente capitale dotis ſc.1850., quoad al-
teram ejuſdem mandati partem reſpicien-
tem fructus dicti capitalis decurſos reſpon-
dere non hæſitarunt DD., quod proceden-
dum ſit cum eadem diſtinctione tam reſpectu
ſummæ, quam temporum ſervata in deciſione
quæ revidetur, quodque à die 3. Martii 1645.
uſque ad diem 13. Auguſti 1658. regulentur
27 fructus ad rationem ſcutorum quatuor pro
centenario attentata conventione ſic inita in
capitulis matrimonialibus, & interpelati o-
ne non prius per creditricem executa; Ab in-
dè vero citra, uſque ad diem 14. Octobris
1675. terminato decennio, ac extincto pacto
28 calculentur ad rationem ſcutorũ 7., & obu-
los 50. pro quolibet centenario juxta diſpo-
ſitionem ſtatuti Urbis ad quod ceſſante par-
29 ticulari conventione recurrendum eſſe vul-
gata ſunt jura de quibus in deciſione quæ re-
videtur §. finali.

Et ita utraque &c.

ROMANA DOTIS SUPER SUPPLEMENTO.

Veneris 19. Aprilis 1709.

ARGUMENTUM.

Desume ex superiori confirmata decis. 379. In hac causa est quoque proxime antecedens, cum ibi indicatis.

SUMMARIUM.

1 *Pro dote etiam contra tertium executivè procedi potest vigore* Statuti Urbis lib. 1. cap. 85,
2 *Et etiam pro illius augumento.*
3 *Executivè proceditur contra bona hæreditaria obligati in forma Reverendæ Cameræ Apostolicæ.*
4 *Mulier, quæ dotationem cum conditionibus appositis noluit acceptare, congruè est dotanda de fructibus bonorum fideicommissi ad eam obligati.*
5 *Sententia super taxatione dotis collusivè lata non censetur, cum in ea servatis servandis principale interesse habens, & creditores fuerunt citati.*
6 *Collusio cadens super assignatione in fraudem creditorum super bonis ei debitis, non extenditur ad collusionem super taxatione.*
7 *Appellatio cadent super mandato non extenditur ad sententiam super taxatione dotis.*
8 *Observantia deducitur etiam ab actu unico.*
9 *Congruitas dotis magnam ium obtinet ab observantia.*
10 *Ea quæ semel placuerunt ampliùs displicere non possunt.*
11 *Dotis fructus debentur etiam si solvenda sit ex fructibus, cum adest correspectiva obligatio viri eam restituendi.*
12 *Fructus dotis supposito ejus capitali veniunt consecutivè, & accessoriè post contractum matrimonium, etiamsi Judex in ejus taxatione nullum verbum fecerit.*
13 *Et viro debentur pro sustentatione onerum matrimonialium, etiamsi non sint promissi.*

DECISIO DCVII.

Quemadmodùm Domini in decisis coram me sub die 26. Junii 1705. persistere censuerunt respectu mandati relaxati pro scutis 1850. debit. ab hæreditate Jacobi Cevæ Ludovicæ sorori pro residuo capitalis dotis per eum promissæ, ejusque fructibus; ita agnita validitate, & justitia alterius mandati relaxati pro scut. 500. in eausam augumenti dictæ dotis, Domini contemporaneè etiam quo ad istud pari modo *in decisis* dicta die & anno coram me respondere non dubitarunt. De validitate enim nulla potuit esse contentio; nam cum Ludovica haberet ad sui favorem instrumentum promissionis dotis obligatione Camerali munitum, & insuper
1 concurrat dispositio Statuti Urbis concedentis *lib. 1. cap. 87.* facultatem executivè procedendi, etiam contra tertium, utroque
2 jure potuerunt hæredes d. Ludovicæ actione executiva uti contra bona hæreditaria Jacobi debitoris dotis, etiam pro illius augumento adfirmat per *Rot. dec.* 604. *num.4. par.4., & dec.*160. *n.*10. *p.*8. *rec.*

Justitia verò satis resultare visa fuit ex eo, quod dum Jacobus dotem constituit Ludovicæ sorori in summa scutorum 3000., cum pacto, quod ipsa renunciare teneatur quibuscumque juribus, quæ habere potuisset super donatione scut. 20000. facta per Pontium Sen.; eo ipso, quod Ludovica dictam conditionem noluit acceptare prescindendo ab
4 antedicta promissione per fratrem emissa de congrua dote providenda erat; undè cum per sententiam A. C. Franciotti, quæ transitum fecit in rem judicatam fuerit declaratum, quod sororibus de Ceva constituendæ erant dotes in summa scutorum 2500. posita taxatione dictarum dotium, in consequentiam venit, quod Jacobus, qui fructus bonorum fideicommissariorum percepit, cum quibus juxta præceptum testatoris sorores dotare debuisset, teneatur hujusmodi dotationis factum adimplere: ideòque jure meritò illius hæreditas, præter scut. 2000. (de quibus actum fuit in altera contemporanea decisione hodie edita coram me) ad tenorem dictæ taxationis condemnata etiam extitit ad solutionem aliorum scutorum 500. pro illius augumento.

Non subsistente responsione, quod dicta sententia A. C. Franciotti dotium quantitatem decernens valdè sit de collusione suspecta, utpotè quia lata fuit citato solùm Pontio Ceva, qui erat multo ære alieno gravatus, & in omnem casum cum ab ea fuerit appellatum, cesset fundamentum, quod transierit in judicatum. Quo enim ad collusionem illa pænitùs cessare visa fuit, tum ex quo Pon-
5 tius Jacobi pater possidebat omnia bona fideicommissaria, & proindè ille cujus erat primarium, & principale interesse, non autem Jacobus sororum frater citandus erat in taxandis earum dotibus: tum & fortiùs, quia in dicto judicio una cum Pontio citati fuerunt R. P. D. Marianus, & Petrus de Vechiatellis, nec non Annibal Serena illius creditores, quibus sicut intererat, quod veritas prout in se erat panderetur, ita & iidem considerati non possunt alicujus collusionis comparticipes.

Et quamvis in dec. 2170. coram Cocciano firmatum fuerit, filias Pontii non potuisse ex ea causa cum earum dotibus impedire satisfactionem crediti R. P. D. Vecchiarelli super pensionibus nonnullarum domorum, ad quas fuerat associatus; tamen id processit non quia dotes non fuissent debitæ in summa taxata scut. 2500., sed ex quo pecuniæ R. P. D. Vecchiarelli conversæ fuerant in extinctionem debiti ipsius fideicommittentis, & mediante speciali Chirografo bona etiam fideicommissaria Pontii fuerunt ad ejus favorem obli-

obligata, solaque suspicio collusionis, de qua loquitur *d. decis. §. fin.* cadit super eo,
6 quod Pontius Ceva in fraudem creditorum dotes assignaverat fæminis familiæ de Ceva super domibus, ad quæ fuerat associatus R. P.D. Vecchiarellus pro suis creditis non autem super taxatione dotium.

Atque ex his cessat aliud objectum desumtum ex supposito, quod à sententia A. C. fuisset appellatum, & sic non potuerit in judicatum transire, quoniam ex mox deductis constitit appellationem non fuisse interpositam à dicta sententia, qua fuit determinata quantitas dotis, quamvis in illo judicio
7 fuisset citatus bon. mem. R. P. D. Vecchiarellus, sed iste acquiescendo dicto judicato, causam solùm ad Rotam curavit devolui quoad mandatum de associando, quod ab eodem fuerat obtentum, quibus additur, quod d. sententia A. C. Franciotti etiam ex facto ipsius Jacobi fuit executioni demandata, dum post eam dotem alteri sorori in dicta quantitate persolvit, ex quo facto subse-
8 quuto, licèt unico, sicut promanat observantia gravati, ita summopere ea attendenda
9 venit pro dignoscenda congruitate dotis, ex firmatis per *Rot. dec.647. nu.12. coram Burat.dec.695. n.6.& 11. cor Pamphil.dec.165. nu.19. cor.fan. mem. Alexandro VIII.,& in*
10 *rec. dec.520. n.9. cum seq.part.13.* Accedente præsertim regula, quod ea, quæ semel placuerunt, amplius displicere non debent, ut tradit *Decian. cons.78. n.41. lib.3., Menoch.cons.337. n.39., Fusar.de substit.q.509. n. 1.in fin.& 4.*

Sublatis difficultatibus tangentibus augumentum dotis scutor. 500., quod pro eo debeantur fructus, nulla fuit dubitatio, quia licèt illud esset percipiendum ex fructibus bonorum fideicommissariorum, tamen cum dicti annui redditus considerentur tamquam capitale, ex eo omni jure debentur fructus
11 in correspectivitatem obligationis emissæ per Brutum Ludovicæ virum restituendi dotem sibi promissam, ut distinguendo tradunt *Fontanell. de pact.nupt.claus.7. glos.3 par.8. n.34., Rot.cor.Merlin. dec.842.num.6 ,& in rec. dec. 393. part.18.;* non attento quod in sententia A.C. Franciotti nulla habita fuerit mentio fructuum dotalium, quia isti suppo-
12 sito capitali dotis semper veniunt consecutivè, & accessoriè post contractum matri-
13 monii, cum viro substinenti onera matrimonii debeantur, & si promissi non fuerint ad *text.in cap.salubriter de usur.Cyriac. contr.30. n.18., Gratian. discept. foren. cap. 143. Rot.dec.20. n.7.,& 8.par.13.rec.*

Et ita utraque &c.

VICEN. BENEFICII.

Lunæ 22. Aprilis 1709.

ARGUMENTUM

Habes in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Litteræ Apostolicæ justificatæ sunt exequendæ.*
2 *Valor beneficii rectè probatur per testes informatos.*
3 *Beneficium erectum ex bonis Monasteriorum suppressorum, & cujus collatio ad ad Sanctam Sedem est reservata revera Sanctæ Sedi est reservatum.*
4 *Et reliquis tunc jus collationis cessat.*

DECISIO DCVIII.

Cum Archipresbyter, & Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ S. Joannis de Abbatissis in Principatu Cataloniæ executioni demandare recusaverint literas apostolicas per Joannem Paulum Blanciat provisum Apostolicum reportatas ad effectum assequendi simplex perpetuum beneficium in dicta Collegiata Ecclesia erectum. Hinc est, quod ipse tam contra prædictos, quàm contra quoscumque alios interesse habere prætendentes judicium per contradictas coram me introduxit propositoque dubio -- *An literæ Apostolicæ essent exequendæ* -- illas Domini
1 exequendas esse responderunt, cum undique justificatas esse recognoverint, ut passim in similibus practicari solet, & signanter fuit dictum *in Vallisolen. Beneficii 19. Novembris 1708. cor. R. P. D. meo Falconerio.*

Valor enim in illis expressus in ducatis 40.
2 una cum incertis probatus remanet ex depositione testium habentium certam notitiam tanquam de illis regionibus idem affirmantium, quod sufficit ad justificandum valorem, *Rot. dec.472. n.2., & dec.603. n.3. p.19.rec., & in majoricen. Beneficii 8.Martii 1696. §. Justificatio cor.Emo Caprara.*

Quod autem dictum simplex Beneficium sit de reservatis S.Sedi nulla fuit hæsitatio; cum fan.me. Clem. VIII. post sæcularizationem omnium Ecclesiarum, & Monasteriorum Ordinis S.Augustini Canonicorum Regularium in supradicto Principatu Cataloniæ
3 erexerit Collegiatam Canonicorum sæcularium S.Joannis de Abbatissis, ac sibi, & S. Sedi Apostolicæ reservaverit cuncta beneficia perpetuò simplicia ibi existentia, ut plenè colligitur ad propositum ex *dec.690. cor. Burat.33.& 94. per tot. cor. Roiat.*, & in specie in *Vicen. Canonicatus 27. Novembris 1684. §.Hit in facto eor. bo. me. Rondanino,* ubi referuntur verba præcisa dictæ Bullæ secularizationis.

Indè cessat quodcumque jus quod prætendere possent super dictis Beneficiis Ar-
4 chipresbyter, & Capitulum prædictum, aliique executionem literis Apostolicis per dictum Joannem Paulum reportatis præstare recusantes, cumque ii fuerint iterum, atque iterum in judicium vocati, & comparere recusent; benè ita per contradictas resolutum fuit &c

FIR-

FIRMANA BENEFICIORUM.

Lunæ 3. Junii 1709.

ARGUMENTUM.

Prohibitio alienationis nuda fideicommissum non inducit, ut si sit ne bona extra familiam alienentur non impedit ne in illis de familia; Et sic est de renunciatione juris præsentandi. Habens qualitatem filii compatroni in æquali jure præfertur in institutione eadem carenti. Confirmatur infra in Decisionibus 647. & 657.

SUMMARIUM.

1 *Præsentatus à majori parte patronorum est instituendus.*
2 *Presentatus habens minorem vocum numerum, non potest concurrere cum habente majorem & num. 8.*
3 *Jus ad præsentandum non habent descendentes ab eo, qui eidem renunciavit.*
4 *Decisiones sunt supponendæ, nec incidenter revocandæ.*
5 *Nec contra in eis stabilita resolvi potest, nisi ædem revocentur.*
6 *Prohibitio alienationis nuda non inducit fideicommissum discensivum.*
7 *Prohibitio alienationis extra familiam non impedit alienationem in personas de familia.*
8 *Præsentatus habens medietatem vocum, maximè si sit filius compatroni, est omninò instituendus.*
9 *Inter æquales voces habentes præferendus est filius compatroni, excluso illo, qui hanc qualitatem non habet.*

DECISIO DCIX.

JUspatronatus erectum à Francisco Morrono devenit ad tres illius filios, Peregrinum scilicèt, Bonfilium, & Federicum. Voces Peregrini, & Federici devenerunt ad tres istius filios, qui licèt tres lineas à principio constituerint; nihilominùs, ob renunciationem factam à Federico jun. favore Joannis Fratris, remanserunt ambæ in isto consolidatæ; & ulterius ad eum devenit medietas alerius vocis spectantis ad Peregrinum mediante donatione facta ab Uriele Rosato; remanente alia medietate descendentibus ab Ascanio dicti Peregrini ex filio nepote.

Ex istis patronis Julius Cæsar descendens à Joanne Morrono, & ut renunciatarius trium suarum sororum præsentavit ad beneficia controversa Xaverium Mattheuccium, qui etiam obtinuit præsentari ab Octaviano descendente ab Ascanio; nonnulli verò descendentes ab isto, quibus etiam adhæsit Joannes Antonius filius Hippolitæ descendens à dicto Joanne Morrono, præsentarunt Nicolaum Caluuccium, & alii descendentes tàm à Federico Sen., qui renunciaverat Joanni, quàm à dicto Ascanio, præsentarunt Joannem Gregorium Morronum.

Orta igitur intèr istos præsentatos triangulari quæstione, Xaverius Mattheuccius non solum a Præposito annali Capituli Ecclesiæ Firmanæ, sed etiam a nostro Tribunali, prævio solito dubio, institutionem reportavit.

Et meritò, quia ex præcensita facti serie plenè constitit habere prò se majorem partem vocum. Fuit enim præsentatus a Julio Cœsare, tam jure proprio, quam uti renunciatario trium suarum sororum descendentium a Joanne Morrono; Cumquè justificetur, ad istum pervenisse integram vocem Federici jun., ac medietatem alterius vocis ad Peregrinum spectan.; utiquè convincitur, quod non solum a medietate patronorum,
1 sed etiam a majori parte fuerit præsentatus, & sic venit instituendus; *Rota cor. Cerr. decis. 375. n. 11., & in Luncu. Sarzanen. Cappellaniæ 11. Maii 1686. §. Et validissima cor. bon. mem. Ursino.*

Non attenta præsentatione facta favore Joannis Gregorii Morroni, quoniam iste fuit præsentatus a nonnullis descendentibus ab Ascanio altero ex nepotibus Peregrini, & sic cùm habeat medietatem unius ex tribus
2 vocibus competentis Peregrino, non potest concurrere cùm Xaverio, qui habet prò se aliam medietatem istius vocis, & majorem partem alterius vocis spectantis ad Joannem Morronum.

Et licèt replicaretur, quod Gregorius habet etiam præsentationem descendentium a Federico, & sic integram istius vocem, quo casu esset æqualis Xaverio, tamen cessavit qualibet difficultas, ex quo dictus Federicus jura sua renunciaverat Joanni Morrono, ut supra dictum fuit. Unde descendentes ejusdem Federici nullum possunt habere jus
3 ad præsentandum, ut examinata dicta renunciatione occasione alterius vacationis istorum Beneficiorum respondit *Rota coram Reverendissimo Manuel sub die 19. Junii 1693. §. Vindicata*, & illius vigore fue-
4 runt exclusi descendentes renunciantis, quæ decisio venit supponenda, nec incidentèr revocanda. *Rota cor. Gregor. decis 295. in fine, & in recen. decis. 77. n. 3. part. 11., & dec. 34. num. 2. part. 17.*

Stante autèm hac decisione, frustra revocabatur in dubium validitas dictæ renunciationis, ex quo Federicus sen. fideicommissum fecerit de ejus bonis, intèr quæ adest juspatronatus prædictum: Ideoquè non potuerit per Federicum jun. præjudicari suis descendentibus, qui veniunt ex propria persona, & tamquam vocati a Fideicommitten-
5 te. Quoniam ultra quod prius essèt revocanda dicta decisio; cessare visa fuit difficultas ex lectura testamenti. In eò enim nullum compertum fuit adesse fideicommissum prò descendentibus, sed solummodo fuit prohibita alienatio bonorum, absque ratione con-
6 servandi bona in agnatione, & sic ex sola prohibitione alienationis induci nequit perpetuum fideicommissum descensiuum, ad *Text. in §. Divi severus, & Antoninus rescripserunt eos Leg. filius familias ff. de legat.*,

Rota

Rota decis. 380. numer. 2, part. 19. Recent.
Ulterius cùm dicta alienatio fuerit prohi-
bita, ex quo testator volebat, bona conser-
vari in hæredibus, & successoribus, nullum
præjudicium irrogavit Federicus jun. per
renunciationem prædictam, cùm bona non
exeant ab hæredibus, & successoribus Fede-
rici Sen., dum transitum faciunt in Joannem
Mortonum, qui pariter est cohæres, & de fa-
milia Motrona, ac frater renunciantis, & hoc
casu prohibitio alienationis nequit obstare,
7 cùm prohibitus alienare extra familiam pos-
sit alienare in personas de familia. *Fusar. de
substitut. quæst. 736. per totam, Card. de
Luca de fideicomm. disc. 55. num. 8., & seq.
Rota coram bo. me. Emerix. decis. 662. n. 3.*
Excluso ex prędictis Joanne Gregorio
Morrono, facile etiam fuit excludere Ca-
lunccium, qui & ipse habet præsentationem
a descendentibus ab Ascanio habente medie-
tatem vocis Peregrini, & ab uno ex descen-
dentibus Joannis Morroni tantùm, quando
8 alii plures ab eò pariter descendentes præ-
sentarunt Xaverium Mattheuccium, itaùt
proinde semper firmius appareat fundamen-
tum, quod iste tamquam habens plusquam
medietatem vocum veniat omninò præfe-
rendus; maximè cùm sit filius compatroni;
Quoties enim concurrunt duo æquali Jure,
9 semper in paritate filius venit præferendus
in concursu aliorum, qui hujusmodi qualita-
tem non habeant. *Vivian. de Jurepatron.
lib. 14. cap. 2. n. 67., Rota post eumdem decis.
68. n. 1., & cor. Merl. dec. 733. n 6., & in
Mediolanen. Jur spatronatus 3. Julii 1684.
§. Observarunt cor. bon. mem. Pauluccie.*
Et ita, utraque &c.

PLACENTINA BONORUM.

Veneris 7. Junii 1709.

ARGUMENTUM.

Est confirmatoria juxta tamen modum superioris decis. 579.

SUMMARIUM.

1 *Possessio civilis, & naturalis in donatarium transfertur tum ex clausula constituti, tum ex ejus actuali apprehensione.*

2 *Manutentio facilius conceditur habenti ultra possessionem etiam bonum jus.*

3 *Statutum de continuanda possessione auctoris in hæredes non operatur; cum possessio in patre est ex titulo merè vitalitii usufructus.*

4 *Possessio capta sine citatione anterioris possessioris est spoliativa, nec manutenibilis.*

5 *Possessio capta ex titulo fideicommissi deficiente probatione qualitatis hæreditariæ, & identitatis non sustinetur.*

6 *Fideicommissarius excluditur: cum ex sola diversitatis possibilitate identitas excluditur.*

7 *Identitas excluditur ex notabili differentia mensurarum unius fundi ab alio.*

8 *Identitas non concluditur ex verificatione contradę comprehendentis plura diversa bona, nisi aliæ magis specificè demonstrationes concurrant.*

9 *Fideicommissum non prejudicat juribus creditorum: sed intelligitur deducto ære alieno, quod si gravatus dimisit, in ejus juribus succedit.*

10 *Accollatio facta debiti fideicommissi de consensu creditorum, illud extinguit.*

11 *Debita, de quibus in divisione mentio facta non fuit, extincta præcedenter presumuntur.*

12 *Pręcipue stante lapsu triginta annorum post accollationem, & creditorum acquiescentia.*

13 *Instrumenta publica cuicumque Testium depositioni prevalent circa qualitatem fideicommissariam, vel liberam.*

14 *Manutentio in bonis à fideicommittente provenientibus debetur pro rata legitimę, & trebellianicę competentium.*

15 *Filiis primi gradus priori loco gravati non imputantur fructus in Trebellianicam.*

16 *Impositiones censuum factę super bonis non subiectis fideicommisso, etiam si pro solutione fructuum fuissent obligata bona fideicommissi, non imputantur in detractiones gravatis competentes.*

17 *Et etiam in dictas detractiones non cedunt alienationes factæ pro solvendis canonibus decursis tempore fideicommittentis, & sic pro dimittendo ejus ære alieno.*

18 *Fructus à non legitimo detentore debentur à die motæ litis ob malam fidem, in qua est per eam constitutus.*

19 *Absque eo quod eadem fructuum restitutio retardetur à titulo, qui fuerat jam resolutus.*

DECISIO DCX.

Respnnsum fuit coram me die 25. Junii superioris non *constare de bono Jure Nicolai de Suzano etiam ad effectum manutentionis* super predio nuncupate *le Case basse*, pro rata unciarum septem cum dimidia ex titulo Legitimæ, & Trebellianicæ competentium Bartholomæo de Bernis, cum supposito, quòd illud reperiretur obnoxium Fideicommisso reciproco, ordinato per qu. Jo. Mariam, & purificato per prædecessum ejusdem Bartholomæi favore Josephi Antonii de Bernis Auctoris Comitum de Baldinis, prout convincitur ex Decisione d. die edita coram me. Verùm quia hodie illius fundamenta ad nuuum examen revocata fuerunt; Domini ex noviter in facto magis accuratè deductis *in Decisis juxta Modum*, scilicet pro toto Prædio *delle Casse basse* standum esse censuerunt.

Constitit enim non solùm de anteriori
1 possessione Nicolai, tum ex publico instru-
mento illius actualis apprehensionis, tum
ex clausula *constituti* contenta in instrumen-

to donationis, qua mediante possessio tam civilis, quam naturalis in donatarium translata remansit ad *Text. in l. quod meo ff. de acquir. possess.*, *Rota penès Posth. de manut. dec. 89. num. 5., & in rec. dec. 335., & 356. utrobique n. 1. par. 9., & in Foro Sempronien. manutentionis 14. Januarii 1692. §. Stetit, & 12. Maii 1692. §. Receptissima cor. Rmo D. meo Decano*. Verùm etiam de illius bono jure ut infra; quo stante faciliùs ei con-
2 cedenda venit manutentio. *Posth. de manut. obser. 71. nu. 42., & 107., Rota in Tiburtina Bonorum super manutentione 26. Februarii 1706. §. Certiùs cor. Rmo D. meo Decano*.

In nihilo adversante possessione Comitum de Baldinis, quoniam si loquimur de illa capta per Josephum Antonium eorum auctorem, & ista in vim patrii Statuti in ipsos tamquam hæredes continuare non potuit, quia uti innixa titulo temporalis ususfructus ad favorem Josephi Antonii reservati per Bartholomæum fratrem in instrumento donationis, sicut ille resolutus remansit per obitum ipsius Josephi Antonii, ita Comites de Baldinis juvari non possunt beneficio dicti Statuti, quod operativum non est respectu
3 illorum bonorum habentium titulum resolubilem meri, & simplicis vitalitii ususfructus, ut latè probant *Ciarlin. controv. 169. n. 15., & seq., Peregrin. dec. Patavin. 127. n. 8., Rot. cor. Coccin. dec. 1814. n. 17., & dec. 1972. n. 3., & seq. cor. Dunozet. jun. dec. 559. n. 4. & 5.*

Si verò loquimur de possessione capta per ipsos de Baldinis post obitum eorum auctoris, & illa profectò eis opitulari non potest;
4 vel quia capta fuit propria auctoritate, sine ulla citatione Suzani anterioris possessoris; ideòque tamquam vitiosa, & spoliativa non est manutenibilis, ad *Text. in cap. licèt Episcopus*, ibique *Glossa verb. te non vocato de Præbend. in 6., Rota penès Posth. de manut. dec. 268. n. 3., & cor. Ubaldo dec. 827. n. 6.* Vel quia uti inhærens titulo asserti fideicommissi conditi à quondam Joanne Maria de Bernis; eo ipso, quod iidem deficiunt
5 in salutari probatione identitatis dicti prædii, & qualitatis fideicommissariæ, sine istis necessariissimis requisitis fideicommissi titulus alleganti suffragari non potest, per ea quæ notant Doctores in *l. final. C. de edict. D. Adriani tollend., Peregrin. de fideicom. art. 44. n. 1., Fusar. de substit. q. 616. n. 20., Rot. cor. Arguel. dec. 19. & 30. cor. Priolo dec. 309., & in rec. dec. 60. par. 17. in omnibus n. 1., & in Reatina fideicommissi 11. Maii 1699. §. Cum enim coram Rmo D. meo Decano.*

Tantùm autem abest, quod identitas in præsenti probetur, ut potiùs mirificè exclusa remaneat ex nonnullis demonstrationibus, quarum altera est, quod prædium, de quo hic agitur in divisione inita anno 1698. inter Bartholomæum, & Josephum Antonium communes auctores colligantium assignatum in portionem ipsi Bartholomæo, erat omninò liberum, & ratione tam utilis, quàm directi dominii spectabat ad fratres condividentes; è converso autem illud, quod erat hæreditarium Jo. Mariæ, & ejus fideicommisso obnoxium, de quo loquuntur antiquiores divisiones initæ de anno 1646., & 1662. subjectum erat directo dominio illorum de Pusterla, quibus etiam successivè ex causâ dissolutionis perpetui affictus dimissum fuit anno 1671, per quam adeò ocularem discrepantiam, quæ intercedit inter utrumque prædium, exclusa remanet identitas illius, super quo versatur præsens controver-
6 sia, quando sola diversitatis possibilitas exuberaret ad effectum arcendi fideicommissarium: juxta firmata in *dec. 35. n. 5. cor. Ninot., & dec. 333. n. 14. par. 19. rec., & in dicta Reatina fideicom. §. Cum enim cor. Rmo meo Decano.*

Altera verò promanat ex notabili difformitate circa mensuram utriusque prædii: illud enim enunciatum in dictis antiquis divi-
7 sionibus asseritur perticarum 206.; alterum verò reperitur perticar. 150., undè ex hac considerabili differentia mensuræ unius fundi ab altero, exclusa etiam remanet procul dubio eorum identitas, ut probat *Gratian. discept. forens. cap. 790. n. 4. & seq.*, & firmatum fuit *cor. Peutinger. dec. 42. n. 7., & cor. Emerix dec. 126. n. 10.*

Parum relevante, quod utrumque prædium sub eodem vocabulo *delle Case basse* nuncupetur; quia sola verificatio nominis
8 generalis, seu Contradæ, comprehendentis plura bona diversarum personarum inefficax semper reputata fuit ad concludendam identitatem, nisi insimul concurrant aliæ magis specificæ demonstrationes, ex notatis per *Adden. ad Gregor. dec. 455. num. 18, Rot. dec. 42. cor. Peutinger., & dec. 359. n. 17., & seq. coram Priolo in rec. dec. 15. n. 6., & seq. par. 12., & in Illerden. hæreditatis de Hemar. 2. Decembr. 1699. §. Nec ad minuendam cor. Emo Caprara.*

Quo autem ad qualitatem fideicommissariam d. prædii, hæc etiam multò minùs probatur; constitit enim ex facto, quod de tempore postremæ divisionis anni 1698. idem prædium jam liberum reperiebatur à quocumque fideicommissi nexu, attento quod debita Jo. Mariæ fideicommittentis absorbebant valorem, & importantiam non solùm dicti prædii, sed etiam universæ ipsius hæreditatis. Cumque prædicta debita fuerint de proprio persoluta à fratribus de Bernis condividentibus, planum fit, quod ex subingressu in juribus creditorum dimissorum hæreditas fideicommittentis evaserit libera ad commodum dd. fratrum, ac proindè prædium controversum liberum etiam transivit
9 in Bartholomæum ex vulgari regula, quod fideicommissum nunquam præjudicat juribus creditorum, sed semper intelligitur deducto ære alieno, ex plenè cumulatis per *Rotam cor. Merlin. dec. 459. n. 6. & 7. cor. Cerro dec. 755.*

dec.755. n.2.in rec. dec.358. num. ult. p.18., & in Romana fideicommissi de Quadris 7. Martii 1701. §. *Asserta cor. R. P. D. meo Ansaldo.*

Quidquam non refragante, quod nonnulla debita non probentur à dictis fratribus effectivè persoluta; tùm quia ea haberi debent
10 tamquam extincta, statim ac fratres illa in se accollarunt de consensu creditorum; cum isto modo accollatio vim habeat solutionis, ut respondit *Rot. dec.204. n.15.cor. Bich., &*
11 *dec.4. n.14. par.57.*; tum quia in divisione longè post celebrata inter memoratos fratres, dum nulla fit mentio de debitis longè antea per ipsos accollatis, omnis præsumptio suadet, quod illa remanserint præcedenter extincta, stante præsertim lapsu triginta,
12 & ultra annorum à die illorum accollationis, & acquiescentia creditorum, ut arguit *Decian. cons.57. n.18. lib.5., Rot. dec. 458. n.5. par.14., & dec.11. n.20. par. 18 rec., & in Perusina hæreditatis 21. Novembris.*1701. §. *Non relevante, &* 20. *Novembr.* 1702. §. *Sed quando etiam cor. Emo Caprara.*

Ex quibus constat, nihil referre exceptionem, quod totum prædium *delle Case basse* fuisset possessum à Bernis; quoniam ubi etiam id probaretur ex fidibus testium, quæstio non est circa possessionem, sed circa qualita-
13 tem fideicommissariam, vel liberam, pro qua publica instrumenta prævalere debent cuicumque depositioni testium.

Licèt autem hæc sufficerent pro resolutione causæ; tamen addendum censuerunt Domini jura legitimæ, & trebellianicæ pro rata Bartholomæo debita, tam jure proprio, quàm etiam aliorum trium fratrum defun-
14 ctorum, pro quibus debita foret manutentio Nicolao super controverso prædio, ut latè firmatum fuit in decisione, quæ revidetur.

Nec obstat, quod utraque detractio remanserit consumpta, quoniam respectu trebellianicæ, illa consumi non potuit ex fructibus perceptis à Bartholomæo auctore Nicolai, quia cum agatur de fideicommisso condito ab ascendente, & trebellianica prætendatur ex persona, & juribus Bartholomæi, filii primi gradus, & priori loco gravati, frustra objiciunt, quod illa consumpta remanserit ex fructibus ab eodem gravato perceptis ante purificationem fideicommissi;
15 dum filii primi gradus speciali privilegio suffulti reperiuntur à lege, quæ eos eximit ab imputatione fructuum in quartam ipsis debitam ex Senatus Consulto Trebelliano, juxta notissimum *Text. in l. Jubemus C. ad Trebellianum*, & communiter tradunt *Buccafer. cons.110. n.53., Peregr. de fideicom. art.49. n.55. & seq. Rot. dec.136 n.14 p.12. rec., & in Ferrarien. fideicommissi 27. Aprilis* 1703. §. *Minoris denique cor. R.P.D. meo Priolo, & in Ravennaten. immissionis* 20. *Junii* 1707. §. *Minusque cor. R. P. D. Aldrovando.*

Respectu verò legitimæ multò minùs sub-

sistit, quod & ista fuerit similiter consumpta cum alienationibus factis à Bartholomæo, aliisque ejus fratribus, & cohæredibus gravatis; quia vel dictæ alienationes non verificantur, utpotè quia primus census librarum 1100. impositus non apparet super bonis fideicommissariis Joannis Mariæ, sed super bonis Viguli perventis ad Bartholomæum seniorem ex divisione inter ipsum, & Joannem Mariam celebrata; secundus verò librarum mille non probatur impositus super bonis fideicommissariis, & quod magis est, fuit redemptus cum propriis pecuniis Nicolai, ex quo sequitur, quod hujusmodi cen-
16 suum impositiones, tamquam factæ super bonis non subjectis asserto fideicommisso, inter alienationes connumerari non valent, etiamsi pro solutione fructuum fuissent obligata bona fideicommissaria, ut animadvertit *Card. de Luca de legit. disc.35. n.35. & seq.*

Vel quatenùs subsistant, quoad perticas 206. prædii nuncupati *delle Case basse*, præter alias deducta satisfecit responsio, quod
17 hujusmodi alienatio, utpotè facta pro solvendis canonibus decursis tempore, quo vixit Joannes Maria fideicommittens, & pro solvendo ære alieno testatoris, cedere non potest in causam detractionum gravatis competentium ad notata per *Hondedeum cons.59. n.13. lib.1., Adden. ad Gregor. dec.* 280. *n.10., Rot. cor. Cerro dec.* 112. *nu.* 8. *in rec. dec 33. n.15. par. 15., & in d. Ravennaten. immissionis* 20. *Junii* 1707. §. *Attamen cor. R. P. D. Aldrovando.*

Constabilito bono jure Nicolai, quo mediante, sicus ei concedenda est manutentio, ita in consequentiam venit, quod eidem restituendi sint fructus per Comites de Baldinis, eorumque auctorem percepti à die mo-
18 tæ litis, prout fuit in præcedenti instantia judicatum, quia ab illa die dicuntur in mala fide constituti. ad notata per Doctores *in l. 3. ff. de interd.*, & firmata per *Rot. post Zacbiam de oblig. Cam. dec.* 193. *n.9. in Bononien, seu Imolen. Bonorum* 1. *Julii* 1697. *in fin. cor. Reverendiss. Concben.*

Absque eo quod prodesse possit titulus ususfructus per Bartholomæum donantem reservati favore Josephi Antonii fratris in
19 memorata donatione; quia cum titulus prædictus cessaverit mediante revocatione in vim pacti resolutivi, ut animadversum fuit in præterita decisione, nullum in titulo præfato constitui valet fundamentum. *Rota coram Priolo dec.* 358. *n.2., & in rec. dec.* 64. *n.4. par.* 19.

Quibus ita firmatis, superfluum existimarunt Domini assumere inspectionem circa assertam fideicommissi remissionem, super qua plura, & quidem urgentia deducebantur hinc indè à scribentibus argumenta: nam eo ipso, quod bona fideicommissaria non supersunt, & ex supra firmatis convincitur, quod tota substantia testatoris absorpta remanet à debitis per ipsum contractis, inutilis redditur ulterior disputatio.

Et ita in reliquis remissivè ad decisionem præcedentem, Domini juxta hunc modum responderunt, utraque &c.

ROMANA IMMISSIONIS.

Lunæ 19. Aprilis 1709.

ARGUMENTUM

Est brevis decisio, in qua confirmatur dec. 598., addito examine quando fructus census debeantur, licet fundus censitus remaneat evictus sciente creditore.

SUMMARIUM.

1 *Census extinguitur, cum fundus censitus remanet evictus sciente creditore.*
2 *Declara conclusionem procedere, cum remanent alia bona debitoris, ex quibus creditor census potest satisfieri.*
3 *Limita cum omnia debitoris bona posita fuerunt sub concursu, & subhastata, & omnia sint absorpta, absque eo quod quidquam superfit, unde creditori censuario census capitale restitui possit.*
4 *Et tunc datur eidem mandatum pro fructibus loco damnorum, & interesse.*

DECISIO DCXI.

Concessa immissione in Judicio Salviani pro credito census Abbati Correæ contra possessores aliquorum canonum existentium super vineis Tusculi fuerat ad illam evitandam præceteris opposita illius extinctio eo quia fundi super quibus impositus apparebat extiterant etiam ipso citatato deliberati authoritate Congregationis Baronum; verum quia in decisione edita coram me sub die 25. Februarii proximi præteriti responsum fuerat, quod ex fundis censitis adhuc remanebant septem rubra teneri, super quibus poterat sustineri, & in omnem casum debebantur fructus loco damnorum, & interesse dum fundi censiti fuerant ut supra deliberati non remanentibus aliis bonis debitoris: cum autem hodie petita expeditione per eundem Abbatem, replicaretur in contrarium, quod septem rubra terreni super extantia essent incapacia census sc. 40835. in sorte; hinc DD. prætermisso dicto fundamento adhuc mihi demandarunt, ut ad expeditionem deveniretur extensa brevi decisione, ut hoc secundo motivo remaneret confirmata resolutio.

Siquidem, & si census extinguatur, quoties fundus censitus remanet evictus sciente cre-
1 ditore juxta plene deducta in *dec. 336. nu. 2. & seq. par. 19. rec., & in Romana Salviani seu Canonum 20. Februarii 1699. cor. Emo della Tremoille* cum aliis ad id cumulatis. Tamen conclusio procedit, quoties remanent
2 alia bona debitoris ex quibus potest creditor census satisfieri, & capitale ad sui libitum repeteret, quia tunc sibi imputare debet, si illud non repetat, vel alium fundum sibi tradi in vim generalis obligationis non curet; At secus est, quoties omnia bona de-
3 bitoris posita fuerint sub concursu efformato super Patrimonio Communia debitoris illudque integrum per creditores absortum fuerit, nec quidquam superfit unde creditori censuario capitale Census restitui possit, ut contigit in præsenti, nam ex notatis in præcedenti decisione constat, quod omnia bona Comitis Nicolai debitoris fuerunt subhastata, & illorum pretium non fuit sufficiens pro dimittendis creditoribus anterioribus, itaut ipsemet Corea licet comparuerit, tamen non potuerit consequi nisi ratam sc. 2913., & pro residuo remanserit omnino detectus, & non inventa fuerint bona, super quibus valuerit se vertere ad recuperandum residuum capitalis hujus census. In his
4 enim terminis datur mandatum pro fructibus loco damnorum, & Interesse, ut distinguendo firmat *Rota cor. Priolo dec. 238. n. 11., & in Perusina Salviani 17. Februarii 1700. §. hinc non refragate coram Rmo Decano cum aliis in Lucen. Salviani 8. Martii 1708. §. fallente solum coram R. P. D. meo Ansaldo.*

Et ita utraque &c.

BARCHINONEN. BENEFICII

Lunæ 10. Junii 1709.

ARGUMENTUM.

Est in hac causa in præcedenti instantia dec. 287. tom. 1. a qua assumere poteris argumentum.

SUMMARIUM.

1 *Læsio in sententia non datur, quoties illa non sit iniusta.*
2 *Restitutio in integrum non datur, nisi præcedens judicatum sit læsivum.*
3 *Executio litterarum Apostolicarum justificatarum non est retadanda.*
4 *Contemptus alterius Patroni non vocati, qui protestatur, annullat præsentationem.*
5 *Limita nisi Patronus contemptus talem promoveat instantiam.*
6 *Et cum reverà vocem non habebat.*
7 *Litteræ obtentæ ob discordiam Patronorum sunt exequibiles, cum unus ex præsentatis habet majorem, vel saltem æqualem partem vocum.*
8 *Et tunc locus est gratificationi.*
9 *Clausula -- dummodo ex data præsentium non sit alteri jus quæsitum -- quid operetur.*

DECISIO DCXII.

Adversus sententiam per Me prolatam super executione literarum Apostolicarum, quas Antonius Garrigo reportaverat, uti præsentatus à majori parte patronorum ad Capellaniam perpetuam S. Michaelis erectã in Ecclesia Parochiali Civitatis Barchinonen. & de jure patronatus Rectoris, & Operariorum d. Ecclesiæ, cum fuerit per aliam sen-

sententiam coram R. P. D. meo Ansaldo denegata restitutio in integrum Bernardo Lomera, qui licet præsentatus à Rectore dumtaxat prætendens se à medietate patronorum præsentatum gratiam derogatoriam pro alia medietate reportaverat; ideò iterum illam coram me causam novæ restitutionis in integrum committi curavit, quam in præsenti sub congruo dubio *An constet de causis* proposui, & DD Antonio dumtaxat informante *non constare de causis* responderunt.

Restitutio in integrum semper deneganda
1 venit, quoties aperte non docetur de injustitiâ præcedentis judicati, ex qua resultare di-
2 citur læsio, quæ est principale fundamentum restitutionis in integrum. *Rot. dec* 227. *nu.* 7. *par.*17., *& dec.*593. *num.*5. *par.*18. *rec. & in Giennen. Jurismutandi super restitutione in integrum* 26. *Aprilis* 1700. *coram bo. me. Muto.*

In præsenti autem tantū abest, quod aliquis sum is injustitiæ dari possit, ut è converso de sententiarum justitia appareat ex verificatione omnium contentorum in gratia per Antonium informantem obtenta, & signanter in eo, quod ipse fuerat præsentatus à majori parte, vel saltem medietate Patronorum; hujusmodi enim expressio semper justificata remanet, vel dicatur, quod jus patronatus spectet ad Parochum, & Operarios collegialiter, cùm concurrant pro Antonio quatuor ex quinque vocibus, quæ absque dubio probant ipsius favore majorem partem vocum existere, Vel dicatur prò medietate spectare ad Parochum, & pro altera medietate ad Operarios, & sic in concussa persistat narrativa Antonii, cum expresserit habere majorem partem, sivè saltem medietatem vocum ad quem effectum obtinuit duas portiones al-
3 terius medietatis. Ex quibus cum appareant undique justificatæ literæ Antonii, earum executio nequit retardari. *Gloss. in cap. si Capitulo ver. exequat. de concess. præben. in* 6. *Mohedan. dec.*13. *ut lite penden. & in rec. dec* 464. *num.* 1. *par.* 19. *rec.*

Nec obstaret si repeteretur, quod Franciscus Vexares unus ex Operariis, antequam
4 procederetur ad præsentationem opposuit de nullitate præsentationis, ac uti contemptus eamdem præsentationem nullam reddat.

Quoniam cùm dictus Vexares talem non promoveat contemptum, Tertius de illo nequit opponere: & ulterius cùm ipse non excesserit biennium, postquam fuerat in Operarium assumptus: itaut eo tempore non nisi
6 merus coadjutor consideraretur, nullam vocem, neque votum inter operarios habebat: ideoque bene potuit contemni, ut firmatum fuit in prima decisione hujus causæ sub die 26. Novembris 1703. §. *Non obstat in fine cor. me, & in altera* 23. *Martii.* 1705. §. *sed ultra cor. R. P. D. meo Ansaldo.*

Atque hic remanent in exequibiles literæ Apostolicæ Bernardi reportatæ in discordia Patronorum, quia nulla considerari po-
7 terat patronorum discordia, dum Antonius habebat pro se majorem, vel saltem æqua-
8 lem partem vocum, & consequenter semper erat locus gratificationi. *Rosa de execut. lit. Apost. lib.* 1. *cap.*4. *nu.* 130. *Rot. in Aretina Beneficii* 21. *Jan.* 1701. §. *in princ.* Præsertim quia in literis posterioribus gratiæ Bernardi adjecta fuit clausula præservativa *dum-*
9 *modo ex data præsentium non sit alteri Jus quæsitam* -- quæ operatur, ut semper illæsum remaneat jus eidem Antonio præcedenter quæsitum ex verificatione præcedentis gratiæ cùm derogatione medietatis vocum, ut latè firmat decisio pariter præsentis Causæ *cor. R. P. D. meo Ansaldo sub die* 23. *Martii* 1705. §. *Tum etiam.*

Et ità, Antonio tantum informante.

ROMANA SALVIANI.

Lunæ 10. *Junii* 1709.

ARGUMENTUM.

Accipe a superiori decis. 584 hic confirmatam; super eodē credito est alia dec. 414. Romana Status Zagarolæ, 10. Martii 1706.

SUMMARIUM.

1 *Decretum firmum remanet donec, non sit revocatum.*

2 *Exceptio non reditæ rationis creditum turbidum, & illiquidum reddit.*

3 *Repositio a primo decreto non deducitur ab altero facto in juribus, & personis diversis.*

4 *Decretum, a quo fuit appellatum, & causa non prosecuta, firmum remanet, & transit in rem judicatam.*

5 *Notula jurata in decreto demandatu ut exhibeatur, exhibenda est coram eodem Judice, vel appellationis, & in eodem judicio, non in diverso.*

6 *Tertio ad impediendam immissionem vigore crediti, sat est illius turbiditas.*

7 *Turbiditas crediti ex sententia desuper favore tertii, & decretis proprio favore latis desumitur.*

8 *Decretum habet pro se validitatis præsumptionem; donec transportatis actis coram suo Judice revocetur.*

9 *Notula desumpta ex libris deformibus, & manchis non est attendenda.*

10 *Cognitiones diversam causam tangentes in suo congruo judicio sunt examinandæ.*

11 *Creditum resultas ex publico Instrumento dicitur liquidum, & clarum.*

12 *Creditum resultans ob non redditionem rationis dicitur æquè clarum, ac illud promanans ex publico instrumento, & ideò hujus actionem impedit; donec actor in replicatione ostendat factam redditionem rationis.*

13 *Et fortius opponi potest contra habentem creditum ex instrumento a tertio possessore.*

14 *Etiamsi principalis debitor de non redditio-* ne

ne rationis creditori instrumentario non oppofuisset.

15 *Nec difficultatem patitur, cum principalis debitor de non redditione rationis oppofuit, & demandari obtinuit*.

DECISIO DCXIII.

Recognita insubsistentia eorum, quæ per Sorores de Nisis adducebantur adversus decisionem editam coram me sub die 2. Julii 1708. denegantem eisdem ex Causa non redditæ Rationis Immissionem vigore Salviani ad quasdam Terras positas in Territorio Columnæ per Joannam Perez, & Heleonoram Enriquex possessas, DD. approbando fundamenta ejusdem decisionis perstiterunt in decisis.

Creditum enim Census, pro quo illæ agebant semper magis turbidum, & illiquidum recognitum fuit, ex quo Constantius earum Author, & ipsæ in pluribus Instantiis coram diversis Judicibus factis tam contra Principem Jo: Baptistam Principalem Debitorem, quam contra Principissas Ludovisias ejus Sorores pro consequendo d. credito semper rejectæ fuerunt, ob non redditam sufficientē rationem administrationis gestę per Pancratium Fratrem Constantii, non solum antè solidationem factam a Principe Jo. Baptista, pro qua Judex per speciale decretum, computorum revisionem ordinavit favore Tertii, quales sunt Reæ Conventæ, sed etiam post d. solidationem, cujus respectu Judex decrevit favore ipsius met debitoris, quod restituerentur libri administrationis, & præstaretur notula jurata de exactis post d. solidationem; a quo decreto cum commissa fuerit Causa appellationis in Rota coram Eminentissimo Caprara, donec, & quousque
1 in suo particulari Judicio non fuerit revocatum, semper firmum remanet, ac tribuit robur exceptioni non redditæ rationis, quæ
2 creditum turbidum, & illiquidum reddit, ut præter adductos in mea præcedenti hujus Causę decisione tradit *adden. ad Gregor. dec.* 189. *num.* 7. & *Rota decis.* 906. *paritèr. n.* 7. *coram Buratto*.

Nèc subsistit, quod d. primum decretum, a quo non fuit appellatum circumductum remanserit per secundum, sivè quia Judex ab illo recesserit, sivè quia exhibeantur tam notula Jurata exactionum factarum a Pancratio, quam libri administrationis. Etenim
3 quo ad repositionem a primo decreto, de illa non docetur, nec illa deduci potest ex secundo decreto, quia Jura, & personæ erant diversæ, ut dictum fuit in alia decisione coram me §. *Replicatio*.

Quo vero ad secundum Decretum illud semper firmum manebit, cum Actrices ap-
4 pellaverint, nèc Causam attento malo Jure prosequi curaverint. Undè sequitur, quod illud in suo robore remanserit, & millies ob non prosequtam Causam appellationis transitum fecerit in Judicatum. *Vester. in Prax. lib.* 7. *cap. ultim. num.* 9. *versic. nec sufficeret Rot. cor. Crescent. dec.* 8. *num.* 8. *cor. Bich. dec.* 561. *num.* 2. & *in rec. dec.* 256. *num.* 1. *par.* 2.

Quo vero ad notulam juratam, quæ modo exhibetur, illam nullius esse relevantiæ compertum fuit, quia ultra quod exhibenda esset coram Judice appellationis, & in
5 illo judicio, in quo supradicta decreta edita fuerunt, non autem adducenda in præsenti,
6 in quo agitur de Immissione intentata contra Tertios, quibus satis est turbiditas abundè
7 resultanas, tam ex re Judicata prodita favore Tertii, quam ex decreto lato favore ipsius
8 met Principis Principalis debitoris, quod ex supradictis habet pro se omnem validitatis, & justitiæ præsumptionem, donèc transportatis actis coram suo judice fuerit sublatum. *Adden. ad Gregor. decis.* 189. *num.* 7., *Rota coram Buratt. decis.* 906. *num.* 7., & *coram bon. mem. Emer. decis.* 337. *n.* 14.

Urget ulterius, quod cum dicta notula deprompta fuerit ex libris Constantii in pluribus foliis laceratis, & notabilitèr vitiatis, ut resultat ex publica illorum descriptione
9 facta de anno 1696., ideo remaneat nullius efficaciç, & tanto minus attendenda *Rota decis.* 175. *num.* 8. & 10. *par.* 16. *rec.*

Sicut etiam non refragatur hodierna exhibitio, & extractio partitarum ab eisdem pera. cta. Tum quia recurrit eadem responsio quod
10 in suo particulari judicio, & non in præsenti recognoscendum est, an constet de totali, & integra exhibitione Librorum. Tum quia libri, qui modo exhibentur non respiciunt nisi administrationē ab anno 1666. ad annum 1672. quando ratio reddi debet de administratione exercita usque ad annum 1682. Tùm demùm quia ex illorū hodierna exhibitione confirmatur illos nunquam fuisse restitutos, nec redditam rationem in executionem dd. decretorum, & sic inconcussa remanebunt res judicata, & turbiditas prædicti crediti Canonizata in alia *Romana Status Zagaroli* 10. *Maii* 1706. *coram Me*.

Adeoùt nihil proficere visum fuerit, quod creditum Census pro quo agitur sit in se
11 liquidum, & clarum, cùm resultet ex publico Instrumento census, quia sicuti ipsemet Principalis debitor posset ab illius solu-
12 tione se eximere opponendo, quod actor sibi ob non redditam rationem est debitor in longè majori summa, cum & hoc ipsum creditum sit æquè clarum, donec pro Creditorem, qui in sua replicatione est actor ostendatur, quod redditio rationis jam facta fuerit *Rota decis.* 99. *num.* 92. *post Merlin. de pignor.* & *dec.* 205. *num.* 4. *part. prima rec.* ita, & fortiùs opponi potest a Tertiis possessori-
13 bus, & de facto in terminis debilioribus ad instantiam Creditorum posteriorum domus Ludovisiæ firmatum fuit in *d. Romana Status Zagaroli*.

Et hęc si procederent, ubi Principalis de-
14 bitor adhuc de non reddita Ratione opposuisset, multo fortius procedere visa fuerunt
15 in præsenti, quo Debitor opposuit, & in Judicio obtinuit, ut supra firmatum fuit.

Et ita, utraque &c.

RO-

ROMANA IMMISSIONIS SUPER FRUCTIBUS.

Veneris 14. Junii 1709.

ARGUMENTUM.

Repete a superiori hic confirmata dec. 580.

SUMMARIUM.

1 *Fructus debentur a die motæ litis, quæ talis dicitur a die transmissionis monitorii.*

2 *Lis ad effectum constituendi in malam fidem per monitorii transmissionem non dicitur introducta, nisi copulativè jurium productio concurrat,* & n. 6., & cur? n. sequ.

4 *Limita cum ex actibus antecedentibus clarè resultat sui mali juris scientiam habuisse.*

5 *Mala fides ob restitutionem fructuum indubitata est in ea, qui nullam jus habuit ad succedendum ad bona, quæ occupavit.*

7 *Mala fides non inducitur ex formula verborum, sed ex scientia mali juris,* & n. seq.

9 *Mala fides ex simplici jurium indicatione quando non inducatur? juxta decis. in Romana restitutionis fructuum 11. aprilis 1708. coram Ansaldo, quæ declaratur.*

10 *Fructus in judicio universali contra injustum occupatorem veniunt, nulla facta distinctione super bona, vel mala fide.*

DECISIO DCXIV.

Probantes DD. fundamenta decisionis editæ coram me in præsenti causa sub die 27. Junii 1708. perstiterunt *in decisis*, condemnando PP. S. Pudentianæ Urbis ad restituendam Faustæ Mariæ Alexandræ Martinellæ, & Susannæ Caffi actricibus fructus perceptos ex bonis Caroli Antonii Cribelli a

1 die 5. Aprilis 1675., cum dubitari non possit, quin lis ab illa die mota non fuerit per monitorii transmissionem *Rot. cor. Bich. decis.* 418. *n.* 2., & *cor. Prial. dec.* 154. *n.* 3., & *in rec. dec.* 549. *n. primo p.* 19., & *in Avenionen. seu Vasionen. Primogenituræ 22. Aprilis* 1695. §. *frustra propè fin. cor. bon. mem. Muto*, & *in alia dec. hujus causæ edita coram me sub die 27. Junii* 1708 §. *Cum enim.*

2 Nec obstat, quod per solam transmissionem ad effectum inducendi malam fidem lis dici nequeat introducta, nisi copulativè jurium productio concurrat, quæ in præsenti non fuit expleta. Etenim cum talis jurium pro-

3 ductio nulla alia ratione desideraretur, quam ad hoc ut reus, & possessor quales sunt PP. prædicti instrui possint de proprio malo jure, uti que de illa opus non erat in casu, de quo agitur, cum ex actibus antecedentibus

4 apertè resultet, eos usque tunc temporis bene conscios fuisse, quod Margherita Mater actricium esset Carolo defuncto, & de cujus hæreditate agitur proximior Patri Hjeronimo, a quo causam habent PP., quodque ille amplissimam renunciationem ante professionem emiserat. Unde sequitur, quod postea in illis scientia proximioritatis Margaritæ, & renunciationis Patris Hjeronymi, indubitata fit mala fides eorumdem, cum Mo-

5 nasterium nullo jure successionem prætendere posset in hæreditate Caroli, *Rota coram Merlin. dec.* 663., & *in rec. dec.* 3. *n.* 26. *p.* 7. & *dec.* 17. *n.* 12. *p.* 18. & *in d. Avenionen. seu Vasionen. Primogenituræ §. absque eo quod*, & *in Romana, seu Leodien. hæreditatis* 9. *Maii* 1704. §. *haud relevante coram bo. me. Muto.*

Et sane constat, quod ipsimet PP. post captam possessionem bonorum hæreditariorum Caroli usque de anno 1666. transmiserunt, Margharitæ monitorium jact. jact. pro defensione propriæ possessionis, & adversus illud eadem Margherita excepit, quod sibi tanquam proximiori debebatur hæreditas, deducendo ad notitiam PP. renunciationem factam a P. Hjeronimo. Quamobrem inconstrovertibile est, quod PP. usque ab illa die

6 habuerint scientiam prædictorum, adout dum postea de anno 1675. fuerunt in judicium vocati, tueri non valeant exceptione, quod simul, & semel jura producta non fuerint; dum de eis longè ante notitiam habeant.

Absque eo quod obstet, quod monitorium fuerit transmissum ad instantiam PP. contra Cinthium de Bronconis, qui nullum habebat interesse super intestata successione, de qua agitur, & Margherita solum super suo jure, & interesse monita fuerit; quoniam pro in-

7 ducenda mala fide vis non stat in formula verborum, qua moniti ad judicium vocantur, sed in dubietate, quam imperrans monitorium ostendit de juribus propriæ possessionis. *Card. de Luca de hæredit. d. sc.* 9. *n.* 14. & *in d. Avenionen., seu Vasionen. Primogenituræ §. frustra cor. bo. me. Muto*. Fortius autem quia, ut præmisimus, huic dubietati actionum accessit notitia deducta ex oppositione facta per Margheritam, in qua fuerunt omnia deducta.

Ulterius de anno 1668. fuit per eosdem PP. inita transactio cum Anna Cribellia, in qua relata fuit renunciatio a P. Hjeronimo emissa cum omnibus suis qualitatibus, & cir-

8 cumstantiis, hinc enim certa resultat scientia hujus renunciationis, qua stante compertum remanet, quod nullum sciebant sibi competere jus ad successionem controversam.

Atque ex his visum fuit applicari non pos-

9 se presenti hypotesi decisionem in *Romana restitutionis fructuum* 11. *Junii* 1708. *cor. R. P. D. meo Ansaldo* in contrarium allegatam, quia in illa ex simplici indicatione testamenti non probatur illius scientia individua, & specifica cum omnibus circumstantiis, & qualitatibus, multoque minus probabatur identitas bonorum subjectorum fideicommisso in dicto testamento ordinato, & tandem concurrebant actus positivi, ex quibus arguebatur recessus actoris a monitorio antea transmisso.

Quibus omnibus accedit, quod hic res

10 agitur in judicio universali moto contra injustum occupatorem hæreditatis, quo casu

su nulla fit distinctio inter bonam, vel malam fidem, ex adductis in *d. mea praeterita dec. §. finali*, & preter ibi relatos *in Romana, seu Leodien haereditatis* 9. *Maii* 1704. *cor. bo. me. Muto*.

Et ita utraque &c.

MELEVITANA, SEU LUCERINA RECEPTIONIS AD HABITUM.

Lunae 17. *Junii* 1709.

ARGUMENTUM.

Agitur de probatione Nobilitatis pro admissione ad habitum Religionis Hjerosolymitanae.

SUMMARIUM.

1 *Restitutioni in integrum via praecluditur ex validitate, & justitia sententiarum, & n. ultimo.*

2 *Nobilitas quaenam probanda sit pro admissione ad habitum Equitis Hjerosolymitani.*

3 *Relationes Commissariorum Sac. Religionis plurimi sunt faciendae ad probandam nobilitatem pro admissione ad habitum.*

4 *Nobilitas probatur ex testibus cum requisitis deponentibus, & cum relatione de auditu a majoribus, & ad lecturam privilegiorum, & scripturarum.*

5 *Catastra publica, & antiquissima plenam nobilitatis pro admissione ad habitum faciunt probationem.*

DECISIO DCXV.

Alphonsus Candida, in Lucerina Civitate ortus, habilitatus fuit ad recipiendum Habitum Sac. Religionis Hierosolymitanae inter Equites Venerandae linguae Italiae, non obstante minoritate, ac plenè probata sua generosa nobilitate ex quatuor lateribus per annos 200., & ultra, obtinuitque probationes praefatas approbari non solum a Commissariis, qui eas receperunt, sed etiam ab Assemblea Prioratus Barvii, ac denique pro bonis, & validis admitti, & acceptari per binas sententias conformes, tam Concilii Ordinarii, quàm Completi Sac. Religionis, a quibus cum appellaverint tres Equites dictę Linguae, causa fuit mihi commissa: & quia per lapsum fatalium illa deserta remansit, ac transitum fecit in judicatum, ideo proposui dubium - *An constet de re judicata, seù potius de causis restitutionis in integrum* - Quod pro Alphonso de Candida dumtaxat informante resolutum fuit.

Clara namque apparuit res judicata favore Alphonsi ex Justitia, & validitate sen-
1 tentiarum promanans, quae idcirco viam restitutioni in integum praecludunt; *Rota in Melevitana Beneficii* 19. *Junii* 1602. §. *Quin in ratificatione cor. R. P. D. meo Ansaldo*.

Validitas ex revolutione actorum deducitur, Justitia vero resultat ex probationibus per Alphonsum expletis, per quas plene
2 justificatum fuit, eumdem ortum suum duxisse a Parentibus nobilibus ducta nobilitate ex quatuor lateribus juxta *Statut. Sac. Religionis tit.* 2. *de probat. facien. ante recept. & Stat.* 37. *tit.* 16. *de verb. signific., & firmatum fuit in dec.* 207. *n.* 6., *&* 7., *& decisione* 2013. *n.* 8. *p.* 13., *& in Asculana nobilitatis Consularis* 27. *Junii* 1708. §. *Quoniam cor. Reverend ssimo decano*.

Justificando ad hunc effectum praefatam
3 nobilitatem, tum ex relatione Commissariorum, qui probationes praedictas accuratè receperunt, & quorum dictis maximoperè deferendum venit, *Rota cor. Duran. dec.* 358. *n.* 9., *& cor. Priolo dec.* 262. *n.* 14., *& cor. Dunozett. Senior. dec.* 185. *n.* 6., *& in rec. dec.* 213. *n.* 9 *p.* 13., *& dec.* 130. *num.* 11.
4 *p.* 17. Tum etiam ex depositionibus novem testium, qui cum omnibus requisitis de nobilitate, & antiquitate familiarum deponunt habendo relationem non solum ad auditum a Majoribus, sed etiam ad lecturam privilegiorum, & scripturarum antiquarum. *Rota coram Seraphin. dec.* 249. *n.* 11. *& cor. Priol, dec.* 113. *n. primo*, *& dec.* 68. *n.* 3 *cor. Cavater., & in rec, dec.* 207. *n.* 7. *p.* 17. Tum denique ex catastris publicis, & antiquissimis, quae signanter de duabus familiis, Paterna scilicet, & Materna plenam fidem adstruunt circa nobilitatem. Ex quibus omnibus, cum undequaque probata remaneat nobilitas Alphonsi, uti que semper firma subsistet Justi-
5 tia sententiarum eamdem approbantium, qua stante in integrum restitutio denegari solet ex supra deductis.

Et ita alieta &c.

ROMANA PECUNIARIA.

Lunae 17. *Junii* 1709.

ARGUMENTUM.

Debiti satisfactio, ut probetur quid requiratur Valutatio monetae juxta quem locum, vel decretę solutionis, vel contractus sit facienda? & cujus commodo, vel incommodo vertat augumentum, vel decrementum ex pecuniarum perceptione proveniens.

SUMMARIUM.

1 *Mandatum validè relaxatur, & ejus executio decernitur pro summa in peritiis liquidata.*

2 *Satisfactio debiti non convincitur ex simplici computo mercatoris lite pendente procurato, & plures patiente exceptiones.*

3 *Satisfactio debiti tanquam quid facti concludentissimis probationibus est justificanda.*

4 *Valutatio monetae non conventa est facienda non juxta locum destinatae solutionis, sed juxta locum contractus.*

5 *Praesertim si adest talis mercatorum, & campsorum praxis, & solitum.*

6 *Attestationibus pro veritate hominum in* ea

ea re versatissimorum, plurimum est deferendum.

7 *Augumentum seu decrementum pecuniarum ratione perequationis, & valutationis unius speciei cum altera cedit commodo, vel incommodo recipientis litteras cambii, non vero Scribentis.*

8 *Vir sagax, & in negociis expertus suum jactare non presumitur.*

DECISIO DCXVI.

Occasione quamplurium expeditionum factarum propriis expensis tàm in Dataria, quam in Cancellaria Apostolica per Franciscum Stempier de ordine Antonii Balgagnon, reportavit Franciscus ab Antonio quasdam litteras Cambii directas suis Correspondalibus, ac debitoribus in Provinciis Hyspaniarum cum onere illas solvere faciendi Ferdinando Manier Bancherio in Villa Matriti; Cumque aliquæ ex istis non fuerint persolutæ; ideò coram Judice vocatus fuit Antonius, & prævia relatione Periti expeditoris fuit contra eumdem à R.P.D Aldrovando tunc in Tribunali A C. condignè sedente relaxatum mandatum pro sc.3411. quod successive executionem obtinuit cor. R. P. D. meo Scotto, qui etiam electionem Peritioris pro instructione animi demandavit. Sed mox appellante Antonio, fuit mihi de novo commissa Causa cum clausula *Alteri qui ad legitimam*, ad istius normam proposui dubium, *An sit procedendum ad legitimam executionem, & an, & in qua summa constet de credito*, & DD. responderunt *esse procedendum ad legitimam, & constare de credito Francisci in summa scutorum* 3411. 53. prout antea decretum fuerat.

Clara namque visa fuit obligatio Antonii, & sic Casimiri, & Luciani illius hæredum, ex quo ad calculum revocatis datis, & recepetis etiam coram Peritiore electo subsistere visum fuit illorum debitum, & respectivè creditum Francisci in recensita summa scutorum 3411. 53, ut resultat ex utraque Peritia, quarum secunda edita fuit post maturum examen omnium, & singularum partitarum, ac etiam litterarum cambii, de quibus in decisione Causæ coram R.P.D. meo Scotto sub die 2. hujus 1706. Ideoque validè, & justè

1 contra dictos hæredes Antonii reos conventos fuit relaxatum mandatum, ac decreta illius executio. *Rota coram Dunoz. Jun. dec.659. num.5., & in rec. decis.63. num.12. par.19.*

Nec ad impediendam ulteriorem executionem attendi merentur ea, quæ deducuntur ad suadendam integralem dicti debiti solutionem, cum in alio non consistant, quam in quadam simplici notula Mercatoris Ma-

2 triti, lite pendente procurata, quæque plurimas patitur exceptiones, & fuit alias à nostro Tribunali cor. R.P D. meo Scotto rejecta, ut ex *dicta decisione* §. *Absque eo quod*; ideoque apta nullatenus est ad concludendam dicti debiti satisfactionem, quæ tanquam quid fa-

3 cti concludentissimis probationibus justificanda venit ab allegante, ut præter adductos in *dicta decis.* §. *submotis*, firmat *Rota cor. Gregor. decis.* 139. *n.* 1. & *in recen. decis.* 118. *n.* 1. *par.* 18.

Et quando etiam dicta fides esset attendenda, adhuc præter exceptiones in dicta decisione adductas non obstaret, cum ex illa ibidem non probetur integralis satisfactio, dum enunciatur, quod scutum auri æstimari nequeat ad rationem juliorum 15 juxta calculum Francisci, sed juxta valorem currentem in Villa Matriti, ubi destinata fuerat solutio, hoc est ad rationem juliorum 17. —. Quoniam cum in coucordia, seu conventione inita inter Franciscum, & Antonium cautum legatur, quod solutio literarum cambii Romæ confectarum facienda esset Matriti, nec quidquam dicatur ad quam rationem valu-

4 tandum sit scutum auri, indè sequitur, quod valutatio ejusdem remaneat sub dispositione juris, & tunc nunquam attenditur locus destinatæ solutionis, qualis erat Villa Matriti, sed locus contractus, hoc est Romæ, ubi Franciscus dedit pecunias erogatas in expeditionibus, & recepit literas cambii. *Scacc. de Commerc. & Camb.* §.2. *gloss.*5. *num.*110. *cum seqq.*, *Surd. dec.*227. *n.*2., *Hodiern. ad. eamdem dec. n.*1. & 2., & benè *Rot. cor. Se-*

5 *raphin. dec.*944. *n.*2. Et hoc solitum esse, & communiter practicari inter mercatores testantur quamplures Campsores, & Bancherii Romæ, qui scutum auri in eisdem literis cambii communiter olim valutabant julios 15., & ad hanc rationem conficiebant, ac dabant literas pro Regnis Hispaniarum solvendas Matriti in moneta inibi currente ad rationem marapetinorum 738. platæ novæ pro unoquo-

6 que scuto aureo; quibus uti versatissimis in hisce materiis & attestantibus pro veritate, plurimum deferendum venit. *Rota coram Merlin. dec.*597. *n.*4. & 36., & *cor. Dunoz. jun. dec.*432. *num.*13.. & *dec.*889. *n.*7., & *in Melevitana pensionum* 16. *Junii* 1698. §. *ex probationibus cor. R. P. D. meo Priolo.*

Addentes ulterius, quod sicut testantur

7 Campsores prædicti, omne commodum, & incommodum promanans ex augumento, seu decremento pecuniarum ratione peræquationis, ac valutationis unius speciei monetæ cum altera specie, cedit in utilitatem, & respectivè detrimentum illius, qui recepit litteras, non autem ejus, qui illas tradidit, & sic cessat juxta dictam attestationem prætensio Antonii gaudendi beneficio scuti auri juxta valutationem faciendam in Villa Matriti, cum ipse literas tradiderit Francisco in satisfactionem expensarum ab ipso factarum.

Augeturque vis argumenti ex facto partium; nam data valutatione scuti aurei ad rationem juliorum 15. sicuti Campsores, & Mercatores testantur, litteræ cambii traditæ ab Antonio, comprehensis etiam illis non solutis, pro quibus fuit relaxatum mandatum, quasi correspondent integræ summæ per

per Franciſcum in expeditionibus erogatæ, quod ſecùs eſſet, ſi procederetur cum valutatione ſcuti aurei ad rationem juliorum 17 -, quia tunc perneceſſe ſequeretur, quod Antonius tradidiſſet litteras ultra ſummam debitam Franciſco in conſiderabili ſumma ſcutorum 3017 circiter, ut habetur ex calculo per Franciſcum dato *Summario n.7.*, quod utique eſt inveriſimile, nec præſumendum in Antonio viro ſagaci, & negociorum experto, q l non ita de facili ſuum jactaſſet ad *Text. in leg. cum de indebito ff. de probat. Rota cor. Coccin. dec.2275. n.3., & in recen. dec.11. n.9. p.18.*

Et ita utraque &c.

CIVITATIS CASTELLI, SEU PERUSINA PRÆTENSÆ MANUTENTIONIS, SEU REINTEGRATIONIS.

Veneris 21. Junii 1709.

ARGUMENTUM.

Collige à Summario.

SUMMARIUM.

1 *Tranſactio bona fide inter perſonas ſanguine conjunctas inita, & longo tempore obſervata ſuper articulo juris dubio eſt omnino ſervanda*, & n.5.

2 *Præſertim ſi ſit initi in præſentia eorum, qui contra eam poſtea venire prætendunt, & ſit potius favorabilis*, & n.4.

3 *Auctoris factum impugnari nequit.*

DECISIO DCXVII.

Cenſuerunt hodie Domini denegandam eſſe manutentionem, ſeu reintegrationem petitam à fratribus de Ferrantibus, & litis conſortibus, ſuper bonis provenientibus à Roſo de Roſis, quæ ſupponebantur obnoxia fideicommiſſo ab eo condito, & ad ipſorum favore purificato. Conſtitit enim, quod tam ſuper prædicta prætenſione, quam etiam ſuper alia deducta à quadam donatione facta uxori à Matthia uno ex hæredibus gravatis prodiit laudum, & ad illius formam ſtipulatum fuit inſtrumentum publicum ſolemnis tranſactionis per Fauſt, nam Catherinam, & alias auctrices illorum de Ferrantibus, & litis conſortium, & facta inter ipſos bonorum diviſione.

His enim ſtantibus, cum agatur de tranſactione bona fide inita inter perſonas arcto
1 ſanguine conjunctas, & pacificè per longum tempus obſervata ſuper articulo juris dubio nam agebatur de interpretanda voluntate Roſi fideicommittentis, an filii in conditione poſiti, & an etiam fœminas teſtator comprehendi voluiſſet, utique agi non poteſt ad manutentionem, ſeu reintegrationem contra ea, quæ per tranſactionem firmata, & ſtabilita fuerunt. *Rota poſt Urceol. de tranſact. dec.82. n.4., & cor. Gregor. dec. 354. n.2., & cor. Cavaler. dec.550. n.4., & in rec. dec.410. n.20. p.16., & dec.286. n.1. p.17., & dec.237 n.42., & dec.262. n.15. p.19.*

Advertendo ulterius, quod illa fuit inita
2 cum præſentia, & conſenſu Blaſii Joſephi, & Angeli parentum fratrum de Ferrantibus, & litis conſortium actorum, quos in legitimos adminiſtratores Matthias deputaverat. Imo cum præfati actores ſint hæredes illarum, quæ tranſactionem inierunt non ſunt
3 audiendi, quia non poſſunt contra earum factum venire. ad *Text. in l vindicantem 17. ff. de evict., Rot. cor. Arguel. dec.99. num.6., & in rec. dec.470. n.45. p.19.*

Tantoque magis, quia iſti commodum, &
4 non damnum ex dicta tranſactione reportarunt: nam in ea quinque ex ſeptem partibus hæreditatis fuerunt aſſignatæ præfatis ſororibus tranſigentibus, quarum duæ obvenerunt ad Gentilem, & Catherinam matrem, & auctrices illorum de Ferrantibus, & aliis fratribus de Roſis duæ tantùm fuerunt traditæ, quando ſi in judicio canonizita fuiſſet purificatio favore illorum de Roſis, & dicta donatio ſuſtineri potuiſſet, nec ipſis de Ferrantibus, nec dd. ſororibus quidquam de prædicto fideicommiſſo, & hæreditate obtigiſſet.

Atque ex his Domini noluerunt conſulto
5 aſſumere examen circa comprehenſionem fœminarum in fideicommiſſo, quia ſemper obſtat tranſactio prædicta ex allegatis.

Et ita utraque &c.

MELEVITANA PERMUTATIONIS COMMENDARUM.

Mercurii 26. Junii 1709.

ARGUMENTUM.

Breve Apoſtolicum in permutatione Commendarum Militenſium non exequendum firmatur, cum fuit ſubreptitium ob narratam utilitatem, quæ non adfuit, & obreptitium ob pactiones aliquid dandi, quæ ſemper ſimoniacæ ſunt, & improbatæ, & ob reticitum jus expectativarum antianis Equitibus competens, de quo plura diſſeruntur, vel quod junior ætate recipiebat pingiorem Commendam, ex quo Antianis præjudicabatur, vel ob reticitas Statutorum in id ordinationes. Nec tunc ab executore executioni poterat demandari, cùm non eſſet verificatum, & ſi demandavit, nullum attamen remanet.

SUMMARIUM.

1 *Breve ſubreptitium executionem non meretur*, & n.23.

2 *Subreptitia gratia pro permutatione dicitur, cum ibidem eum eſſe utilem narretur, quando tamen Commenda permutata inferioris ſit redditus.*

3 *Pactio aliquid alteri dandi in permutatione, eſt improbata, & eam ſimoniacam reddit.*

4 *Et Papæ reticita ſemper gratiam ſubreptitiam reddit, & cur?* & n.7.

5 *In permutatione beneficiorum sibi certam temporalem præstationem pacisci, sine Papæ auctoritate, nemini est permissum, & eam reddit simoniacam.*

6 *Commendæ Equitum Hierosolymitanorum ex communi opinione sunt Beneficia Ecclesiastica.*

8 *Equites melitenses antiani gaudentes expectotiva ad præceptorias dicuntur habere jus in re.*

9 *Et si à lingua rejiciuntur possunt, & solent appellare.*

10 *Papa præsumitur, quod non admisisset, vel difficiliùs permutatianem Commendæ à lingua censerendæ, & in qua Equites antiani jus passivum expectativæ habent, si hoc scivisset.*

11 *Permutatio nulla est, si facta sit sine consensu expectativam habentium.*

12 *Expectotivæ sublatæ sunt à sacro Concilio Tridentino.*

13 *Limita in Equitibus Hierosolymitanis.*

14 *Equites Hierosolymitani non solùm habent expectativas generales, & fixas, sed etiam particulares concessas à magno Magistro.*

15 *Et etiam post Concilium Tridentinum, istæ à sacra Rota sunt approbatæ.*

16 *Papa non dicitur in sua Brevi derogare iis, quæ non fuerunt narrata.*

17 *Expectativis favore Equitum melitensium antianorum, ut derogasse Papam dicatur, constare debet scivisse, & expresiè derogasse.*

18 *Permatatiouem, ob inæqualitatem inter Commendas permutandas, si scivisset, quæ reticita fuit, præsumitur Papam non fuisse concessurum, & cur?*

19 *Et ob inæqualitotem ætatis reticitam cum recipiens pingaiorem Commendam sit valdè junior in præjudicium habentium expectativas.*

20 *Et ob reticentiam statutorum id vetantium.*

21 *Princeps jus tertio tollere velle non præsumitur.*

22 *Præsertim Papa, nisi adsit derogata regula de jure quæsito non tollendo.*

24 *Breve facultativum quid importet? & nisi omnia purè, & sincerè narrata fuerint ab executore, executioni demandari nequit.*

25 *Statutis Apostolica confirmatione munitis inferier derogare non potest, sed servare tenetur.*

26 *Gratia coram executore venit justificanda, præsertim ob clausulam in ejus ventre appositam* -- veris existentibus &c.

27 *Quod si omittatur etiam post executionem nulla remanet.*

DECISIO DCXVIII.

AD Commendarum reciprocam permutationem devenire exoptantes Equites Hierosolymitani Baro Bernardus Nicolaua de Metternich Prior Daciæ, & possessor commendæ Monasteriensis, & Bajuliuus Joannes Sigismundua de Sciasbergh possessor Commendæ Francfurtien., prò opportuno Beneplacito supplicarunt Sanctissimo, qui mediante Apostolico Brevi sub die 23. Julii 1707. facultatem hujusmodi permutationem admittendi impartitus fuit cum expressà derogatione Statutorum Religionis, & aliorum in contrarium facientium, cujus vigore Magnus Magister dictam permutationem admisit, & Equites Permutantes actualem possessionem Commendarum hinc indè permutatarum nacti fuerunt, illamque usque ad præsens continuarunt.

Verùm quia Breve prædictum præjudicium magnum inferebat Equitibus Antianis Linguæ Germanicæ in eorum expectativa, & ex multiplici capite prærogativis, & juribus dictæ Linguæ derogabat, iidem recursum fecerunt ad Sanctissimum, qui cum super omnium cognitione commissionem mihi directam subsignasset, Consuiui DD. -- *An constet de obreptiane, & subreptione Brevis facaltativi de qao agitur, ejusque admissione, & ex ecutione, itaut permutatio Commendarum sit nulla, & irrita* -- Et in omnibus affirmatiuum responsum habui.

Breve enim permutationis Commendarum ex pluribus apparuit subreptionis, &
obreptionis vitio obnoxium, quo casu nullam
1 potuit mereri executionem *Dec. in cap. super litteris num. 4. de rescrit., Lotter. de re benefic. lib. 2. quæst. 54. num. 9. Rota cor. Bich. dec. 479. n. 2. coram Celso dec. 144. n. 9., & coram Ottbobono dec. 115. n. 2.*

Et sanè vitium subreptionis convinci visum
2 fuit, ex eo, quod narratum extitit hujusmodi permutationem fuisse utilem tàm Permutantibus, quàm ipsi Commendæ, quod nullo modo verificatur, nàm quamvis illà adesset respectu Prioris Sigismundi, non tamen aderat respectu Prioris Bernardi, dum iste dimisit Commendam Monasteriensem annui redditus sc. 5000. receptà altera Francofordiensi sc. 2000., & sic utilitas respectu unius ex Permutantibus omninò evanescit, Non obstante quod in compensationem Prior Sigismundus vigore Apocæ conventionalis promiserit vita sua durante persolvere annuam
3 præstationem 4000. Imperialium, quoniam hæc ipsa pactio Papæ reticita, ultrà quod est à Jure communi reprobata, redditque permutationem Simoniæ labe infectam *tot. tit. de Simon.*, & plenè probat *Paris. de resident. Benef. quæst. 17., & quæst. 25. per tot. de Marin. resolut. quotid. lib. 1. capit. 328., Sperell. decis. 2. num. 101., Rot. dec. 386. par. 5. dec. 94. n. 2. par. 6., & dec. 25. a n. 19. cum sequen. part. 12. recent.* Operatur etiam, quod gratia subreptionis vitio laboret, quia
4 si Papa hujusmodi confidentiales conventiones, & illicita pacta scivisset, utique gratiam sinè dispensatione Pontificia non concessisset, quia nemini permissum est in Beneficiorum permutationibus sibi certam aliquam
5 temporalem præstationem pacisci sinè Superioris authoritate. *Cap. quæsitum de rerum permutat. capit. quem pro parte qu. 2., & capit. ultim. de pact., Covarr. variar. resolut. lib. 1. par. 5. num. 8., Barbos. de Jur. Eccles.* uni-

univerf.libr.3. cap.15.n.1709., & feqq., Garziai.de de Benefic.par.1. cap.5. nu.345.,Tondut. de penfion. cap. 16. nu. 12., & fequen.
Quod autem militares Commendæ Equitum
6 Hierofolymitanorum fint Beneficia Ecclefiaftica ex communi opinione tuentur *Barbat. in Clementina Caufa §. Quod fi forfan n. 27. de elect., Gonzal. de Reg. Cancell. 5. §. 6. n. 31., Barbof. de Jur. Ecclef. univerf. liber.3. cap.4. n.70., Rota dec. 569. par.2., & dec.51. n.14. par.7., & dec. 473. n. 7., & feqq. par. 8. recent.*

Nec quidquam juvare poteft, quod dicta pactio expleta fuerit refervato Beneplacito Apoftolico, & approbatione Magni Magiftri, quià ex lectura d. conventionis hoc minimè potuit depromi, dùm Beneplacitum Apoftolicum refervatum dumtaxàt legitur circà approbationem permutationis, non autem circa pacta Simoniaca, quæ femper, & in quocunque cafu Papę narrari debuiffent;
7 undè cum ea fuerint reticita, nec ad illius notitiam deducta, ifta ab impicta labe Simoniaca falvari non poffunt.

Et hæc quoad fubreptionem; quo verò ad obreptionem graviora fuut Capita ex quibus veritas reticita fuit; Pate facta enim non extitit, natura, & indoles commendæ Monafterieufis, quæ eft præceptoria de cabimento ad nominationem ipfius Linguæ debita Æquiti antiano de quorum numero non eft Prior Sigifmundus habens antè fe tres alios Equites antiquiores. Undè cum Equites an-
8 tiani gaudeant expectativa ad hujufmodi præceptorias, per quam dicuntur habere Jus in re, talitèr ut fi occafionem prælationi petitę titulo majoris, vel minoris antianitatis injuftè rejiciantur à Lingua, provocare poffint, & fo-
9 leant ad fuperiorem, prout referunt *Lotter. de re benefic. libr.11. qu. 15. num. 46.. Rota coram Dunozzett. Iunior. dec.817. num.7., & fequen., & coram fa.mem. Alexandro VIII. dec.160. in recent. dec. 7. n. 13. par 17. & in Melevitana Commendæ 4. Junii 1708. §. Quæ omnia cor. me.* Utique Papa fi fciviffet
10 Jus conferendi fpectare ad Linguam, atque Jus paffiuum expectativæ ad Antianos, gratiam certè, vel non conceffiffet, vel faltem difficiliùs conceffiffet finè confenfu Linguę, & Equitum Antianorum ratione eorum interef-
11 fe, fuadente regula, quod permutatio nulla eft, ubi facta legitur finè confenfu Expectantium, ut ex *cap. ultimo de renunciatione in 6., & Clement. eodem titulo*, communiter tenent Doctores relat. per *Parif. de refignat. lib. 2. quæft. 10. per tot., & Rot. decif.609. n.10. par.4. tom.3.rec.*

Non attenta fuppreffione hujufmodi expe-
12 ctativarum facta per *Sacrum Concilium Tridentinum feff. 24. cap.19. de reformat.*, quia
13 quoad Equites Hierofolymitanos fuppreffio limitationem recipit, cum nedum vigeant
14 expectivę generales, & fixę favore antianitatis, fed etiam particulares conceffę à Magno Magiftro antianis ad aliquam fpecialem commendam, ut probat *Lotter. de re benefic. lib. 2. qu. 15. num. 44. Michaleff. in fumma Equitum Hierofolymitanorum verbo*
15 *expectativa num.1.*, eafque noftrum Tribunal etiam poft *Conc. Trid* approbavit, & *fignantèr coram Seraphin. dec. 661. coram fa. mem. Alex. VIII. dec. 160., & in rec. dec. 609. part.4. tom.3.*

In nihilo relevante, quod Papa derogavit hujufmodi expectativę. Omiffio enim, quod ex lectura Brevis de hac derogatione
16 non conftitit, nàm ut dici poffet Papam voluiffe derogare, neceffe foret, quod illi tale jus fuiffet narratum, quodque poftea ha-
17 bita illius explicita fcientia expreffè, non autem tacite derogaffet expectativę, ut docent *Parif. de refignat. lib.2. qu. 10. num. 5., & Rot. coram. Puteo dec. 357. lib.1.*

Facitque crefcere cumulum obreptionum infignis inęqualitas reticita, quę intercedebat inter utramque Commendam, cum illi Monafterien. fit annui redditus fc. 5000, altera vero fc. 2000. dumtaxàt, propter quam
18 inæqualitatem Summus Pontifex difficiliùs gratiam conceffiffet ex præfumptione fraudis, quę in hifce permutationibus paffim intercedere folet juxta Doctrinam *Abbatis in Cap. Quia verefimile numero primo de præfumpt. Monor. eodem titulo lib. 6 prefumpt. 78. n.8. cum fequen. Parif. de refignat. lib. 3. qu.17. num. 3. ad 7., & lib.13. qu. 4. num.8.*,

Atque additur confiderabilis difcrepàntia, quę adeft inter permutantes ratione ætatis cum
19 Prior Bernardus fit octuagennarius, Prior vero Sigifmundus non excedat 43. annos; Quę fane relevantiffimę circumftantię, ficut involuunt confiderabile prejudicium habentium expectativam, ita concedentem a gratia retraxiffent, dum per eas augetur læfio juris expectantium. Et iidem privantur expectativa magna, & proxima, ut bene profequitur *Cardinal. de Luca de benefic. difc. 40. fub num.10.*, quem fequitur alter *de Luca ad Ventrigl. in prax. part.2. adnot. 4. §. 2. fub n.4., Modern. Roman. difcept. Ecclef. cap.39. n.13.*

Ulteriùs reticitum etiam fuit, quod plura
20 vigebant Statuta Religionis permutationes vetantia, & fignantèr Statutum 37., & 40. de Commendis, de quibus fi Papa præmonitus fuiffet, prout omnino neceffarium erat, tanto minus permutationem admififfet fine confenfu, & approbatione Linguę, & Magni Magiftri, totiufque Conventus, itaut exinde fequatur, quod Papa approbando actum, prò quo explendo in Statutis neceffarius erat confenfus ordinis illi non expreffus, cenfeatur id fubreptitiè, & obreptitiè geffiffe ex firmatis per *Rot. in Caftellana aperitionis oris 19. Novembris 1703. §. Procedentes, & §. Et tamen cor. Rmo D. meo Decano, & in Cabilonen., feù Ordinis Ciftercien. 4. Maii 1706. §. Nec obftat coram eodem.*

Haud fuffragante refponfione, quod in Brevi de quo agitur continetur derogatio Statutorum Religionis; quoniam cum hic liquido conftet Papam non habuiffe notitiam
de

de læsione quam ejus gratia afferebat tertiis, & militibus expectantibus, tali ignorantia præsupposita, quia voluntas non fertur in incognitum, in necessariam consequentiam dicendum est, Principem noluisse jus suum alicui tollere, & injustitiam facere, & in gra-
21 tiis Pontificiis regulare est, quod nulli præjudicium inferant, nisi in ventre contineant
22 expressam derogationem regulæ de Jure quæsito non tollendo, quæ prorsùs deficit in præsenti. *Fagnan. in capit. Consultationibus num. 76. de Cler. Egrot.*, *Rota coram Millin. decis. 198.*, *& dec. 334. par. 4. diversor. in recent. dec. 14. par. 6. per tot.*, & in puncto similis Brevis facultativi dixit *Rot. in Melevitana Antianitatis 9. Octobris 1702. §. Post habito coram Reverendissimo Domino meo Decano*.

Patefacta subreptionis, & obreptionis labe, ex ea pernecesse promanat nullitas exe-
23 cutionis, & licet Breve non esset imperativum, sed facultativum, adeout penes Magnum Magistrum stetisset illud exequi, aut non exequi, tamen sicut hoc ipsum probat
24 singularem in Principe concedente prudentiam, ut noluerit arctare ad executionem Brevis, quatenus pensset ab Executore recognosci, quod ei omnia purè, & sincere narrata non fuerint. Ita ostendit non licuisse Executori admittere dictam permutationem in præjudicium Ordinis, & nisi ad formam Statuti 40. requirentis præcedentem consensum Linguæ, cui tamquam munito Apostoli-
25 ca Confirmatione derogare non poterat juxta firmata per *Rotam dec. 136. n. 14 cum sequen par. 7. recent.* Et in omnem casum debuisset prius verificare omnia, quæ fue-
26 rant narrata Papæ, attenta signanter conditione, quam præferunt in ventre omnia Indulta, nempe veris existentibus narratis, quia si ad eorum verificationem deventum fuisset, sine dubio Breve executioni non fuis-
27 set demandatum ex rationibus supra deductis: unde stante defectu verificationis, permutatio quamvis executioni demandata uti facta sine legitimo Superiorum Beneplacito nulla remansit *Imol. in capit. super litteris n. 19. de rescript.*, *Garz. de Benef. p. prima v. qui ait c. 5. n. 443*, *Rot. de 147 n. 5. p. 7. rec.*

Et hæc quoad merita causæ: quoniam vero opponebatur nullum adesse mandatum procuræ ad effectum comparendi in Judicio, & allegandi exceptiones prædictas, DD. censuerunt ex facto cessare quamlibet difficultatem, quia exhibita fuit deliberatio Linguæ Germanicæ reccurrendi ad Sanctissimum pro revocatione Brevis, & publicum Instrumentum generalis mandati Procuræ confectū a Commendatario fratre Carolo Josepho uti Procuratore Antianorum Linguæ Alemannæ præter alterum mandatum Procuræ aliarum Linguarum ad effectum judicialiter agendi, & omnes exceptiones opponendi, ut in *Summ. num. 4.*, *& 6.*

Et ita utraque resolutum fuit &c.

BURGEN. JURISDICTIONIS.

Mercurii 26. Junii 1709.

ARGUMENTUM.

Quid requiratur, ut prælato inferiori territorium competat separatum, quo secluso, licet habeat jurisdictionem civilem, & criminalem ad certam personam, & locum restrictam, non ideo confunditur ista cum universali, & diæcesana, nec de uno ad alium extenditur. Et actus permulti, quibus hæc qualitas territorialis excluditur latè perpcuduntur. Commissio curæ non a d. Prælato inferiore, verū ab Episcopo est facienda, qui potest Vicarios ad tempus pro libito admovere, novoque examini subicere, & quare? Neque talis prælatus inferior functiones parochiales in sua Ecclesia potest exercere, sed si facit excommunicationem incurrit.
Est revocatoria superioris decisionis 581. In hac causa est dec. 582., & proximè sequens.

SUMMARIUM.

1 *Territorium separatum, & proprium Diæcesim soli Episcopi de jure habere dicuntur.*
2 *Prælati inferiores, si separatum territorium habere prætendunt, probare debent illud obtinuisse vel ex speciali privilegio Papæ, vel acquisivisse ex præscriptione immemorabili, aut quadragenaria cum titulo, juncto n. 4.*
3 *Papa solus potest territoria separare, & distinguere.*
5 *Disputatio jurisdictionis criminalis in Clericos suæ Ecclesiæ favore Abbatis vana esset, si constaret de ejusdem territorio separato, & jurisdictione quasi Episcopali.*
6 *Territorium separatum, & jurisdictio quasi Episcopalis Abbatis necessario secumfert jurisdictionem criminalem in Clericos suæ Ecclesiæ.*
7 *Abbas cum conceditur tantum jurisdictio criminalis in Clericos suæ Ecclesiæ habetur pro Prelato inferiori sine qualitate territoriali.*
8 *Abbatis jurisdictio contentiosa ad certū effectū, certumque genus personarum, & locum, est compatibilis cum universali, & diacæsana, quæ cum illa non confunditur, & habet locum privativè quoad Episcopum intra limites concessionis; quin transferat parochialitatem, & curam in Populo n. 32.*
9 *Sententiæ Rotales licet amplissimæ, a decisionibus regulantur, & restringuntur.*
10 *In sententiis rotalibus nihil decerni valet, quod sit disforme, præter, vel contra decisionis tenorem.*
11 *Decisiones subsequentes infirmantes antecedentes absolutè, & indefinitè, ita sunt intelligendæ, & non taxativè.*
12 *Decisio declarans territorium separatum non competere quoad Ecclesiam, & agros in una donatione contentu, ecjus vigore prætendebatur; indistinctè omnia comprehendit.*

14 *Ter-*

13 *Territorium separatum favore Abbatis totaliter excluditur si Episcopus decimas percipiebat*, & num. 19.

Et cum beneficiati Ecclesię tenentur se conferre ad supplicationem cum Cruce Episcopi, Monaci campanas pulsare, & Officium incoare nequeunt antequam Episcopus sit Ecclesiam ingressus.

Et cum Sacerdotes Ecclesię visitabat.

14 *Jurisdictio Abbati concessa ad certos limites, & personas restricta non verificatur qnoad Cleram, & populum.*

15 *Subiectio plenaria in temporalibus, & spiritualibus Ecclesię Prelato inferiori non arguit ordinariam illius jurisdictionem quoad curam, popalum, & administrationem Sacramentorum dependentia a diæcesana jurisdictione cam illa compatibili, & totatiter discriminata.*

16 *Territorium an sit separatum ab argumenmentis antecedentibus, concomitantibus, & subsequentibus conjcitur.*

17 *Territorium separatum excludit reservatio Episcopo in transactione conventa, qnod apud illam remaneret exercitium Curæ, licet facultas audiendi confessiones Capellanis ab Abbate deputandis tantam ab Episcopo committi posset*, & n. 20.

18 *Et sita ordinariam Episcopi jurisdictionem tanquam Paroci universalis probans.*

21 *Ad Territorii separati disputationem dirimendam inservit videre concessiones Pontificias, in quibus fundatur.*

22 *Territorium separatum excludit centenaria observantia exercendi ab Episcopo actas, qui ad verum diæcesanum pertinent, & quæ enumerantur.*

23 *Observantia quid in sententiis concessum, & denegatum fuerit ostendit*, & n. 33.

24 *Observantia centenaria, etiam præcisivè a sententiis illam antecedentibus, dat quemcumque maliorem titulum de mundo.*

25 *Actus in maximo numero sub alicujus oculis gesti cum ejus scientia dicuntur.*

26 *Actus ab Ordinario exerciti in vim proprię & nativæ jurisdictionis pro reiciendo territorium separatum Abbatis scientiam, vel rati habitationem non exigunt, & cur?*

27 *Episcopus dicitur habere juris assistentiam in exercitio omnimodę jurisdictionis diœcesanę, & Ecclesiasticæ in Clero, & Populo sito in sua diœcesi.*

28 *Commissio Curæ Capellanis per Abbatem in saa Ecclesia qnoad curam, & Populum ibi non subiectam nominatis, spectat ad Episcopum, & cur?*

29 *Præsertim desuper concurrente transactione observata, quæ ideo venit inviolabiliter attendenda.*

30 *Abbas inconsulto Episcopo nequit parochiales functiones exercere, cum in Episcopo insit Cura habitualis.*

31 *Et si se ingerit in administratione Sacramentorum, & exercitio jurium parochialium in plebe Episcopi ipso facto excommunicationem incurrit.*

34 *Abbas impedire non potest, ut in Vicaria manuali, & ad natum amovibili a diœcesi non divisa ad tempus, & limitate Vicarios approbet Episcopus.*

35 *Institutio, & destitutio Abbati concessa refertur ad alia Beneficia in Ecclesia existentia, non ad curam animarum, quę non in titulum, sed amovibiliter, & ad nutum Vicariis concedi ibidem solet.*

36 *Episcopus, qui potest limitatè, & ad tempus Vicarios approbare, potest illos novo experimento subicere, quod si absolute approbare deberet, remissivè.*

37 *Fortius adstipulante observantia universali Diœcesis, & particulari Ecclesię.*

38 *Observantia prospiciens servitio, & saluti Animarum est favorabilis, & attendenda.*

39 *Observantia subiciendi novo examini Vicarios ad curam ad nutam amovibiliter electos cur sit favorabilis, & attendenda.*

DECISIO DCXIX.

CUM supposito, quod Abbas Parochialis Ecclesię olim S. Joannis, modo verò S. Adalelmi nuncupat. extra muros Civitatis Burgen. frueretur territorio separato, & jurisdictione quasi episcopali in Populum, & Clerum in d. Patochia degentem vigore antiquarum sententiarum, & rei judicatæ rotalis tam in decisionibus in præcedenti instantia editis coram R. P. D. meo Ansaldo, quam in alia edita coram me in hac ulteriori instantia die 2. Julii superioris anni responsum fuit, quod eidem Abbati competebat jus committendi exercitium curæ Animarum in d. Ecclesia S. Adalelmi Vicariis per se ipsum deputatis, & exercendi respectivè per se ipsum omnes actus parochiales, & administrandi Sacramenta in d. Parochiali, sine ulla licentia, & approbatione Archiepiscopi, quodque Vicarii indefinitè, non autem ad tempus limitatum essent per eumdem Reverendissimum Archiepiscopum approbandi, semelque approbati novo examini iterum subyci non possent, verum quia hodie constitit, quod Abbas prædictus non fruebatur territorio separato, nec Jurisdictione quasi Episcopali, idcirco DD. pro *recessu a decisis* respoudetunt.

Præmissa enim inconcussa regula, quod
1 Territorium distinctum, & separatum, ac
propriam Diæcesim de jure solum Episcopi
2 habere dicuntur, itaut alii Prælati inferiores, quatenus illud prætendant teneantur
probare, vel illud habuisse ex speciali pri-
3 vilegio Papę, ad quem solum spectat territoria distinguere, & separare *cap. Contingat de foro compet. ubi Hostien. n. primo. But. n. 11. vers. de consuet., Abbas n. 19. Cella-*
4 *mer n. 15.* vel acquisivisse ex pręscriptione immemorabili, aut quadragenaria cum titulo, ut plene probat *Tambar. de jur. Abbat. dec. 15. q. 9. n. 7. Card. de Luca de Judic. disc. primo n. 12. Gratian. discept. forens. cap. 252. n. 16. & 18., Rot. cor. Burat. decis.*

578. *n.* 2., *& in rec. dec.* 220. *n.* 5.*p.*9., *&* 304. *n.* 7. *p.* 11.

Neutra ex dd. probationibus allata fuit ab Abbate; Ipse enim unice totum suum fundamentum constituit in quadam asserta re judicata nostri Tribunalis, eo quia per geminas decisiones editas coram bo. me. Orano usque de anno 1594., 1595. impress. post *Tambur. de jure Aab. in ordine la* 41., *&* 42. fuerit firmatum, quod vigore privilegii concessi a Sa. me. Sixti IV., ac Paulo III. & longevæ possessionis concessa extiterit Abbati jurisdictio quasi episcopalis cum territorio separato, & quarum vigore emanarunt sententiæ, & executoriales Rotales.

Istius autem fundamenti insubsistentia ex historia rerum gestarum satis corruere visa fuit: quoniam reclamantibus tunc temporis defensoribus Archiepiscopi fuit ad eorum instantiam subscriptum particulare, & separatum dubium -- *An constaret de territorio proprio, & separato d. Abbatis* -- quod negativè semel, atque iterum resolutum fuit, non attentis privilegiis præfatis, ut patet ex *decisionibus editis* 4. *Decembris* 1595., qua responsum fuit Abbatē non gaudere Territorio separato, & 7. *Februarii* 1596., qua sub fundamento, quod Abbas non haberet territorium separatum, concessa fuit manutentio favore Archiepiscopi, & revocatum mandatum de manutenendo obtentum ab Abbate in quasi possessione cognoscendi causas criminales.

Et licet prosequuta postmodum causa allæ editæ fuerint decisiones super aliis articulis, in illis tamen pro certo habitum fuit, Abbatem non gaudere jurisdictione quasi episcopali, cum ipsimet scribentes pro Abbate talem prætensionem deserverint, ut ex particulis informationum hodie exhibitis; & de facto in decisionibus subsecutis examinata
5 extitit quæstio -- *An Abbas vigore privilegii Sixti IV. gauderet jurisdictione criminali in Clericos d. Ecclesiæ* -- quæ sublata non diceretur per Concilium Tridentinum eaque foret privativè, vel cumulativè cum Archiepiscopo, quæ inspectiones sicuti inu-
6 tiles fuissent, si firma remansisset separatio Territorii, & jurisdictio quasi episcopalia Abbatis secumferens etiam dictam faculta-
7 tem, ita pro necessaria consequentia dicendum venit; quod seclusa qualitate territoriali Abbas habitus fuit pro Prælato inferiori potiente jurisdictione criminali in Cleri-
8 cos, & inservientes Ecclesiæ, compatibilicum universali, & diœcesana, quæ non confunditur cum jurisdictione contentiosa ad certum genus personarum, & locum restricta, ex firmatis per *Rotam in Calaguritana Pontificalium* 19. *Novembris* 1696. §. *&* *summatim cor. bo. me. Ursino in Giennen. adinctorum* 23. *Januarii* 1702. §. *Consonatur cor. R̃mo D. meo Decano, & in Leodien. Jurisdictionis* 27. *Aprilis* 1703. §. *Quinimo cor. R. P. D. meo Ansaldo*.

His autem stantibus, non possunt dd. sententiæ, & executoriales, quamtumvis amplissimis verbis conceptæ Territorii separationem decernere, cum principium sit undique
9 admissum, quod sententiæ regulantur a decisionibus, & ab eis restrictionem recipiunt,
10 etiamsi verba omnis generalia comprehenderent, cum in eis nihil contineri, vel decerni valeat, quod difforme sit, & præter, vel contra decisionum tenorem; *ad tradit. per Scac. de sentent.*, *& re judicata Glos.* 14. *q.* 7. *n.* 72. *Rot. cor. Bich. dec.* 370. *n.* 5., *& cor. Burat. dec.* 328 *n. primo*, *& in rec. dec.* 267. *n.* 24. *p.* 19., *& in Toletana Jurispat.* 5. *Junii* 1697. §. *Validitat in fine cor. R̃mo Conchen.*

Difficultatem agnoscentes defensores Abbatis conabantur suadere, quod exclusio territorii in mox enunciatis decisionibus referenda sit ad 14. agros, ad quos Abbas jurisdictionem suam quasi Episcopalem ampliare contendebat, non autem ad Ecclesiam Sancti Adalelmi, quam esse de territorio separato jam antea definitum fuerat in dictis primis *decisionibus* 41. *&* 42. *impress. post Tam-*
11 *bur.* At ultra quod dictæ decisiones fuerunt per alias subsequentes expressè revocatæ, & resolutio capta in eis, sicut absolutè & indefinitè territorium excludit, non autem taxativè quoad agros, aliaque certa loca, ita absolutè venit intelligenda.

Replicatio nimis debilis & insubsistens visa fuit ex pluribus. Et primò quia in prima decisione præcedentium revocatoria examinatur donatio Alphonsi, quæ percutit ne-
12 dum castra & agros, sed etiam ipsam Ecclesiam; undè dum ibi Rota declarat nullam ex ea competere jurisdictionum quasi Episcopalem, clarum fit, quod exclusio territorii etiam Ecclesiam indistinctè comprehendit. Secundò, quia in eadem decisione refertur, nostrum Tribunal motum fuisse ad ita decidendum. Tum ex quo Archiepis-
13 copus in vim concordiæ, quæ à Mauritio Archiepiscopo nomen assumpsit Mauritianæ percipiebat partem decimarum, & oblationum quæ perceptio designat ordinariam jurisdictionem, tum ex quo Beneficiati Ecclesiæ S. Adalelmi tenebantur se conferre ad processiones, & cum Cruce Archiepiscopum associare. Monaci verò prohibebantur pulsare campanas, & officium incoare antequam Episcopus in Ecclesiam ingressus fuisset: tum ex quo deinde Archiepiscopus visitabat sacrarium Ecclesiæ prædictæ, & in ea exercebat jura Episcopalia, quæ fundamenta, & rationes cum respiciant exclusionem totalem territorii, non possunt limitari & restringi ad solam continentiam agrorum & castri.

Nec quidquam afficit, quod tam in primis decisionibus, quàm etiam in aliis postea editis, & signanter in illa impressa *la* 717. *p.* 4. *diver.*, ac etiam in literis executorialibus canonizatum fuerit Ecclesiam S. Adalelmi pleno jure reperiri subjectam Abbati, etiam privativè ad Archiepiscopum. Quoniam illis benè consideratis, constat quidem fuisse declaratum, quod *Monasterium* (sunt verba seo-

ſententlæ Reverend. Patris Domini Erani)
*una cum Parochiali. Eccleſia, atque perſo-
næ, tam Clerici, quàm Sæculares, ac quæcum-
que aliæ perſonæ tam in d. Monaſterio, quom
in dicta Parochiali Eccleſia degentes, & illis
quomodolibet inſervientes &c. eſſent liberi
& immunes ob omni, & quacumque juriſdi-
ctione, ac ſuperioritate D. Archiepiſcopi.* Sed
14 nou exindè inferri poteſt, quod iſta conceſ-
ſio ad certos limites, & perſonas reſtrictas
verificetur etiam quoad Clerum & populum
de quo nulla eſt facta mentio, & in quo ſtat
15 cardo difficultatis cum ſimul ſtare poſſit,
quod Eccleſia & in ea degentes ſit pleniſſi-
mè ſubjecta Prælato inferiori in temporali-
bus & ſpiritualibus; quodque jus plenum
quoad curam populorum, & adminiſtratio-
nem Sacramentorum maneat ſub juriſdictio-
ne diœceſana proprii Ordinarii; adeò ut à
ſubjectione Eccleſiæ & perſonarum in ea de-
gentium, inferri non poteſt ad ordinariam
juriſdictionem in Clerum, & populum cum
una ab altera totaliter, diſcriminetur, ut pro-
bant *Abbas in cap. cum plantare n.6. & ſeq.
cap. paſtoral. num.7. de privileg., Rebuff. in
prax. part.1. tit. de un. Beneſ. Gloſſ. 11. num.
11., Ricc. in prax. reſol. 293. num.4 tom.1,
Tondut. qu. beneſ. cap.1. §. 5. n.12, Card. de
Luc. de juriſdictione diſc.1. n.7., Rot. coram
Pamphil. dec.693. n.4. tom.1. per tot., in rec.
dec.49. n.24. p.15., & dec.93. num.10. & ſeq.
p.16, in firmana juriſdictionis ſuper puncto
Eccleſiarum 10. Maii 1700. §. hoc ipſum, & 17.
Martii 1702. §.13. cor. Rm̃o D. meo Decano.*
Hæc omnia licet in ſe clara ſint, tamen
16 clariora redduntur ex pluribus argumentis
antecedentibus concomitantibus, & ſubſe-
quentibus. Et ſanè antecedentia eruuntur ex
dicta concordia Mauritiana, in qua declara-
tur tertiam partem decimarum Eccleſiæ S.
Adelelmi ſpectare ad Archiepiſcopum; exer-
17 citium verò curæ cum facultate audiendi
confeſſiones Capellanis ab Abbate deputan-
dis non niſi quam per Archiepiſcopos com-
mitti poſſe, cum aliis conventionibus ſupra
18 relatis, quæ ordinariam juriſdictionem in
Archiepiſcopo tanquam penès Parochum
19 univerſalem ad evidentiam probant, ut ſi-
gnanter de decimis *Rot. poſt Card. de Luc.
de juriſdictione dec.18. ſub num.1. & ſeq., &
dec.20. n.23., & in Burgen. juris inſtituendi*
20 *23. Junii 1690.*, & de approbationibus ad
confeſſiones aliiſque actibus, *Rota. deciſ. 20.
n.23., & in Burgen. juris inſtituendi. Rota
dec.20. n.21. poſt Card. de Luc. dec 310. n. 3.
penès poſth. de manut., & cor. Zarat. dec.10.
n.19. in rec dec. 22. n.2. p.7.*
Concomitantia promanant, ex quo do-
21 cumenta exhibita per Abbatem occaſione
dictæ antiquæ litis reſtringuntur ad ſolum in-
dultum Sixti IV. confirmatum à Paulo III.,
quod certè non tribuit Abbati territorium
ſeparatum, ſed juriſdictionem duntaxat civi-
lem. & criminalem in Eccleſiam & perſonas
in ipſa Eccleſia degentes, eique inſervientes.
Subſequentia verò deducuntur ex pluſquam
22 centenaria obſervantia elicita ex pluribus
actibus geſtis per Archiepiſcopos, tum quia
pro tempore decimas receperunt, & appro-
barunt Sacerdotes ad confeſſiones, commi-
ſeruntque curam Capellanis: tum quia Ec-
cleſias, & Confraternitates in ea erectas au-
ctoritate ordinaria viſitarunt: tum quia &
tandem pontificaliter ordinarunt Clericos,
diſpenſarunt in matrimoniis, adminiſtrarunt
Sacramenta Confirmationis, cauſas ſpiritua-
les vertentes inter Parochianos dictæ Eccle-
ſiæ judicialiter cognoverunt, aliaque omnia
geſſerunt, quæ ad verum Diæceſanum perti-
23 nent: quæ obſervantia non ſolùm digito de-
monſtrat, quod in ſententiis fuerit conceſſum,
& reſpectivè denegatum; verùm etiam ope-
24 ratur preſcindendo etiam à prænarratis re-
ſolutionibus inductionem cujuſcumque me-
lioris tituli de mundo: *1. Rot. dec.150. n.4. 5.,
dec.174. n.10. p.18. rec. in Ferraren. decimar.
ſuper jure univerſali 7. Junii 1696. §. Et au-
getur cor. bon mc. Urſino, & in Illerden. unio-
nis 27. Iunii ejuſdem anni §. Hoc autem cor.
eodem.*
Non attento, quod actus hujuſmodi juriſdi-
tionales exerciti fuerint ab Archiepiſcopis
ſine ſcientia & patientia Abbatum; ultro
25 quod enim quoties in tanta illorum plurali-
tate ſub oculis Abbatum pro tempore ad effe-
ctum deductæ fuerunt, vanum eſt illorum
26 ignorantiam allegare, cum præſens quæſtio
verſetur circa actus ab ipſo Ordinario exerci-
tos in vim propriæ & nativæ juriſdictionis, nul-
la ſcientia, nullaque alterius ratiabitio requi-
ritur, ex quo tunc dicitur uti jure ſuo, nec
aliquid innovare in alterius præjudicium.
*Tamburin. de jur. Abbat. tom.1. diſput.25.
q.9. n.23.24., Adden. ad Barat. dec.579 n.16.,
Rot. in Caputaquen. juriſdictionis ſuper bono
jure 4. Maii 1708. §. Siquidem cor. R. P. D.
meo Caffarello.*
Excluſa qualitate territoriali, & juriſdi-
ctione quaſi Epiſcopali, facilis viſus fuit re-
ceſſus à deciſis quoad ſequentes actus, de
quibus agitur in præſenti, firmis cæteroque
remanentibus illis ſuper quibus verè & pro-
priè cadit res judicata; nam reſpectu aliorum
eo ipſo, quod ſtat firmum quod Eccleſia S. A-
delelmi non ſolùm ſita eſt intra fines Diæceſis
Burgen., ſed etiam in ipſamet Civitate; indè
27 ſequitur quod Archiepiſcopus dicitur habe-
re juris aſſiſtentiam ſuper exercitio omnimo-
dæ juriſdictionis Diæceſanæ, & Eccleſiaſticæ
in Clerum & populum habitantem in Paro-
chia S. Adalelmi; adeò ut reſpectu primi, actus
28 concernentes commiſſionem curæ Capella-
nis per Abbatem nominatis, commiſſio curæ
fieri debet per Archiepiſcopum, non autem
per Abbatem, ea quidem ratione, quod cum
dicta Eccleſia quoad curam, & populum non
ſit ſubjecta Abbati, ſed Archiepiſcopo, uti-
que commiſſio ad ipſum quoque ſpectare de-
beat, cujus ſunt oves habitantes in Parochia,
per *text. expreſ. in cap. cum plantare. In Ec-
cleſ. de privil. in 6. cap.1. de verb. ſignificat.
in 6.*

Maximè

Maximè quia concurrit favore Archiepis-
copi dicta concordia Mauritiana inita usque
de anno 1242. In illa enim specificè etiam
concondatum legitur, quod Capellanus, seu
Vicarius sit ab Abbate deputandus; ab Ar-
chiepiscopo verò impartienda sit facultas ad-
ministrandi curam animarum, prout hoc ip-
sum servatum fuisse demonstrant litteræ pa-
tentes semper à solo Episcopo concessæ, de
quo deponunt plures testes formiter exami-
nati de annis 1648., 1684., & 1696.: qua-
29 propter sive dicta concordia accipiatur
per viam tituli de per se operantis, sive per
viam declarationis ejusdem, quod de jure in-
herat, semper probat bonum jus Archiepisco-
pi, venitque propterea inviolabiliter obser-
vanda, ad *text. in cap.1, & cap.1. fin. de pact.
in 6. leg. non minor. Cod. de transact. Rota
dec.310. n.1. p.5. dec.5. nu.1. & seq. dec.218.
n.4. p.7. rec.*

Transeundo autem ad alterum actum, mi-
nori jure potest Abbas adstruere sibi faculta-
30 tem exercendi functiones Parochiales per
seipsum: nam eo ipso quod Archiepiscopus
est Parochus universalis totius Diœcesis; ex
indè sequitur, quod dum habitualis cura pe-
nes ipsum residet, nequit Abbas illo incon-
sulto functiones per seipsum assumere: & si
se ingerit in administratione Sacramentorum
31 & exercitio functionum Parochialium in
plebe Episcopi, ipso facto incurrit excommu-
nicationem. Ad *text. in Clem.1., & plenè
Barbos. de potest. Paroch. cap.20. n.7., Card.
de Luc. in addit. ad disc.15. de jurisdict. in
supplement. n. 23. & seq.*, quam veritatem
optimè agnoverunt Abbates pro tempore,
qui vel se non intromiserunt in exercitio fun-
ctionum Parochialium, & Sacramentorum
administratione in dicta Parochia, vel licen-
tiam ab Archiepiscopo petierunt, ut resul-
tat ex *Summ. Archiepiscopi distribut. 6. Maii
præteriti n.39. & 40.*

Haud suffragante, quod Ecclesia S. Ade-
lelmi sit plenariè memorato Abbati subjecta,
quodque in antiquis executorialibus decer-
natur eidem privativa jurisdictio tam in civi-
libus & matrimonialibus, quàm in criminali-
bus in personas & Clericos: quia cum juris-
dictio circumscripta sit intra limites Mona-
sterii, Ecclesiæ, & personarum in illis de-
32 gentium; illa quidem operari poterit facul-
tatem privativè quoad Archiepiscopum co-
gnoscendi causas civiles & criminales Mona-
corum, aliorumque inservientium Monaste-
rio, non autem translationem Parochialitatis,
& curæ in populum, ut optimè firmat *Rota
dec.13. n.7., & dec.29. n.9., & seq. post Anto-
nell. de jure & onere Cleric., & in Firmana
jurisdictionis 15. Aprilis 1703. §. Hanc ob-
servationem cor. Rmo D. meo Decano.* Ad-
33 stipulante signanter observantia juxta quam
ipsi Abbates, quoties voluerunt aliquam ex
functionibus explere opportunam licentiam
expostularunt, ut resultat ex ipsis licentiis
pro tempore concessis, de quibus etiam de-
ponunt testes superiùs relati.

Pari insubsistentia laborat prætensio Ab-
batis prohibendi Archiepiscopo, ne possit ad
tempus, & limitatè Capellanos approbare:
quoniam posita exclusione separationis dicti
territorii, cum nunquam Ecclesia S. Adelel-
mi fuerit avulsa ab Archidiæcesi, sicut illa
remanet pura Vicarià manualis, & ad nu-
tum amovibilis, prout sunt aliæ, quæ reperiun-
tur in eadem Archidiœcesi, & curam exer-
cent nomine Archiepiscopi, nequit iste per
34 Abbatem restringi, ut Vicarios deputandos
absolutè approbet; sed illos limitatè, & ad
tempus recipere potest, quemadmodum fir-
matum fuit per *Rot. coram Peuting. dec.15.
n.23., dec.13. n 67. & seq., dec.66. n.24., & cor.
Carill. dec.96. n.7. & seq.*

Quin objici valeat, quod ita Abbas priva-
retur jure illo instituendi, & destituendi,
quod sibi competere definitum fuit in anti-
quis executorialibus; quia cum tale jus com-
35 petens Abbati referatur ad ea beneficia,
quæ existunt in Ecclesia S. Adelelmi, quo-
rum institutio, & destitutio ad eum perti-
net in vim Brevis fa. me. Sixti IV., extendi
non potest ad curam animarum, quæ non in
titulum, sed amovibiliter, & ad nutum Vi-
cariis committitur, & cujus respectu termini
institutionis adaptari non possunt. *Rota post
Pacibel. de distan. dec.29. n 10., & in Faven.
jurisdictionis 21. Ianuarii 1704. §. Quod enim
cum seq., & 16 Iunii ejusdem anni § Sed præ-
ter cor. R.P.D. meo Scotto, & 5. Iunii 1703.
§. Cum ergo cor. R.P.D. meo Caffarello.*

Minusque tandem controvertere valet
Abbas, quod Archiepiscopus ad novum exa-
men compellere posset Capellanos, & Vi-
36 carios ab eo nominatos; quia admissa in
Archiepiscopo facultate approbandi limita-
tè, & ad tempus, ex eo sequitur, quod ei per-
missum est illos ad novum experimentum
subjicere, quidquid dicendum foret, si abso-
lutè approbandi essent, ut distinguit *Pian.
oper. moral. tom.7. tract.1. resol 67. n.3., & re-
sol.68. n.4., Cabsut. in Theoremat. jur. canon.
lib.1. c.10. n.14., Rodriguez. quest. regul. tom.1.
q.19. art.8.* Maximè quia etiam in hac parte
37 concurrit observantia tam universalis in to-
ta Diœcesi, quam individua in ea Ecclesia,
de qua agitur, juxta quam Vicarii semper li-
mitatè, & ad tempus fuerunt approbati, ac
38 ad iteratum examen compulsi; quæ obser-
vantia utpotè favorabilis, & magis prospi-
ciens servitio, & saluti animarum, eo fortius
39 attendenda venit, cum Vicarii metu novi
examinis diligentiores, & promptiores fiant
ad servitium sub spe obtinendi prorogatio-
nem in officio, ut ponderat *Card. de Luc. de
jurepat. disc.15. n.3. & 11., Rot. cor. Peuting.
dec.53. n.73., & cor. Coccin. dec.78. n.13.*

Et ita utraque &c.

BURGEN. JURISDICTIONIS SUPER REMISSORIA, ET COMPULSORIA.

Mercurii 26. Junii 1709.

ARGUMENTUM.

Receditur à superius decisis dec. 582. & cor-
ruente

ruente ſuppoſito reſiſtentiæ rei judicatę ex generalibus regulis remiſſoria, & compulſoria conceditur. Et attingitur differentia, quæ intercedit inter limitatam juriſdictionem ad certum genus perſonarum, & locum Abbati conceſſam, & territorium ſeparatum; quod etiam excluditur ab immemorabili conſuetudine Epiſcopi ibidem exercendi ordinariam diæceſanam juriſdictionem. In hac cauſa ſunt dec. 581. & proxime antecedens.

S U M M A R I U M.

1 *Remiſſoria, & compulſoria non denegatur cum materia articulata, & jura compulſanda relevantia reputantur, & conferentia ad victoriam Cauſæ* & num.6.

2 *Maximè ſi materia eſt profana.*

3 *Profana dicitur quęcumque controverſia, quę titulum beneficii non tangit.*

4 *Et tunc remiſſoria conceditur in ulteriori inſtantia, & in gradu reſtitutionis in integrum.*

5 *Territorium ſeparatum, & juriſdictionem Epiſcopalem excludunt actus immemorabilis, ex quibus Epiſcopus ordinariam, & omnimodam juriſdictionem quoad Populum, & clerum in illos exercuit.*

7 *Remiſſoria, & compulſoria faciliùs conceduntur, cum concurrit fumus materiæ articulatæ.*

8 *Fortiùs cum non petitur ad fundandam intentionem, ſed ut magis latè pateant jura, & fundamenta jam approbata, & cur?*

6 *Juriſdictio reſtricta ad certum genus perſonarum, & locum Abbati conceſſa non importat juriſdictionem Epiſcopalem cum territorio ſeparato, nec cum ea confunditur.*

D E C I S I O DCXX.

REmiſſoriam petitam à Reverendiſſimo Archiepiſcopo Burgen. ad effectum probandi ipſum ſemper exercuiſſe omnimodam Juriſdictionem Epiſcopalem in Clerum, & Populum, alioſque actus reſpicientes Curam Animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum geſſiſſe etiam in Parochiali Eccleſia S. Adelelmi, tanquam de directo pugnantem contra antiquas Sententias, & rem Judicatam, denegandam eſſe DD. cenſuerunt coram me, eo ſub inſubſiſtenti fundamento, quod in illis firmata fuiſſet favore Abbatis dictę Eccleſię pertinentia Territorii ſeparati, & Juriſdictionis Epiſcopalis.

Verum quia hodie ex firmatis in altera contemporanea Deciſione alterius pręcedentis revocatoria, quę ſuper negocio principali prodiit coram me, corruere viſum fuit fundamentum prędictum, eoque deficiente Abbatem nullo Jure fuiſſe monitum pro exercendis actibus Juriſdictionalibus, & Diœceſanis; Quamvis Archiepiſcopus ex iis, quę de novo tam in facto, quam in Jure comperta fuerunt, ſibi certe ſuadere poſſet, ſupervacaneum eſſe ulteriores probationes aſſumere; nihilominus ut majoribus adminiculis comprobaret exercitium ſuę Juriſdictionis in Parochia S. Adelelmi, ejuſque Clerum, & populum, utque illius bonum Jus ſemper magis late pateret, conſueto dubio - *An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis* - pro explenda extractione novorum Jurium, curavit addi - *Et an ſit concedenda Compulſoria ſpecialis* - quo examinato DD. pro receſſu a deciſis circa Remiſſoriam, & reſpective pro conceſſione Compulſorię ſpecialis reſpondere non dubitarunt.

Cum enim regula ſit in noſtro Tribunali,
quod materia articulata, & Jura compulſan-
1 ſanda, quando pro relevanti reputatur, Re-
miſſoria, & Compulſoria nunquam denega-
tur juxta firmata per *Rotam cor. Bich. dec.*
668. *num.* 2., & 3. *in rec. dec.* 227. *num* 1.
par. 19., & *in Illerden. Hęredit. de Gomar.*
ſuper Remiſſoria 26. *Martii* 1700. *cor. Re-*
verendiſſimo Caprara, & in Gerunden. Pa-
rochialis, ſeù Rectoriæ de Vilobi ſuper Re-
miſſoria 11. *Januarii* 1700. §. *Licet enim co-*
2 *ram Me.* Maxime ſi materia eſt profana, qua-
lis eſſe dicitur quęcumque controverſia, quę
3 non tangit titulum Beneficii, ut reſpondit
Rot. poſt Tambur. de Jur. Abbat. deciſ. 48.
cor. Carill. deciſ. 109. *utrobique num.* 1., &
cor. Emerix Jun. dec. 1167. *num.* 6, ſivè petatur
4 in prima, ſivè in alia ulteriori inſtantia,
& etiam in gradu reſtitutionis in integrum,
ut firmatum fuit coram *Cavaler. deciſ.* 170.
n. 2. *cor. Celſo dec.* 23. *n.* 20., *cor. Emerix de-*
ciſ. 684 *num.* 4. & *in rec. dec.* 354. *n.* 1. *par.* 18.

Relevantia autem materiæ articulatæ, &
compulſandę in dubium revocari non potuit;
Siquidèm percurrendo articulos, conſtitit,
quod iidem in univerſum tendunt ad proban-
dum Reverendiſſimum Archiepiſcopum à
5 tempore immemorabili exercuiſſe ordina-
riam, & omnimodam Juriſdictionem in Ec-
cleſia S. Adalelmi, ejuſque Populum, & Cle-
rum, atque enumerant ſingulos actus reſpi-
cientes adminiſtrationem Sacramentorum,
& Curam Animarum ſub controverſia com-
præhenſos, ex quibus ſicuti magis confirma-
ta remanet reſolutio capta ſub hodierna die
ſuper negocio Principali in excluſionem Ter-
ritorii ſeparati, ac Juriſdictionis Epiſcopalis
per Abbatem, ità totalitèr deſtruitur in-
ſubſiſtens ſuppoſitum, cum quo prodierunt
deciſiones præcedentes illud ſupponentes in
Abbate, & fundamentalitèr tollunt omnes
6 ſubalternas controverſias inter partes vigen-
tes, & per conſequens tanquam ad victoriam
Cauſę profuturi Articuli omninò ſunt admit-
tendi, & compulſoria reſpectivè conceden-
da. *Rota in Romana, ſeù Farfen. Reinte-*
grationis 2. *Julii* 1698. §. *Cum enim coram*
Reverendiſſimo D. meo Decano, & in Ver-
cellen. reintegrationis ſuper remiſſoria 17.
Februarii 1702 §. *Revocata cor. Eminen-*
tiſſimo Tremoille.

Fortiùs quià concurrit in præſenti nedùm
vehementiſſimus fumus materiæ articulatæ
7 promanans tùm ex depoſitionibus Teſtium
ad perpetuam examinatorum, cùm ex Judi-
cialibus Decretis Reverendiſſimi Hiſpania-
rum Nuncii, tùm ex aliis ſpeciebus docu-
men-

mentorum latè recensitis in decisione edita super negocio Principali, de quorum existentia, cum non fuerit dubitatum, in his circumstantiis faciliùs esse inclinandum pro Remissoria, & Compulsoria passim respondit *Rot. cor. Emerix dec.229. et 265. utrobique nu.2. in Colonien. Pastoratus* 27 *Martii* 1699. §. *Non subsistente coram Eminentissimo Tremoille, et in Majoricen. Subpreceptoriæ* 22. *Junii* 1701. §. *Et merito coram Reverendissimo Conchen.* verum etiam positiuum, & expressum bonum Jus Archiepiscopi canoniza-
8 tum in eadem mea contemporanea decisione, quo stante, cum Archiepiscopus Remissoriam, & Compulsoriam hodie non petat ad fundandam suam intentionem, sed solum, ut magis latè pateant, & dilucidata remaneant Jura, & fundamenta, quibus inhæret resolutio jam capta, tantò magis pro illius concessione respondendum venit, cum exclusa suspicione calumniæ ad hujusmodi effectum satis sit, quod ea mediante magis patefiant facti circumstantiæ. *Rota cor. Bichio decis.* 668. *num.*4. *cor. Celso dec.* 32. *num.*9. *et cor. Priolo dec.*287. *n.*4. *et in Illerden. Hæredit. de Gomar super remissoria* 26. *Martii* 1700. §. *Nihilominùs coram Eminentissimo Caprara*.

Nec obstat, quod Remissoria denegari debeat, ex quo petitur ad probandum contrarium eius, quod resultat ex Privilegiis Sixti IV. & Pauli III., necnon executorialibus S. Rotæ, cum quo motivo pertransiit decisio, quæ revidetur, quia illis attentè perle-
9 ctis compertum fuit non præseferre concessionem Jurisdictionis quasi Episcopalis, cum Territorio separato, sed tantum limitatam Jurisdictionem procedendi in Causis Criminalibus contra Clericos inservientes Ecclesiæ S. Adelelmi, quæ confundi non potest tamquam restricta ad certum genus personarum & locum, cum altera Universali, & Diœcesana spectante ad Archiepiscopum, ut plenè firmatum fuit in dicta altera decisione §. *Et licet*.

Et ità utraque &c.

COLONIEN. CANONICATUS.

Veneris 28. *Junii* 1709.

ARGUMENTUM.

Quia diversa habentur, facile colliges ex Summario.

SUMMARIUM.

1 *Sententia valida, & justa est confirmanda.*
2 *Canonicus valde Senex, & invalidus juveni potest justè Canonicatum renunciare, & hoc Ecclesiæ expedit.*
3 *Fides lite pendente in Rota vigore mandati Nuncii obtenta sine commissione Rotali, est attentata, & nulla.*
4 *Animus erga statum clericalem arguitur ex susceptione Ordinum minorum.*
5 *Non residentia, & non præstitum servitium Ecclesiæ non faciunt corruere permutationem jam effectuatam, sed non residens compelli potest juris, & S.C.T. remediis.*
6 *Permutatio admitti potest ab Ordinario in mensibus, in quibus collatio spectat ad Capitulum, cum non agitur de libera resignatione, sed de illa facta coram Ordinario.*
7 *Et cum permutato Capitulum possessionem dedit,*
8 *Collatio ab alio facta sustinetur ex consensu collatoris, ad quem spectaret.*
9 *Gratia si neutri non jus collitigantis omnino requirit, ut locum habere possit.*

DECISIO DCXXI.

Joannes Paulus Christ retinens simplex Beneficium in Ecclesia S. Pauli Colonien., illud prævia approbatione Ordinarii permutavit cum Canonicatu Collegiatæ Ecclesiæ S. Cuniberti d. Civitatis retento per Waltheum Hausen. reservata ad ejus favorem super dicto Canonicatu pensione annua sc. 50. At secuto deinde obitu d. Walterii eumdem Canonicatum tanquam adhuc vacantem, & nullitatem permutationis impetravit a Sede Apostolica Franciscus Schenebers, ac executionem suæ gratiæ per sententiam obtinuit; sed causa devoluta ad nostrum Tribunal cor. R.P.D. meo Kaunitz ob invaliditatem, & subreptionem d. gratiæ contraria prodiit sententia, & iterum commissa causa R.P.D. meo Ansaldo fuit cor. eo concessa Francisco Remissoria, facta tamen obligatione de stando unicæ, & postmodum lata extitit altera sententia præcedentis confirmatoria, a qua, licet stante obligatione prædicta appellare non posset Franciscus, tamen reportavit a Signatura commissionem cum clausula *sine præjudicio*, & interim curavit expediri gratiam si neutri; Causaque mihi commissa proposui dubium -- *An sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda, seu potius gratia si neutri sit exequenda* - quod fuit pro confirmatione sententiæ, & non executione gratiæ prædictæ resolutum.

Clara namque recognita fuerunt validitas, & Justitia d. sententiæ, ideo confirmandæ.
1 *Rota dec.*235. *in principio p.*13., & *dec.* 374. *n.* 25. *p.* 14., & *dec.* 471. *n.* 2., & *dec.* 492. *n. primo p.* 19. *rec.* Validitas enim non impugnatur, Justitia vero promanat ex validitate, & congruitate causæ, propter quam secutâ fuit permutatio prædicta. Waltherus etenim cum propter ingravescentem ætatem, & con-
2 tinuam malam valetudinem debitum servitium suæ Ecclesiæ præstare nequiret, optimè quidem, & justè devenit ad permutationem Canonicatus cum Ioanne Paulo Juvene, & magis apto ad illud præstandum, & sic utilius semper fuit Ecclesiæ loco Canonici inhabilis ad exercenda munera habere Juvenem, ac idoneum ad illa adimplenda, ut plene firmatum fuit in *prima decisione præsentis causæ cor. R.P.D. Kbaunitz sub die* 16. *Junii* 1704. §. *Ostensa*, & *in altera cor. R. P. D. meo Ansaldo sub die* 9. *Decembris* 2707. §. *Atque ex his*.

Non attentis exceptionibus, quæ in con-
trarium adducebantur videlicet quod Joãnes
Paulus non fuerit possessionem Canonicatus
adeptus, quodque non habuerit animum Ec-
clesiasticam militiam prosequendi, & de-
mum quod nunquam resederit, nec ullum ha-
ctenus Ecclesiæ servitium præstiterit. Etenim
præmisso, quod hæc omnia deducuntur ex
3 quadam confessione ipsius Joannis Pauli, quæ
nullius est relevantiæ utpote procurata lite
pendente, & absque commissione Rotali,
sed attentatè, & nulliter vigore mandati Re-
verendissimi Nuntii nullam habentis jurisdi-
ctionem ob litis pendentiam in Rota ex vul-
gata regula *Text., & toto titulo lite penden-
te nihil innovetur. Rot.dec.495.n.2.p.* 18.*rec,*

Tolluntur ulterius omnia, quæ in eadem
confessione asseruntur ex facto; cum quoad
possessionem Canonicatus illa resultet ex pu-
blico, solemnique instrumento possessionis
ei traditę ab ipsomet Capitulo d. Collegiatę in
4 forma capitulari; & quoad animum erga
statum clericalem ille bene arguitur ex su-
sceptione ordinum minorum post secutam
permutationem, quocirca ad non residen-
tiam, & non præstitum servitium Ecclesiæ
5 admisso etiam, quod illud verum esset, non
tamen per hoc concurreret permutatio, quia
attenta obligatione inserviendi, qua ad-
strictus reperitur Joannes Paulus ratione Ca-
nonicatus, compelli posset ad residendum, &
prestandum debitum servitium solitis reme-
diis Canonicis, & Sac. Concil. Trident., &
sic habebitur servitium.

Nec obstat, quod collatio spectaret ad Ca-
pitulum, ex quo secuta fuit permutatio in
6 Mense Aprilis, ac propterea admitti nequi-
verit permutatio a Coadministratore Colo-
nien. in pręjudicium Capituli, quia ultra
quod hic non agitur de libera resignatione,
sed de illa facta coram Ordinario ex causa
permutationis, quam admittere potest. *Ga-
briel. cons.* 187. *n.* 10. *Garz. de Benefic. p.* 11
cap. 4. *n.* 68.

Ulterius cessare penitus visum fuit obiec-
7 tum ex possessione tradita per idem met Ca-
pitulum Joanni Paulo in executionem per-
mutationis a d. Coadministratore, quo casu
8 permutatio semper sustinetur ex consensu
collatoris, ad quem spectare posset collatio
*Garz. de Benef ubi supra n.*72. ex tali nam-
que traditione possessionis censetur ei fecisse
collationem.

Ex quibus omnibus sicuti constat de bono
jure Joannis Pauli, ita locum habere nequit
9 gratia si neutri, quę non Jus colligan-
tis omnino requirit. *Rot. cor. Puteo dec.*48.
n. 4 *lib. primo & cor. Coccin. dec.* 263. *nu.* 1.
Et ita utraque &c.

ROMANA, SEU LEODIEN. PECU-
NIARIA.

Veneris 28. Junii 1709.

A R G U M E N T U M.

Confirmatoria est dec. 516., a quo argumentum
desume.

S V M M A R I V M.

1 *Solutiones viro factæ nequeunt computari in satisfactionem crediti uxoris: limita, ut* num. 4., & 6.

2 *Partitæ extractę cum compulsoria a libris legaliter tentis, quibus fidem adhibendam probatur, sunt attendendæ.*

3 *Præsertim si plereque aliunde justificentur, & tunc attenduntur etiam aliæ verò similes, & parvæ non justificatæ.*

4 *Administrator cuilibet ex constituentibus summas exactas benè solvit, & restituit.*

5 *Dissolvitur unumquodque naturaliter eo modo, quo colligatum fuit.*

7 *Administrator cui in mandatis datum non est, quod pecunias ad fideicommissi commodum investiret, quatenus etiam illius notiam habuisset; ad investimetum non tenetur;*

D E C I S I O DCXXII.

Recedendo a resolutis cor. bo. me Muto, fuit
cor. me sub die 28. Novembris 1707. decisũ,
quod Franciscus Stembier non solum non
remanebat debitor Ubertinę Linchet. hęre-
dis Elisabethæ Matris, sed creditor in sum-
ma scutor. 114. 66. occasione administratio-
nis per eum gestę bonorum hęreditariorum
q. Leonardi Brissonii. Cumque ad trutinam
fuerint revocata fundamenta utriusque de-
cisionis validiora apparuerunt illa, super
quibus ultima decisio innititur, & ideo in se-
cundo loco *decisis* DD standum esse putarunt.

Posito enim debito ejusdem Francisci in
scu:is 1706. iterum DD. examen. assumpse-
runt quoad partitas illius crediti, quę sicuti
in tres classes fuerunt divisę in d. mea ultima
decisione, ita & in pręsenti eadem metho-
do recognita fuerunt undique sublientes.

In prima igitur classe calculatę fuerunt
omnes solutiones a Francisco factæ Urbano
Fenart Viro d. Elisabethę, & omnes bonifi-
cantur, non obstantibus repetitis objectis,
quod non probantur ex libris Mathiæ Clericę
ex Sorore Nepotis ipsius Francisci, & quod
in omnem casum tanquam solutiones factę
Marito non valeant computari in satisfactio-
nem crediti ad Elisabetham Uxorem spectan-
1 tis. Quo enim ad probationem constitit ex-
2 tractionem fuisse factam mediante compul-
soria ex libris legaliter tentis, quibus fidem
adhiberi medio juramento deposuerunt te-
stes in actu recognitionis adhibiti. Et ulte-
rius iterum animadversum fuit, quod ma-
3 jor pars partitarum remaneat aliundè justifi-
cata ex aliis pluribus documentis, itaut
exindè libri fidem omnimodè mereantur pa-
riter quoad nullas exiguas partitas, quarum
etiam respectu concurrit verisimilitudo, ut
pręter allegatos in mea decisione §. Quoniam
si loquimur, probant *Menoch. cons.* 606. *n.* 21.
Tomat. dec. 169. *n.* 8. *Surd. dec.* 599. *num.* 3.
Rota cor. Dunoz. jun. dec. 974. *n.* 6., *& in
rec. dec.* 225. *n.* 6. 9. *p.* 10.

Quod vero solutiones factæ Viro non sint
bonificandæ non obstare visum fuit; attento
man-

mandato procuræ facto ab utroque Coniuge cum illis verbis *Constituerunt*, *& quilibet ipsorum constituit d. Franciscum Stembier ad ipsorum constituentium nomen*, *& pro eis quartam partem tertiæ partis Bonorum &c. administrandum, percipiendum &c.* Hinc enim omissis cæteris responsionibus patet, quod potuit Franciscus summas exactas
4 cuilibet ex constituentibus persolvere, & restituere. *Card. de Luc. de credit. disc. 55. n. 3., & 5. Rota cor. Vbald. dec. 583. n. pri-*
5 *mo*. Et naturale est, quod unumquodque dissolvitur eo modo, quo colligatum fuit, *Cagnol. de regul. Iur. n. primo fol. Mihi* 140.
6 Maxime quia ut fuit alias animadversum, Elisabeth, donec vixit non reclamavit, nec unquam ausa fuit hujusmodi solutiones impugnare.

Minus refert, quod debuissent saltem pecuniæ investiri ad comodum fideicommissi
7 ordinati per Henricum Avum Elisabethæ, quoniam in mandato procuræ tale onus Francisco impositum non fuit, unde quatenus etiam de illo habuisset notitiam non tenebatur ad investimentum *Giurb. dec. 79. n. 45. Amat. resol. 81. n. 20. Rota cor. Dunoz. jun. dec. 869., & cor. Bich. dec. 610. utrobique n. 1.*

Procedendo modo ad partitas, de quibus in secunda, & tertia Classe licet Franciscus prætenderet, summam calculatam esse augendam ob varias illius prætensiones, & è contra Ubertina allegaret, nonnullas ex eis fuisse indebitas, tamen DD. pensatis omnibus, quæ hinc inde adducebantur transierunt cum responsionibus quoad singulas adductis in mea præterita decisione; maxime cum in substantia difficultas ad quid modicum reduceretur, & scribentes pro Francisco singulis obiectis iterum plenè satisfecerint.

Et ita utraque &c.

TARRACONEN. BENEFICII.

Lunæ 1. Julii 1709.

ARGUMENTUM.

Distributiones, de quibus in litteris à Proviso & impetrante fuit facta mentio pro expressione valoris, & quas primus dum Beneficium retinuit, est pacifice gavisus, dicuntur tanquam annatæ, & beneficio annexæ, & debentur impetranti, qui suas litteras plenè justificavit. Nec tunc pro retardatione earumdem arbitrio locus est.

SUMMARIUM.

1 *Distributiones cum sint tanquam annatæ, & beneficio annexæ, debentur impetranti Beneficium in vim litterarum justificatarum*
2 *Distributiones quod dicantur tanquam annatæ, & beneficio annexæ, resultat ex quo provisus, & impetrans de illis mentionem fecerant in probatione valoris beneficii.*
3 *Et de illis provisus toto tempore, quo Beneficium retinuit fuit gavisus, aliis non contradicentibus.*
4 *Impetrans, qui beneficium excluso proviso obtinuit, gaudere debet omnibus juribus, de quibus ille ante remotionem in possessione reperiebatur.*
5 *Arbitrio locus non est pro retardatione litterarum undique justificatarum.*
6 *Arbitrium regulatur a jure.*

DECISIO DCXXIII.

Non attenta provisione Beneficii Ecclesiastici erecti in Ecclesia Parochiali S. Jo. Evangelistæ loci della Selva facta per R.mum Nuncium Hispaniarum favore Lucæ Panaxas obtinuit illud sibi conferri Joannes Domingo à S. Sede, eo quia redditus longè excedebant 24. ducatos auri de Camera, litterarum executionem obtinuit, quamvis se se opposuerint Presbyteri dictæ Ecclesiæ prætendentes, quod idem Provisus non esset admittendus ad participationem distributionum, sed commissa mihi Causa in gradu appellationis cum clausula *Parito litteris arbitrio Rotæ*, proposui dubium *An in executionem litterarum Apostolicarum Joannis Domingo debeantur distributiones, seu potius intret arbitrium*, & DD. Joanne tantum informante in omnibus ejus favore responderunt.

Posito enim, quod litteræ sint in omnibus justificatæ, ut plenè fuit probatum, dubitari non potuit, quin in illarum executionem de-
1 beantur distributiones ad *Text. in cap. si Capitulo ibique Gloss. vers. Exequatur de concess. Præben. in 6. Rota dec. 504. num. 8. & dec. 606. num. 1. par. 19. rec.*, cum sint tanquam annexæ, ut unitæ Beneficio controverso, ut aperte resultat non solum ex quo
2 de illis fuit habita ratio tam per Lucam provisum à Reverendissimo Nuncio quam per Joannem provisum Apostolicum in probatione valoris dicti Beneficii: verum & quia
3 Lucas toto tempore, quo Beneficium retinuit illis gavisus fuit, nec reliqui Presbyteri Communitatis unquam reclamarunt. Hinc est quod Joannes, qui de eodem Beneficio
4 provisus fuit ad exclusionem dictæ Lucæ, debet gaudere, & participare de omnibus iis juribus, de quibus alter ante remotionem in possessionem reperiebatur. *Parisi. de resign. lib. 3. quæst. 5. num. 75. Rota dec. 659. num. 2. coram Cavaler., & dec. 495. num. 17., & dec. 541. num. 9. coram Duuozett. Jun., & in rec. dec. 490. num. 2 par. 3.*

Et quibus omnibus, cum litteræ Apostolicæ in omnibus appareant justificatæ, inde se-
5 quitur, quod non sit locus arbitrio pro illarum retardatione, cum illud reguletur à Jure
6 *Rota dec. 568. num. 1. vers. quia clausula par. 1., & dec. 554. num. 6., & 7. par. 12., & dec. 378. num. 5. par. 18. rec.*

Et ita altera &c.

ROMANA NULLITATIS DELIBERATIONIS.

Lunæ 1. Julii 1709.

ARGUMENTUM.

Possessionem capiens cum expressione diei, & horæ anterior dicitur creditori in eadem re eo-

eodem die executionem facienti, & ideo citandus in subhastatione;etiamsi in tribunali, in quo creditor mandatum obtinuit non comparuerit, utpote ibidem non citatus, vel sit Prædo, & Injustus detentor. Nec ignorantia allegari valet;si post executionem fuerit intimatus cum productione Instrumenti captę possessionis. Aliquid Instrumento super additum non probatur ex simplicibus fidibus,præsertim cum est rogatum à Notario A.C.

SUMMARIUM.

1 *Citatio legitimi possessoris requiritur, alias gesta sunt aperte nulla*, & num.7. *Amplia etiamsi in Tribunali, in quo mandatum est expeditum a creditore subhastare volente, numquam ille comparuerit, cum non fuerit citatus, Et etiamsi sit Prędo, et injustus detentor*, & num.8.

2 *Possessio capta cum expressione diei, et horæ anter r dicitur executioni eadem die sine horæ mentione factæ.*

3 *Fides simplex, et non de actis non probat.*

4 *Nec est apta destruere, et falsum probare publicum Instrumentum.*

5 *Præcipuè si rogatum sit a Notario A.C., in quo non est præsumenda dolosa additio, nisi concludentissimè probetur.*

6 *Possessionis alicujus scientia ante deliberationem clarè resultat ex intimatione, et productione Instrumenti possessionis; et ideo si ad deliberationem eo non citato procedatur, nulliter fit.*

9 *Rota non examinat, quæ non sunt illius inspectionis, sed ad congruum judicium remittit.*

DECISIO DCXXIV.

MArchionissa Anna Cæsarea de Perbenedictis, videns universum patrimonium March. Gasparis sui viri ab illius Creditoribus absorberi, egit pro assecuratione suæ dotis, & lucri, & obtinuit coram A. C. immissionem una cum filiis ad fideicommissum vocatis super omnibus bonis fideicommissariis inter quæ reperiebatur quedam domus posita in regione Campi Martii super qua post captam ab eadem possessionem, fuit Margarita Bartolotta uti creditrix Marchionis vigore mandati a nostro Tribunali reportati pro scut.100. in causam declarandam, illamque deliberari fecit pro scut.100 ;cumque Anna Cæsarea insteterit coram A.C. pro revocatione dictæ executionis, & deliberationis,curavit Margarita causa ad nostrum Tribunal remitti, propositoque dubi *An sit concedenda Manutentio, et revocanda executio, et respectivè deliberatio* DD. putarunt *non esse concedendam Manutentionem Margaritæ, et deliberationem esse revocandam.*

Illa enim executionem, & successivam deliberationem fieri curavit postquam posses-
1 sionem ejusdem domus adepta fuerat Marchionissa Anna pro suis creditis dotalibus, cumque non fuerit à Margarita citata, omnia per istam gesta remanserunt aperto nullitatis vitio obnoxia, jta ut proindè veniant revocanda *Rota cor. bo. me. Emerix dec.524. nu.8., et in rec. dec.554. num.23. par.18., et dec.384. num.5. par.19.*

Quod autem res ità se habeat plenè constitit ex lectura instrumenti captæ possessionis ad instantiam Margaritę;cum in eo post enunciatum diem 27.Julii 1708.fuerit ad notata ho-
2 ra quæ fuit nona; talis verò expressio non legitur in Instrumento executionis factæ ad instantiam Margaritæ, ibi enim licet enuncietur eadem dies non tamen specificatur hora, unde non ista, sed illa præsumi debet anterior *Bald in l.Imperator la prima in prima lectura n.24. Rota coram Bich. dec.309. num 1.*

Nec relevat fides quorumdam Testium, qui asserunt vidisse protocollum in quo insertum est d. Instrumentum, quodque in il-
3 lo non adesset hora descripta;etenim illa est simplex fides, nec est de actis, & sic non probat *Rota coram Cerr. dec.603. num.6.* apta non est destruere Instrumentum publi-
4 cum rogatum per acta Notarii A.C.in quo non non est pręsumenda talis additio horæ dolose
5 facta, nisi concludentissimè probetur, *Rot.cor. bo.me. Emerix dec.744. n.2., et in rec.dec.509. n.9., et dec.591. num.10. par.18.*

Non attenta ignorantia præfatæ possessionis per Margaritam adducta, quia illa ex facto penitus excluditur, dum statim, ac Anna Cæsarea notitiam habuit de executione facta per Margaritam, illico citavit coram A.C. ad illam revocandam tanquam factam in bonis alterius, quam debitoris, repetendo ad hunc effectum Instrumentum suæ possessionis, & Judex illam revocavit, andè cum
6 ante sequutam deliberationem fuisset Margaritæ intimatum, & denunciatum, quod dicta domus detinebatur ab Anna Cæsarea pro sua dote, nulla poterat allegari ignorantia, nec sine evidenti nullitatis vitio ad
7 deliberationem deveniri, nisi prius dicta possidente citata *Rot. cor. Bich. dec.569. nu.8., et 9. et in rec. dec.284. num 17. par.15.*

Nil refragante replicatione quod dicta citatio necessaria non erat, ex quo Anna Cæ-
8 sarea in nostro Auditorio nunquam comparuit nec jura sua deduxit; etenim cum ipsa in eodem Tribunali nunquam fuerit citata, neque contra ipsam aliquid actum fuerit, nec in dicto judicio vocata, indè sequitur, quod ipsa non tenebatur, nec poterat in illo comparere, non tamen per hoc absoluta remanebat Margarita à necessitate illam citandi, cum possideret, & possessor semper est citandus, etiamsi sit prædo, & injustus detentor. *Rota post Postlb. de manut. decis.234. num.1., & coram Bich. dec.300. num.13. & 14. & in rec dec.211. num.1. par.2. rec.*

Quò verò ad ea, quæ deducebantur circa bonum, vel malum jus Annæ Cæsareæ, pu-
9 tarunt DD. non esse immorandum, cum non sint præsentis inspectionis, sed erunt suo loco, & tempore occasione novæ executionis, ac deliberationis examinanda.

COLO-

COLONIEN. CANONICATUS PRIMÆ GRATIÆ.

Veneris 13. Decembris 1709.

ARGUMENTUM.

Doctoratus ex Nuncii Apostolici, Professorumque Universitatis testimonio probatur. Qualitas lectionis exercitæ probatur, si indixit aliquis publicè se lecturum, licèt ex defectu auditorum non fecerit; ubi examinatur, an indultum san. me. Alexandri VI. intelligendam veniat de numerariis, vel supranumerariis lectoribus. Et testimonium universitatis requisitum suppleatur ex supplicatione facta in Dataria ab eodem pro expeditione literarum; quin possit retractari: quinimò si irrationabiliter denegetur, potest à superiore suppleri; ut accidit quandocumque requiratur consensus. Quæ tria requisita sunt necessaria in Canonicatibus Coloniensibus ex Indultis Pontificiis. Resignatio, quæ datata fuit ante resignantis obitum omninò valet, quidquid sit, si sola signatura præcesserit.

SUMMARIUM.

1 *De idoneitate provisi non est inquirendum cum litteræ Apostolicæ expeditæ sunt in forma gratiosa.*

2 *Litteræ Apostolicæ justificatæ sunt executioni demandandæ.*

3 *Qualitatum concursus non exigitur rigorosus, cum agitur de resignatione in favorem alterius facta.*

4 *Provisi merita cum alius non concurrit, non sunt ad justitiæ stateram apponenda, sed sufficit, ne propter qualitatum defectum indignus obtenta gratia existat.*

5 *Quod etiam practicatur in provisione Parochialis ad præscripta per sacrum Concilium Tridentinum.*

6 *Doctoratus probatur ex attestationibus personarum præcellentium dignitate.*

7 *Professores deponentes de re ad proprium officium spectante sunt attendendi.*

Doctores deponentes de aliquo, quod sit Doctoratus, fidem vindicant.

8 *Jus legisse dicitur probare qui in schedulis intimavit se fore publicè lecturum.*

9 *Quamvis ob defectum auditorum non legerit, cum per eum non steterit.*

10 *Indultum Pontificium concessum lectoribus intelligitur de supranumerariis, cum ideò factum fuit, ut spe consequendorum Canonicatuum augeretur numerus lectorum, pro quibus sumptus universitas facere nequibat. Amplia si res sit de universitate non numerata, & quare?* n.12.

Indultum in eis verificatur, in quibus concurrit finis à concedente volitus.

11 *Operarius unusquisque dignus est mercede sua.*

13 *In Canonicatibus Colonien., an requiratur exercitium lecturæ, vel per viam modi, vel actuale, ubi in Rota fuit examinatum, & variatum censetur.*

14 *Indultum quod Coloniæ Canonici debeant in Universitate Juri legendo publicè operam navasse, intelligi debet etiam de supranumerariis.*

15 *Observantia in dubio indulta declarat.*

16 *Lector impeditus, vel dispensatus habetur pro actu legente, & cur?*

17 *Delictum quæ sapiunt sunt plenè probanda.*

18 *Lecturam Doctor affectate, & propria auctoritate fecisse non dicitur, qui id fecit consecutivè ad graduationem, & admissionem præcedenter factam.*

19 *In fraudem factum non est, quod fit ex licita industria, ad effectum habendi aliquam qualitatem requisitam.*

20 *Ut est de iis, qui initiantur prima tonsura, & alias qualitates acquirunt, ut possint ad beneficia patronata præsentari.*

21 *Et de iis, qui Sacerdotes ordinari curant, ad effectum consequendi beneficium.*

22 *Et istis annus de jure datur, ut Sacerdotes fiant.*

23 *Et de iis, qui ex privilegio civilitatem nanciscuntur, ut fiant beneficiorum capaces.*

24 *Et de eo, qui eadem de causa laurea doctorali condecorari curat.*

25 *Attestationes negativæ in concursu cum affirmativis non attenduntur.*

26 *Testes, ut contrarietates sublatæ remaneant, sunt conciliandi.*

27 *Defectus descriptionis in numero lectorum, in quo Ordinarii tantùm describuntur, non excludit, quin supranumerarius legerit.*

28 *Testimonium Universitatis requisitum ex Constitutione Pontificia pro obtinendo Canonicatu, adfuisse dicitur favore illius, pro quo in Dataria Universitas supplicavit, ut litteræ expedirentur.*

29 *Et tunc amplius retractari nequit.*

30 *Et si prius dare noluerit, ita instando in Dataria, à negativa recessisse dicitur.*

31 *Et si dari irrationabiliter nequeat, potest à superiore suppleri.*

32 *Consensus requisitus, si irrationabiliter denegeretur, suppletio illius in quacumque materia procedit.*

33 *Consensus Procuratoris ad resignandum dependet à duratione consensus in suo principali, quo mortuo expirat.*

34 *Gratia resignationis obtenta post obitum resignantis est nulla.*

Disputatur quando sola Signatura sine data resignantis mortem prædecesserit.

35 *Limita tamen cum adest data anterior resignatarii morti; nam tunc valida est, nec probationem in contrarium admittit.*

36 *Rota non examinat exceptionem datas contra eum, qui non est legitimus contradictor.*

37 *Maximè si qui jus se opponendi habet, non comparet.*

DECISIO DCXXV.

Cum Matthias Weipeler possessor Canonicatus primæ gratiæ nuncupati habitualibus morbis detineretur, obtinuit à S. Sede admitti in suum Coadjutorem Joannem Henricum

ricum Moers, ad cujus favorem fuerunt etiam expeditæ litteræ Apostolicæ, non attentis oppositionibus ex parte Capituli, & Universitatis Colonien. ad effectum impediendi gratiam coram Eminentissimo Domino meo Prodatario deductis, quibus itidem propositis coram Reverendissimo Nuncio, cui præfatæ litteræ fuerunt pro exequutione directæ, non potuit ipse dimoveri, quin ad illarum exequutionem deveniendum esse pronunciaret.

Verùm cum adhuc difficultates sopitæ minimè remansissent, supradictus Matthias Coadjutus cupiens summoperè, quod Joannes Henricus Canonicatum consequeretur, diverso jure utens in ejus favorem illum resignavit in manibus Sanctissimi, à quo pariter resignatione admissa, fuerunt subindè literæ Apostolicæ expeditæ, necnon præfato Nuncio, ut supra directæ, qui non obstante præsentatione facta de persona Joannis Michaelis Ostman à Rectore, & Provisoribus Universitatis tanquam ad Canonicatum vacantem per obitum jam sequutum prænominati Matthiæ, & rejectis præteoppositionibus à Capitulo excitatis, pronunciavit, illas esse exequendas.

A quibus omnibus appellarunt tum Capitulum, tum Joannes Michael Ostman, propositaque causa in Signatura Justitiæ emanavit rescriptum -- *Quoad Coadjutoriam, parito literis arbitrio Rotæ, & quoad resignationem eidem Auditori Rotæ ex integro apposito sequestro* -- in cujus rescripti sequelam commissa mihi causa, cum super Coadjutoria Joannes Henricus noluerit disceptare, dedi Universitate tamen non comparente unicum, & consuetum dubium resignationem tantùm respiciens -- *An scilicet Litteræ Apostolicæ resignationis sint exequendæ? in casu &c.* -- super quo nulla capta resolutione sub die 13. Maii anni currentis, hodie Dominis placuit *affirmativum responsum dare.*

Cum enim enunciatæ litteræ resignationis sint in omnibus justificatæ, quia de Clericatu idoneitate non inquirendum sit, cum gratia
1 fuerit concessa in forma gratiosa, ut aliis relatis firmavit *Rota in Augustana Canonicatus* 12. *Januarii* 1703. §. *Prætermissa, coram Reverendissimo meo Decano, &* 19. *Januarii* 1705 §. *Quin dubitari, coram R. P. D. meo Omanna*: de aliis verò qualitatibus ad formam indultorum, quæ à Summis Pontificibus concessa fuerunt, plenè constiterit ex iis, quæ mox adducentur; indè sequitur,
2 quod debeant exequutioni demandari, ut per *Text. in cap. Si quando, & cap. Super literis, de rescript., Rota coram Merlino dec.* 192. *num.* 2., aliisque congestis *in alia simili Colonien. Canonicatus prima gratiæ* 2. *Maii* 1701. §. *Justitia verò, cor. R. P. D. meo dell' Olmo.*

Et sanè in præfatis Indultis tria præcipuè exiguntur in persona Provisi. Primùm scilicet versatur circa necessitatem actualis Doctoratus, vel Magisterii, de quo præcisè agitur in Indulto san. me. Bonifacii IX. Secundum pariter circa actuale legendi, & docendi in Universitate Colonien. exercitium, ut in Indulto san. mem. Alexandri VI. Tertium denique respicit bonum testimonium Rectoris, & Provisorum Universitatis reportandum ab eo, qui de hujusmodi Canonicatu vult provideri, & hoc ad tenorem Indulti san. mem. Innocentii XII., quorum omnium prædictorum concursum verificari in præsenti casu visum est Dominis dubitari
3 non posse, quamvis non etiam, cum agatur de resignatione in favorem alterius facta, adeò rigorosus qualitatum concursus exiga-
4 tur, nec ad justitiæ stateram, ex quo alius non concurrit, sint propterea merita apponêda; sed sufficiat, ut Provisus propter qualitatum defectus indignus gratia obtenta non
5 existat, ut practicari quoque solet in provisione Parochialium ad præscripta per *Sac. Concilium Triden. sess.* 24. *cap.* 18. *de reform.* & ut notat *Barbos. ibidem n.* 21. *& seqq.*

Quantum enim attinet ad primum, exhibitæ fuerunt fides tam Reverendissimi Nuntii, quàm Decani Universitatis, præter alias plurium Professorum testantium, quod Jo.
6 Henricus Laurea Doctorali insignitus fuerit de mense Septembris 1706., quibus attestationibus proculdubiò est deferendum, tum ex præcellenti dignitate unius ex eis, tum
7 quia præsens fuit Doctoratui; tum ex quo sunt plures Professores, ac proindè de re ad proprium officium spectante deponentes, uti de prima est *Text. in Can. nobilissimus dist.* 97., & de secunda omissis generalibus in specie firmat *Rota dec.* 427. *n.* 7. *p.* 18. *rec.*

Respectu verò secundi respicientia actualem lecturam probatum extitit, quod ille non solùm nonnullas publicas lectiones habuit ante obtentam gratiam resignationis, verùm etiam aliàs habere potuit, attentis notificationibus, seu schedulis, in quibus cunctis patefaciebat tribus diebus in hebdomada publicè cathedram fore ascensurum, atque gratis, & sine mercede jus canonicum
8 interpretaturum, ut propterea plenam justificationem actualis exercitii in legendo per rei evidentiam resultare dicendum sit;
9 quamvis etiam per accidens, ob defectum Auditorum non legerit: sufficiens enim in casu, de quo agitur, reputari debet; eo quia illi non sit imputandum, si per eum non stetit, quominùs legendi munus adimpleverit: per *Text. in l. Dedi* 3., ubi etiam *Gloss. verb. conditione, ff. de condict. caus. dat. caus. non secut.*, & *in l. jure civili*, ubi pariter *Gloss. ff. de condit. & demonstrat.*

Neque Dominos movere potuit, quod indulta sint tantummodò intelligenda de Professoribus antiquis, & ordinariis, ac stipen-
10 diis Universitatis docentibus; quoniam si de illis tantùm indulta verificanda essent, non haberetur finis à Summis Pontificibus exoptatus, augendi scilicet lectorum numerum, qui nullum poterat sine hac Pontificia largitate incrementum suscipere: nam Universitas

versitas non habebat undè sumptus lectori-
bus supervenientibus præstaret, relicta eis-
dem sola spe obtinendi hos Canonicatus, ut
convincitur ex præfatis indultis, & præcipuè
ex illo Alexandri VI.; qua sublata, ac nullo
11 salario constituto, lectores profectò defe-
cissent, cum unusquisque operarius dignus
sit mercede sua, juxta illud Evangelii *Lucæ
cap.*4. Et advertit etiam *Zacch. de Salar. in
præm. n.*13.

Eoque fortiùs prædicta procedere dixe-
12 runt, quia casus non est de Vniversitate
numerata, sed de illa, quæ nullum præfini-
tum lectorum numerum habet, & in qua
unicuique Doctori jura interpretari volenti
facultas cathedram ascendendi conceditur,
ut exindè libentiùs in eam deveniendum sit
sententiam, quod Pontifices non tantùm res-
pexerint labores præteritos, sed etiam fu-
turos, addita quoque pena privationis in
casu omissæ lecturæ; & quod potiùs volue-
rint providere illis lectoribus, nullo stipen-
dio militantibus, quàm aliis salarium ab uni-
versitate percipientibus ad effectum, ut
magis, magisque Professorum numerus au-
geretur.

Accedente insuper altera animadversio-
13 ne, quod plurièsfuit quæstio anteactis tem-
poribus excitata super necessitate actualis
exercitii, itaut primo loco *in decisione* 89.
cor. Vbago, *& in recent. dec.*776. *par* 18., *&
& coram bonæ memoriæ Muto in alia Colo-
nien. Canonicatus* 17. *Februarii* 1696. di-
ctum fuerit exercitium requiri dumtaxat
per viam modi ex post quoque adimplendi;
& licèt ex post fuerit ab hujusmodi opinione
recessum *in Colonien. Canonicatus primæ
gratiæ* 4. *Februarii* 1699. *confirmata* 15. *Iu-
nii ejusdem anni*, *cor. R. P. D. meo Scotto*,
in quibus firmatum fuit, necessarium esse
14 actuale exercitium; tamen hoc utique cer-
tum est, quod inutilis prorsùs fuisset hujus-
modi quæstio, si indulta solùm Doctoribus
jam stipendiatis suffragari possent.

Et hęc omnia confirmantur ex subsequuta
observantia, cum inoleverit consuetudo con-
ferendi consimiles Canonicatus etiam ex-
traordinariis Professoribus, uti testatur Re-
15 verendissimus Nuncius: itaut ex ea saltem
in casu dubio valeret deduci interpretatio
Indultorum. Ad firmata per *Rotam decis.*39.
*n.*11. *p.*2. *divers.*, *& coram Coccino dec.*1546.
*n.*2. & cum aliis adductis *coram Emerix jun.
dec.*367. *n.*6.

Non attento, quod præcipuè in privilegio
Alexandri VI. indultum sit, posse hujusmo-
di Canonicatus prætendi etiam à Professori-
bus actu legentibus, quibus tamen ex ratio-
nalibus causis per Rectorem, & Provisores,
ne teneantur perpetuò, vel ad tempus lege-
re, concessum fuerit; quoniam licèt dispen-
satio prædicta perpetua, vel temporalis pro-
cedere possit solùm circa lectores ordinarios,
& salaria habentes; ex hoc non sequitur,
omnimodam dispositionem esse restrictivè
intelligendam de lectoribus tantùm stipen-
diatis ex supra deductis; sed dicta dispen-
satio accipi debet correspectivè ad exerci-
tium legendi volitum à Summis Pontificibus;
16 adeout illi, qui sunt impediti, & dispensa-
ti habeantur pro actu legentibus, ne absque
sua culpa præjudicium sentirent contra re-
gulam *Text. in cap. sine culpa* 23. *de Reg. Iur.
in* 6., *& in l. Putator* 31. *ff. ad l. Aquil.*

Minorem pariter relevantiam involvere
existimarunt Domini exceptionem, quod
Joannes Henricus Doctoratum, & Lectu-
ram affectaverit, necnon exercuerit propria
auctoritate in fraudem indultorum; quoniam
ultra quod, cùm hæc delictum sapiant, veni-
17 rent concludenter probanda, prout ex *text.
in leg. Cum pater* §. *Rogo ff. de Legat.*2., *Ro-
ta dec.*132. *n.*1. *cor. Emerix junior.*, *& in re-
18 centior. dec.*274. *n.*16. *p.*9., id non potest
dici factum propria auctoritate, quod con-
sequutivè ad graduationem, & admissionem
19 præcedentem factum fuit, neque id in frau-
dem factum dici valet, quod fit ex licita in-
dustria ad effectum habendi aliquam qualita-
tem requisitam pro consequutione rei opta-
tæ, uti quotidie videmus in iis, qui Tonsu-
20 ra initiantur, & alias qualitates acquirunt
ad hoc, ut possint ad beneficia patronata
præsentari, de quibus notant *Lotter de re
Beneficiar. lib.*2. *q.*47. *nu.* 92. *& seqq.*, *Gar-
zias eodem tract. p.*7. *cap.*1. *n.*35., *Cardinalis
de Luca de jurepatronat discurs.*45. *n.*8., *&
21 discurs.*49. *n.*7., & in iis, qui Sacerdotali
charactere insigniuntur pro obtinendo bene-
22 ficio, quibus quoque de jure tempus unius
anni conceditur, ex *cap. Ei cui* 29. *de Præ-
23 bend. in* 6., necnon in iis, qui ex privilegio
nancisci valent civilitatem ad effectum eva-
dendi capaces beneficiorum, uti colligitur
ex *dec.*73. *n.*8. *&* 9. *cor. Cerro*, ac tandem in
specie de illo, qui pro obtinendo beneficio
24 condecoratus fuerat Laurea Doctorali, ha-
betur in *una Frisingen. Canonicatus* 4. *Iulii*
1692. §. *Neque obstat*, *coram Reverendissi-
mo meo Decano*, confirmata 5. *Iulii* 1694.
§. *Non obstat assumptum coram R. P. D. meo
Priolo.*

Prout nec etiam in nihilo admissæ fuerunt
attestationes actualem lecturam excluden-
25 tes; nam cum illæ sint negativæ, & con-
currant cum pluribus aliis affirmativis su-
per actuali lectura deponentibus, non ve-
niunt attendendæ, per ea, quæ ex *Text.
in l. Diem proferre* §. *Si plures*, *ubi Gloss.
verb. consenserunt.* ac alios etiam allegando
firmat *Rot. dec.* 819. *nu.* 8. *p.*16. *Recentior.*;
potuit enim dari casus, quod dicti testes non
viderint legere Joannem Henricum eadem
hora, vel die, qua ipse Canones explicabat,
sed ex hoc non excludunt actuale legendi
exercitium aliis horis, vel diebus in schedu-
26 lis destinatis; quæ testium conciliatio eò
magis facienda est, quia remanet sublata
quæcumque contrarietas: ad *Text. in cap.
Cum hic* 16. *de testib.*, & cum aliis firmat
*Rot. cor. Burat. dec.*932. *n.* 14., *& sequen.*,
atque *in Recentior. dec.*745. *n.*8. *p.*19., & ul-
terius

teriùs licèt dicti testes deponant, Joannem
Henricum haud esse in numero lectorum ad-
scriptum; nihilominùs de hac non adscrip-
27 tione nulla est habenda ratio, cùm fiat tan-
tùm de illis Professoribus, qui dicuntur or-
dinarii, & stipendia recipiunt, non autem
de aliis extraordinariis, quos comprehendi
sub dictis indultis hucusque probatum fuit.

Tertium tandem requisitum præseferens
necessitatem habendi bonum testimonium
Rectoris, & Provisorum Vniversitatis visum
28 fuit in præsenti casu non deficere, eò quia
maximum dedit testimonium Vniversitas ip-
sa, quando institit, & consensum præbuit in
Dataria, ut litteræ resignationis expediren-
29 tur, quod sanè ampliùs retractare non va-
leret propriam confessionem impugnando,
ut per *Text. in cap. Per tuas de probat.*, fir-
mavit *Rot. dec.81. n.8. p. 19. Recentior. tom.
primo*, prout de facto nec etiam impugnat,
nec est in causa; & licèt Vniversitas præce-
denter illud ad preces Joannis Henrici con-
30 cedere noluisset; tamen ex post instando in
Dataria censetur recessisse à dicta negativa,
quæ etiamsi perdurasset, adhuc uti irratio-
31 nabilis potuisset à Superiore suppleri, prout
factum fuit in præsenti casu, cum in omni
32 materia suppletio procedat, ubi consensus
requisitus, absque ullo rationis fulcimine
denegatur: ad notata per *Abbat. in cap. Cum
in veteri n.13. versic. quoad quæstionem de
election.*, & pluribus cumulatis firmat *Rota
cor. Emerix jun. dec.1243. n.4.*

Ea verò, quæ deducebantur circa gratiam
resignationis obtentam post obitum resi-
33 gnantis, quo casu cessat consensus Procu-
ratoris dependens à duratione consensus sui
principalis, qui eo mortuo expirat, ut sunt
*Textus aperti in leg. Inter causas in princip.
ff. mandat., & in leg. Mandatum Cod. eodem*
ac docet *Mantic. de tacit. & ambig. convent.
lib.7. tit.23. n.1.* in nihilo penitùs fuerunt at-
34 tenta; quidquid enim sit, ubi concurrat
simplex signatura gratiæ, absque appositio-
ne datæ, in quibus terminis procedunt au-
ctoritates, quæ in contrarium adduceban-
tur, hoc unum certum est, quod ubi habea-
35 tur data literarum Apostolicarum, ut hic,
ex qua apparet, gratiam fuisse signatam de-
cimo octavo Kalend. Januarii, qui numerus
æquipollet diei 15. ejusdem mensis, & sic
15. dies ante obitum resignantis sequutum
die 31. dicti mensis, cessat objectum, adeo-
ut nequeat dari probatio in contrarium, uti
tradunt *Gratian. disceptat. forens.191. n.1.*,
Corrad. in prax. benef. lib.3. cap. 8. n.4., &
firmavit *Rot. cor. Merlino dec. 281. n. 13.*, &
& cor. Emerix jun. dec.1149. in fine.

Cùmque ex his omnibus appareant plenè
Justificatæ literæ Joannis Henrici, super-
fluum existimarunt Domini examinare, an
Joanni Michaeli alteri colitiganti obstet
36 alia exceptio, quod ipse possideat duos Ca-
nonicatus contra formam Bullæ Bonifacii IX.
cùm satis sit, quod, ex supra firmatis, non
possit dici legitimus contradictor, uti ad rem
firmat *Rot. cor. Emer. jun. dec. 30. n.7., & in
Augustana Canonicatus 12. Januarii 1703.
§. finali cor. Reverendiss. meo Decano*. Maxi-
37 mè quia Vniversitas, quæ verè jus haberet
sese opponendi, non contradicit, sed potiùs
Joanni Henrico adhæret, ut resultat, tam ex
supplicatione facta Eminentissimo Domino
meo Prodatario, quàm ex quo hodie non
comparet, ut supra dictum fuit.

Et ita, utraque &c.

NEAPOLITANA CENSUS.

Veneris 13. Decembris 1709.

ARGUMENTUM.

Nullitas alicujus defectu non convincitur ab extractu defectuoso, maxime cum Notarius eam reproductam testetur. Annuus redditus sine interventu pecuniæ numeratæ, census non est. Census ex lapsu temporis nonaginta, & minus annorum, in quibus non sunt exacti fructus, præsumitur extinctus, vel compensatus. Maximè si ejusdem debitor creditum longè excedens habebat: nam tunc ministerio legis, etiam sine extrajudiciali interpellatione compensatio præsumitur. Diligentiæ ulteriores contra decoctum quis facere non cogitur pro exactione. Compensatio non impeditur ex obligatione emissa ad formam legis in actu depositi antecedenter datæ, & cur?

SVMMARIVM.

1 *Res judicata de plano intrat, cum intra biennium acta non sunt trasportata, licet intra primum fatale aliquid actum sit.*

2 *Læsionem excludunt validitas, & justitia sententiæ.*

3 *Restitutioni in integrum non est locus cessante læsione.*

4 *Negativa alicujus citationis non probatur ab extractu, in quo alia etiam desunt documenta.*

5 *Maxime si Notarius attestetur, eamdem sibi fuisse reproductam.*

6 *Notarii negligentia in conservandis actis litigantibus non obesse debet.*

7 *Census non dicitur annuus redditus ille, in quo est contra Pianam constitutionem non intervenit pecunia numerata.*

8 *Præscriptio de facili intrat in annuo redditu spatio circa nonaginta annorum inexacto.*

9 *Census extinctio, ex non exactione nonaginta annis continuata, præsumitur.*

10 *Et etiam minori spatio.*

11 *Fortius concurrentibus conjecturis id suadentibus.*

12 *Census extinctus, vel compensatus præsumitur, si ejus debitor olim exhibuerit creditum longè majus.*

13 *Pro compensatione facienda pro credito, & debito sufficit quævis extrajudicialis declaratio.*

14 *Amplia, quod statim inducitur compensatio juris ministerio majoris summæ crediti cum debito in eadem persona, absque ulla prorsus reclamatione*, & n. 16.

15 Cre-

15 *Creditum desumptum ex libris domesticis, quem pars adversa produxit, & cujus vigore in judicio egit, pro ea quantitate in judicio deducta sustinetur.*
17 *Diligentiæ pro exactione probandæ non sunt ab eo, qui creditum in se assumpsit.*
18 *Diligentiæ semel contra decoctum factæ, utpote non profuturæ, non necesse est, quod renoventur.*
19 *Obligatio facta in investimento vigore præcedentis clari pacti non impedit, quin præsumatur compensatio crediti cum debito sequuta.*
20 *Pacta sunt servanda.*
21 *Obligatio in investimento facta, cum adesset talis lex in deposito, non impedit, quin data fuerit compensatio.*
22 *Depositarius depositatas pecunias sub certa lege reddere non tenetur, nisi ea impleta: alias ad iteratam solutionem de proprio tenetur.*

DECISIO DCXXVI.

PRO consecutione annui legati ducatorum centum a Beatrice Caracciola relicti P. Carolo de Januario ejus filio in Societate Jesu commoranti, assignata eidem fuerunt varia nomina debitorum ab Horatio de Ianuario ejus fratre, & respectivè filio, ac hærede universali præfatæ Beatricis, quæ quidem nomina debitorum memoratus Horatius promisit esse vera, realia, & exigibilia, semper, & quousque d. P. Carolus in humanis esset.

Redèmit Adrianus de Turre alter ex debitoribus annuum reditum ducatorum 27., ejusque prætium ducatorum 300., juxta conventiones in supradicta assignatione appositas, investitum fuit in emptionem alterius annui redditus, favore vener. Domus probationis Societatis Jesu Neapolis donatariæ d. P. Caroli. Cum autem iste quoque annuus redditus affrancatus fuerit de anno 1599., cujus prætium ducatorum 300. erogatum extitit in redemptionem alterius annui redditus debiti in majori summa à d. Domo probationis Cæsari Montanario, qui deinde pro d. intranti quantitate annuorum ducatorum 21. omnia jura cessit Antonio, & Camillo filiis, & hæredibus Horatii de Januario, sub pacto, & expressione tamen, quod solum post obitum P. Caroli dd. fructus petere possent.

Decessit P. Carolus de mense Martii 1604. & post lapsum annorum ferè 90., DD. Princeps S. Martini, ejusque fratres, uti hæredes dd. Camilli, & Antonii, insurexerunt contra prædictam Domum probationis in Tribunali Nuntiaturæ Neapolis, tam pro restitutione capitalis Ducatorum 300., quam fructuum a die obitus P. Caroli, & sententiam favorabilem reportarunt, quæ tamen in gradu aipellationis per PP. Iesuitas coram A-C. instauratæ infirmata, & revocata fuit a bo. me. R. P. D Porta Judice deputato.

Appellarunt præfati Princeps S. Martini ejusque fratres ab hac sententia, causamque appellationis in hoc Sacro Auditorio delegari obtinuerunt, & licet die 26. Junii 1697. citatum per eos fuerit ad dicendum contra commissionem, nihilominus acta solum die 2. Octobris proximè præteriti transportata extiterunt, quapropter proposui dubium -- *An constet de re judicata, sive potius de causis restitutionis in integrum* -- & *affirmative* DD. quoad primam, *negatiue* quoad secundam partem responderunt.

Quamvis enim in primo fatali aliquid ge-
1 stum sit; attamen, cum intra biennium acta transportata non fuerint, de plano intrat res judicata. *cap cum sit Romana de appellat.*, *Auth. ei, qui C. de tempor. appellat. Rota in Lauden. Pensionis 4. Februarii 1695. §. illa namque cor bo. me. Ursino*: & concur-
2 rente d. sententiæ validitate, & justitia, sicuti exclusa remanet læsio, ita locus esse
3 non potest petitæ in integrum restitutioni, juxta regulam *Text. in l. uerum §. Sciendum ff. de minor.* cum concordantibus adductis per *Rot. dec. 33. n. 1., & seqq. p. 19. rec.*

Neque validitas infringi potuit ex eo, quod in extractu reperta non fuerit citatio ad sententiam, quia cum agatur de actu tresdecim ab hinc annis expleto, facile deperdi potuit, prout deperdita quoque fuerunt alia documenta de partibus, ut testatur idemmet
4 extractista: quocirca a d. extractu, qui defectuosus est, negativa prędictæ citationis probata non remanet. *Rota cor. Seraphin. dec. 1037. n. 2. & 3., dec. 81. n. 3. cum seq. apud Post. de subhast., & in rec. decis. 293. n. 7. dec. 684. n. 4. p. 2.*

Maxime quia Notarius substitutus, qui d.
5 Sententiam publicavit, testatur sibi fuisse reproductam eamdem citationem cadentem die 15. Junii 1699., sub qua deinde publicata fuit sententia, ideoque allegari ad summum potest illius deperditio proveniens ex
6 negligentia Notarii in conservandis actis, quæ nullo modo partibus obesse potest. *Rot. cor. Seraphin. dec. 1115. n. 4., & cor. Buratt. dec. 780. n. 4.*

Justitia vero æquè clara apparuit, quia annuus redditus, de quo est quæstio, ultra quod cum præseferre non videatur naturam,
7 & indolem census ad normam Pianæ constitutionis creati, ex quo inter alios notabiles defectus emicat ille, quod non intervenerit pecuniæ numeratio, cumque spatio nonaginta fere annorum exactus non fuerit, de faci-
8 li intrare potuit prescriptio: ad *text. in l. sicut, & in l. omnes C. de prescript. 30., vel 40. annorum, Menoch. cons. 143. per tot., & cons. 962. n. 38., & seq., Rota dec. 311. n. 2. & seq. p. 10., & dec. 21. n. primo & seqq. p. 16. rec.*

Præcipuum fundamentum constituerunt DD. in eo, quod dato etiam, quod versaremur in censu vero, & consignativo, ad formam memoratæ Pianæ Constitutionis
9 creato, adhuc attento tanti temporis lapsu presumpta illius extinctio comprobata remanet, ut in terminis lapsus temporis valde

mi-

10 minoris sæpe respondit Rota, & signanter
*cor. Bich. dec.63. n.18., & seq. dec.72. n.13.
& 14.*, & novissime *dec.60. n.4. cor. R. P. D.
meo Ansaldo. in Sabinen. fideicommissi* 22.
Aprilis 1701. §. *Primus siquidem*, & 12. *Ju-
nii* 1702. §. *Nec ad impugnandum cor. Emi-
nentissimo Caprara, & in Cornetana census
prima Martii* 1706. §. *Et sane cor. R. P. D.
meo Priolo*,

Fortius quia tam diuturoo temporis de-
11 cursui famulantur aliæ urgentissimæ conie-
cturę hujusmodi extinctionem mirabiliter
suadentes. Habetur enim io facto, quod an-
no 1605., quo PP. dictæ Domus Probatio-
nis conveniri poterant pro solutione annui
redditus, de quo agitur, ab illius P. Recto-
re traditum fuit procuratori dd. Camilii, &
12 Antonii de Jaouario bilaotium, seu notula
summarum exactarum ex annuis redditibus
ab Horatio eorum authore assignatis, & jux-
ta illam comprobatum extit, quod usque
tunc temporis erat illi solvenda summa du-
catorum 607., quamobrem optiu è datur in-
telligi, d. P. Rectorem voluisse annuum red-
ditum ducatorum 21, sivè ejus capitale du-
catorum 300. cum d. summa majori sibi debi-
ta proportionabiliter compensare; ad huoc
eoim effectum sufficit quęvis etiam extraju-
13 dicialis declaratio: ad tradita per *Cenc. de
Cens. qu. 88. n. 6. vers. contrarium, Rot. cor.
Bich. dec. 415. n. 15., & cor. Cer. decis. 32.
n. 11. cum seqq.* Immo quod statim induca-
14 tur compensatio absque ulla prorsus decla-
ratiooe, & protestatiooe, per *text. apert. in
l. si constat, & l. final. C. de compensat.* tue-
tur, *Molin. de contract. disput. 560. n. 3. tom.
2., Censal. dec. lucens. 11. n. 63., & seqq., Rot.
dec. 123. n. 11., & 12. p. 15. rec.*

Nec obstat, quod hujusmodi ereditum
non justificetur, nisi ex d. notula desumpta
ex libris ejusdem Societatis, quia cum id
15 innotuerit Camillo, & Aotonio usque de
anno 1605., non solum eorum diuturno si-
lentio approbatum fuit, sed quod magis est,
ipsimet judicialiter isteteruntcontra Fabri-
tium Pignattelium, ejusque fidejussores de-
bitores annui redditus ducatorum 36. in
computum dicti legati eidem P. Carolo ces-
si, & mandatum etiam obtinuerunt, tam
pro capitali ducat. 440., quam pro fructibus
in summa ducatorum 441. decursis, & non
solutis, & proinde indubitatum est, quod
saltem in d. summa ducatorum 441. verifice-
tur tale creditum, quod utpotè superans de
16 tempore obitus P. Caroli d. Capitale duca-
torum 300. cum eo ex legis mioisterio com-
pensatum fuit, ut præter authoritates in
§. Fortius superius, adductas probant *Rode-
ric. de annu. reddit. lib. 2. qu. 19. n. 2., Franch.
dec. 642. n. 5., Rot. dec. 409. à nu. 22. ad 29.
p. 9. tom. 2. rec.*

Hinc non obsistere visa suot postrema ge-
mina obiecta cootra sæpe d. Domum Proba-
tionis excitata; alterum, quod ea constitui
non debeat creditrix in summa, quam a de-
bitoribus cessis non exegerat, oisi aperte of-
tendat, se cootra illos fecisse debitas dili-
gentias; & alterum, quod si verè fuisset cre-
ditrix non se obligasset de anno 1599. favore
Camilli, & Antonii de Januario.

Quo enim ad primum, ultra quod Anto-
nius, & Camillus agendo nomine proprio
contra d. Pignattellum, ejusque fidejussorem
17 hujusmodi creditum ad proprium commo-
dum reassumpserunt, optime conscii, quod
Horatius eorum Author obligatus erat pro
18 ejusdem exigibilitate: placuit responsio,
quod diligentię frustra factæ fuerant ab eis-
dem Camillo, & Antonio ob decoctionem
debitorum, ideoque opus oon erat, quod
eędem reiterarentur tanquam oon profuturę
*l. 2. §. penult. ff. ad Tertull. Gusman. de evict.
q. 35. n. 36. & seqq., Rot. dec. 567. n. 6. parte
prima rec.*

Quo vero ad alterum, cessare visa est om-
nis inverisimilitudo ex eo, quod in tantum
PP. Societatis fecerunt cum se ipsis investi-
19 mentum annui redditus favore fratrum de
Januario de tempore, quo eraot illorum cre-
ditores, in quantum aderat clara conventio,
& pactum reinvestieodi initum occasione su-
pradictæ assignationis nominum debitorum
20 factæ a d. Horatio favore P. Caroli, quod
sanè pactum omnino servandum erat: juxta
censuram *text. in l. 1., & l. Juris Gentium
§. Pretor ait ff. de pact., Rota cor. Cavalèr.
decision. 549. numer. primo* Maxime quia
21 repetitum etiam fuit in deposito dictorum
ducatorum 300. facto in Banco S. Eligii, &
proinde Depositarius nunquam dd. pecu-
23 nias solvisset, nisi servata forma, & lege
investimenti in eodem deposito præscripta;
alias enim solutionem de proprio reiterare
coactus fuisset: per *text. in l. 1. §. Eleganter
& §. sed si duo, ubi Castrens. ff. de posit., Rot.
cor. Seraphin dec. 1130. per tot., & coram
Dunozett. jun. dec. 604. n. primo, & decis.
634. pariter n. primo, & in rec. dec. 31. n. 5.
p. 3.*

Et ita, utraque &c.

Finis Tomi Secundi.



